6
4 L
40

Digitized by Google

ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM INSTITUTIONES

NOVA METHODO

IN QUATUOR LIBROS TRIBUTÆ

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

AUCTORE

JULIO LAURENTIO SELVAGIO

PRESBYTERO NEAPOLITANO

Et in eodem Seminario Juris Utriuſque Anteceſſore.

EDITIO ALTERA PATAVINA, OMNI DILIGENTIA ET CURA EMENDATA.

LIBRI I. PARS I.

G. 4 - L. 40

PATAVII, MDCCLXXX.

EX TYPOGRAFIA SEMINARII.

Apud JOANNEM MANFRE'.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTELOQUIUM.

I. Hriſtianarum Antiquitatum ſtudium majoribus olim noſtris maxime excultum, deinde vero, occupante omnia barbarie, ſenſim neglectum, ac pæne abjectum, ubi primum emerſit e tenebris, tantum repente ſui deſiderium excivit, ut nemo fuerit ſacrarum ſcientiarum vel mediocriter cupidus, quin illico aliquid ſibi inde deguſtandum exiſtimaverit. Neque vero id immerito, aut temere factum dicet quicunque ejuſce diſciplinæ utilitatem, atque adeo in Re Chriſtiana, ut par eſt, gerenda neceſſitatem perceptam animo habuerit. Enimvero indecorum plàne, ac præpoſterum videtur id in Chriſtiana doctrina, id eſt in Religionis negotio prætermitti, quod in ceteris liberalibus, profaniſque diſciplinis tradendis ſumma ope obſervari videmus.

II. Quot enim priſca, quot noſtra hac ætate ſapientes, doctiſſimique viri non minimum operæ pretium ſeſe facturos putarunt, ſi aut Philoſophiæ, aut Mathiſeos, aut alterius cujuſcunque ſcientiæ Originibus inveſtigandis adpellerent animum? Quot conſcripta volumina? Quam docta illa, & laborioſa! In his certe adcurate edocemur tum a quibus initiis ſingulæ artes, ac diſciplinæ profectæ ſint, tum quomodo creverint; donec ad eam quaſi robuſtam maturitatem pervenerint, in qua nunc temporis conſpiciuntur. Quin eo demum ventum eſt, ut quoties quiſpiam ſcientiarum ſacris ſe initiandum tradit, non ante ei aditus pateat, quam earundem origines, atque antiquitates ſedulo perceperit.

III. Atque id, quod hactenus dixi, in ſuperſtitioſis etiam diverſarum gentium ritibus perſcrutandis, haud ſecus ac in liberalibus diſciplinis ſollicite, vel religioſe obſervari ſatis conſtat. Pudet referre quibus, quantiſque commentariis referta ſint Bibliopolarum ſcrinia, quorum aliis antiqua Romanorum Θέωσις, aliis Græcorum, Phœnicum, Chaldæorum, atque Ægyptiorum vetus Μυθολογία pertexitur, atque ejuſmodi jam inde a primis cujuſque populi originibus repetuntur; ut illud mirari in præſentiarum ſubeat tot Chriſtianis Divinæ Religionis ſplendore dignatis id ſtudium jam pridem neglectum, ex quo mirum ſane quantum ſplendoris, ac majeſtatis Religioni ipſi accedat.

IV. Nam quantum non adjumenti ſuppetit ornandis tuendiſque Catholicæ fidei dogmatis ab penitiori Chriſtianæ antiquitatis notitia? Quum earum pleraque tantam habeant cum ſacra antiquitate conjunctione, ut vix, aut ne vix quidem eadem noviſſe queas, niſi ultimam antiquitatem, ideſt veteres, qui tunc fuerunt mores, ritus, ac diſciplinam mente, atque intelligentia complectaris. Profecto Salvator ipſe, ut ab Patre miſſionis certum indicium perfidis Judæis proderet, eis, ut divinos antiqui ſacri Fœderis Codices, ac veteres ſuo-

rum patrum traditiones repeterent, auctor fuit. Iiſdem, ac divinus Magiſter, veſtigiis inſiſtens Stephanus Martyrum coryphæus Cilices, Aſianos, aliarumque gentium Hebræos revicturus, eodem veluti ἀναντιῤῥήτῳ uſus eſt argumento. Tum Actorum XVII. impenſe laudantur Beroeſes, quod quotidie veteres Sacros Libros ſcrutantes, eorum oracula cum Chriſtianæ Religionis, quæ tunc gliſcebat, dogmatis conferebant, ac veluti ad libellam exigebant, ut acceptæ Euangelicæ Prædicationis placitis firmius inhærerent.

V. Neque vero minus, ut ab Hebræis ad Chriſtianos redeam, excoluere hoc ſtudium veteres, qui in Eccleſia uſque ad VI. fere Seculum floruerunt Patres, quibus hæc una ferme νικητικῶς debellandi ratio erat, ut ſicubi nova exurgeret opinio, eam continuo objecto ſacræ antiquitatis lumine falſitatis arguerent. Fecere id plus vice ſimplici ſapientiſſimi Eccleſiæ Patres Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, aliique, qui productis in medium Apoſtolicis inſtitutis, antiquis Eccleſiæ ritibus, ac veteris regiminis πολιτείᾳ pleroſque hæreticos perſtrinxerunt.

VI. Quin cautum id, ſancitumque majoribus noſtris erat, minime omni vento doctrinæ ferri, agitarique, ſed unius antiquitatis norma regi; hanc reſpicere, hanc ediſcere, ab hac ne latum quidem unguem diſcedere. Percellere adhuc aures videntur pæne intermorientis Ignatii Martyris voces, quibus, ſi quando in itinere Chriſtianas offendiſſet Eccleſias, eas, ut ne ab antiquis traditionibus diſcederent, graviter, impenſeque admonebat.

VII. Neque porro deferbuit id ſtudium ſecutis temporibus. Teſtes do Hieronymum, atque Euſebium Pamphilum, alterum veterum Scriptorum Catalogi, alterum Chronici auctorem, quibus certe operibus univerſam pæne antiquitatis notitiam poſterorum bono complexi ſunt: Euſebius maxime, in cujus Hiſtoria pleraque veterum Patrum quantivis pretii fragmenta viſere eſt, quibus procul dubio caruiſſemus. Et mirum porro cuiquam videbitur, ſi ad uſque Seculum VI. ſiquidem tanti erat antiquitatis ſcientia, nuſquam interturbatam, aut certe oblitam Apoſtolicam diſciplinam acceperimus, ſi ſtrenuos ferventeſque Epiſcopos, ſi temperantiores Clericos, ſi denique modeſtiores Laicos fuiſſe legamus? Equidem ſic ſtatuo: Quandiu tenax antiquitatis ſtudium perduravit, tandiu tum dogmaticam Chriſtianæ Religionis partem felicitate quanta maxima ab hæreticorum ſophiſmatis vindicatam, tum conſtantem Chriſtianæ diſciplinæ tenorem perſtitiſſe: ubi tamen remiſſius coli cœptum eſt, hunc quoque ſenſim remiſiſſe, inſolentes laicos, ambitioſiores Clericos effectos, tum tot ſuppoſititios libros, ut genuinos palam divenditos, ab quorum lectione ſi dogmata excipias Sponſi Eccleſiæ Chriſti Domini pollicitationibus integra, inviolataque æternum permanſura, omnis fere peſſum ivit antiquitas.

VIII. Contra vero ſtatim ac ab XVI. Seculo rurſus Chriſtianarum Antiquitatum ſcrutandarum cura inceſſit animos, omnia ferme in antiquum locum rediiſſe certum eſt: diſciplinam reſtitutam, repreſſam laicorum licentiam, Clericorum faſtum coercitum, diſcretos γνησίως ab apocryphis fœtus, tum Catholicam magis magiſque florentem viguiſſe doctrinam, ac ipſam adeo Eccle-

cle-

cleſiam antiquo iterum ſplendore, ac majeſtate exornatam. Adeo omnibus Chriſtianis Clericiſque id ſtudii juxta neceſſarium eſſe videtur.

IX. Præterea Rituum Eccleſiaſticorum ſtudium, quod Antiquitatum Eccleſiaſticarum maxima pars eſt, tantum abeſt, ut inutilis, aut levioris momenti exiſtimandum ſit; quin potius in illud incumbere omnium prorſus Chriſtianorum quam magni intereſſe videatur. Eccleſiæ enim in illis inſtituendis is præcipue σκοπὸς fuit; nimirum Chriſtianæ Religionis placita, veluti quibuſdam imaginibus objecta, fidelium oculis exhibere. Profectò ſicuti Chriſtus Sacramenta inſtituit, ut ſpirituales, ac ſub ſenſum non cadentes quaſdam veritates tanquam ſub ſenſibilibus quibuſdam ſpeciebus poſitas Eccleſiæ ſuæ membris inſinuaret: haud ſecus Eccleſia reliquas Chriſtianas veritates ritibus, ſive ſymbolis expreſſas fidelibus æque mente, ac ſenſu conſtantibus repræſentare maluit, quam ſimplici tantum verborum ſonitu iiſdem inculcare. Igitur ſicuti Chriſtianarum veritatum, ita & Eccleſiaſticorum Rituum ſtudium omnes prorſus Chriſtianos, præcipue vero Clericos, a quibus laici in Religionis negotio inſtituendi ſunt, maximopere ſpectare dubitandum haud videtur.

X. Atque id procul dubio cauſſæ eſt, cur ad has qualeſcunque Chriſtianarum Antiquitatum Inſtitutiones edendas animum adpulerim meum. Quanquam, ut ne quid taceam, fuere antehac complures Viri doctiſſimi, qui hanc Spartam jam exornarunt. Verum enim vero eorum plerique Hiſtoriam potius Eccleſiæ, quam Origines ſcripto tradiderunt. Alii in uno tantum, aut altero, prout ſe dabat occaſio, antiquæ diſciplinæ loco illuſtrando adlaborarunt. Alii demum Patrum Scripta adjectis in ima ora notulis illuſtrantes, etſi plurima ſcitu digna conſcripſerint, carptim tamen, ac ſparſim, & quæ ægre juvenibus propines nunquam multa variorum Librorum lectione implicandis. Vix ergo unum, aut alterum recenſeas, ut Thomam Mamachium e Catholicis, ac Joſephum Binghamum e Proteſtantibus, quorum id maxime ſtudium fuerit, ſparſas huc illuc ſacræ antiquitatis notitias colligere, ac uno veluti intuitu ſpectandas exhibere. At (quæ ſunt plerumque optimorum Librorum fata) ille viginti hac de re pollicitus, quinque ſatis grandibus evulgatis voluminibus, vix quartum attigit Librum: credo quod gravioribus curis diſtentus, ſpem edendorum aliorum prorſus abjecerit: maxime quum ab poſtremi evulgati voluminis editione jam ferme viginti annorum ſpatium interceptum ſatis conſtet.

XI. Ad Binghamum vero quod attinet, præterquam quod plurima in ejus Opere hæretica, utpote ab hæretico homine profecta, offendere eſt, illud etiam accedit, undeno eſſe volumine compactum. Adhæc nimia caritate minime vulgare vix noſtratibus maxime adoleſcentulis obvium eſſe.

XII. At nos, ut nihil laudis ſummis, ac ſapientiſſimis viris præreptum velimus, aliam tamen nobis mentem, conſilium aliud in hiſce edendis Antiquitatibus fuiſſe profitemur. Neque enim tam doctis, ac veluti metam adeptis, quam tyronibus, ac vixdum carcere egreſſis ſcribimus: nec Antiquitates quaſcumque ſimul collectas, ſed ſtrictim, ac Inſtitutionum methodo comprehenſas Juvenibus noſtris, quorum unice ſtudemus commodo, exhibemus. In hoc au-

autem Opere exornando, quæ noſtræ partes fuerint, aliorum judicium eſto. Certo ſi quid, ubiubi, quod ad rem noſtram faceret, offendimus, id memoratis honoris cauſſa auctoribus adpingere non dubitamus; ut qui, non laudi inani captandæ, ſed publicæ utilitati fovendæ ſcribimus.

XIII. Illud autem hic ſilentio prætervehi abs re fuerit, id nobis propoſitum olim fuiſſe, ubi primum ad ejuſmodi illuſtrandas, & adoleſcentium uſibus addicendas animum adjunximus: Binghami ſcilicet opus, qua parte in aliena a ſacroſanctis Eccleſiæ Catholicæ ſanctionibus, & a Tyronum commodis excreverat, ac diſceſſerat, retexere, ac veluti undequaque recidere, atque ad ſeveriorem Catholicorum regulam exigere, quo noſtrorum commodis cautum, conſultumque iretur. At ſecus, ut fieri ſolet, procedente ſtudiorum noſtrorum ratione, res tulit. Eo enim ſenſim delabi viſi ſumus, ut diverſa a Binghamo veſtigia perſequentes, hoc quidquid eſt Chriſtianarum antiquitatum σῶμα conderemus; quo fortaſſe & quædam ab eo, ſicubi uſus venit, illata ſunt; ut tamen nobis ſummos labores, ac diuturnum ſuper hac re ſtudium minime condonaverimus.

XIV. Opus vero quale lucem adſpiciet, quaque forma breviter expediam. Nam quin (a) ſex voluminum mole oneratum prodiret, vix aliter fieri potuit. Ejuſmodi enim, Inſtitutionum inſtar, quatuor in Libros tribuere placuit: Quorum primo agemus *de Chriſtianis generatim, ac in ſpecie de Clericis, Fidelibus laicis, & Catechumenis*. Secundo *de Eccleſiis, Liturgiis, Jejuniis, ceteroque cultu Deo, Sanctiſque exhibendo*. Tertio *de Ritibus in Sacramentorum adminiſtratione olim in Eccleſia adhibitis*. Quarto demum *de veteri Eccleſiaſtica Diſciplina in coercendis graviorum criminum reis*. Porro ex duobus prioribus Libris quiſque (b) duobus voluminibus concludetur; cetera, quæ ſuperſunt, volumina tertium, & quartum Librum complectentur.

XV. Hæ erunt noſtræ partes, hic labor: quo quidem ſi minus aliud, id certe fore ſperamus, ut juvenes Operis qua jucunditate, qua ſuavitate illecti vehementius ediſcendarum Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudium animo concipiant.

(a) (b) *Hæc in Editionem Neapolitanam quadrant. Noſtra vero hæc Editio tribus tantum Voluminibus comprehenditur: quorum duo priora Librorum numerum æquant; in tertio autem duo reliqui Libri conjunguntur.*

ALE-

ALEXANDRI MARIÆ KALEPHATI

S. PRIMAT. ECCLES. BARIEN. CANONICI, REGIIQUE THEOLOGIÆ DOGMATICÆ MAGISTRI IN REGALI NEAPO. ACADEMIA SS. SALVATORIS

DE

JULII LAURENTII SELVAGII

NEAPOLITANI SACERDOTIS VIRIQUE DOCTISSIMI VITA, ET SCRIPTIS

COMMENTARIUS.

Digitized by Google

D E

JULII LAURENTII SELVAGII

NEAPOLITANI SACERDOTIS VIRIQUE DOCTISSIMI VITA, ET SCRIPTIS

COMMENTARIUS.

I. QUÆ duæ res potiſſimum ex ſapientum Virorum Hiſtoria maximam ſolent Litterariæ Reipublicæ afferre utilitatem, nomina nempe præclara, resque geſtas addiſcere eorum, per quos diſciplinæ omnes feliciter exortæ inter homines, atque ad altiorem in dies perfectionis gradum adductæ ſunt; nec non exquirere diſciplinarum earumdem primordia & progreſſus, ut ita poſterorum animi ad ſimilia, & majora tentanda incenſi, ac pro communi bono quibuſdam quaſi calcaribus inſtigati excitentur: Hæ duæ res quoque me impulerunt (1), ut JULII LAURENTII SELVAGII viri clariſſimi, atque pientiſſimi Sacerdotis, præſertim INSTITUTIONUM ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM inter Catholicos Auctoris Primi, *commentarium* de vita, ſcriptiſque ejus poſteritati traderem.

II. Neapoli, feliciſſima illuſtrium ingeniorum altrice, ex *Philippo Selvagio*, & *Agatha Majella*, Parentibus honeſtiſſimis, hora XIV. matutina IV. Id. Auguſti, die celeberrimo Romani (2) Ar-

(1) *Angelus Fabronius*, Equeſtris Ordinis S. Stephani Prior, Piſanæque ſtudiorum Univerſitati Præfectus, vir eruditiſſimus, mihique amiciſſimus, in Præfationes Primæ Decadis *Vitarum Italorum doctrina Excellentium &c.* ſcribit: „Quod Vitas perſcribam Italorum doctrina excellen„tium, qui ſæculo XVIII. floruerunt, res profecto digna videbitur conſideranti multum id con„ducere ad amplificandam Italiæ gloriam, & ad excitandam præclare exemplis poſteritatem, ne „ab eximia conteſtataque patrum, majorumque laude degeneret.„ Hoc idem propoſitum mihi in cauſſa fuit, cur ego hujuſce Amici in primis cariſſimi geſta poſterorum memoriæ traderem. At non *Vitam*, non *Elogium*, ſed *Commentarium* me ſcripturum promiſi; ut ita quiſque intelligat, me materiam impolitam adhuc & quandoque etiam minutam colligiſſe, unde *Vitam Selvagii* ſcribere ſuiſque decadibus inſerere poſſit *Fabronius* noſter. Aliud eſt parare ad Cœnam obſonia, aliud Cœnam dare.

(2) Non eo *Romanum* dico *S. Levitam & Martyrem Laurentium*, quia eum *Romæ natum* pro

chidiaconi S. Laurentii Martyrio conſecrato, Anno MDCCXXVIII. inter filios primus ortum habuit JULIUS LAURENTIUS, atque in Parœciali Templo *S. Mariæ in Koſmedin*, ſive ad Portam Novam, ſacro fuit lavacro initiatus. Hinc ſane factum, ut quoad vixit, peculiari quadam caritate erga hoc Templum fuerit animatus, in quo primum Chriſtianæ militiæ nomen dedit, primos fideles majores noſtros ſancte imitatus (3), qui ſacram illam Ædem, in qua ex Dei beneficio aqua & Spiritu Sancto regenerabantur, Matris dilectiſſimæ, ſemperque colendæ loco habebant.

III. Corpus a nativitate nactus apta partium compoſitione perfectiſſimum, pubertati proximus repente nonnihil deformatum ſenſit. Undecimo enim vix ætatis anno, nocte quadam intempeſta MDCCXXXIX. dum placidus obdormire videbatur, e cubili dolentiſſimus proſiliens, per proxima curſitans cubicula, ſeſeque diſtorquens, ita clamoribus, & eiulatibus domum implet, ut lacrymas cuique cieret. Implenti queſtubus domum Parentes omneſque familiares accurrunt, nec ſciſcitantes cauſſam noſcere queſtuum poſſunt. Quid præternaturale fortaſſe ſuſpicantibus ad orationes, piumque morem ſacras Divorum Reliquias infirmo corpori adplicandi ventum eſt. Dicitur tunc magis vehementiuſque indoluiſſe. Verum poſthæc ſedatis doloribus ſerenus dormitum rediit. Cum tamen mane e lecto ſurgeret, dexter humerus gibboſus, ſiniſtroque elevatior, nec non ſiniſtrum latus præ dextero ſuffoſſum magis, & quaſi excavatum apparuere. Quæ quidem corporis deformitas, & inæqualitas membrorum conſpicua, compreſſo pectore reſpirationis meatus reddidere implicatos, nec ad expirandum reſpirandumque faciles; quod ſane incommodum adeo interdum intendebatur, ut diſſimulari non poſſet.

IV. Eo igitur ignoto morbi genere omnis corporea compago, florente adhuc pubertate, languida eſt effecta, atque vehementiſſimo illo humorum extuberantium veneno adoleſcens corpus quaſi gelu compreſſum eſt, & exuſtum. Quare poſt hæc corpore eſt uſus exili, parum firmo, ægritudinibus obnoxio, ut prudentiſſimo cuique videretur nulla pene in diſciplina *Julius* admodum profecturus, immo paucis vix annis victurus. Nihilominus, ut ſolent matres ardentiore proſequi caritate gnatos, qui a natura neglecti quodammodo apparent (4), & circa illos majorem adhibere diligentiam, quibus imbecillis contigit valetudo, *Aghata* ejus mater,

pro certo credam; ſed tantummodo *Romanus* a me vocatur *Archidiaconus*. Sat mihi notum, quanta vi ingenii ex *Sacramentario Veronenſi* a ſe primum detecto, & *Leoniano* appellato, S. Laurentium Romanis civibus addixerit Cl. *Joſephus Blanchinius* Congr. Oratorii Rom. Presbyter; quantaque doctrina, animique moderatione eumdem Martyrem Hiſpaniæ reddere curaverit ſolidæ eruditionis Promus Condus *Franciſcus Perezius Bayerius*, S. Primat. Eccl. Tolet. Canonicus, Inclyti Hiſpani Ordinis Carolini Eques penſione donatus, atque Præceptor Regiorum Infantium celeberrimus, præſertim edita a *Sereniſſimo Infante* GABRIELE BORBONIO *C. Criſpi Salluſtii* Romanæ Hiſtoriæ Principis egregia Caſtellana verſione. Nolo ego inter *Blanchinium*, & *Bayerium* Judex ſedere, quum hic in Hiſtorica Diſſertatione *de Damaſo & Laurentio Hiſpaniæ aſſertis & vindicatis*, Part. II. Cap. II. modeſte ſcribat: „ Unum ſi aſſequar, nempe ut iis, quæ mox ad„ducenda ſunt, ratiociniis & reſponſionibus ad Blanchini, atque Adverſariorum objecta, ſa„pientum animos in Hiſpanorum ſententiam propenſiores efficiam, quamvis calculum decreto„rium non adjiciant: ſatis amplam mihi mercedem obtigiſſe rear pro ſuſcepti laboris mo„dulo „.

(3) Habemus doctiſſimi *P. D. C. Chardon* Benedictini diſſertationem *de Baptiſteriis*, quam ex ejuſdem *Hiſtoria Sacramentorum* ſejunxit, Latinam reddidit, adnotationibus illuſtravit, ac alteri volumini *Diſciplinæ Populi Dei* Claudii Fleury ſecundo loco inſeruit *Franciſcus Antonius Zaccaria*. In ea Cl. Auctor a Num. XIII. ad XX. uſque pietatem honoriſque ſigna proſequitur, quibus veteres Chriſtiani Majores noſtri Baptiſmales Sacras Ædes colebant.

(4) In primis videſis aureos Libros *Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum* &c., ubi cauſſas enumerat, & demonſtrat materni hujuſce amoris, curæque diligentioris erga filios vel corpore deformes, vel imbecilles mente. *Horatius noſter* de amore paterno idem elegantiſſime canit a v. 43. Satyr. III. Lib. II.

ter, in omnibus provida materfamilias, id præ ceteris curavit, ut hunc filium ſuum apta ciborum potuſque qualitate ſimul & frugalitate aleret, atque ab omni aeris inclementia tueretur. Inde profecto factum, ut paulatim firmatis aliqua ex parte viribus, corpus non mediocriter convaluerit. Accedit his, quod *Julius* ipſe grandior factus, dubiæ conditionis corporis ſui non ignarus, materniſque aſſuetus alimentis, non ſine animi virtute ſatis laudabili, pluribus ſæpe, nonnullis ſemper abſtinuerit, ad quæ naturali appetitu plerique omnes duci ſolent; idque ut e languoribus ſtomachi, atque imminentibus morbis eximia temperantia incolumis evaderet. Atque notatu quidem dignum eſt, quod præter ægritudinem decimo a nativitate menſe, ac tumultuoſam, ut diximus, dolorum impreſſionem undecimo ætatis anno toleratam, adulto jam corpore tandiu vixerit, quamdiu vix quiſquam ex illo pubertatis caſu fuiſſet ominatus: immo tam bene plurimum valuerit, ut non morborum violentia, non ſtudendi aſſiduitate numquam intermiſſa, ſed inopino rhedæ caſu, & inde conſequenti humorum perturbatione mortali, tandem obierit. Tantum materna valet providentia; tantumque recte a pueris aſſueſcere opportunum eſt, & ſalutare.

V. Ab infantia literis a *Philippo* Patre addictus, nunquam ab illis divelli paſſus eſt. Scholam frequentans a Sacerdote *Alexio Giſolfo* Terræ *Montauri*, Ludimagiſtro ſui temporis non obſcuro, Latini ſermonis præcepta eſt probe edoctus. Hinc Humaniores Literas, Rhetoricam, & Poeticam a Sacerdote *Joſepho Guidone* Neapolitano, harum deliciarum gnariſſimo, didicit. Dum in his eſſet Anno MDCCXLIV., ætatiſque ſuæ circiter XVI. Clericali militiæ nomen dare firmus in animo decrevit. Quare non ſine prudentiſſimi Sacerdotis conſilio, cui ejus liquido patebat mens, atque Superiorum licentia, veſte Clericali indutus triennale poſuit tyrocinium. Erat tunc temporis Neapolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus *Joſephus Spinellus*, Cardinalis pietate, doctrina, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia incomparabilis, cui Clerus, ipſaque Neapolitana Eccleſia, ut Cl. Mazochius ſcripſit (5), ſemper debebunt plurimum. Hic præ ceteris optime ordinatis illud (6) mandavit, ut ſecundum antiqua Eccleſiarum inſtituta (7), atque Pontificum (8), & Conciliorum decreta (9), ad ſacros Miniſtros eadem methodo, iiſdem diſciplinis, & doctrina-

(5) In Epiſtola (ſive potius elegantiſſima Oratione Panegyrica) qua æternæ celebritatis vir *Mazochius Commentarium* ſuum *in Vetus Marmoreum Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ Kalendarium* Cardinali Ampliſſimo *Joſepho Spinello* dicavit Ann. MDCCXLIV. ejus geſta mire laudat, & exornat. Ut fecit quoque Part. III. Anteloquii ad *Diſſertationem Hiſtoricam de Cathedrali Neapol. ſemper unico*; alibique paſſim.

(6) *Joſeph Spinellus* Card. Archiep. Neap. in decreto edito die XXIV. Octob. MDCCXLV. ait: „ Cum primum . . . . Paſtoralem Curam Metropolitanæ hujus Eccleſiæ ſuſcepimus, illud „ in primis cordi fuit . . . ut juventus Deo ſacra ſecundum primævam Eccleſiæ diſciplinam, non „ modo honeſtis moribus, verum etiam optimis literarum ſtudiis informaretur. Verum id quo „ promptius, ac facilius eveniret, Scholæ nobis inſtituendæ eo nomine in Noſtro Archiepiſcopali „ Palatio videbantur . . . Cum autem conſilium hoc noſtrum exſequi ab initio omni ex parte „ non potuiſſemus, cœpimus ſex ante annos duas tantum Cathedras conſtituere, alteram matu„ tinam Theologiæ Scholaſtico-Dogmaticæ, veſpertinam alteram Theologiæ Moralis &c. „

(7) Videſis *Joſephum Binghamum de Origin. Eccl.* Lib. VIII. Cap. VII. §. XII. ſed potiſſimum eruditiſſimum virum *Dominicum Aulifium* noſtrum in egregio Opere *de Scholis Sacris* Lib. II. ubi luculenter hac de re agit.

(8) Inter ceteros *Leo IV.* Pont. Max. in Synodo Romana DCCCLIII. ita decrevit: *Magiſtri, & doctores in ſingulis locis conſtituantur, qui liberales artes aſſidue doceant; & ſi tales non inveniuntur, tamen divinæ ſcripturæ Magiſtri, & Inſtitutores divini officii nullatenus deſint.* Et *Benedictus XIV.* P. M. in Epiſt. in forma Brevis data Archiep. Neap. Card. *Spinello* die XIII. Jan. MDCCLVI. ſcribit: *Eſſet optandum, ut Venerabiles Fratres Antiſtites . . . . omnes Civitatis, & Diœceſis Clericos quotidie ad Epiſcopi Ædes, ſecundum vetuſtam Eccleſiaſticæ diſciplinæ rationem convenientes, ibidem optimarum facultatum, doctrinarumque ſtudiis ſub ſuis oculis ab inſignioribus Magiſtris imbuendos curarent.*

(9) Omiſſis aliis, Concilii Conſtantinopolitani Can. IV. ſtatutum eſt: *Si quis ex Presbyteris*

rum ſtudiis , ut par eſt , imbuendos in Archiepiſcopali Palatio ſub Præſulis , Primorumque Cleri oculis publicæ ſcholæ omnibus Eccleſiaſtico miniſterio mancipatis tum qui in Seminario, tum qui in paternis laribus educarentur , præſto eſſent; atque in iis ſelectiſſimi Anteceſſores, ullo ſine juvenum diſpendio, ſed annuo eis ſalario ſtatuto ex fructibus Archiepiſcopalis cenſus aſſidue docerent (10). Hoc ſane providentiſſimum Cardinalis *Spinelli* inſtitutum, non ſolum bonorum omnium plauſu , ſed in primis *Benedicti XIV.* Pontif. Max. pietate , & ſapientia celeberrimi elogio fuit confirmatum, qui hac de re poſtmodum (11) Authenticas literas ad eum miſit. Haſce itaque ſcholas, ſtatim ac primum patuere, frequentavit *Julius*, ibique Philoſophicis in ſtudiis eſt non mediocriter verſatus ſub diſciplina *Felicis Roſſi*, Sacerdotis admodum eruditi. Audivit deinde Theologiam egregie per dogmata explanatam a doctiſſimo viro *Joſepho Simiolio*, modo Neapolitanæ Eccleſiæ Canonico Theologo, atque in Publico Athenæo Conciliorum Anteceſſore. In ediſcendo Civili Canonicoque Jure uſus eſt viro editis optimæ frugis operibus clariſſimo, *Carolo Blaſcho* Roſſanenſi Patricio. His ſane diſciplinis diligentiſſime vacavit ad Annum uſque MDCCLII., quo a legitima ætate quum pauci adhuc abeſſent menſes , VI. Idus Junii privilegio Pontificis Sacerdotio fuit initiatus.

VI. Antequam ad ulteriora progrediamur, ut manifeſtum appareat quanto ardore, & fructu in ſtudiis ſub præceptoribus profecerit *Selvagius*, præſtat hoc loco duo narrare non admodum vulgaria . Primum eſt , quod cum adhuc Clericus in Archiepiſcopali Lyceo Theologiæ operum daret, unus omnium æqualium maxime floruerit ingenii , & doctrinæ laude. Quare factum eſt , ut , adveniente in ſcholam quadam die (an. MDCCLI.) Card. *Spinello* cum celeberrimo *Joſepho Aſſemanno*, aliiſque doctiſſimis viris exteris, quos *Spinellus* ducebat ad viſendam Academiam a ſe recens fundatam, *Selvagius* in primis electus ſit, qui de quæſtionibus Theologicis coram diſſereret ; ſpecimenque exhiberet progreſſus, quem in ejuſmodi facultate juventus Eccleſiaſti-

ca

voluerit nepotem ſuum, aut alium conſanguineum ad ſcholae mittere in Eccleſiis Sanctorum, aut in Cœnobiis , quæ nobis ad regendum commiſſa ſunt , licentiam id faciendi concedimus . Et Can. V. *Presbyteri per villas, & vicos Scholas habeant . Et ſi quis fidelium ſuos parvulos ad diſcendas literas eis commendare vult , eos non renuant ſuſcipere . Nihil autem ab eis pretii exigant , nec aliquid ab eis accipiant , excepto , quod eis parentes eorum caritatis ſtudia ſua voluntate obtulerint .*

(10) In citata Epiſtola Ann. MDCCXLIV. ad *Card. Spinellum* ita ſcribit *Mazochius* noſter : „ In tuis Ædibus doctrinarum omnium ludum univerſo Clero aperuiſti , ſelectiſſimis Profeſſoribus „ tuo ære adſcitis , quibus tuo ſub aſpectu ſacra juventus ad omnem eruditionem informanda tra- „ ditur ...... Ad Ædes tuas, ut ante dicebam, omnis quotidie Clerus gregatim confluit . Ibi „ per ſuas claſſes ſcholaſque diſpoſiti tuis ſub oculis a doctoribus ſtrenuiſſimis ad optimas artes „ erudiuntur ; ut qui in domo Dei educantur, non minorem jam habituri ſint ab initio doctri- „ næ, quam caritatis conſenſionem . „ Et in *Vindiciis Repetitæ Actor. Bononien. S. Jan.* pag. 142. Adnot. (16) ait idem *Mazochius* : „ Nihil ſalutarius ab Eminentiſſimo Cardinali *Spinello* „ olim Archiepiſcopo Neap. fieri potuit , quam uti Clerum univerſum , antea per obvias quaſque „ ſcholas diſperſum (ex quo ſi nihil aliud damni , at diſſimilitudo doctrinæ in clericis exiſte- „ bat) in Gymnaſium unum in Archiepiſcopio fundatum cogeret , idque inſtructum ſelectiſſimis „ ſcientiarum omnium profeſſoribus : in quo maxima cum æmulatione optimi juvenes in ſpem „ Eccleſiæ ſuboleſcerent . Ac ne nunc quidem aliud Eminentiſſ. ſucceſſori Cardinali *Serſalio* ma- „ gis cordi eſt , quam ut adoleſcentibus ſponte ſua incitatiſſimis addat quotidiana calcaria . Ita- „ que (ut taceam de progreſſibus Cleri mirificis : non niſi os unum & lingua una Eccleſiæ totius „ Neap. facta eſt . O fortunatos nimium , ſua ſi bona norint , Regiæ Metropolis hujus Clericos , „ tantis doctrinæ & innocentiæ præſidiis ante fultos , quam ad populos regendos miſſi proſi- „ liant . „

(11) Quamvis aliquot ante annis Publicæ Archiepiſcopales ſcholæ ſenſim patuerint , quaſi magni moliminis experimento facto ; attamen ut perpetuum ſtaret opus , *IX. Kal. Novem. MDCCXLV*, *decretum* edidit Cardinalis *Spinellus* : quod *ſane decretum* binis litteris ſuis , in forma *Brevis* , ut vulgo ajunt , ſub eadem Nota Chronica *Poſtrid. Id. Jan. MDCCXLVI.* & laudavit , & confirmavit idem ſummus Pontifex .

ća faciebat ſub diſciplina *Simiolii*. Alterum eſt, quod ſecundo, vel tertio curſus Theologici anno, novam, ut ita dicam, Theologicam Coloniam ipſe deduxerit in ædes *S. Georgii* Piorum Operar. Quum enim optimus quiſque condiſcipulus amiciſſimus eſſet *Selvagio*, ejuſmodi ipſe hortatus eſt, ut in prædictum locum ſemel per hebdomadam convenirent poſt meridiem ad diſputandum de quæſtionibus Theologicis. Annuentibus methodum præſcripſit, qua exercitationes concertationeſque rite inſtituerentur: patronumque dedit *D. Auguſtinum*; cujus laudes quotannis feſta illius die a Sociis celebrari voluit proſa, & verſu. Huic porro Clericali Academiæ, quæ plus uno permanſit anno, initio præfuit *Nicolaus Trutta* Presbyter Neap. doctiſſimus; deinde alii.

VII. Quamvis Presbyter jam factus *Julius*, & diſciplinarum curriculo feliciter emenſo e ſchola diſceſſerit, domi tamen ſe continens peracta ſtudia retractare, augere, expolire cœpit. Aſſiduus in legendo, ſcribendoque erat; in adeundis vero, atque interrogandis doctioribus adeo ſollicitus, ut plane appareret eum eruditionem non diligere, ſed prorſus ardere. Ad orientalium linguarum ſtudia, quarum elementa jampridem didicerat, rurſus ſe contulit; ſimulque Geographiæ, Chronologiæ, Hiſtoriæ tum Sacræ & Eccleſiaſticæ, tum Civili, nec non Antiquitatibus in primis Chriſtianæ Religionis penitius perluſtrandis & addiſcendis apta methodo, & nunquam intermiſſa opera ſolitarius vacavit. Probe noverat, licet juvenis, quam ſit neceſſarium, & quantum emolumenti afferat ſcientias arteſque profitentibus non ſero Regionum Urbiumque ſitus pernoſcere, temporum ſucceſſiones in numerato habere, Gentium facta exquirere, Regnorum ortus, incrementa, & caſus perpendere, Eccleſiæ Chriſti acta, viciſſitudines, Conciliorum, Patrum, Pontificum, & Hæreticorum ſcripta & geſta explorare, ipſaſque Chriſtianas Antiquitates viro Eccleſiaſtico pernecceſſarias addiſcere; quibus ſine adjumentis quam manca ſit, & imperfecta Philoſophia, tum Juriſprudentia, ipſa cum primis Theologia, nemo ſanus non fatetur. Horis præterea ſubciſivis fontes adivit Latinorum Græcorumque Scriptorum quantum potuit; ne ignota ipſi eſſet veterum Sapientia, & per quos veluti gradus humanarum divinarumque rerum ſcientia ad perfectionem lucemque evidentiæ, ſi potis eſt, tendere non ſine hominum vigiliis & ſudore ſit conata. At, quod caput eſt, nulla prope dies præteriit, qua partem aliquam Veteris Novique Teſtamenti non legerit attente, & ope alicujus Commentarii, præcipue *Calmeti*, non ſit interpretatus. Ad hoc ſane ſtudium capeſſendum eruditione ſua Clariſſimus *Mazochius* noſter eum quodammodo incitavit primum, & deinde manuduxit. Nam quum ſæpe in Neapolitano Athenæo virum ſummum Sacras Scripturas edocentem, atque novas vias aperientem, aptaque miniſtrantem ſubſidia ad Biblia intelligenda audiviſſet, Scripturarum amore, ac utilitate vehementiſſime eſt incenſus: quæ res quantum lucis & fundamenti Eccleſiaſticis *Julii* ſtudiis attulerit, ſcripta ejus abunde teſtantur.

VIII. Poſt quatuor circiter annos, quibus in ſua Bibliotheca (quam pro neceſſitate, vel opportunitate ſenſim optimis libris diligenter augebat) in ſtudia ſua incumbens quodammodo delituerat *Julius*; en cauſſa, quæ illum An. MDCCLVI. e domeſticis latebris in apricum protulit, & ad peracti ſtudii publica experimenta tradenda, atque ad non adhuc a ſe calcata literarum ſtadia percurrenda excitavit. Ut recte, quæ ſequuntur, intelligantur, rem altius repetamus oportet. Cardinalis *Spinellus Benedicti XIV.* memoriæ quidem ſempiternæ, pleno gradu veſtigia premens, quemadmodum hic Romæ, in Chriſtiani Orbis Arce, nomine *Eccleſiaſticæ Academiæ* Societatem Virorum Sapientum ſtatas Exercitationes Hiſtoricas, Biblicas, Theologicas, vel Liturgicas ipſo audiente habentium non ſine maximo Eccleſiæ Univerſæ commodo inſtituerat; ita ille Neapoli An. MDCCXLI. in diviti, & ſelectiſſima

Preſ-

Presbyterorum S. Philippi Nerii Bibliotheca Eccleſiaſticam aperit Academiam, in qua viri utique præclari *Alexius Symmachus Mazochius*, *totius Europæ litterariæ miraculum* (12), cujus deſiderio boni omnes merito anguntur, *Ludovicus Sabbatinus de Anfora* Aquilanus Epiſcopus, *Pius Thomas Milante* Epiſcopus Stabiarum, *Agnellus Honoratus* Averſæ Canonicus, *Annibal Marcheſius*, *Antonius Genuenſis*, *Carolus Blaſchus*, *Franciſcus Maria Pratillus* Canonicus Capuanus, *Cajetanus Mari*, *Joſeph Spananus*, & *Joſeph Simiolius* Canonici Neapolitani, *Ignatius Calce*, *Ignatius a Cruce*, *Sebaſtianus Paulus*, *Scipio de Chriſtophoro*, *Stanislaus a Potentia* editis Operibus, atque varia eruditione illuſtres, aliique permulti floruerunt, quiſtatis diebus diſſertationes haberent ea de re, quæ in Libello indicente jam in anteceſſum excuſſo fuiſſet propoſita (13). Ex hiſce profecto exercitationibus plures per annos *productis* prodiere tot tantæque optimæ frugis diſſertationes de ſublimioribus rei Chriſtianæ argumentis, & præſertim adverſus *Samuelis Baſnagii Annales Politico-Eccleſiaſticos*, quæ ſi in unum collectæ evulgarentur tandem, magnum profecto emolumentum rei literariæ accederet. Quemadmodum quidem acceſſit ex eruditiſſimo Mazochii *Commentario* in priores ſex Marmorei Neapolitani Kalendarii Menſes, & ex diſſertatione ejuſdem *de Sanctorum Neapolitanæ Eccleſiæ Epiſcoporum cultu*; ut etiam ex altero *Ludovici Sabbatini* Commentario in omnes prorſus ejuſdem Kalendarii Menſes; ex *Blaſchi* doctis diſſertationibus, aliiſque illuſtrium Virorum Scriptis jam tum, vel poſtea evulgatis. Verum poſtquam, neſcio quo fato, iis ſe implicuit negotiis Cardinalis, a quibus abſtinuiſſe ſatius fuiſſet, quum ipſe ſe Romam recepiſſet, atque hujus ſedis regimine ſe abdicaſſet, occluſa tacuit Academia, nec amplius de more in unum coire viri eruditi.

IX. Quicumque, ut his exercitationibus in dies doctior evaderet Neapolitanus Clerus, & exemplo inde ducto univerſæ Regni Eccleſiæ illuſtrarentur, vehementer ſperabat fore, doluit merito, tot illuſtres viros medio in curſu ſubſtitiſſe. At ſtatim ac *Antoninus Serſalius* Cardinalis fuit huic ſedi ſucceſſor datus, de reſtituenda Academia Eccleſiaſtica cogitatum eſt. Debetur præſertim hæc reſtitutio Canonico *Joſepho Sparano* ſollertium ingeniorum amantiſſimo, qui ea de re ſæpe coram Archiepiſcopo verba fecit; & *Julio* etiam noſtro, qui juvenes Sacerdotes, quibuſcum diu iiſdem in ſtudiis fuerat verſatus, ad coeundum fortiter excitavit. Quapropter quum Cardinalis *Serſalii* auctoritas tandem acceſſiſſet, qui ſe Literariæ illius ſocietatis Protectorem & Præſidem dixit, ipſemet *Julius* hortatoria oratione Academiam recluſit VI. Id. Jan. MDCCLVIII. Duodecim primum fuere ſocii, quibus poſtmodum magnus ſapientum virorum numerus ultro acceſſit. Illud fuit hujus reſtitutæ Eccleſiaſticæ Academiæ inſtitutum, ut ſub tutela S. Doctoris *Auguſtini*, cujus laudes quotannis panegyrica oratione aliquis ex Academicis proſequebatur, quolibet die Sabbati poſtmeridianis horis corporati omnes, vel domi *Sparani*, qui Pro-Præfectus huic Academiæ fuit renunciatus, vel in Archiepiſcopio coram Cardinali (ut ſæpe factum eſt) collecti ab uno ex ſociis Theologicam, ab altero de graviore aliquo vel Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vel Sacrarum Scripturarum,

vel

(12) Hoc ſummi honoris titulo Cl. Virum *Mazochium* ornat *Carolus Le Beau Regiæ Inſcriptionum, & Humanarum Literarum Academiæ Pariſienſis Scriba Perpetuus* Epiſtola ad eum data XVII. Kal. Octobr. MDCCLIX., quæ eſt XXIII. Vol. I. Collectionis *Opuſculorum* ejuſdem *Mazochii*. Hanc Collectionem ubique expectatiſſimam evulgare diligenter curat Vir eruditiſſimus *Cajetanus Migliore*.

(13) De illuſtri hac Eccleſiaſtica Academia ita Cl. *Mazochius* in citata Epiſtola Anni MDCCXLIV. *Cardinalem Spinellum* alloquitur; „ Quid de inſtituta per te celebri apud Oratorianos Patres Academia, in qua viri ex tuo Clero lectiſſimi crebris diſſertationibus publicia pronunciatis Eccleſiæ Hiſtoriam illuſtriorem efficiunt &c. „.

vel Canonici Juris, vel demum Liturgiæ argumento in evulgatis libellis jam ante propoſito, Diſſertationem taciti audirent; atque deinde, ſi quid non recte dictum crederent, modeſte proponerent, ſolutionem ab Diſſerente expectantes. Incredibile dictu eſt, quo animi ardore, quaque diligentia hac in palæſtra ſe exercuerit *Julius*, vel diſſertationes recitans, vel diſſerentibus difficultates expediendas opportune proponens (14).

X. Præter hæc erant alia litteraria negotia, quæ *Julium* & ante, & poſt hæc tempora non mediocriter diſtinebant. Inter *Arcades Poetas* adhuc juvenis adnumeratus, nomine *Ariſtonis Metaſtici*, quolibet anno inter Paſtores *Coloniæ Adethinæ* celeberrimæ, dum vixit, vel Latina, vel Græca etiam aliquando, pro immaculato Virginis Deiparæ Conceptu conſcribere carmina, ſane non contemnenda, quæ in Collectionibus hujuſmodi ſunt vulgata, numquam deſtitit. Ad hæc Conciones nonnullas bonæ frugis plenas ad Populum Neapolitanum, atque finitimarum Urbium ſæpe habuit; nec non orationes de Sanctorum laudibus non inelegantes identidem recitavit. Nec prætereundum, quod in funere *P. de Novellis*, Congregationis Piorum Oper. Præpoſiti, quo ipſe per plures annos uſus erat Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtro, ejus laudes adhuc adoleſcentulus proſecutus eſt Latina oratione in æde *S. Georgii* majoris, non ſine auditorum admiratione atque ingenti plauſu, animadvertentium ſcilicet pauciſſimos dies adoleſcenti ſatis fuiſſe ad perficiendum hoc opus. Quum vero immortalis nominis Romanus Pontifex *Benedictus XIV.* obiiſſet, ipſe accitus, utpote Sodalitii Peregrinorum Socius, in eorum Templo in conſpectu illuſtrium Virorum funebri oratione tanti Pontificis laudes celebravit.

XI. Inſuper inter alios ipſe quoque *Cenſor Librorum*, qui Neapolitanis typis evulgantur, a Cardinali Archiepiſcopo pro doctrina Religionem ſpectante creatus, plurima naſute volumina pervolutavit, labori diligentiæque minime parcens, ut Auctores quantocius operum ſuorum judicia haberent, & expedirentur. Præ ceteris vero maximum illi faſtidium attulit Cenſura Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Joannis Laurentii Moshemii* Univerſitatis Gottingenſis Cancellarii, quam ab Auctore Latine ſcriptam, dein in Anglum ſermonem verſam una cum reliqua Univerſa Gentium Hiſtoria ab Anglis doctiſſimis viris digeſta conjunctam, tandem Italicam redditam, Neapoli edendam curavit *Roſellius*. Hæc quidem Hiſtoria a Germano homine certe erudito, at ab Eccleſia Catholica ſejuncto, ſecundum ſuæ ſectæ dogmata elucubrata per annorum centurias, atque ab *Archibaldo Maclaine*, pene furfuris ejuſdem homi-

(14) De hac *Sacra Archiepiſcopali Academia Neapolitana* vel a Card. *Spinello* inſtituta, vel a Card. *Serſalio* reſtituta univerſæ eruditionis Parens *Mazochius* noſter in *Vindiciis repetitis Actor. Bononien. S. Januarii* quum ſcripſiſſet *hodie maxime cum Neapoli, immo & late in utraque Sicilia ſub auſpiciis Caroli Regis Auguſtiſſimi Feliciſſimique . . . præ ceteris bonis artibus ſtudia cum primis ſacra ad miraculum florent . . . ope præſertim tum Archiepiſcopalis Gymnaſii, tum etiam adultiorum Clericorum Academiæ, &c.* illico pag. 143. Adnot. (11) inſerne ſubnectit: „ Nam ne „ tum quidem ubi ſcientiarum ſtadium emenſi, ad curriculi ſui metam pertigerunt, otio ſeſe „ dedunt. Etenim adultiores facti, ac Sacerdotio initiati, ἀριστίνδην deliguntur ii, qui in peni„ tioribus ſtudiis (nim. hiſtoriæ ſacræ, dogmatum, canonum, Biblicæ & Eccleſiaſticæ antiqui„ tatis) magis magiſque quotidie ſubigantur. Hunc in finem inſtituta jampridem fuerat ab Emi„ nentiſſ. Archiep. *Spinello* cultior quædam Academia ſacra, in qua de originibus Eccleſiaſticis, „ Biblicis, Liturgicis, & id genus aliis maximo cum ſacræ doctrinæ fœnore diſſerebatur. At „ diu poſt, partim ex obitu magni illius incitatoris Hannibalis Marcheſii Oratoriani (nam apud „ Oratorianos Clericorum cœtus illi cogebantur, præſente ac præſidente Archiepiſcopo) partim „ ex Romana *Spinelli* Eminentiſſimi profectione ii cœtus aliquandiu intermiſſi. At revocata ab „ Eminentiſſ. Archiepiſcopo *Serſalio* ſucceſſore ſub ductu Canonici Sparani optime de Clero me„ riti, *Sacra Academia Archiepiſcopalis* (id ei nunc nomen eſt) in quam ſtatis diebus conve„ niunt Academici productos a ſe fetus in orbem recitaturi. Utinam tantorum bonorum affluen„ tia Eccleſia Neapolitana perennet quam diutiſſime! „

homine adnotationibus aucta, nullo modo poterat Catholico Populo ſine Religionis periculo legenda tradi. Hinc rogatus obſecratuſque eſt *Julius*, ut pro veritate Religionis, hiſtoricaque ſinceritate novis adnotationibus, ut res poſtulabat, pravis ſententiis, factiſque vel falſis, vel fucato colore depictis opportune occurreret, doctrinamque ſubnecteret expellendo veneno pernecesſariam. Per quatuor circiter annos, dum volumina excuderentur, ipſe aliis diſtentus literariis negotiis adnotationes ſæpe prolixas, & vix a partu rubentes ſubnectendas evulgandaſque tradebat. Quare in illis eſſe nonnulla, quæ limam deſiderant, vel quæ plenius doctiuſque erant tractanda, ingenue fatemur, & ipſemet *Julius* mecum faſſus eſt non ſemel. Verum in anguſtiis poſitus meliora tunc dare non poterat, quamvis negotii gravitas id poſceret. Occurrere huic malo adniſus eſt ipſe, edita *Cenſura Hiſtoriæ Moshemianæ*, ſeorſum etiam excuſa; attamen & hæc ipſa nec omnia comprehendit refellenda, quæ quidem maximi momenti ſunt, nec pro dignitate refellit. Quod ſi vellemus rem penitius penſitare, vel minime inter nos vulganda illa erat hiſtoria, vel diſſertationes addendæ criticæ & dogmaticæ illis plurimum ſimiles, quas olim cum Hiſtoria ſua dedit *Natalis Alexander* (15). Illud tandem, quod non leviter eum hoc tempore exercebat, erat ſane ex Tyronibus Congregationis S. Philippi Nerii modo hunc, modo illum in Theologicis ſtudiis manuducere, fonteſque aperire ſanæ doctrinæ. Facilitas enim illa nativa, & perſpicuitas verbis explicandi cogitationes mentis ſæpe ſublimiores, & implicatas, quam in *Selvagii* ſcriptis admiramur, in loquendo de rebus a vulgi captu remotis reddebant illum apud omnes commendatione dignum. Non mediocriter tandem a ſtudio rebuſque ſuis curandis avocavit *Julium* Cardinalis *Serſalii* codicillum XIV. Kal. Septem. An. MDCCLXV. datum, quo ipſe Quæſitor Scientiæ eorum, qui Ordinibus Eccleſiaſticis ſunt initiandi, fuit renunciatus. *Probitas* enim & *doctrina Julii* promeruerunt, ut ad hoc munus advocaretur; illudque ipſe licet juvenis, tanta diligentia, tanta interrogandi humanitate, perſpicuitate, & gravitate explere ſolitus erat, ut Seniorum laudes, atque initiandorum grati animi ſignificationes abunde promeruerit.

XII. Quamvis tot tantiſque literariis curis quotidie adlaboraret *Julius*, a remittendis tamen paulisper jam incœptis in Bibliotheca ſua ſtudiis, vel exercitationibus Eccleſiaſticæ Academiæ dimoveri numquam potuit. Profecto ſtudia Clericorum Neapolitanæ Eccleſiæ, antequam ipſe Sacerdotio initiaretur, optima illa quidem jam tum erant, diuturna, recteque ordinata, ut meſſis inde ſatis opima virorum in Eccleſiaſtica Republica illuſtrium ſperari ſemper merito poſſet. Nec ſpernenda certe eſt meſſis illa, quæ præterito mox tempore floruit, vel qua fruimur in præſens. At felicior utique, & uberior fuiſſet ſemper, ſi perpetua in eodem Clero Academia extitiſſet. Nam poſt ſtudia juventutis ſub Anteceſſoribus diligenter peracta, quum illico dari præmia doctioribus ex illis non poſſint, antequam ſtudia ipſa lectione, meditatione, & ſcriptione perpoliantur, & quodammodo pingueſcant, immo & maturior muneribus evadat ætas; hinc præceptore remoto, quum ſæpe non habeant juvenes ubi conceptus bonarum literarum ignis alatur, & ubi etiam ſub Præſulum oculis eum profectu exerceantur, non ultima eorum pars ſibi deſidioſe vivere contenta libros ſtudiaque omnia deſerit; maxima vero in late patentem Theologiæ morum ſinum, ut par eſt, ſe ſe recipit, profecto non ſine fidelium utilitate; reliqui vero, ſi qui ſunt non admodum frequentes, ſtudia proſequuntur bene ominata. Quod ſi præ foribus, ut ita dicam,

(15) Ita ſane mecum ſentiebat communis amicus *Joannes Franciſcus Conſortius* acerrimi vir ingenii, a quo brevi expectamus *Univerſæ Theologiæ Dogmaticæ Inſtitutiones*, quarum volumen *Paraſceuaſticum de Veritate Relig. Chriſt.*, & *Theol. locis* jam excuſum eſt Neap. MDCCLXXI.

Digitized by Google

dicam, Scholarum Eccleſiaſtica ſemper adeſſet Academia, quæ juvenes naturali æſtu huc illucque in ſtudiis palantes in unum cogeret, & apud ſe materna caritate comiter exciperet: profecto in ejus campo ipſimet juvenes mox e ſcholis dimiſſi, ad laborandum enitendumque aſſueti, atque adhuc calentes plantarentur, ſtatim altiſſimas in ſtudiis melioribus radices agerent, floreſque & fructus darent Eccleſiæ, & Reipublicæ uberrimos. Nam viri acri judicio pollentes, atque huic culturæ ſublimiori præſidentes, ex diſſertationibus domi a juvenibus non ſine induſtria, & æmulatione conſcriptis, atque ex oppoſitionibus ex tempore propoſitis, ſatis conſpicerent, & penderent exacte, in quo quis plus valeret, cuique muneri obeundo melior quiſque factus poſſet apte deſtinari.

XIII. Et ita ſane ſe rem habere, maniſeſtum ex eo apparet quam maxime, quod ex reſtituta tandem Neapolitana Eccleſiaſtica Academia plurimi prodierint vel regendis Eccleſiis, vel adoleſcentibus doctrina inſtituendis, atque vulgatis operibus (16) Clariſſimi viri, qui alias fortaſſe in otio, & ſquallore delituiſſent. Præ omnibus meminiſſe ſufficiat de binis illis illuſtribus Amicis, nempe *Joſepho Roſſio* (17), qui ad Theologiam Dogmaticam, & *Julio Selvagio*, qui ad Jus Canonicum tradendum in Scholis Archiepiſcopi Neapolitani eodem pene tempore a *Cardinali Serſalio* electi fuerunt. Ad hunc quod ſpectat, quum *Carolus Bla-*

(16) Inter plurimos, qui operibus jam nunc editis gloriam ſibi partam Eccleſiaſticæ huic Academiæ communicarunt, primo loco meminiſſe præſtat *Benedicti Clementis de Aroſtequi* doctam ſane, atque elegantiſſimam *Diſſertationem*, *qua Apoſtoli Jacobi Majoris Prædicatio Hiſpanis vindicatur*. Hanc ipſe tunc adhuc juvenis in Academia noſtra recitavit, & Neap. edidit An. MDCCLXIII. Hinc doctus & probatiſſimus Sacerdos *Dominicus Jorius* tria Italice ſcripta edidit Opera, ſacra eruditione, pietateque redundantia; ſcil. *I. de Eccleſiaſtici Ingenii Uſu in Animorum ſalute procuranda*, *Theologica Tractatio &c. An. MDCCLXI.*; *II. de Antiqua*, *Novaque Eccleſiæ diſciplina in apponendo Sanctiſſimi Novi Fœderis Sacrificii Fructu &c. An. MDCCLXIX.*: *III. Charitas Catholicæ Eccleſiæ*, ſive *Argumenta indubia*, *quæ erga Eccleſiæ Doctrinam*, *Miniſtros*, *Mores*, *& Diſciplinam ſemper & ubique exhibuere Fideles &c. An. MDCCLXXIV.* Item elegantiſſimus *Paulus Moccia* antiqui moris vir, non ſolum *Linguæ Græcæ Proſodiam*, *Epiſtolaſque Latinas* quantivis leporis, ſed edidit etiam *Divi Baſilii Vindicias adverſus Joannem Barbeyracium quoad Jusjurandum*, *An. MDCCLXIV.* Vir quoque Clariſſimus *Benedictus Columna* Abbas Ord. S. Bened. Congr. Cæleſtin. præter *Geographica* ejus volumina, Italicam *diſſertationem Apologeticam* evulgavit de *ſincera Patrum Tertii Seculi doctrina circa ſtatum Animorum medium inter mortem & reſurrectionem &c. adverſus Thomam Burnetum &c. An. MDCCLXV.* Ab egregio Viro *Luca-Nicolao de Luca* habemus *Sacrum Sapientiæ Librum Italica Paraphraſi explanatum*, *atque Adnotationibus* e Philoſophico penu abunde depromtis *illuſtratum* An. MDCCLXVIII. Reliquos præterire ſatius duco, ne tractationem hac de re, non adnotationem ſcripſiſſe videar. Qui plura ſcitu digna legere deſiderat, is adeat *Caput VI. Lib. VI. Partis II. Commentarii Hiſtorici Actorum S. Neapolitanæ Eccleſiæ*, *atque Congregationis Apoſtolicarum Miſſionum &c.* quem ſane Commentarium Italice elucubratum (utinam copioſius, & abſoluta monumentorum collectione magis refertum!) An. MDCCLXVIII. edidit eidem Academiæ Pro-præfectus Clariſſ. *Joſeph. Sparanus Neap. Eccl. Canon. & Major Pœnitentiarius*; cui ſane plurimum me debere fateor, quod reculas meas in Academia illa recitatas tanti fecerit, ut *Parte I. Commentarii ſui a pag.* 119. *ad* 122. *Adn.* 23. *&* 24., *& a pag.* 138. *ad* 154. item in *Adnotationibus* nonnulla ad rem diplomaticam Metropol. Eccl. Neap. illuſtrandam pertinentia a me conſcripta, humaniterque a ſociis excepta ediderit. Plurimum etiam debere me fateor Magiſtro quondam meo *Alexio Symmacho Mazochio* Viro incomparabili, qui in *Vindiciis Repetitis Actorum Bononien. S. Januarii &c.* Part. III. *denuntiationis* not. 20. pag. 162. cujuſdam meæ diſſertationis *de Tempore Neapolitanæ invaſionis a Saracenis factæ*, *deque rebus tunc geſtis* compendium dedit, eaque eſt uſus ad nonnulla Hiſtoriæ capita corrigenda.

(17) Hujus Cl. Viri in Theologica re diu ſubacti quatuor ad hunc diem habemus opera evulgata, quæ ipſe inter ſacram eruditionem, latinamque elegantiam medius doctiſſime ſcripſit: *I. de Opificio ſex dierum. An. MDCCLXVII.*; *II. de Angelis. An. MDCCLXVIII.*; *III. de Altera Vita Libri IV. An. MDCCLXXI.*; & *IV. de Veritate Religionis Chriſtianæ hoc Anno MDCCLXXV.*

ſchus (a quo , ut diximus , *Julius* Jus Canonicum hauſerat) doctis operis editis (18) , recteque inſtitutis juvenibus optime de re literaria meritus , ut liberius novis lucubrationibus conſcribendis vacaret, ſe munere docendi Canones abdicaſſet , eidem illico muneri XVII. Kal. Octobr. MDCCLXIV. Archiepiſcopus Cardinalis *Julium* præfecit , diviſa prudenter annua ſolutione utrique Anteceſſori . Statim ac ad docendum ipſe feriis illis autumnalibus ſe accinxit, expeditiores ſerio meditatus eſt modos pro virili Auditores traditæ ſibi Scholæ juvandi, atque ad ſapientiæ apicem manu facilius ducendi.

XIV. Notum eſt Eruditis, diu fuiſſe magnaque animorum contentione agitatum in pluribus Europæ ſtudiorum Univerſitatibus , num juventuti erudiendæ commodius utiliuſque foret, cujuſque diſciplinæ conſtitutos , typiſque excuſos in adoleſcentum manus tradere libros , eoſque in Scholis ab Anteceſſoribus explanari ; an e manuſcriptis inſtitutionibus ſecundum uniuſcujuſque Magiſtri mentem elucubratis dictata juvenes excipere , atque velociter, ut moris eſt , exſcribere. Qui priores partes tuebantur , quinque mala ex hac ſcholaſtica ſcriptura in juvenes manantia extulere . Primum, ſententias ejuſdem Scholæ ſub diverſis Anteceſſoribus diverſas proponi ; alterum , non omnes æque Magiſtros eadem ſcribendi elegantia & perſpicuitate uti ; tertium , excipiendo ſcribendoque multum temporis in Schola perperam teri , quod in utiliores impendi exercitationes poſſet ; hinc quartum , ſcripturæ elegantiam , induſtria partam , corrumpi, atque interim tædio affici nimioque labore ſæpe Auditores delaſſari ; quintum denique , ante inventam Typographicam artem neceſſarium fuiſſe omnino exſcribere : at poſt illam mire repertam, qua labores hominum plurimum levantur, velle adhuc exſcriptionem retinere , eſſe quidem repertis frugibus glande veſci ; quæ mala, ſane non levia , propoſito in Schola, explicatoque libro evaneſcunt. At qui pro altera ſtabant ſententia , quinque etiam opponebant ex ſtatutis vulgatiſque diſciplinarum inſtitutionibus manantia mala, oppoſitiſque incommodis reſpondebant . Primum non cuique Anteceſſori (dummodo ſit hoc nomine dignus) in iis, quæ omnino certa non ſunt , & inconcuſſa, eſt mens eadem ; quapropter e ſtatuto inſtitutionum libro omnes deinceps Anteceſſores docere, idem eſſet , ac ſervilia ingenia duriſſimo aptata jugo ad inſtituendos adoleſcentes immittere , ſi ad amuſſim omnia eodem ordine eademque ſententia ſemper eſſent explicanda ; ſin autem liberius agendum eſſet , ſæpe atque in multis inſtitutiones Doctori utique non jam explicandæ, quam refellendæ eſſent . Alterum, quum mentis humanæ in inveniendis , atque in dies augendis artibus ſcientiiſque innumeræ extiterint ſemper feliceſque progreſſiones , præſertim cum ſobria juſtiſque limitibus circumſcripta in diſciplinis cogitandi libertate , ſi eædem ſemper iiſdemque ſententiis & doctrinis inſtitutiones traderentur, hoc idem eſſet , ac tyrannidem ingeniorum jam bono omine exturbatam, iterum ſiniſtris avibus adducere . Tertium , juvenes, dummodo ſolertes ſint , ut oportet, paulatim , & quaſi per fruſta in exſcribendo lectionis quaſi deformationem quamdam concipiunt animo; quam plenius deinde clariuſque unico veluti ductu audiunt explanatam : quare non fruſtra tempus teri, ſed penitius clariuſque menti inſculpitur , & fixa hæret perennius doctrina ſcribendo in Scholis parta , quam lectione ſola , & explicatione acquiſita. Dein quartum, de adoleſcentum tædio, atque labore in exſcribendo nimis anxii ſunt nonnulli , quum eos, ſi vere docti & dici & eſſe velint , non

(18) De Eccleſia benemerentiſſimus Vir *Blaſchus* bina edidit volumina An. MDCCLVIII. &c. quibus comprehenduntur ejus *Opuſcula Canonica* , *Hiſtorica* , & *Critica* Italice elucubrata. Hinc An. MDCCLX. evulgavit *de Collectione Canonum Iſidori Mercatoris Commentarium*, quo innumeræ refelluntur calumniæ adverſus Romanam Eccleſiam emiſſæ, & multa Canonum obſcura loca docte illuſtrantur. Jamdiu totus eſt in *Probabiliſmi* Hiſtoria ſincere conſcribenda.

non in deliciis, & mollitie innutriri, quaſi delicatos Gratiarum pueros, ſed meditationibus diuturnis, ordinatiſque ſcriptionibus aſſueſcere a teneris oporteat, ut decet Palladis alumnos. Quintum tandem, eſſet quidem glande veſci inventis frugibus, ſi veteres novoſque libros omnes juvenibus exſcribendos traderemus, Typographica arte inventa; at ex antiqua exſcribendi conſuetudine illam tantum partem retinere, quæ adoleſcentibus utilis ſit & neceſſaria, hoc eſt opportune novis uti inventis, non abuti. His per ſaturam addunt hujus ſententiæ Patroni; propoſito cuique Scholæ Inſtitutionum libro certo, & typis excuſo, Anteceſſores, ſi parumper ſint deſidioſi, ad inertiam miſere prolabuntur, ſublataque æmulatione aliquid utile de novo tentandi, nihil boni amplius extundi poſſet, unde honos ſtudiorum, & Anteceſſorum dignitas non mediocriter eluceſcat (19).

XV. Hæc ſane oppoſita utriuſque partis argumenta diu *Julii* mentem reddidere ancipitem, num ſcilicet Canonicas Inſtitutiones explanaturus, eas e Manuſcripto dictaret, an typis excuſas Auditoribus traderet legendas. At demum non ſine Amicorum conſilio alteri adhæſit ſententiæ, ea potiſſimum de cauſſa, quod Canonum, Juriſque Civilis Scholæ nonniſi poſtmeridianis horis in Archiepiſcopio pateant; qua diei parte, præſertim hyeme, quum vix poſt prandium ſtomachus concaluit, cœpitque, ut *Celſus* ait (20) cruda concoquere, ac cibum potumque jam mixtum per partes digerere, inconſulte quidem agerent Magiſtri, ſi adoleſcentes in recitando, ſcriptitando, diligenterque dictata & explicata auſcultando in Schola retinerent; nam ita ſanitatem corrumperent, qua nihil in ſtudiis pretioſius. Ad hæc Canonum Elementa nec nimis contracta, nec plus æquo redundantia tradere deſiderabat, ne primis pene jejunos, alteris tædio confectos dimitteret juvenes. Quapropter illico manus operi admovit, atque brevi opus, ut decreverat, abſolvit vulgavitque Anno MDCCLXVI. hoc titulo: INSTITUTIONUM CANONICARUM LIBRI TRES: de quibus ita in Præfatione ſuum aperit propoſitum: *In id duntaxat intendimus animum, ut adoleſcentes noſtros onere ac labore excipiendi, exſcribendique dictata, præſertim poſtmeridianis horis, liberaremus; & commodæ ſtudioſis inſtitutiones traderentur, quæ nec ita breves eſſent, ac jejunæ, ut ſufficientem Canonum ſaporem indere non poſſent; nec nimis amplæ, quæ ab rei Canonicæ ſtudio abſterrerent.* Immo ne quis de doctrinis ſuis, ut fieri ſolet, in illas inſtitutiones derivatis conquereretur, ingenue ibidem faſſus eſt, *ab recens editis Virorum Cl. doctis, & laborioſis in re Canonica Commentariis* (21) *haud pauca, quæ ad rem ſuam faciebant, hauſiſſe.*

(19) Videſis Cap. XXVI. Bibliothecæ Selectæ *Poſſevini*; dialogum VI. de Methodo ſcientiis ſtudendi *Bernardi Lamy*, &c.

(20) In Præfatione, & alibi.

(21) Hi ſunt Commentarii, e quibus non pauca ad rem ſuam facientia hauſit Al. Auctor *Selvagius*, nonnullis de ſuo docte ingenioſeque intermixtis, ut in hujuſmodi operibus accidere neceſſarium eſt; nam in iis omnia nova referre velle, eſſet quidem ingenii diſciplinas peſſumdantis; & ſat cuique eſſe debet, nova methodo vetera concinnius explanare; glorioſum vero, nova aliqua, & non adhuc animadverſa primum in medium proferre: quod præſertim ab Anteceſſoribus in aliqua Diſciplina non mediocriter verſatis expectandum eſt, ſi dignitatem publici muneris nova gloria merito ſibi parta tueri velint. Igitur præter Inſtitutiones Canonicas *Fleury*, & *Gravinæ*, aliorumque doctiorum ad manus habuit Viri utique Juriſconſultiſſimi, quique inſtar omnium eſſe poteſt, *Joſephi Paſchalis Cyrilli in Regia Neapolitana Academia Juris Civilis Primarii Profeſſoris Inſtitutiones Canonicas &c.* quas An. MDCCXLV. dedit; ſimiliter *Inſtitutionum Juris Canonici Libros Quatuor a Carolo Gagliardo tunc Sacrorum Canonum Interprete in Gymnaſio Neap.* nunc *Murano Epiſcopo*, qui quatuor voluminibus non tam Inſtitutiones, quam, ut ita dicam, *Jus Canonicum Commune, & Neapolitanum Antiquum & Noviſſimum* ſcitiſſime enucleatum dedit An. MDCCLVI. &c. Et tandem *Inſtitutiones Juris Canonici in tres partes tributas, quibus vetus, & nova Eccleſiæ diſciplina, & mutationum cauſſæ enarrantur* (ſive ut omnes lubenter fatentur, Canonum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ Promum Condum) *a Dominico Cavallario Decretalium in Neap.* *Athe-*

Digitized by Google

ſe. *Quamobrem ne ingrati animi nomine accuſaretur, maximas his gratias ſe agere eſt profeſſus, majores etiam habiturus.* Duo hac de re minime tacenda cenſemus: Primum inſtitutionibus ſuis elegantem ſane, atque eruditam *de Juris Canonici ortu & incremento Diatribam Iſagogicam Julium* præpoſuiſſe; in qua, ut apte omnia complecteretur, atque per partes ordinate digereret, ſecundum ſententiam noſtram, Canonicis Juris Hiſtoriam (22), ejuſque viciſſitudines ad quinque *Chronologicas Periodos*, ſive ſtatus redegit: I. Statum *Primigenium*, ſive *Arcanum*; II. *Adultum*, ſive *Publicum*; III. *Seneſcentem*, ſive *Aridum*, & *Incompoſitum*; IV. *Reſtauratum*, ſive *Refloreſcentem*; & V. *Expolitum*, *Ornatumque*, & *ad Primævum*, *qua fieri potuit*, *candorem reſtitutum*; quibus utique quicquid ex Jure Neapolitano Municipali ad Jus Canonicum pertinere viſum eſt, diligenter conquiſitum addidit. Alterum, vix quatuor annorum intervallo ita per Italiam, finitimaſque Regiones harum Inſtitutionum exemplaria facile fuiſſe diſtracta, ut multis adhuc expetentibus Ann. MDCCLXX. altera vere caſtigatior, & auctior prodierit editio. Huic & tertia acceſſit, quæ An. MDCCLXXI. Patavii curata eſt.

XVI. Dum vulgandis Canonum Inſtitutionibus totus erat *Julius*, en novum ejus cervici imponitur onus. *Bartholomæus Portanova* prope emeritus Juris Civilis Anteceſſor in Scholis Neapolitani Archiepiſcopii, illuſtri Sacerdotio, quod *Canonicatum* appellant, in Metropolitana Eccleſia ornatur. Tunc igitur optime factum Cardinali *Serſalio* eſt viſum, *Selvagium* conſtituere Juris Utriuſque Profeſſorem, ea lege, ut ab eo cujuslibet biennii curriculo Cleri adoleſcentes inferioribus ſtudiis perfuncti primo anno Jus Civile, altero Canonicum explanatum audirent. Cujus muneris dati ad illum fuere codicilli a Canonico Cleri *Secretario*, ut vocant, XVIII. Kal. Septemb. MDCCLXIX. Hinc quum jam Auditores excipiendi exſcribendique labore poſtmeridianis horis eſſe levandos ſibi perſuaſiſſet, ut in novo hoc penſo diligenter exſolvendo idem præſtaret, quod in Schola Juris Canonici jam abſolverat; de edendis Juris Civilis Inſtitutionibus non diu hæſitavit. Verum pluribus diſtentus laboribus a conſcribendis novis Elementis animum cohibuit ſuum, ratus melius eſſe conſilium, inter prope infinita apud Gentes omnes vulgata ſeligere optima, eaque typis excuſa Auditoribus proponere, quam nova brevi elucubrata, nec ad perfectum caſtigata unquem emittere. Itaque *Joannis Gottlieb. Heinetii* Anteceſſoris Viadrini celeberrimi, atque in erudienda, doctiſque Inſtitutionibus locupletanda juventute Clariſſimi, *Elementa Juris Civilis ſecundum ordinem Inſtitutionum* Juſtiniani Imperatoris ea potiſſimum de cauſſa præ omnibus ſelegit, quia hic vir ſummus præter Elementa ipſa Juris breviter, dilucideque elucubrata, eruditiſſimum *Romanarum Antiquitatum Syntagma* ediderat etiam, quo breviter eleganterque Antiquitates ipſæ Romanæ per capita cuique Titulo Inſtitutionum Romani Juris reſpondentia elucidantur, ut ita ſtudioſis Legum juvenibus præſto eſſet, unde vim, ſpiritumque, ut ita dicam, Juris ediſcerent (23).

Cum

Athenæo Profeſſore &c. An. MDCCLXIV. evulgatas; ex quibus ipſemet Eruditiſſimus *Cavallarius* ſua *Elementa Juris Canonici &c.* depromſit An. MDCCLXIX.; & nova atque luculentiora propediem ejuſdem argumenti daturus eſt Reipublicæ Literariæ opera. Non inficias ibo Inſtitutiones Canonicas, quas Cl. *Carolus Blaſchus* in Scholis Archiepiſcopii dictare, & explanare pro munere ſolitus erat, præ manibus habuiſſe *Julium* noſtrum, qui illius fuerat Auditor.

(22) Inter ceteros, qui hanc ſpartam ornarunt, & quorum opera *Julius* legerat, præſtat recenſere *Carminum Fimianum*, in Neap. Athenæo Canonum Profeſſorem, doctis eruditiſque *adnotationibus in Petri de Marca Concordiam Sacerdotii & Imperii*, & adverſus *Bohemeri* audaces conatus celeberrimum. Hic An. MDCCLXIII. edidit *Hiſtoriam Juris Canonici &c.* diligentiſſime digeſtam. Hanc diu pervolutavit, & cum Eruditis plurimi faciebat noſter *Julius*.

(23) Niſi enim brevitatem Inſtitutionum tum Legum, cum ſimul Antiquitatum Romanarum neceſſario ſibi propoſuiſſet *Selvagius* noſter, præſto eſſet poterant *Elementa Juris Civilis* docte

&

Cum ſapientioribus (24) enim recte noverat *Selvagius*, ſi Leges moribus Populorum prudenter accommodantur, niſi in anteceſſum probe Populi cujuſque mores calleat juvenis, intelligi ad uſque penetralia Leges Populorum haud poſſe.

XVII. At quum *Heineccius*, vir Germanus pro Germanis ſuis ſcribens illa Juris Elementa, qua in re præſertim Jus Germanicum a Romano diſcrepet, Titulis ſubtexuiſſet; idem & ſibi faciundum putavit *Julius* in iis Titulis, in quibus aliud Jus Romanum, aliud vero Neapolitanum ſive Publicum, ſive Privatum, ſive Feudale ſtatuiſſet, quod ſimili pene modo *Paſchalis Ferrignus*, probatiſſimus Regius Salernitano Auditorio Præfectus, primum prolixius egerat (25): atque dein concinne perfecerat elegantiſſimus *Marinus Guaranus* (26). Nam *Franciſcus Rapolla*, doctiſſimus Sacri Regii Conſilii Senator (27), *Dominicus Alfenus Varus* (28), *Orontius Figherius* (29), aliique Clariſſ. Juriſconſulti idem argumentum alia methodo ſunt proſequuti.

& eleganter elucubrata a Clariſſimis Viris *Joſepho Paſchali Cyrillo*, & *Dominico Antonio Mangiero* Primariis in Neap. Athenæo Anteceſſoribus, quorum alter poſtmeridianis, alter Matutinis horis docet. Ut etiam aliorum tum noſtratum, tum exterorum infinita propemodum Juris Civilis Elementa, quorum adcuratam recenſionem fecit Eruditus *Joannes Petrus de Ludevig. in Vita Juſtiniani* Imp. Cap. III.

(24) *Cicero*, ut neceſſario *Romanas Antiquitates* a Jureconſulto pernoſcendas eſſe demonſtraret, de Orat. Lib. I. Cap. XLIII. illam potiſſimum affert cauſſam: *Plurima erat in omni jure Civili antiquitatis effigies, & priſca verborum vetuſtas, & actionum genera quædam, quæ majorum conſuetudinem, vitamque declarabant*. Hinc ex Antiquitatum peritia potiſſimum *Plinius Junior* Lib. I. Epiſt. XXII. laudat *Ariſtonem* Juriſconſultum: *Quam peritus ille & privati juris, & publici? Quantum rerum, quantum Antiquitatis tenet? Nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, inſtar theſauri eſt*. Et *Antiſtium Labionem* Juriſperitum ideo laudat *Gellius* Noct. Att. Lib. XIII. Cap. XII. quia Antiquitatum peritum; unde ajebat: *nihil eum ratum penſumque habuiſſe, niſi quod juſtum ſanctumque eſſe in Romanis Antiquitatibus legiſſet*. Quare in Princ. Inſtit. Civ. *Juſtinianus*, ut Juriſconſultus *nihil Antiquitatis penitus ignoret*. Antiquitatum profecto ſtudium ad penitiorem diſciplinarum cognitionem referri omnino debet, ut tentamina rerum naturalium ad Phyſicam, Cæleſtium Corporum obſervationes ad Aſtronomiam magis illuſtrandam unice ſpectant. Qui vero Antiqua miratur, & amat, tantum quia Antiqua, is videat, num merito non debeat cum *Horatiano Damaſippo* recenſeri, *qui emendo veteres ſtatuas inſaniebat*.

(25) Clariſſ. *Ferrignus* Romanum Jus ab *Heineccio* per Juris principia enucleatum cum Jure Neapolitano a ſe explanato apte conjunxit, ediditque opus, *Jo. Gottlieb. Heinecii Elementa Juris Civilis ſecundum ordinem Inſtitutionum; quibus paſſim ſubnectitur Jus Neapolitanum, &c.* An. MDCCLX. &c. Eodem pene tempore, quo *Selvagius Ferrignum* pone ſequens ſua *Additamenta Juris Neapolitani Elementis Juris Romani* apte, breviuſque ſubtexebat; in eodem ſtadio percurrendo erat doctus ſane, & in erudienda juventute diligentiſſimus *Orontius Figherius* noſter, qui An. MDCCLXIX. &c. edidit: *Heineccii Elementa Juris Civilis, quibus ſubducto uſu Fori Germanici, ille Neapolitani ſuffectus eſt*.

(26) Romam Juris Philoſophiam elegantia Romani ſermonis erudite primum explicavit, dein in quo Neapolitanum Jus a Romano ſeceſſionem facit, docte apteque ſubtexuit hic vir Clariſſ. atque egregium opus quatuor voluminibus vulgavit, cui titulus: *Syntagma Romani Juris, ac Patrii ſecundum ſeriem Inſtitutionum Imperialium. Opportune accedunt Excurſus ad Jus hodie receptius*. An. MDCCLX. &c. Nec diu ab eodem expectabimus *Jus Regni Neapolitani noviſſimum*, cujus primum volumen jam excuſum nuntiatur.

(27) *Commentarii de Jure Regni Neapolitani in Ordinem redacti* bina priora Volumina edidit Vir utique celeberrimus *Rapolla*; bina vero poſthuma multis de penu ſuo additis vulgavit doctiſſimus *Nicolaus Alphanus* in Neap. ſtudiorum Univerſitate Juris Municipalis Profeſſor, jam antea luculentiſſimus *Juris Criminalis* Scriptor.

(28) Ex quatuor Libris *Inſtitutionum Juris Neapolitani* Priorem tantum dedit An. MDCCLXVII.; at eo ſcriptum philoſophico ſale, ut in multis Lectorem expetat eruditum, non erudiendum Auditorem. Inter alia nonnulla, quæ hoc argumentum ſpectantia edidit, eminet ſane *Corpus Pragmaticum Neapolitanum*, ſive abſoluta *Pragmaticarum Regni Neapolitani collectio*, quam diu Athenæum & Forum præſtolabantur.

(29) Modo laudatus (*not.* 25.) Clariſſ. *Orontius Figherius* in commodis ſtudioſæ juventutis,

ti. Ab his communia nonnulla ingenioſe mutuatus eſt *Julius*, quod in fine operis ingenue voluit his verbis teſtatum: *Quum ejuſmodi ſpartam ante nos adornarint Viri Clariſſimi Franciſcus Rapolla*, *Paſchalis Ferrigno*, *Orontius Figherius*, *aliique*, *Lectores monitos volumus*, *horum docta Comment. haud parvo nobis adjumento fuiſſe in concinnandis hiſce Inſtitutionibus*. *Quod ſane ingenue fatemur*, *palamque teſtamur*, *ne tanti Viri debita ſibi gratia*, *& laude fraudarentur*.

XVIII. Et ne aliquid deeſſet hiſce Juris Romani Neapolitanique Elementis, quemadmodum *Heineccius* ipſe præter *Hiſtoriam Juris Romani* ſingulari libro, nec vulgari eruditione elucubratam, breviorem alteram præmiſerat Elementis ſuis; ita *Selvagius* hac retenta, in priore ex duabus Iſagogicis Diatribis, huic Romani, Neapolitanique Juris Inſtitutioni præmiſſis, *de Juris Neapolitani ortu*, *Progreſſu*, *& Incremento* ſecundum ſententiam noſtram per *Epochas* I. *Aborigenam*, II. *Romanam Priorem*, III. *Romanam Poſteriorem*, IV. *Barbaricam*, V. *Northmannicam* & *Suevicam*, VI. *Andegavenſem*, & *Aragoniam*, VII. *Auſtriacam* & *Borbonicam* ſcitiſſime egit; in altera deinde *de Magiſtratibus Regni Neapolitani*, *eorumque Juriſdictione* tractationem ſuo ordine habuit (30). Hoc opus ita ornatum, quod ſecundis curis, ſi vixiſſet, augendum poliendumque nobis promiſerat, Menſe Septembri An. MDCCLXX. fuit evulgatum. Præterea eundum quidem non eſt, his tantum limitibus in erudiendis Cleri adoleſcentibus curam ſuam irrequietam non continuiſſe *Selvagium*; ſed ulterius progrediens, quolibet menſe de ſalebroſioribus Juris utriuſque Capitibus Diſſertationes a juvenibus conſcribi, haberique publice jubebat; quæ in ipſa Schola recitatæ, non ſolum in deſidum animis æmulationem excitabant quam maximam, ſed in diſſerentium quoque mente doctrinam jam labore paratam excolebant, amplificabant, confirmabantque; audito etiam Anteceſſoris, & Audientium judicio circa addenda, refigenda, aut rejicienda.

XIX. Diximus, potiſſimam cauſſam, cur præ ceteris Elementa Juris Romani Cl. *Heinecii* explananda Auditoribus ſuis propoſuerit *Selvagius*, fuiſſe, quod hæc habeant per Titulos Inſtitutionum ſibi reſpondentes Romanas Antiquitates ab eodem Auctore collectas, & illuſtratas, ſine quarum ſtudio, vel prævio, vel ſaltem comite intelligi Leges Civiles moribus Romanorum aptatæ nec facile, nec penitus poſſunt. Monuimus prterea ad novas conſcribendas Canonum Inſtitutiones, ſuis jam majore ex parte conſcriptis Chriſtianis Antiquitatibus provide conjungendas, animum appuliſſe; præſertim quia nullas repererat, quas Antiquitates Chriſtianæ ſeorſum pleniſſime methodo Heinecciana illuſtrarent. Quapropter poſt alteram nitidiorem Inſtitutionum Canonicarum editionem, ſuas tandem Antiquitates vulgare conſilium cepit. Harum igitur, quæ ſit neceſſitas, qui Auctores, & quod in illis ante compingendis fuerit *Julii* ſtudium, memoriæ tradere optimum duco, ut inde quanto ſint illæ in pretio habendæ clariſſime pateat. Jamdudum ſapientes viri proſpexerunt, ad Gentium diver-

tis, quoad poteſt, curandis impiger, poſt *Rapollæ Commentarium de Jure Neapolitano in ordinem redacto* minime ab eo abſolutum, ipſe primus An. MDCCLXVI. integras vulgavit *Inſtitutiones Juris Regni Neapolitani in quatuor Libros tributas*, quibus præmittuntur *Prolegomena de Origine Juris*, *& Magiſtratuum ejuſdem Regni*. Ab eodem docto Scriptore expectamus haſce *Inſtitutiones* luculentius quatuor voluminibus pertractatas cum *Appendice Monumentorum adhuc non editorum ad Jus Nepolitanum pertinentium*, ut ipſe in *Præfat. Elementis ſuis Juris Canonici* præfixa An. MDCCLXXI. ſpopondit.

(30) Omnium primus *Petrus Jannonius* in ſua Regni Neapolirani *Hiſtoria Civili* Legum noſtratum origines, & incrementa dedit diligentia quantamaxima, quamvis in nonnullis eum erraſſe conſtet. Eccui enim primum tenebricoſam viam adeunti licuit aliquando non cæcutire? Poſt illum vero peculiaribus operibus cum *Hiſtoria Juris Romani illam Juris Neapolitani* ediderunt *Bernardus de Ferrante* An. MDCCLIV., & paulo ante (*not.* 25.) laudatus *Paſchalis Ferrignus* An. MDCCLX. Hæc opera, præ oculis habuiſſe *Julium* noſtrum conſtat.

Digitized by Google

diverſarum Religiones, Regimina, Leges, Inſtituta, Artes, Opes, Commercia, Doctrinam, Hiſtoriam, aliaque id genus multa verius, penitiuſque pernoſcenda faciliorem, opportunioremque præ ceteris viam illam eſſe, diverſarum earumdem Gentium antiqua quæque monumenta non ſine optimæ Critices regulis colligere, explicare, atque in Commentarios Antiquitatum referre. Quum enim ut probe hoc fiat, neceſſe omnino ſit, primum in quædam capita accurate omnia ad Gentes illas pertinentia diſpeſcere; deinde omnia unumquodque caput ſpectantia colligere diligentiſſime, ad amuſſim expendere, atque dilucide in ordinem digerere: hinc evenire non poteſt, quin ſub unico legentium adſpectu propoſita veluti populorum tabula exquiſite ordinata, inde eorumdem Populorum Religio vel Impietas, Rectum Regimen vel Imperium Tyrannorum, Leges juſti injuſtique vindices, vel Jura inæqualia, Cultus vel Barbaries, Probi Mores vel effrenis Libertas, Opes vel Inopia, Induſtria vel Inertia, Bellica Virtus vel Servilis Animus, Œconomia vel Luxus, Doctrina vel Ignorantia, & alia hujuſmodi, quaſi e tenebris illuceſcentia pateant. Mirum ſane eſt, quantum emolumenti ex hoc ſtudio humana mens adquirat! Hinc enim ſinceræ Prudentiæ, ſive Politices principia eruuntur; hinc Religionis divinæ neceſſitas, utilitas, veritas demonſtratur: hinc artium ſcientiarumque originationes, nec non incitamenta, per quæ ipſæ crevere, vel improbæ vices, per quas erroribus fuere fœdatæ, pernoſcuntur: hinc Legum ſecundum mores latarum, vel ab iis diſcrepantium conſilia ſe manifeſtant: hinc Opum fontes, Induſtriæ regulæ, Morum frena, Bellicæ virtutis calcaria, Pacis fructus, Sapientiæ documenta luculenter habentur; hinc tandem Imperiorum ortus, incrementa, caſuſque ediſcuntur. Quæ quum ita ſint, magni ſemper ſunt habiti, qui Populorum Antiquitates ſcripſere.

XX. In rebus humanis accidere quotidie ſolet, a parvis ſæpe inceptis res magnas paulatim creſcere. Quare primum quidem peculiaria quædam Antiquitatum capita fuere ab hoc vel altero erudito viro explanata: dein plenius fuere ſequentibus temporibus eadem illuſtrata: hinc in unum collectis peculiaribus Eruditorum lucubrationibus, atque in claſſes apte digeſtis manarunt Tractationes, Inſtitutiones, & Theſauri pene innumeri variarum Antiquitatum; in quibus ſecundum Populorum nomina ipſæ *Antiquitates Chaldaicæ*, *Ægyptiacæ*, *Hebraicæ*, *Græcæ*, *Romanæ*, *Italicæ*, *Germanicæ*, *Gallicanæ*, *Hiſpanienſes*, *Anglicanæ*, aliarumque Gentium, etiam Barbararum non ſine maxima Reipublicæ Literariæ utilitate comprehenduntur. Eadem pene via a renatis uſque literis in *Eccleſiaſticas Antiquitates* itum eſt. Infinita propemodum eſt Diſſertationum, Diatribarum, Adnotationum meſſis, quibus mira eruditionis, doctrinæque vi Chriſti Eccleſiæ Antiquitates enucleantur. Præter Scriptores plane vetuſtiores nonnullos *Euſebium Cæſareenſem*, *Socratem*, *Sozomenum*, *Theodoretum*, *Sulpicium Severum*; & ex Patribus *Chryſoſtomum*, *Nazianzenum*, *Tertullianum*, *Hieronymum*, *Auguſtinum*, alioſque, qui fontium loco ſunt habendi, plurima harum Antiquitatum capita iniquo ſane conſilio ſunt ſcrutati *Centuriatores Magdeburgenſes*; luculentius veriuſque in Annalibus ſuis idem præſtitit immortalis *Baronius*, adverſus quem ſummum virum æmulatione potius, quam neceſſitate adducti calamum ſumpſerunt præ ceteris *Caſaubonus*, & uterque *Baſnagius*. Hinc multa habemus egregie explicata in Eccleſiaſticis, ſive Hiſtoriis, ſive Annalibus, & in Sanctorum Actis vel conſcriptis, vel collectis a *Natali ab Alexandro*, *Raynaldo*, utroque *Pagio*, *Fleury*, *Spondano*, *Bzovio*, *Mabillonio*, *Godoo*, *Moſhemio*, *Orſio*, *Bollandianis*, *Tillemontio*, *Ruinarto*, *Ughellio*, *Sammarthanis*, *Florezio*, aliiſque pene innumeris, ut etiam in doctiſſimis *Valeſii*, *Cotelerii*, *Albaſpinæi*, *Sirmondi*, *Petavii*, *Bohemeri*, *Juſtelli*, *Baribechovii*, *Spanemii*, *Blondelli*, *Henichii*, *Hotingeri*, *Chamierii*, *Dallei*, *Hornii*, *Ittigii*, *Doduelli*

li, *Gothofredi*, *Balutii*, *Muratorii*, *Thomaſſini*, *Blanchini*, *Fabroti*, *Beveregii*, *Ægyptii*, *Auliſii*, *Clerici*, *Mazochii*, aliorumque prope infinitorum obſervationibus in veteres quoſdam ſcriptores. Aggreſſi ſunt nonnulli Tractationibus ſuis Antiquæ Eccleſiæ, veterumque fidelium ritus & mores nobis generatim tradere. Eminent præ ceteris opera *Richardi Montachutii* Apparatus ad origines Eccleſiaſticas, & Origines ipſæ, *Anonymi* Compendium Antiquitatum Eccleſiaſticarum ex Scriptoribus Apologericis, eorumdemque Commentatoribus: *Alberti Fabricii* Salutaris Lux Euangelica; *Haberti* de Latinorum Rebus Liturgicis; *Martinei* de Ritibus Eccleſiæ; *Conradi Samuelis Schurzfleiſchii* de Controverſiis & Quæſtionibus inſignioribus Antiquitatum Eccleſiaſticarum; item *Bebelii*, *Hendecii*, *Quenſtedti* de Antiquitatibus Eccleſiaſticis; demum *Guillelmi Cavei*, *Goffridi Arnoldi*, *Chriſtiani Kortoldi*, *Eduardi Vaterhuſii*, *Claudii Fleury*, & Cl. *Thomæ Mariæ Mamachii* de Moribus veterum Chriſtianorum. Verum hæc volumina ſitim potius excitant doctioribus, quam extinguunt. Non defuere quidem, qui propoſita quaſi colligendi, vel ſcribendi materia, Eruditos quoſque viſi ſunt fortiter adigere, ut Chriſti Eccleſiæ vel Theſaurum locupletiſſimum, vel pleniores darent Inſtitutiones Chriſtianarum Antiquitatum. Summo id labore efficere ſunt adniſi *Buddeus*, & *Walchius* (31), nec non celeberrimus *Joannes Albertus Fabricius* (32), qui *Theſauri Antiquitatum Eccleſiaſticarum edendi conſpectum*, & *fontes* viris Eruditis tradiderunt. Ne hujuſmodi Theſauri perpetuo incaſſum teneremur deſiderio, *Franciſcus Antonius Zaccaria* quoddam quaſi ſpecimen dedit, paucis abhinc annis edita *Diſciplina Populi Dei Claudii Fleury* una cum variorum diſſertationibus; cui ſane operi luculentiora ominantur incrementa quotquot bonas amant literas.

XXI. Quamvis igitur ad hanc uſque diem adhuc non ſurrexerit *Gronovius*, *Græviuſve* aliquis; aut alter *Muratorius*, vel *Hugolinus* extiterit; qui ex infinitis pene lucubrationibus eruditorum, qui in has illaſve Antiquitatum Eccleſiaſticarum partes egregia edidere Commentaria, *Theſaurum* abſolutum, vel digeſtam *Bibliothecam* pretioſæ hujuſce gazæ ſedulo collegerit (nam Collectio illa Diſſertationum, optima quidem, *Diſciplinæ Populi Dei Claudii Fleury* addita (33), Specimen Theſauri, vel Bibliothecæ eſt, non Theſaurus, vel Bibliotheca): floruerunt nihilominus, qui uberiores de Chriſtianis generatim Antiquitatibus, Originibus, Moribus, Legibus & Ritibus Tractationes Scripto tradidere. Medio fere præterito Seculo *Joannes Baptiſta Caſalius* Romanus una cum duobus Libris *de Ægyptiorum*, *Romanorumque Ritibus* Anno MDCCXLV. edidit opus *de veteribus Chriſtianorum Ritibus*. Verum quum Amici eum ad iterum pleniuſque hoc idem argumentum pertractandum impuliſſent, ex iis unus reſcribens (34): *Plures profanorum rituum ſcriptores habemus, ſacrorum autem pauciſſimos; Chriſtiani nempe* cul-

(31) In *Bibliotheca Theologica Selecta* Par. XX. pag. 689.

(32) Primum in *Thyſiaſteriologia* Voigtii; & deinde in *Bibliographia Antiquaria* Edit. Hamburg. 1716. pag. 112.

(33) Ipſemet *Zaccaria* in Præfatione ſcribit: „ Tot inter Theſauros Græcarum, Romanarum, Italicarum atque Hebraicarum Antiquitatum, quos *Gronovii*, *Grævii*, *Burmanni*, *Hugolinique* induſtriæ debemus, dolui ſemper deſiderari etiamnum a nobis *Theſaurum* alium Eccleſiaſticæ Reipublicæ longe utiliſſimum *Chriſtianarum* nempe Antiquitatum . . . Queror tantummodo, in Italia præſertim, quæ Catholicæ Religionis ſedes eſt ampliſſima, doctos viros, aut aliis ſtudiorum generibus diſtentos opus negligere Chriſtianæ Reipublicæ perhonorificum . . . Interea dum Princeps aliquis Chriſtianæ rei ſtudio inflammatus tantum opus deſiderari diutius non ſinat; ego privatorum hominum in *Chriſtianas Antiquitates* amori conſulturus Librum hunc edo . . . Verum in hoc potiſſimum laborandum mihi eſt, ut *Minoris cujuſdam Chriſtianarum Antiquitatum Theſauri* loco editio iſthæc ſit ſtudioſis Lectoribus „.

(34) *Jacobus Philippus Thomaſinus* Æmoniæ Præſul in Epiſt. *Caſalio* data die XXI. April. MDCXLVI.

cultus rationem ad hanc uſque ætatem pauci, *ſatiſque parce prodiderunt ;* alter vero (35) *: Committere non potui* , *quin . . . . adhortarer audentius . . . . ut ſecundas curas uberiori*, *atque auctiori editioni quantocyus impenderes :* ipſe *Caſalius* vix elapſo biennio novum pene opus Romæ vulgavit: *De veteribus Sacris Chriſtianorum Ritibus ſive apud Occidentales*, *ſive Orientales Catholica in Eccleſia probatis* . Neque hac iterata editione vel magno molimini , vel ſibi feciſſe ſatis credendus eſt Auctor ; nam ipſe in *Peroratione* (36) fatetur ingenue : *dixi & expreſſi de veteribus Chriſtianorum Ritibus*, *quæ inſtar apiculæ ex ſacroſanctæ Scripturæ medulla*, *ſacris Conciliis*, *Eccleſiaſticis ſcriptoribus*, *probatorumque Auctorum floribus antiquitatem perſcrutando mea ingenii tenuitate adinveni ; vel hac ratione*, *ut Sectariorum errores retundantur*, *& præclarioribus ingeniis inde præſtetur occaſio illa accuratius* , *uberiuſque cum ſumma ſtudiorum utilitate proſequendi* .

XXII. Quod *Caſalius* exoptabat , initio hujus Seculi factum eſt , dum melior hujuſmodi negotio fortuna arriſit . *Joſephus Binghamus* namque , impiger , atque eruditiſſimus Anglus, Collegii Oxonienſis quondam ſocius, & tandem Parochus Avantinus in Agro Hantonienſi , improbo viginti annorum ſtudio egregium abſolvit ediditque opus (quantum ab homine a Romana Eccleſia alieno expectari melius poterat) *De Originibus ſive Antiquitatibus Eccleſiaſticis* , quod eodem pene tempore ex Anglicana in Latinam Linguam vertit *Joannes Henricus Griſcovius*. In eo ſane opere *Binghamus antiquas conſuetudines*, *ritus & praxes Eccleſiæ ſub certa & propria quadam capita redegit* , *ubi Lector ſingulos quoſque ritus*, *& conſuetudines illico invenire poſſit*, *qua Chriſtianis per quatuor*, *vel quinque priora ſecula* , *intra quæ diſputationes ſuas in* (XXIII.) *hiſce Libris ubique coercuit*, *atque continuit*, *fuerunt* (37). Ad tale opus exantlandum ea quidem de cauſſa extimulatum ſe profitetur in Præfatione (38) : *Inficias ire non poſſum*, *æmulatione quadam* (*non vitioſa tamen opinor*) *me commotum eſſe*, *quod tot viros doctos in colligendis*, *& publicandis Antiquitatibus Græcis & Romanis tanta cum induſtria verſari viderem*, *nullo interim*, *quod ego ſciam* , *Libro extante*, *qui completam Antiquitatum Eccleſiaſticarum collectionem ea quidem methodo*, *qua nunc fit*, *exhibeat* . Incredibili ſane plauſu hoc opus ubique , & præſertim apud homines aliter a Romana Eccleſia ſentientes , exceptum eſt ; propterea quod omnes decem illius volumina evolventes ſtatim intelligerent, Auctorem ſummo labore ac ſtudio ex diuturna Eccleſiaſticorum Profanorumque ſcriptorum lectione omnia pene collegiſſe, quæ ad Antiquitates veteris Eccleſiæ , etſi id non raro pro partium ſtudio , illuſtrandas conducere poſſe viderentur .

XXIII. Illud itaque unum iis, qui noſtris ſacris , inſtitutiſque ſunt addicti in *Binghamo* merito diſplicebat , quod multa ab eo admitti vel refelli viderent , quæ cum Catholicorum doctrina , ſive cum veritate ipſa pugnarent . Deſiderari igitur a ſapientioribus in Romana Eccleſia cœptum eſt , ut quemadmodum *Centuriatoribus Magdeburgenſibus* Eccleſiaſticam Hiſtoriam peſſumdantibus , quaſi e cælo miſſus opportune oppoſitus eſt immortalis *Baronius*, qui *Annales Eccleſiaſticos* ſcribens , non ſolum cuique quodammodo , ſi non grandioribus , paribus ſaltem gradibus eo in itinere ſenticoſo ſecum incedere ſpem ademit, ſed de Religionis quoque hoſtibus glorioſe triumphavit: ita quoque præſto eſſet ex noſtris, qui majore melioreque rerum apparatu Origines Antiquitateſque Chriſtia-

(35) *Joannes Franciſcus a Slingelant* item in Epiſt. data *Mechlinæ* Id. Apr. MDCXLVI.
(36) Pag. 442. poſt *Notabilia &c.*
(37) Initio Præf. Volum. I. p. 27.
(38) Ibidem .

nas conſcribens, armamentarium nobis inſtrueret adverſus hoſtes, atque ad recte ediſcendos majorum noſtrorum mores, ritus, & diſciplinam manuduceret. Adfuit tandem *Cl. Frater Thomas Maria Mamachius* ex Ordine Prædicatorum, Theologus Caſanatenſis, Græcus vir, omnigena Eccleſiaſtica eruditione præditus. Hic non ſolum noſtrorum, ſed eorum quoque ſcriptorum, *qui aut Lutheranis, aut Calvinianis, aut Anglicanis partibus ſtuderent, Libros quum incredibili diligentia pervolviſſet, cognoviſſetque, magnam rerum earum partem, quæ iis continerentur, non ut veritas, ſed ut eorum decreta poſcerent, explicari; eo ipſum minus pœnituit inſtituti ſui, quo videret, ipſi & veritatis tuendæ, & novitatis refellendæ facultatem datam* (39). Quapropter alacri animo *cum diu multumque ſecum cogitaſſet, acceſſit ad eam opinionem, ut quamvis ſecus nonnulli ſtatuerent, ad omnia tamen, quæ veterum Chriſtianorum fuiſſent, colligenda plus viginti Libris opus non eſſe arbitraretur... intelligebat autem fuiſſe aliquos, qui in hoc genere verſati fuerint, quorum ipſe, quamvis non fuerit ordinem, methodumque ſcribendi ſequutus, non eo tamen deſerendos putavit, quod illos negligeret; ſed quo ſuam ad id, quod erat propoſitum, rationem potiorem eſſe indicaret. Si qua enim res eſt, ordo eſt ſcilicet, in quo ſervando ſuo cuique judicio ſit utendum* (40). Itaque vix ſeptem annorum ſpatio quinque voluminibus ad alteram uſque Partem Libri IV. pervenit; in quorum primo Libro *de nominibus Chriſtianorum, deque ab Ethnicis in eos excogitatis calumniis*; in altero *de origine, & Propagatione Chriſtianæ Religionis*; in tertio *de moribus veterum Chriſtianorum*; & in quarto *de Primordiis, & veteri ſtatu, ac ratione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ* abunde actum eſt, atque inde majora melioraque brevi expectanda a tam felici Scriptore videbantur. Sed jam viceſimus annus eſt, ex quo fruſtra quod ſupereſt ex Libro quarto, atque reliquos XVI. Libros expectamus, quum multa ſexti voluminis folia ſint etiam jam prælo expreſſa. Dolet ſane, & dolet quam maxime, virum tantum, a quo hac tempeſtate tam egregium opus ſumma cum Chriſtiani nominis gloria inchoatum vidimus, aliis elucubrandis operibus, doctis ſane, at non æque utilibus, & neceſſariis diſtentum, ſuſcepti itineris initio ſubſtitiſſe. Dolet quoque, neminem adhuc ex potentioribus extitiſſe, qui ſubtractis illi e tabula alterius argumenti operibus, humanitate ſimul & auctoritate ad penſum abſolvendum coegerit.

XXIV. Brevem hunc, & veluti contractum Univerſæ Eccleſiaſticæ Antiquitatis proſpectum oculis Legentium ſubjicere neceſſarium duximus, ut facilius intelligatur, quo in lumine Chriſtianæ Antiquitates erant, dum ad illarum Inſtitutiones elucubrandas animum adjunxit; ac proinde quoſnam ſibi fontes adeundos, & quonam improbo labore, ſtudioque diligenti metam ſibi evitandam propoſuerit *Selvagius*. Bina profecto in ejus vita diſtinguenda ſunt tempora. Primum illud fuit, quo Sacerdos initiatus, Scholiſque Archiepiſcopii egreſſus An. MDCCLII. in pervolutandis diuque noctuque *Baronii* Annalibus, Hiſtoria *Natalis ab Alexandro*, Commentariis *Chriſtiani Lupi* in Canones, *Cardinalis Bonæ* Liturgicis operibus, Originibus Eccleſiaſticis *Binghami*, aliiſque nonnullis ejuſdem argumenti Scriptoribus ſeptennio circiter inſudavit. Nullum tunc præterire ſivit tempus ab injunctis ſibi Literariis curis liberum, quod in perſcrutandis horum ſcriptis, atque ex iis ſedulo in Adverſaria ſua referendo non inſumſerit. Vidit ſane *Binghamum* Antiquitates Eccleſiaſticas, & diligentius præ ceteris collegiſſe, & enucleaſſe clarius; verum illum, ut diximus, non ſemper veritati litaſſe, atque adeo in multis ſtudio partium tranſverſum actum fuiſſe animadvertit: qua de cauſſa noſtri, præſertim imperiti, tale opus

(39) In Præf. Vol. I. pag. XVII.
(40) Ibidem pag. XII.

opus legere merito vetabantur. Dein multa, etſi bona, nimis tamen prolixe ab illo fuiſſe explanata, veterumque teſtimoniis ſæpe ſat plurimis confirmata, quod in cauſſa erat, ut multi ab ejus lectione abſterrerentur. Hoc *Julium* ita ſenſiſſe, ipſemet teſtatur: *Ad Binghamum*, ait, *quod attinet, præterquam quod plurima in ejus opere hæretica, utpote ab hæretico homine profecta, offendere eſt; illud etiam accedit*, *undeno* (41) *eſſe volumine compactum. Adhæc nimia caritate minime vulgare vix noſtratibus maxime adoleſcentulis obvium eſſe* (42). Quapropter omnium bono, & juvenum præſertim, optime conſultum putavit, ſi præſto eſſet, qui Origines illas in compendium prudenter redigeret, ubi abundarent, atque ſublato veneno falſorum dogmatum ſapienter vera propinaret. Tali namque viatico ſenticoſum Theologiæ, Liturgiæ, Canonicique Juris curriculum harum diſciplinarum auditoribus facilius lætiuſque eſſe futurum. Ut hoc itaque conſilium ipſi primum in mentem venit, ita illud perficere, ſi potis eſſet, tentare decrevit. Quod ex ejus narratione patet abunde (43). *Illud hic ſilentio prætervehi abs re fuerit, id nobis propoſitum olim fuiſſe, ubi primum ad ejuſmodi illuſtrandas* (Eccleſiaſticas Antiquitates), *& adoleſcentium uſibus addicendas animum adjunximus: Binghami ſcilicet opus, qua parte in aliena a ſacroſanctis Eccleſiæ Catholicæ ſanctionibus, & a Tyronum commodis excreverat, ac diſceſſerat, retexere, ac veluti undequaque recidere, atque ad ſeveriorem Catholicorum Regulam exigere, quo noſtrorum commodis cautum conſultumque iretur.*

XXV. Jam multum proceſſerat in *Binghamo* contrahendo *Julius*, Nonumque ejuſdem Originum Volumen ad manus erat, quum An. MDCCLX. (ſcilicet undecimo poſt Voluminis *Mamachiani* prioris editionem) primum ab Amico commodata, deinde empta ab ipſo fuere quinque *Cl. Thomæ Mariæ Mamachii* volumina *de Originibus, & Antiquitatibus Chriſtianis*. En alterum in hoc ſtudio, novumque laborum tempus. Senſit tunc *Selvagius*, *Mamachio* in arenam adverſus *Binghamum* deſcendente, partem illam *Binghami* refellendi abjiciendam prorſus ſibi eſſe. Summopere præterea placuit *Julio*, *Mamachium* docte ſolideque in Originum ſuarum Libro II. *de Origine, & Propagatione Chriſtianæ Religionis*, & *de Perſecutionibus, quibus Catholica Eccleſia quatuor primis ſeculis vexata ab Ethnicis eſt* (quod Eccleſiaſtico Antiqnario in anteceſſum noſcere perneceſſarium eſt) pertractaviſſe. Cum eodem namque Auctore (44) *probare illorum ſententiam non poterat, qui miſſis Originibus, Progreſſibuſque Religionis, de forma Chriſtianæ Civitatis agendum ſibi eſſe judicarent*. Quapropter ad hunc Librum perſtringendum, eique nonnulla breviter addenda *De Propagatione Religionis Chriſtianæ in illa Italiæ parte*, *quæ Regnum Apuliæ*, poſtmodum *Siciliæ Prima*, & *Citerior*, vel *Regnum Neapolitanum* eſt appellata, me impellente, operamque præſtante, libenter acceſſit. Diu reliqua *Mamachii* volumina cum Eruditis omnibus idem enixe deſiderantibus expectavit *Selvagius*, multa inde ſibi ſeligenda ſperans. *At* (ut ipſemet teſtatur) *ille* (nempe *Mamachius*) *viginti hac de re pollicitus, quinque ſatis grandibus evulgatis voluminibus* (*quæ ſunt plerumque optimorum librorum fata*) *vix quartum attigit Librum: Credo, quod gravioribus curis diſtentus, ſpem edendorum aliorum prorſus abjecerit: maxime quum ab poſtremi evulgati voluminis editione jam ferme viginti* (melius tunc *ſeptemdecim*) *annorum ſpatium interceptum ſatis conſtet* (45).

d 2 XXVI.

(41) Diſſertationes *Binghami*, quæ decimo volumine continentur, Originum Chriſtianarum partem ſane non conſtituunt, ſed illis extra ordinem addi ſolent.
(42) In Anteloquio Volum. I. §. XI.
(43) Ibidem §. XIII.
(44) Cl. *Mamachius* in cit. Præf. Vol. I. p. 22.
(45) In Anteloquio cit. Volum. I. §. X.

XXVI. Hinc quum regendæ Juris Civilis & Canonici Cathedræ in Neapolitano Archiepiſcopio, ut dictum eſt, ſedulo vacaret, poſt iterum evulgatas Canonum Inſtitutiones, relicto conſilio de *Binghami Compendio* elucubrando, quia & plurima de ſuo addiderat, aliaque via incedere conſtituerat, ad ordinandas edendaſque eadem fere Inſtitutionum Canonicarum methodo Antiquitates Chriſtianas manum admovit. Qua in re, quamvis nonnulla ex *Binghami*, *Mamachii*, aliorumque penu, tamquam in medio poſita, in ſuum traduxerit, multa tamen addidit e fundo ſuo, aliqua refutavit, atque omnia ordine Inſtitutionum apte digeſſit; quod ita ipſe fatetur ingenue (46): *At ſecus ut fieri ſolet, procedente ſtudiorum noſtrorum ratione, res tulit. Eo enim ſenſim delati viſi ſumus, ut diverſa a Binghamo veſtigia perſequentes, hoc quidquid eſt Chriſtianarum Antiquitatum σῶμα conderemus; quo fortaſſe quædam ab eo, ſicubi uſus venit, illata ſunt, ut tamen nobis ſummos labores, ac diuturnum ſuper hac re ſtudium minime condonaverimus*. Hujuſce igitur operis ſui proſpectum, ejuſque ſumma capita his verbis enarrat *Julius* (47): *Quin ſex voluminum mole oneratum prodiret, vix aliter fieri potuit. Ejuſmodi enim, Inſtitutionum inſtar, quatuor in Libros tribuere placuit. Quorum primo* (præmiſſo quaſi Prodromi loco, quod reapſe faciendum erat, *de Euangelii per orbem univerſum propagatione, & de Perſecutionibus, quas per quatuor priora ſecula Eccleſia paſſa eſt*, ut *Mamachius* fecerat) *agemus de Chriſtianis generatim, ac in ſpecie de Clericis, Fidelibus laicis, & Catechumenis. Secundo de Eccleſiis, Liturgiis, Jejuniis, ceteroque cultu Deo, Sanctiſque exhibendo. Tertio de Ritibus in Sacramentorum adminiſtratione olim ab Eccleſia adhibitis. Quarto demum de veteri Eccleſiaſtica diſciplina in coercendis graviorum criminum reis. Porro ex prioribus duobus Libris quiſque duobus voluminibus* (48) *concludetur; cetera, quæ ſuperſunt volumina, tertium, & quartum Librum complectentur*.

XXVII. Anno igitur MDCCLXXII. (ſcilicet poſt XX. circiter annos laboris aſſidui in hoc opere perficiendo horis ſubciſivis exantlati) priorem Partem Libri primi, ſive Volumen primum *Inſtitutionum Antiquitatum Chriſtianarum* vulgavit *Julius*; quas utique Inſtitutiones Viro ampliſſimo & doctiſſimo *Ildephonſo Clementi de Aroſtequi*, *Caroli III. Regis Catholici*, ab arcanis Regni Conſiliis, & Tribunalis *Cruciatæ* Hiſpanæ Monarchiæ ſupremo Præſidi, utpote hujus Operis edendi exſtimulatori acerrimo (quem Matriti præterito anno defunctum non ſine luctu accepimus) dicatas voluit. Hinc qua erat Auctor humilitate præditus, inter cetera in Anteloquio (49) de merito operis ſui faſſus eſt ſincere: *Nequaquam doctis, ac veluti metam adeptis, quam Tyronibus, ac vixdum carcere egreſſis ſcribimus; nec Antiquitates quaſcunque ſimul collectas, ſed ſtrictim, ac Inſtitutionum methodo comprehenſas Juvenibus noſtris, quorum unice ſtudemus commodo, exhibemus.... Ut qui non laudi inani captandæ, ſed publicæ utilitati fovendæ ſcribimus*.

XXVIII. Verum longe nobilius de hiſce Antiquitatum Chriſtianarum Inſtitutionibus ſenſere Eruditi omnes. *Joſephus Simiolius*, Canonicus Neapolitanus, Cenſorque operis, (quem jam antea laudavimus), in ſua cenſura (50) ait: *In iis* (Antiquariis Inſtitutionibus) *evoluta, diſcluſa, educta vidi ſemina, quæ Clariſſimus Auctor in ſuis Inſtitutionibus Canonicis jecerat*. Et *Joſephus Roſ-*

ſius

(46) Ibidem §. XIII.
(47) Ibidem §. XIV.
(48) Vide Notam Anteloquii pag. vi.
(49) In cit. Anteloquio §. XII.
(50) In dicta Cenſura data XVIII. Kalen. Majas MDCCLXXII.

ſius (cujus ſuperius cum laude meminimus) Cenſor Eccleſiaſticus, doctrinam eruditionemque Auctoris in Canonibus explicandis, nec non facilitatem elegantiamque ſcribendi, docendique perſpicuitatem, quæ *Selvagii* peculiares erant dotes, ita meritis laudibus ornat (51): *De Legibus, Inſtitutis, ac Moribus Eccleſiæ veteris Præclarus Auctor ita diſſerit, ut nihil omittat, quod ad operis propemodum immenſi perfectionem requiratur . . . novi aliquid paſſim adſpergit, & rem graviſſimam explicat mirabili facilitate, ſingulari etiam elegantia, & perſpicuitate*. Idem plane judicium de hoc opere tulerunt docti Scriptores Ephemeridum Rei Litterariæ Florentinarum (52) quorum non verba, ſed ſententiam hic damus: „ Quod ad illuſtrandas „ *civiles Inſtitutiones* jam præſtiterat duo„ bus ſuis voluminibus *Antiquitatum Ro*„ *manarum Heineccius*, *hoc* idem modo „ *Julius Selvagius Antiquitatibus Chri*„ *ſtianis* ad paſſim declarandas ſuas *Ca*„ *nonicas Inſtitutiones* perfecit. Is primus „ dici poteſt ad hunc diem extitiſſe, qui „ propoſitum adeo laude dignum conjun„ gendi Hiſtoriam Eruditionemque Ec„ cleſiaſticam cum Canonibus Decretiſ„ que Eccleſiæ abſolverit. Quare hoc „ opus iis præſtat dotibus, quæ haud fa„ cile in hujuſmodi lucubrationibus re„ periri poſſunt; nam primo doctrinam „ continet probatam, ſelectam, atque „ hinc inde nova eruditione ornatam; „ & dein (quod raro accidit) quadam „ facilitate, & ſimul elegantia, ac per„ ſpicuitate eſt præditum „. Amica hæc Canonum Chriſtianarumque Antiquitatum conjunctio quanti facienda ſit, exemplo ſuo demonſtravit Celeberrimus Eccleſiaſticæ Reſtitutor Diſciplinæ S. Cardinalis *Carolus Borromæus*, qui adhuc juvenis in ordinandis Canonicis ſtudiis voluit, una cum moribus, actiſque Majorum, Chriſtianæ Eccleſiæ Canones conjungere, ut Scriptor ejus vitæ enarrat (53): *Canonum ea ſcientia præjudicanda erat, quæ Patrum mores, & Acta repræſentans, Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet; dolens eos communi conſuetudine tantum Canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites, judiciaque valent*.

XXIX. Non adhuc primum volumen legere deſieramus, quum eodem anno paucis poſt menſibus volumen alterum, ſive altera Libri Primi pars, in qua tum *de Clericis ſecundi Ordinis, eorumque Electionibus, Exemptionibus, Reditibus, & Moribus; tum de Monachis, Virginibus, aliiſque Fidelibus, & Catechumenis*, diſſeritur, pene jam prorſus edita vacuos Lectores præſtolabatur. At non datum eſt *Julio* noſtro poſt tam ſollicitos labores illam evulgare; menſe enim Novembri illius anni, ipſe, ut mox narrabimus, obiit. Deſperatum viſum eſt cunctis deſiderium legendi reliqua, quæ ſupererant volumina, atque haſce diu expetitas Inſtitutiones præ manibus habere numeris omnibus abſolutas. Verum ab ejus Patruo, Sacerdote probatiſſimo *Maximo*, & amantiſſimo Fratre *Michaele* ego, utpote *Julio* veteri amicitia conjunctiſſimus, ſum advocatus, ut ſcripta omnia in ejus forulis latentia diligenter excuterem, atque animadverterem ſedulo, num omnia eſſent ita in anteceſſum ab eo parata, ut integrum opus edi poſſe videretur. Mihimet eo in negotio, & amicis non defui. Collegi ſcripta omnia, quæ unice argumentum ſpectabant *Antiquitatum Chriſtianarum*, eaque in partes digeſſi ab Auctore jam ante conſtitutas. Ex diligenti hac inquiſitione tum opus pene abſolutum, tum pauca tantummodo deeſſe compertum mihi eſt. Hinc reliquum operis brevi edendum cenſui, ut defuncti amici fides liberaretur: & pauca illa

(51) Item in Cenſura data die XI. Jan. eodem anno.

(52) Hoc Clariſs. Viri Judicium de *Julii* Opere dederunt Fol. XLI. col. 648. ſeqq. A. D. IX. Octob. MDCCLXXII.

(53) *Carolus a Baſilica Petri* in Vita S. *Caroli Borromæi* &c. Lib. VII. Cap. XI. num. XLIV.

illa veterum teſtimonia , quæ deerant , ſuis locis apte ſupplere ſtatui , *Julio* namque in edendis operibus ſollemnis mos fuit , jam primum a ſe ſcripta ſecundis veluti curis inter operas typographicas perficere . Datum eſt mihi a *Michaele* Fratre id curare ; & ſedulo curavi . Hinc factum eſt , ut duorum vix annorum curriculo quatuor volumina expolita , edita , & vulgata ſint ; atque ita integrum opus hoc anno MDCCLXXIV. fuerit , etiam defuncto Auctore , abſolutum ; quod hac de cauſſa dici majore ex parte *poſthumum* poteſt . Poſt hæc omnia , demum dici nonnulla deberent de paucis quibuſdam diſſertationibus , diatribis , aliiſque opuſculis vel inchoatis , vel jam perfectis , quæ inedita *Selvagius* reliquit . At quodnam erit illorum fatum , divinare quum modo non poſſim , de illis verba facere ſuperſedeo . Illud tantum addendum puto , quod mecum Eruditi ſentient omnes , *Julium* tunc maxime Reipublicæ Literariæ ereptum , quum ætatis anno XLIV. præcoci ſubactoque ingenio majora melioraque proferre opera ſpondebat .

XXX. Huc uſque de literario vivendi genere *Julii* noſtri , deque ſcriptis ejus multa enarravimus ; pauca nunc de moribus præſertim de pietate illius , præſtat breviter adnotare . Minuta fortaſſe , & levia videbuntur nonnullis , quæ hoc in negotio erimus eo dicturi . Quidam namque aſſueti magna , tantumque ſonantia virorum ſummis Magiſtratibus , Militarive virtute illuſtrium , audire & prædicare facta , privatorum hominum res domi prudenter fortiterque geſtas flocci faciunt . Verum norunt ſapientiores , in humiliore quoque vivendi genere multiplices ſemper humano animo patuiſſe vias egregia edendi facinora , virtuteſque colendi , quæ quamvis in privato vitæ ſtatu omnium oculos luce ſua minime perſtringant , ſunt tamen hujuſmodi , ut ex iis licet minutis , licet pro conditione rerum celebritatem nominis non promerentibus , ingenia tamen hominum occulta dignoſci poſſint , num humi repant miſere , vel feliciter aſſurgant . A pueritia igitur quicquid temporis a ſchola , aliiſque domeſticis exercitiis ſupererat , ut plurimum vel ſacro inſerviens matutinis horis , vel poſtmeridiani *præſanctificatam Euchariſtiam* adorans in *Parœciali Templo S. Mariæ in Koſmedin* modeſtus & humilis impendebat . Incredibile namque dictu , ut antea monuimus , quanta caritate in omni vita hanc ſacram Ædem , in qua Jeſu Chriſti ſanguine ablutus ad novam veramque vitam eſt renatus , ſemper fuerit proſequutus ; quantaque honeſta animi contentione illius jura , commoda , & ornamenta curaverit . Non ſemel de ſalebroſa quadam diſceptatione , quam pro Curionibus illius loci ſapienter *Ferdinandus IV.* Rex noſter Auguſtiſſimus Reſcripto definivit , mecum ferventius quam de domeſticis rebus loquentem audivi ; immo quadam vice , dum apud virum ſummum una pranderemus , memini , adeo in jurium factorumque ſacræ Parœcialis Ædis narratione excanduiſſe , ut cibi potuſque oblitus monendus a me fuerit amice , ut manducaret tandem & quieſceret . Clero addictus , donec Sacerdotio non fuit initiatus , quolibet feſto die primo mane ſacram domum de more adibat *Presbyterorum Euangelieæ Miſſionis* , *Congregationis S. Vincentii a Paulo* , ubi omnes ſimul Neapolitani Clerici *Sacramento Pœnitentiæ* deterſi ſpiritu , atque illo *Euchariſtiæ* animo refecti , ſacrificio ſollemni celebrando vel inſerviunt , vel adſunt , ut ita ſenſim in ſacra *Liturgia* miniſtrare addiſcant . Illinc *Julius* , ut ſcholaſtica negotia expetebant , vel miniſterio Parœciæ ſuæ præſto erat , vel ſtudiis domi vacabat . Poſt prandium vero ad pueros pro cujuſque ætatis captu breviter dilucideque Chriſti doctrina imbuendos , ut mos eſt , ſedulus incumbebat ; dein maximum inviſebat ſæpe Infirmorum Hoſpitium , ubi cum aliquot optime moratis ſociis verbo , & opere ægros levabat : adſcriptus namque erat *Sodalitio S. Mariæ omnium Sanctorum* , cui curæ eſt humaniſſime infirmis miſericordiæ opera præſtare . Hæc & alia , ſæpe non levia , alacri animo peragebat *Julius* . Quod ſi cui admirationem afferat , quomodo ſanitate parum firma ſo-

potuerit ipſe tanto niſu & ſtudiis, & pietati vacare, ut diurnis muneribus ſuis defuerit nunquam: ſciat is quæſo, victus frugalitate, diviſione horarum prudenti, conſtantique vivendi ratione id brevi eſfeciſſe, quod alii diuturno vix tempore aggrediuntur; nam *raro eum oriens Sol in lecto dormientem*, *& raro deambulantem extra domum tenebræ ingruentes deprehenderunt*. Immo ſi aliquando cum amicis in via colloquentem ſerus occupaſſet veſper, ipſe ſubridens ajebat: *Aquaductus diſſluunt*, *domum redeamus amici;* & ſtatim valedicto abibat.

XXXI. Sacerdos factus *Selvagius* in dilectiſſima Parœcia ſua *Sanctæ Mariæ in Koſmedin* ſacrificium quotidie offerebat, non diuturnitate piis etiam adſtantibus quandoque importuna protractum, ſed intentione animi, cordis ardore, modeſtiaque corporis Deo & hominibus gratum. Quod ſi negotia Eccleſiaſtica expoſtulaſſent, ut in Cathedrali aliquando moraretur, vel ibi ſacris operabatur, vel in proximum Sancti *Philippi Nerii* templum celebraturus divertebat. Hoc ſane accidit antequam Pontificio diplomate ornatus domi Oratorium haberet: nam poſtquam privilegio datum eſt in privatis familiæ ſuæ edibus rite Aram Deo ſtatuere, quam in cubiculo ab omni domeſtico uſu, ut decet, libero magnifice paravit, ad eam plurimum pietate, atque reverentia ſumma ſacrificaturus acceſſit, ut quotquot caſu adſtitere, ingenue teſtantur. Immo plus vice ſimplici fratris filios, ceteroſque familiares, ut in Oratorii cubiculum ingredientes ad pietatem ſe componerent, hiſce verbis ex animi ſententia hortabatur: *Hic domus Dei eſt: hic quotidie habemus Deum noſtrum appropinquantem nobis: tenete linguam*, *& corde orate*. Quamvis in ſtudia ſeſe abdidiſſet *Julius*, non tamen a prædicatione divini verbi, atque ab excipiendis Fidelium *confeſſionibus* prorſus abſtinuit: quippe qui ad ſacras *miſſiones*, ut ajunt, bis cum ſociis perrexerit urbe procul patria. In quarum altera ardentiſſimo, quo æſtuabat, loca ſancta inviſendi deſiderio, nonnihil ſatisfecit. Nam ex *Altomuro* in *Peucetia Barium* divertens, ſepulcra celebravit *S. Sabini Canuſini* Epiſcopi, Principis Patroni Primatialis Provinciæ Eccleſiæ Barienſis; & *S. Nicolai* Archiepiſcopi *Myrenſis*, Principis Patroni Provinciæ Terræ Barii: ut & ſacram Cryptam eſt veneratus *S. Michaelis* Archangeli in Monte Gargano.

XXXII. Dixi *Julium* noſtrum maximopere optaſſe, ut inviſeret loca ſancta. Conſtat enim ex eo tempore, cum *Inſtitutionibus Antiquitatum Chriſtianarum* conſcribendis inſudare cœpit, inter fines, quorum cauſſa adlaborandum ſibi intelligebat, & illum fuiſſe propoſitum, ſcilicet iter olim inſtituendi, ut ejuſmodi loca præſens veneraretur, ea potiſſimum pecunia, quam ex divenditis illius operis exemplaribus colligere potuiſſet. Præſtat hoc ipſum ab eo audire, qui quibuſdam foliis, quæ in ejus forulis ſervantur, hanc animi ſui ſententiam his prope verbis vernaculo ſermone adliniverat: *In hoc opere Antiquitatum Chriſtianarum auxilio Dei perficiendo fines*, *quos præ oculis propoſui mihi*, *duo ſunt*: *Primum Gloria Dei noſtri ſincera; Alterum deſiderium excitandi inter fideles*, *& præſertim in Clero ſpiritum Eccleſiæ Chriſti Primigeniæ*. *Poſtquam autem hoc opus perfecero*, *pecunia inde comparata ſtatui in corde meo inviſere loca ſancta*, *vel ſaltem ſacram domum Lauretanam*, *ubi*, *ut pie creditur*, *Verbum Caro factum eſt*, *& hinc ſepulcra Apoſtolorum Petri & Pauli*, *& Catacumbas Martyrum Romæ ſitas*. *Hoc enixe deſidero; & ſi adhuc hoc propoſitum non impleverim*, *in cauſſa fuit obſervantia divini præcepti; Honora Patrem tuum*, *& Matrem tuam*. Et profecto verbis proſequi haud facile eſt, quanta reverentia, quanta caritate, quantaque obſervantia Majoribus ſuis, & præcipue Parentibus obtemperaverit *Julius*, ut nihil pene ſine eorum vel mandato, vel conſilio aggrederetur, atque multa facere prætermitteret non alia de cauſſa, niſi quia fortaſſe illis non placerent. Quoties ruſticatum abibat, ſine eorum benedictione iter ipſi arripere nefas. Immo diſcedens ſæpe Amicos, ut pro ſe Genitores invi-

inviſerent, orabat; & poſtrema hac vice, poſtquam ſane paternam non amplius domum reviſit, me a Cathedra deſcendentem convenit, ibique, neſcio qua animi prævidentia, oravit obſecraviique, ut Matrem ita levarem verbis, ut ex abſentia ſua non mœreret; ſuumque Fratrem *Michaelem* ſibi cariſſimum admonerem, ne Filios ſuos, & præ ceteris *Caſparem* Primogenitum, ſevere nimis objurgaret in iis, quæ mores non ſpectant, prædicens illos adhuc eſſe pueros bona indole, ingenioque perſpicaci præditos. Patris mortem ſenſit acerbiſſime, ſed patienter ſuſtinuit, tum quia, ut Chriſtianum decet, illius honeſtate pietateque ſolabatur quammaxime; tum etiam quia cohibere ſeipſum opportunum ducebat, ne lacrymis ſuis Viduæ Matris vulnus recrudeſceret.

XXXIII. Quamvis autem Patrem revereretur, coleret Matrem, & utrique obſequentiſſimus fuerit ſemper *Julius*; præ ceteris tamen domeſticis majoribus *Maximum* Patruum ſuum, Sacerdotem utique pium, prudentem, doctum, Genitoribus id annuentibus, Parentis dilectiſſimi loco ſemper habuit. Par namque Eccleſiaſticæ vitæ ratio, quam uterque ſequebatur, eadem domus, & in eadem domo proxima utriuſque cubicula, eadem menſa, atque vix intermiſſa confabulatio, ipſa denique conſanguinitas faciebant, ut *Maximus Julium* Nepotem pro filio, pro Patre & Rectore *Maximum* Patruum *Julius* haberet. Hinc domum rediens Patruo ſuo diurnæ vitæ rationem quotidie reddebat exactam. Dein cum eo alternatim *Pſalmodiam Liturgicam in Canonicas Horas*, ſive *ſtatuta Deum pro Populo precandi tempora*, *diſtributam* de more pie diſtincteque recitabat: cum eo ſpiritu & voce orabat; *Theologiæ Morum* particulam aliquam ſingulis prope diebus, facili quidem methodo, propoſitis nempe definitionibus vocum, & principiis metaphyſicis loco Axiomatum reſeratis, per caſus peculiares illo interrogante percurrebat: quæ demum proximo die erant peragenda, exponebat breviter, & ex ejus conſilio, vel omittebat cautus, vel diligenter executioni mandabat. Nihil certe magni momenti, donec vixit, licet quadrageſimo anno major, fecit *Julius*, quod ad Patrui voluntatem, ſanctoſque mores ad amuſſim non conformaverit. Quo factum eſt, ut ambo paribus prope virtutibus adeo floruerint, ut qui unum ornaſſet, alterum laudaſſe videatur (54).

XXXIV.

(54) Sub Immagine hujus pii utique, docti, ac fidelium ſaluti apprime dicatiſſimi Viri hæc noſtra appoſita eſt Inſcriptio, qua ejus Elogium comprehenditur.

MAXIMUS SELVAGIUS. SACERDOS. NEAPOLI
TANUS. QUO. VIRTUTUM. THESAURO. DI
TIOR. EO. FAMAE. FVGA. CAVTIOR. DVM
EX. OBEDIENTIA. PRAESES. MANIPVLI. OPE
RARIORVM. SODALITII. S. MARIAE. PVRITA
TIS. CHRISTI. VINEAM. VBIQVE. EXCOLEN
TIVM. IN. TVRRI. OCTAVA. SACRO. VACA
BAT. MINISTERIO. VT. DEO. CVI. VNICE
SERVIERAT. CITIVS. CONIVNGERETVR. RE
PENTINO. ALIIS. SIBI. ANTE. PRAEVISO. COR
REPTVS. MORBO. APOSTOLICOS. INTER. LA
BORES. OBIIT. HORA. VII. NOCTIS. PRID
NON. FEBR. CIↃIↃCCLXXIIII.

NATVS. III. KAL. SEPT. CIↃIↃCCXI. VIXIT
ANNOS. LXII. MENS. V. DIES. IIII.

XXXIV. Profecto quicumque *Julium* probe noverunt, fatentur omnes, eum Chriſtiana Philoſophia, non umbratili illa quidem & verboſa, ſed factis integroque vitæ curſu comprobata præſtitiſſe. Arduis in rebus æquam ſemper mentem ſervavit; & quoties adverſa imminebant, componebat ſe, ut ait Poeta (55), teres & rotundus ad omnia. Humanitate ita omnes proſequebatur, ut impiger viſus ſit ſæpe commoda ſua prætermittere, ut omnibus juvandis præſto eſſet; quod præſertim in Librorum edendorum cenſura expedienda manifeſto apparuit; qua in re horas ſomno, opportunæque relaxationi auferebat, ne diu alios longa exſpectatione detineret. In amicis fide, ſinceritateque ſancta colendis fuit adeo conſtans, ut æmulos ſæpe ſuos vicerit obſequio, ſibique adjunxerit perpetuo conſtantem ob amicitiam. In egenis, miſeriſque levandis fuit ſemper paratiſſimus multiſque ſecreto eſt opitulatus tum pecunia, tum conſilio. Providus tandem rerum ſuarum curator, parabat antea diligenter, quæ mox futura erant neceſſaria. His aliiſque virtutibus quum apud omnes inclaruiſſet *Julius*, mirum eſt, quantum finitimis præſertim Eccleſiis profuerit. Hinc *Andreas Torre* vigilantiſſimus Minorenſis Epiſcopus, *Franciſcus Antonius Ruocco*, Inſulæ Caprearum Præſul, *Alphonſus Ligorius*, Novæ Congregationis divini Redemptoris Inſtitutor prudens, & pius doctuſque Epiſcopus S. Agathæ Gothorum, plurimis ſacra eruditione redondantibus, atque animorum ſaluti apprime utilibus editis operibus merito, & contra votum ſuum, in Literatorum Republica, & in Dei Eccleſia celeberrimus; aliique Antiſtites, in examine Clericorum, & in reliquis Eccleſiarum negotiis *Selvagium* tanquam Conſiliarium, & quaſi laborum ſuorum ſocium vel literis interpellabant, vel ad ſe venire amica expoſtulatione cogebant. Præ ceteris vero *Januarius Albertinus* Epiſcopus Caſertæ, dominicæ caulæ Paſtor incomparabilis, quem jam extinctum dolemus, nihil in ordinandis Seminarii, univerſique Cleri ſtudiis, in præfigendis cuique Parœciæ Paſtoribus, in doctrina populo explicanda, & reliquis Eccleſiæ ſuæ negotiis expediendis operabatur, quod vel ab abſente per literas, vel voce a præſente *Selvagio* non audiſſet eſſe faciendum.

XXXV. Ad hæc quidem finitimarum Eccleſiarum negotia expedienda accerſitus ut plurimum *Selvagius* accedebat, quum feriis Bacchanalibus, vel Paſchalibus, vel præſertim Autumnalibus ab urbanis muneribus vacare legitime poterat. Compago enim ejus corporis, ut diximus, non ſatis firma, ſtudiorum vi quodammodo labefactata opportunis hiſce ſtatis temporibus interpoſitis vacationibus reficiebatur. Quam quidem tuendæ ſanitatis rationem adeo conſtanter ſervavit, ut nullum præterire permiſerit annum, in quo vel ſemel, vel etiam bis patria non exierit ruſticatum. Quamvis autem & in his ruſticationibus literarium viaticum ſemper ſecum deduxerit, tempuſque legendo, & ſcriptitando non perfunctorie inſumpſerit, illa tamen aprici, purgatioriſque aeris reſpiratio, deambulationes, confabulationes, novarumque rerum apparatus animum, corpuſque adeo recreabant, ut domum poſthæc redeuntem quaſi renatum Amici *Julium* ſalutarent. Quo factum, ut quotquot pagorum, urbiumque vicinarum bene morati homines eum noſcerent, & amarent, tot ſane vehementer eum deprecarentur, ut ad ſua potius, quam ad alia loca, plauſibilibus propoſitis argumentis, ruſticatum feriatis temporibus accederet. Hinc ipſe, ut bono animo omnibus ſatisfaceret, aliquando *Amalphiam*, *Scalam*, *Ravellum*, & *Minurum*; aliquando *Capreas*, *Maſſam Lubrenſem*, *Surrentum*, *Vicum Æquenſem Stabiaſque*; aliquando ad *Turrim Octavam* ſive *Turrim Græci* inter *Herculanum* & *Pompejos*; ſæpius *Caſertam*, ubi Auguſtum Regis Noſtri exſurgit Prætorium, contendebat; nec ſemel quoque in Regali *Villa Porticuum*, ubi alterum poſitum eſt Regium Prætorium,

(55) Horat. Lib. II. Satir. VII. ver. 86.

ſecum cum habuit vir Ampliſſimus *Ildephonſus Clemens de Aroſtequi* tunc Hiſpanus apud Regem Siciliarum Legatus, qui doctis viris libentiſſime utebatur. Poſt mortem vero *Januarii Albertini* Epiſcopi Caſertani, cum Epiſcopo *Sanctæ-Agathæ Gothorum Alphonſo Ligorio* in amœno *Arentii* oppido autumnalibus diebus ſanctiſſime genio indulgebat; in qua quidem ruſticatione tandem obiit.

XXXVI. Poſtquam enim Menſe Septembri Anni MDCCLXXII. a docendi munere liber fuit, compoſitis de more domeſticis rebus, atque *Inſtitutionum Antiquitatum Chriſtianarum* altero Volumine abſoluto, & in publicum prodire juſſo, *Arentium* ſe contulit. Fuit ibi ad uſque IX. Kal. Novem. quo die, quum jam reditum in patriam cogitaret, ut antequam diſcederet, valediceret Amicis, & præſertim *Mario Abenanti*, Viro nobili, humaniſſimo, & liberali, quicum ei antiqua intercedebat neceſſitudo, *Matalaunum* (56) perrexit, rhedam regente Canonico *Arentii* amiciſſimo, & aurigationis fortaſſe non imperito. Verum vix Oppidum tenebant, quum Canonicus, ut plauſtrum vitaret diligenter, ſupine violenterque in ſaxum prægrande rotam ſiniſtram impegit; quo factum, ut rheda dextrorſum ruente *Julius* infeliciter dextrum latus terræ illideret. Ex illo caſu inopino ejus corpus non mediocriter contuſum, atque os femoris, quod ἰσχίον dicunt Medici, eſt luxatum. Illico domum curru ſuo infirmum traduxit *Abe-*

nan-

(56) *Matalaunum*, Caſtrum Campaniæ medio ævo non incelebre, in valle unius ex *Tifatis* Montibus in Diœceſi Caſertana poſitum, ſane populoſum, opulentum, atque ædibus tum ſacris, tum profanis, elegantibus, amœniſque hortis conſpicuum, Ann. MDCCXXXV. jure & titulo Civitatis fuit donatum a *Carolo Borbonio* Siciliarum Rege Auguſtiſſimo, quod ipſe eo loci caſtrametatus deditionem Neapolitanæ Urbis ultro oblatam receperit; uti etiam quod per quam *vallem occultam poſt Tifata*, ubi Annibal ſuppetias daturus Capuanis ſuis a Romano exercitu obſeſſis Tarento *delectis peditum, equitumque, quam poterat aptiſſimis ad maturandum iter, atque tribus & triginta Elephantibus veniens conſedit*, ut ex *Livii* Libr. XXVI. egregie firmat *Peregrinus* Camp. Felicis Diſſert. II. Num. XXVII.; per eamdem ipſe *Carolus* Rex in expeditionem reliquæ Siciliæ Ciſfretanæ, & Transfretanæ victorem exercitum tranſduxit. Profecto placeret incolis, originum ſuarum non incurioſis a ſcriptoribus probari Caſtrum ſuum cum Civitate *Calatia* Ciſ-Vulturnina jam exciſa, eique propinqua, de antiquitate certare, ut ait *Pratillus* Viæ Appiæ illuſtratæ Lib. III. Cap. V.; quaſi *Calatini* pro munimine Urbis in Monte Tifata Turrim, Caſtrumque Matalauni ædificarint. Ut hæc originatio nullo antiquo monumento teſtante mihi non arridet; ita nec arridet illa ejuſdem Pratilli, qua credit fortaſſe Arcem ibi a Saracenis fuiſſe extructam, qui hac de cauſſa illam *Magdalonum* dixerunt, quia *Magdal* vox ab Oriente petita *Turrim* ſignificat. At quotuſquiſque eſt, qui Saracenos unquam ibi conſediſſe ſcribat? Firma mihi ſtat ſententia, *Matalaunum* Coloniam fuiſſe præpotentium in Italia Langobardorum, qui Caſtrum illud ædificarunt ad continendos in obedientia Campanos. Ipſemet Pratilus quidem fatetur Turrim cacumini montis *Matalauno* imminentis impoſitam, ſtructuram eſſe Langobardicam; immo *Matalaunum* ipſum a priore ſobole Langobardorum Principum Capuæ fuiſſe ædificatum. Erit fortaſſe qui mirabitur, Caſtrum hoc a nonnullis dictum *Matalonum*, vel *Magdalonum*, vel pro ingenio *Metam-Leonis*, a me dici *Matalaunum*. Verum mirari deſinent quicumque nomen loci a Langobarda gente extructi, nonniſi a lingua Langobarda, ſive Germana eſſe deducendum, præſertim quum *Magdalonum*, vel *Metalanum* nullam præbeat ſignificationem. Itaque *Metalaunum* ex duplici Germanica, & hinc Langobardica voce dictum cenſeo, ſcilicet MATA, & LAUN. *Mata* namque ſignificat *agrum paludoſum, ſilvoſum, nemoroſum in valle poſitum*, ut medii ævi prolatis textibus in ſuo Gloſſar. Med. & Inf. Latin. demonſtrat. *Du-Cangius*. In Charta namque Pontii Comitis Caporitani an. 1063. apud Baluz. ad Capitul. Num. 149. habetur: *Donamus pro heredifate paterna, vel materna ipſam foreſt, vel ipſam MATAM, quæ dicitur ſilva S. Romani* &c. In Pancarta quoque Abbatiæ S. Stephani de Vallibus apud Xantones Char. II. legitur: *Videlicet in decimis, terris, vineis, hominibus, & burgo de Vallibus . . . in plaudr MATIS cum nemore:* Et Char. III. *in palude, & MATIS, & pratis*. Vox autem *Laun* ſignificat *donum*; unde apud Germanos, & inde Langobardos *Launechilde*, vel *Launegilt* eſt *donum Reciprocum*, ſeu *Pretium quodammodo rei donatæ* ſignificat, ut idem *Du-Cangius* teſtatur. Quare *Matalaunum*, idem eſt mea ſententia, ac *agrum palude, ſilvis, nemore pratiſque conſtans, atque dono datum*. Pauca hæc ex diſſertatione mea *de Caſtro Matalauni Langobardorum Colonia* excerpſi, de quibus judicium Eruditis libens lubenſque relinquo.

Digitized by Google

nantes, advocatoque peritiſſimo Chirurgo fecit, ut oſſa luxata, diligenter medica manu tractata, priorem tenerent locum. Ut autem eadem oſſa ita recompoſita, & paulatim conglutinata firmarentur, juſſit Chirurgus, per aliquot dies ſupinum in lecto jacere *Julium*, dextero femore tabellis constricto, atque ne contraheretur, lapidis ex pede ſuſpenſi gravitate diſtento. Fortaſſe id mali ita curandum erat ex artis peritia, ut oſſa recte ſuo loco ſtarent: at dum probe oſſa curantur, corporis machina interna humorum perturbatione diſſolvitur. Humores namque eo corporis ſitu ad pectus regurgitantes, reſpirationem, quæ, ut notatum eſt, facilis ei non erat, reddidere difficillimam. Quare quum fractura jam nulla eſſet, ipſeque *Julius*, feliciter V. Idus Novemb. ſurrexiſſet e lecto, & per cubiculum ſano ſimilis deambulaſſet, ſequenti die Sancto *Andreæ Abellinati* ſacro currum expectans, quo Neapolim, ut omnes hortabantur Amici, remearet, hora noctis XI. expergefactus cum puero, qui ei præſto erat, Beatæ Virginis Mariæ laudum corollam, quam *Roſarium* dicunt, recitare occœpit. Vix decimamquintam precum partem abſolverat, quum gravi correptus ſomno, puerum hortatus, ut quieſceret, obdormivit. Verum tunc ab humoribus pectus ejus obſidentibus oppreſſus, ut credere par eſt, placidiſſime obiit circa horam XII. quum Neapoli advenientes Amici, ut ſanum traducerent, mortuum invenere. Voluit ſane Vir providentiſſimus *Nicolaus Filomarinus* Epiſcopus Caſertanus, ut Clerus Matalaunienſis ulla ſine mercede, grati animi ergo, tanti viri funus deduceret. At *Michael* Frater, licet dolore exſternatus, fecit, ut in Regali Templo Sanctiſſimæ Virginis ab Angelo Adnunciatæ, locum ſepulturæ prope Aram Salvatoris Noſtri Cruci adfixi libenter dantibus *Dominicanis Langobardis*, honorifice tumularetur, hoc, me dictante, appoſito Titulo (57).

(57) Sub ejuſdem *Julii* noſtri Imagine *Salvator Cavalcante*, Vir doctrina, literiſque politioribus egregie excultus, atque in primis ingenuo amicitiæ candore omnibus cariſſimus hoc, aureo ſeculo dignum, inſcripſit Epigramma:

CORPORIS. HIC. PARVI. SPECTATVR. IMAGO
QVOD. OLIM
INGENTIS. SEDES. EXTITIT. INGENII
ISTE. BREVI. EST. AVSVS. CVRIS. DISTENTVS
ET. AEGER
QVOD. VACVI. ET. VALIDI. VIX
POTVERE. DIV
SVSTVLIT. HVNC. IVVENEM. TERRIS. MORS
INVIDA. CVR. HOC
AN. SCRIPTA. ENVMERANS. CREDIDIT
ESSE. SENEM

A. XP. Ω.

QVIETI. AETERNAE

IVLII. LAVRENTII. SELVAGII

SACERD. PIETATE. LITERISQ. CLARISSIMI
QVI. IN. NEAPOLITANA. ARCHIEPISCOPALI
ACADEMIA. CANONICI. CIVILISQVE. IVRIS
PROFESSOR. EDITIS. IAM. IVRIS. VTRIVSQ.
ELEMENTIS. INCLARVIT. QVIQVE. QVVM
PVRIORIS. ECCLESIASTICAE. DISCIPLINAE
AMANTISSIMVS. ANTIQVITATVM. CHRI
STIANARVM. INSTITVTIONES. EDERET. ET
MAIORA. MEDITARETVR. INOPINO. RHE
DAE. CASV. HIC MATALAVNI. VBI. INNO
CENTISSIME. RVSTICABATVR. SANCTISSIME
OBIIT.

PATRES. ORD. PRAED. LOCVM SEPVLTVRAE
BENEFICENTIA. SVA. DEDERVNT
MICHAEL. SELVAGIVS. MERITO. DOLENTISS.
FRATRI. B. M. TITVLVM. P.

NATVS. III. ID. AVG. CIϽIϽCCXXVIII.
ET. MORTVVS. IIII. ID. NOV. CIϽIϽCCLXXII
VIXIT. ANN. XXXXIIII. MENS. III.

I N D E X

PARTIS I. LIBRI I.

De Chriſtianis generatim, ac in ſpecie de Clericis, Fidelibus, Laicis, & Catechumenis. *Pag.* 1

CAPUT I.

DE Euangelii per Orbem univerſum propagatione tum in antiquo Fœdere Dei promiſſionibus, Prophetarumque oraculis, tum in novo Chriſti Domini vaticiniis prænuntiata.

§. I. *Euangelii per orbem univerſum propagatio divinis in antiquo Fœdere pollicitationibus præmonſtrata.* 2

§. II. *Euangelii per orbem univerſum propagatio Prophetarum oraculis manifeſtius prænunciata.* 3

§. III. *Euangelii per orbem univerſum propagationem ipſemet Chriſtus Dominus manifeſtiſſime prædixit.* 4

CAPUT II.

De Euangelio per Orbem univerſum Apoſtolica Prædicatione propagato generatim. 7

CAPUT III.

De Euangelii per Orbem univerſum propagatione ſpeciatim.

§. I. *De Geſtis S. Petri.* 12

§. II. *De Geſtis S. Pauli.* 14

§. III. *De S. Andreæ Apoſtolatu.* 17

§. IV. *De S. Jacobo Majore.* 18

§. V. *De S. Joannis Theologi Apoſtolatu.* ibid.

§. VI. *De S. Thoma.* 19

§. VII. *De Apoſtolatu S. Matthæi.* 20

§. VIII. *De Apoſtolatu S. Bartholomæi.* ibid.

§. IX. *De S. Philippo.* ibid.

§. X. *De S. Jacobo Minore, ſive Alphæo.* ibid.

§. XI. *De SS. Simone ſic dicto Zelote, & Juda Thaddæo.* 21

§. XII. De S. *Matthia.* ibid.

EXCURSUS I.

De Certamine S. Petri cum Simone Mago. ib.

EXCURSUS II.

De S. Petro unico Eccleſiæ Capite. 25

CAPUT IV.

De Euangelii per Regiones Occidentales Propagatione.

§. I. *De Euangelii per Regiones Occidentales propagatione generatim.* 27

§. II. *De Prædicatione Euangelii per Britanniam.* 28

§. III. *De Euangelii per Hiberniam propagatione.* 32

§. IV. *De Euangelii per Scotiam propagatione.* 33

§. V. *De Fidei Chriſtianæ per Gallias prædicatione, & propagatione.* ibid.

§. VI. *De Fidei Chriſtianæ per Hiſpanias propagatione.* 35

§. VII. *De Euangelii per Germaniam, aliaſque finitimas Gentes prædicatione, & propagatione.* 38

CAPUT V.

De Euangelii per Italiæ Provincias Propagatione.

§. I. *De Euangelii per Italiæ Provincias propagatione generatim.* 41

§. II. *De Euangelii per Italiæ provincias propagatione ſpeciatim.* 44

§. III. *In Veronenſis Eccleſiæ Originem ſpeciatim inquiritur.* 45

CAPUT VI.

De Apoſtolica per Oras Regni Neapolitani Euangelii Propagatione.

§. I. *De Apoſtolica per Oras Regni Neapolitani Euangelii propagatione generatim.* 48

§. II. *De Eccleſia Tarentina.* 49

§. III. *De Eccleſia Barienſi.* ibid.

§. IV. *De Eccleſia Beneventana.* 51

§. V. *De Eccleſia Puteolana.* 52

§. VI. *De Eccleſia Capuana.* 53

§. VII. *De Eccleſiis Regni Siciliæ, ac primo de Panormitana.* 54

§. VIII. *De Eccleſiis Catanenſi, et Meſſanenſi.* 55.

§. IX. *De Eccleſia Syracuſana.* 56

§. X.

Digitized by Google

§. X. *De Eccleſia Melitenſi.* 56
§. XI. *Nonnulla ſubnectuntur ad firmandas Regni Neapolitani Traditiones.* 57

CAPUT VII.

Vindicatur Urbi Neapolitanæ Apoſtolica principis Apoſtolorum Prædicatio. 57

CAPUT VIII.

De Euangelii per Africæ oras Propagatione. 67

CAPUT IX.

De Perſecutionibus, quas primum ab Judæis, dein & ab Ethnicis, ac Philoſophis per quatuor priora ſecula Eccleſia paſſa eſt.
§. I. *De Perſecutionibus, quas ab Judæis Eccleſia paſſa eſt.* 68
§. II. *De Perſecutionibus, quas ab Ethnicis Chriſtiana Religio perpeſſa eſt.* 70
§. III. *Perſecutio Neronis.* ibid.
§. IV. *Perſecutio Domitiani.* 71
§. V. *Perſecutio Trajani.* ibid.
§. VI. *Perſecutio Hadriani.* 72
§. VII. *Perſecutio Antonini.* ibid.
§. VIII. *Perſecutio Severi.* 73
§. IX. *Perſecutio Maximini.* 74
§. X. *Perſecutio Decii.* 75
§. XI. *Perſecutio Valeriani.* ibid.
§. XII. *Perſecutio Diocletiani.* 76
§. XIII. *Philoſophi quoque Chriſtianis bellum indixerunt.* 80

CAPUT X.

De Variis Nominibus, quibus Chriſtiani antiquitus donati ſunt.
§. I. *De ſplendidis quibuſdam Nominibus, quibus olim ſeſe vocare Chriſtiani conſueverunt.* 83
§. II. *De Cognomine* Catholici, *aliiſque* ὁμο-φόροις *Chriſtianorum Nominibus.* 85
§. III. *De Probroſis Nominibus, quæ olim Eccleſiæ hoſtes Chriſtianis impoſuere.* 86
§. IV. *De aliis quibuſdam Nominibus ſpeciatim ab Hæreticis Chriſtianis Catholicis contumelioſe adſcriptis.* 88

CAPUT XI.

De Diverſis in Eccleſia Hominum Ordinibus, & de Diſtinctione Laicos inter, & Clericos.
§. I. *De Diverſis in Eccleſia Hominum Ordinibus.* 89
§. II. *De Nomine* Clerici, *ejuſque Etymo, & Uſu.* 90
§. III. *Clericos a Fidelibus Laicis divino jure diſtingui Sacræ Literæ aperte edicunt.* 91
§. IV. *Clericos a Laicis jure divino diſtingui ex antiquiſſima Eccleſiæ Traditione manifeſto evincitur.* 92
§. V. *De Sacerdotio late notione accepto.* ibid.
§. VI. *Explicatur perdifficilis Tertulliani locus.* 93

CAPUT XII.

De Epiſcoporum Origine, eorumque honorificis Titulis, & Prærogativis.
§. I. *Epiſcopi jure divino Presbyteris, Ordine, et Poteſtate præſtant.* 97
§. II. *Epiſcopos jure divino Presbyteris ordine, et poteſtate præſtare Sacræ Literæ aperte prædicant.* ibid.
§. III. *Eadem Epiſcoporum ſupra Presbyteros jure divino conſtituta Poteſtas ex antiquiſſima Patrum Traditione manifeſto evincitur.* 98
§. IV. *De diverſis honorificis titulis, quibus in primitiva Eccleſia Epiſcopi ornabantur.* 99
§. V. *De quibuſdam obſervantiæ indiciis, quibus Epiſcopi a Fidelibus celebantur.* 101
§. VI. *Singulis Civitatibus nonniſi ſinguli præficiendi Epiſcopi.* 102
§. VII. *Epiſcopi in parvis Oppidis haud ordinandi.* 104

CAPUT XIII.

De Epiſcopatus, eidemque adnexæ Poteſtatis origine.
§. I. *Epiſcopi a Chriſto Domino ipſo immediate plenitudinem Sacerdotii, ſupremamque in Eccleſiæ regimine poteſtatem accipiunt.* 105
§. II. *Epiſcopalis poteſtas nullis perſonarum, aut locorum finibus divinitus circumſcripta eſt.* 106
§. III. *Epiſcopis antiquitus in omnes prorſus ſuarum Diœceſeon fideles poteſtatem exercere jus erat.* 108
§. IV. *De Epiſcoporum Poteſtate in Cauſſarum Secularium Cognitione.* 110
§. V. *Epiſcopi jus erat Presbyteros, aliosque inferiores clericos ad reddendam ſui miniſterii rationem adigere.* 112

CAPUT XIV.

De præcipuis Epiſcoporum muneribus in Eccleſiæ miniſterio.
§. I. *Divini Verbi Prædicatio Epiſcopis incumbit quod maxime.* 114

§. II.

§. II. *Epiſcopi quoque proprium munus eſt Sacramentorum adminiſtratio.* 118
§. III. *Tum et Oratio pro populo æque privata, ac publica.* ibid.
§. IV. *Miſerabilium quoque perſonarum cura gerenda Epiſcopo eſt.* 119
§. V. *Fidei depoſitum ab Epiſcopo fideliter cuſtodiendum.* 120
§. VI. *Propria Parœciæ, ſive Diœceſeos viſitatio Epiſcopo incumbit.* 121

CAPUT XV.

De Chorepiſcopis.
§. I. *De Chorepiſcoporum Origine.* 122
§. II. *Chorepiſcopi veri nominis Epiſcopi non fuere.* 123

CAPUT XVI.

De Romano Pontifice.
§. I. *De Honorificis quibuſdam Nominibus, quibus R. Pontifex antiquitus decorari, ac diſtingui conſuevit.* 127
§. II. *Romana quoque Eccleſia præ reliquis honorificentioribus quibuſdam nominibus donata eſt.* 129
§. III. *R. Pontifex jure ſuo Canones condit, & ad Canonum obſervationem tum mandatis, tum exemplis reliquos cogit in Epiſcopatu fratres.* 130
§. IV. *Romanus Pontifex Unitatis Cuſtos & Vindex.* 133
§. V. *R. Pontifex jure ſuo fidem tuetur, devios ad fidem revocat, pertinaces a Fidei communione ſegregat.* 136
§. VI. *Ad Romanam Sedem oppreſſorum omnium ex univerſo orbe perfugium, ac recurſus.* 139
§. VII. *Romanæ Sedis in dubiis ſive doctrinæ, ſive diſciplinæ communis conſultatio.* 140
§. VIII. *Graviorum Cauſſarum judicium R. Sedi reſervatum.* 142
§. IX. *Romani Pontifices in Synodo ſaltem Diœceſana graviora expediebant negotia.* 144

EXCURSUS.

De Vicariis, ſive Delegatis Sedi Apoſtolicæ. 147

CAPUT XVII.

De Patriarchis, Eorumque Origine, & Juribus.
§. I. *De Nomine Patriarchæ, ejuſque in Eccleſia uſu.* 152
§. II. *De Patriarcharum Origine.* 153

PROPOSITIO I.

In Synodo Conſtantinopolitana Patriarchæ primum inſtituti non ſunt; at duntaxat eorundem poteſtatis limites diſtinctius, exactiuſque præſcripti. 154

PROPOSITIO II.

Poteſtas Patriarchica Synodo Nicæna antiquior eſt. Canone VI. Nicæno tantummodo firmata fuit, non primum conſtituta. 155

PROPOSITIO III.

Patriarcharum poteſtas non integra, quæ poſtea late patuit, & omni ex parte, at vero pedetentim in Eccleſiam inducta eſt. ibid.
Primum Patriarcharum privilegium erat omnes ſuæ Diœceſeos Metropolitas ordinare. ibid.
Alterum Patriarcharum Privilegium erat convocare Synodos Diœceſanas, & in illis præſidere. 156
Tertium Patriarcharum Privilegium erat Appellationes a Metropolitarum judiciis accipere. ibid.
Quartum Privilegium erat in Metropolitarum adminiſtrationem inquirere, in eoſque cenſura Eccleſiaſtica uti. 157
Quintum Privilegium erat, quod ab ſuis Metropolitanis in rebus magni momenti conſulendi eſſent. ibid.
Sextum Privilegium erat ius Metropolitanos ſuos Legatos conſtituendi. ibid.
Septimum Privilegium: Leges Imperiales Eccleſiæ regimen ſpectantes, atque Eccleſiaſticæ ab Patriarchis ſuis Metropolitanis communicabantur; a quibus rurſus eaſdem Epiſcopi accipiebant. ibid.
Octavum Privilegium: Enormium criminum abſolutionem aliquando Patriarchæ per univerſam Diœceſim ſibi reſervabant. ibid.

PROPOSITIO IV.

Quod S. Petrus Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Eccleſiam fundaverit, plurimum id contulit ad earundem Eccleſiarum patriarchica jura conſtituenda. 158

PROPOSITIO V.

Ad Patriarchicæ Poteſtatis inſtitutionem videtur quoque aliqua ratione contuliſſe Civilis Politiæ ordo. 159

Ca

CAPUT XVIII.

De Exarchis & Primatibus.
§. I. *De Exarchis Aſiano, Pontico, & Heracleenſi.* 162
§. II. *De Primate Carthaginienſi.* 165
§. III. *De Primate Cypri.* 167
§. IV. *De Primatibus Theſſalonicenſi, & Juſtiniana Prima.* 168

CAPUT XIX.

De Patriarchis Conſtantinopolitano, Jeroſolymitano, Aquilejenſi, & Gradenſi.
§. I. *Patriarchatus Conſtantinopolitani Origo.* 169.
§. II. *Expenditur vis Canonis Conſtantinopolitani.* 170
§. III. *De Canone Chalcedonenſi XXVIII.* 176
§. IV. *De Patriarchatu Jeroſolymitano.* 178
§. V. *De Patriarchis Aquilejenſi, & Gradenſi.* 181

CAPUT XX.

De Metropolitanis.
§. I. *Vocabuli* Μητροπολίτης Metropolites *Etymon, & Uſus.* 183
§. II. *De Metropolitarum Origine.* 184
§. III. *De Primatibus, ſeu Metropolitanis in Africa.* 186
§. IV. *De Primatibus, ſeu Metropolitanis Honorariis.* 187
§. V. *De Præcipuis Metropolitarum Muneribus.* 188
§. VI. *De Metropolitis in Regno Neapolitano.* 192

EXCURSUS.

De ΑΥΤΟΚΕΦΑΛΟΙΣ. 193

CAPUT XXI.

De Proprietatibus in Promovendis ad Epiſcopum requiſitis; necnon de Legibus in eorundem Ordinatione ſervatis.
§. I. *De Proprietatibus, quas in Epiſcopis Vetus Eccleſia poſtulabat.* 194
§. II. *Epiſcopus ex Eccleſia, cui præficiendus erat, eligendus.* 195
§. III. *Ad Epiſcopatum inferiorum Ordinum miniſteria parabant viam.* ibid.
§. IV. *De Præcipuis quibuſdam Legibus in Epiſcopi electione ſervatis.* 200

CAPUT XXII.

De Sacris Epiſcoporum Electionibus.
§. I. *De Singularibus quibuſdam homines ad Epiſcopatum deſignandi modis.* 202
§. II. *De Communiori Sacrorum Electionum Methodo.* 203
§. III. *De Electione Epiſcoporum per octo priora Eccleſiæ ſecula.* 204
§. IV. *De Extraordinariis quibuſdam Epiſcopos eligendi rationibus.* 208
§. V. *De Confirmatione, & Conſecratione per acta priora Eccleſiæ ſecula.* ibid.
§. VI. *Romani Pontifices Epiſcoporum electionibus aliquando intercefferunt.* 210
§. VII. *De Regio Aſſenſu in electionibus Epiſcoporum.* 211

IN-

I N D E X

PARTIS II. LIBRI I.

De Clericis ſecundi ordinis, Fidelibus, Laicis, & Catechumenis. *Pag.* 213.

CAPUT I.

DE Presbyteris. 213
§. I. *De vocis* Presbyteri *ſignificatione, & uſu*. ibid.
§. II. *De Presbyterorum Poteſtate, & Prærogativis*. 215
§. III. *De quibuſdam Dignitatibus, & Officiis Presbyterorum propriis, ac primo de Archipresbyteris*. 219
§. IV. *De Præcipuis Archipresbyterorum muniis*. 220
§. V. *De Archipresbyteris Ruralibus*. 221
§. VI. *De Præpoſitis*. 222
§. VII. *De Vicario Generali*. ibid.
§. VIII. *De Pœnitentiario*. 223

EXCURSUS.

De Protopapis.

§. I. *De Protopaparum Origine, & Antiquitate*. 224
§. II. *De Cathedralis Eccleſiæ Protopapa juribus*. 226
§. III. *De Protopapis Ruralibus, ſive Plebium Curionibus*. ibid.
§. IV. *De Protopapa Palatino*. 227
§. V. *De Protopapis in Regno Neapolitano*. 228.
§. VI. *De Protopapis in Inſula Siciliæ*. 230

CAPUT II.

De Diaconis, & Archidiacono.

§. I. *De Diaconorum titulis*. 231
§. II. *De Diaconorum Muneribus*. 232
§. III. *De Diaconorum Numero, Ætate, Prærogativis*. 235
§. IV. *De Archidiacono*. 236

EXCURSUS.

De Diaconiſſis. 238

CAPUT III.

De Inferioribus Ordinibus. 241

§. I. *De Inferiorum Ordinum Origine, & Antiquitate*. 241
§. II. *De Inferiorum Ordinum Numero*. 242
§. III. *De Hypodiaconis*. 243
§. IV. *De Acolythis*. 244
§. V. *De Exorciſtis*. 245
§. VI. *De Lectoribus*. 246
§. VII. *De Oſtiariis*. 247
§. VIII. *De Pſaltibus, ſive Cantoribus*. 248.
§. IX. *De Copiatis, ſive Foſſariis, vel Lecticariis*. ibid.
§. X. *De Parabolanis*. 249
§. XI. *De ſingularibus quibuſdam functionibus, quas Inferiores Clerici plerumque in Eccleſia obiere*. 250

CAPUT IV.

De Sacris Clericorum Electionibus.

§. I. *In Clericorum Electionibus Cleri, Populique Teſtimonium olim exquirebatur*. 255
§. II. *De qualitatibus, quas in Ordinandis Primitiva Eccleſia requiſivit, ac primo de Fide, & Moribus*. 256
§. III. *De Diſquiſitione, quæ in externam hominum in Societate civili conditionem inſtituebatur*. 259
§. IV. *De Ordinationibus Simoniacis*. 263
§. V. *De Regulis, quas Epiſcopi in Ordinatione ſervare tenebantur*. 264
§. VI. *De Sollemnibus Ordinationis Temporibus*. 266
§. VII. *De Coactis, & Iteratis Ordinationibus*. 267.

EXCURSUS.

De Cœlibatu Clericorum. 268

CAPUT V.

De Singularibus quibuſdam obſequiis, quæ Clericis antiquitus in Eccleſia præſtabantur.

§. I. *De Caritate, ac Reverentia, quam ſibi mutuo Clerici exhibuere*. 272

§. II. *Ad quemnam ſpectaret lites inter Clericos obortas dirimere.* 273
§. III. *Quænam Cautiones in recipiendis Clericorum Accuſationibus adhibendæ eſſent.* 274

CAPUT VI.

De Clericorum a Judiciis Secularibus Exemtione.

§. I. *Num Clerici ad dicendum Teſtimonium in Judicium Seculare trahi potuerint.* 275.
§. II. *De Clericorum in Cauſſis pure Eccleſiaſticis a Judiciis Secularibus Exemtione.* ibid.
§. III. *De civilibus Clericorum cauſſis.* 278.
§. IV. *De cauſſis criminalibus Clericorum, earumque cognitione.* 279

CAPUT VII.

De Clericorum ab Tributis, aliiſque honorificis, ſordidiſque muneribus exemtione.

§. I. *Quid perſonalis, quid realis immunitas.* 281.
§. II. *De Perſonali Clericorum immunitate.* ibid.
§. III. *De Clericorum ab publicis honorificis muneribus exemtione.* 282
§. IV. *De Clericorum ab ſordidis muneribus Exemtione.* 285
§. V. *De Reali Clericorum Immunitate, ſive de Exemtione a Tributis.* ibid.

CAPUT VIII.

De Veterum Clericorum Reditibus.

§. I. *De Diverſis ad alendos Clericos Redituum Generibus, ac primo de Oblationibus.* 290
§. II. *De reditibus ex agris & poſſeſſionibus Eccleſiæ provenientibus.* 291
§. III. *De Penſionibus ex ærario Imperatoris Eccleſiæ conſtitutis.* 293
§. IV. *De aliis Eccleſiæ Redituum Speciebus.* 294.
§. V. *De illicitis quibuſdam reditus Eccleſiaſticos augendi modis generatim ab Eccleſia rejectis.* 295
§. VI. *De Decimis.* 296
§. VII. *De Primitiis fructuum, eaſque offerendi Ritu.* 297

CAPUT IX.

De Redituum Eccleſiaſticorum in veteri Eccleſia diſpenſatione.

§. I. *De Clericorum prærogativa vitam agendi ex Reditibus Eccleſiæ.* 298
§. II. *Antiquitus Epiſcopi munus erat reditus Eccleſiaſticos Clericis diſtribuere.* 299
§. III. *In aliquot Eccleſiis Clerici in communi vivebant.* 301
§. IV. *Reditus, vel Bona Eccleſiæ nonniſi gravi urgente neceſſitate alienare licebat.* ibid.

CAPUT X.

De Regulis, ad quas Veteres Clerici vitam, & mores ſuos dirigebant.

§. I. *De Veterum Clericorum pietate, ac morum ſanctimonia generatim.* 302
§. II. *Eximia Puritas in Clericis præ ceteris fidelibus requiſita.* 303
§. III. *De Criminibus, ob quæ de miniſterio Eccleſiaſtico antiquitus Clerici dejecti ſunt.* 306.
§. IV. *Clericis Hoſpitalitas exercenda.* 308
§. V. *Clerici ad renuntiandum bonis ſuis temporalibus nulla unquam lege obligati fuere.* 309.
§. VI. *Lingua Clericis moderanda, ne aliquem offenderent; necnon omnis mali ſuſpicio vitanda.* 310
§. VII. *Clericis in ſacra ſtudia ſedulo incumbendum eſt.* 313
§. VIII. *De Pietate, ac devotionis ardore, quo Eccleſiaſticum Miniſterium Clericis peragendum eſt.* 316
§. IX. *Clericis in concionando Populi ad veram pietatem inſtitutio unice præ oculis habenda eſt.* 317
§. X. *Clericis tum in privatis congreſſibus, tum in publicis diſputationibus prudentia quanta maxima opus eſt.* 318
§. XI. *Clericis forti, & imperterrito animo Chriſtianæ veritatis defenſio ſuſcipienda eſt.* 320.

CAPUT XI.

De Legibus Eccleſiaſticis magis externam Clericorum Vitam ſpectantibus.

§. I. *Nulli Clerico, niſi peculiaribus quibuſdam in caſibus, miniſterio Eccleſiaſtico ſe abdicare unquam licuit.* 321
§. II. *Epiſcoporum, aliorumque Clericorum de Eccleſiis in Eccleſias translationes Eccleſiaſticis Canonibus prorſus vetitæ.* 323
§. III. *Leges, quæ Clericos ſecularia negotia, & officia ſuſcipere prohibent.* 327
§. IV. *Leges externam Clericorum converſationem ſpectantes.* 329

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

De veterum Clericorum veſtitu, ac de Tonſuræ origine.

§. I. *De veterum Clericorum veſtitu*. 330

§. II. *De Tonſura Clericorum*. 332

CAPUT XIII.

De primæva Vitæ Monaſticæ Origine: tum de diverſis Monachorum Generibus, & Inſtitutis.

§. I. *Aſcetæ non iidem, ac Monachi*. 333

§. II. *Quandonam vita monaſtica primum cœperit*. 334

§. III. *De diverſis Monachorum Generibus*. 337.

§. IV. *Monachi ex primæva inſtitutione nihil amplius, quam laici*. 338

§. V. *Quibus de cauſſis vita clericalis cum monaſtica conjungi potuerit*. ibid.

§. VI. *De variis Monachorum Generibus in antiqua Eccleſia*. 341

§. VII. *De Antiquis legibus, & Regulis ad vitam monaſticam pertinentibus*. 342

§. VIII. *De aliis quibuſdam Regulis ad Monaſticam Profeſſionem ſpectantibus*. 345

§. IX. *Num aliquod ſolemne votum ab Monachis in ſua Profeſſione unquam exactum fuerit*. 345

§. X. *De Voto Paupertatis*. 347

§. XI. *De Voto Obedientiæ*. 349

§. XII. *De Voto Caſtitatis*. 351

§. XIII. *De Abbatibus, aliiſque Monachorum Præpoſitis*. ibid.

§. XIV. *Monachi Civitatis Epiſcopo ſubjecti*. 354.

§. XV. *De Spiritualibus Veterum Monachorum exercitationibus*. 355

§. XVI. *Monachi ex proprio Inſtituto ad ſolitudinem adſtricti*. 356

§. XVII. *Num Monachis ad vitam ſecularem redire unquam licuerit*. 361

CAPUT XIV.

De Virginibus, ac Viduis in primitiva Eccleſia.

§. I. *De Diſtinctione inter Eccleſiaſticas, & Monaſticas Virgines*. 362

§. II. *Num ad Virginitatem perpetuo ſervandam fuerint adſtrictæ?* 363

§. III. *De Ritibus in earundem conſecratione ſervatis*. 364

§. IV. *De Singularibus quibuſdam Privilegiis ſacratis Virginibus indultis*. 366

§. V. *Specialiores quædam de Viduis Eccleſiaſticis Obſervationes*. ibid.

CAPUT XV.

De Τῶν Πιςῶν, ſeu Fidelium præ Catechumenis honorificis Titulis, ac privilegiis.

§. I. *Fideles a Catechumenis honorificis quibuſdam nominibus ſemper diſtincti*. 367

§. II. *De Prærogativis, quibus Fideles præ Catechumenis fruebantur*. 369

CAPUT XVI.

De Præcipuis quibuſdam Regulis, ad quas Veteres fideles ſuos mores conformabant.

§. I. *Orandi Studium*. 371

§. II. *Sacrarum Scripturarum meditatio*. 373.

§. III. *De Librorum ab Gentilibus Auctoribus conſcriptorum lectione*. 374

§. IV. *Veteribus Chriſtianis manuum labor ſummopere cordi erat*. 375

§. V. *Veterum Fidelium Conjugia*. 376

§. VI. *Conjugum modeſtia, mutua fides, & obſequium*. 378

§. VII. *Veteres Chriſtiani inceſſu, veſtium ornatu, domeſticaque ſupellectile modeſtiam præſeferebant*. ibid.

§. VIII. *Veteres Chriſtiani Theatris, aliiſque Spectaculis intereſſe nefas ducebant*. 380

§. IX. *Veteres Chriſtiani ab omni non modo ſuperſtitione, verum etiam ſuperſtitionis ſpecie valde abhorrebant*. 383

§. X. *Hæreticorum conſortium ob blaſphemiæ periculum refugiebant*. 384

§. XI. *Suos Catechumenos quanta maxima accuratione inſtituebant*. 385

§. XII. *Veterum fidelium animus ab rerum temporalium adpetitu erat alienus*. ibid.

§. XIII. *Principibus, ac Magiſtratibus, licet Ethnicis, obedientiam, & devotionem exhibebant*. 387

§. XIV. *Potus Cibique ſobrietatem magno veteres fideles habebant in pretio*. 390

CAPUT XVII.

De Catechumenis.

§. I. *De Nominis* τῦ Κατηχυμένυ *etymo*. 391.

§. II. *De Regulis, ac Ritibus in Catechumenorum admiſſione ſervatis*. 392

§. III. *Quamdiu quis in catechumenatu perdurare debuerit*. 393

§. IV. *De diverſis Catechumenorum Ordinibus, ſive gradibus*. 394

§. V. *De Methodo, qua Catechumeni Electi, ſive Competentes ad Baptiſmum deducebantur*. 395.

§. VI.

§. VI. *De Pœnis, quibus Catechumeni in graviora peccata delapſi antiquitus ſubdebantur.* 398.

CAPUT XVIII.

De Origine, Natura, Variiſque in antiqua Eccleſia uſitatis Fidei Formulis.
§. I. *De Origine, variiſque Formularum Fidei nominibus.* 399
§. II. *Num Symbolum quod Apoſtolicum vulgo audiit, revera ab Apoſtolis etiam quoad verborum formulas conditum ſit.* ibid.
§. III. *De Symbolo Niceno.* 401
§. IV. *De Symbolo Conſtantinopolitano.* ibid.
§. V. *De Symboli Niceni uſu in antiqua Eccleſia.* 402
§. VI. *De Symbolo Athanaſiano.* ibid.

CAPUT XIX.

De Origine, Natura, & Cauſſis ſacra Eccleſiæ Myſteria Catechumenis Reticendi. 403

ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

INSTITUTIONES

LIBER I.

DE CHRISTIANIS GENERATIM, AC IN SPECIE DE CLERICIS, LAICIS, ET CATECHUMENIS.

TRia potiſſimum hominum genera in Eccleſia Chriſtiana Veteres Patres agnovere, nimirum Ἡγȣμένȣς, Πιςȣ̀ς, & Κατηχȣμένȣς, *Præfectos*, ſive *Clericos*, *Fideles*, ſive Laicos Baptizatos, & *Cathecumenos*. Ad rem Euſebius Demonſtr. Euang. Lib. VII. cap. 2. *Tres per ſingulas Eccleſias ordines. Unus eorum, qui præſunt, duo eorum, qui ſubjecti ſunt: quum Eccleſiæ Chriſti populus in duos ordines ſit diviſus, in eorum, qui credunt, & eorum, qui nondum ad lavacri regenerationem adſumti ſunt*. Hæc igitur erit primi hujus Libri comprehenſio, & ſumma. Poſt pauca quædam de primævis Chriſtianis, exhibita proœmii loco, agemus 1. de Clericis, deque divino jure ſtatuta Eccleſiaſtica Hierarchia. 2. De Laicis, eorumque prærogativis, communione, ac vivendi legibus. 3. De Catechumenis, eoque de illorum gradibus, & inſtitutione. Ac præcipue ad Clericos quod attinet, non modo ſuperiores inferioreſque eorum ordines, varia munera atque officia, quibus antiqua in Eccleſia functi ſunt; verum & ſacras eorumdem electiones, & ordinationes, privilegia, immunitates, ac reditus diligentius perſequemur. Adhæc leges quoque, atque regulas, quas vitæ moribuſque Clericorum adamuſſim regendis temperandiſque, cum Sacræ Litteræ, tum veterum Conciliorum Canones præſcripſere, non leviter attingemus. Faxit Deus, ut optatum ad finem opus hoc perducam, quod eo duntaxat conſilio non illibenter adgreſſus ſum, ut veterum Chriſtianorum, ac maxime Clericorum fervore, ac impenſo ſolidarum virtutum ſtudio ob oculos legentium poſito, aurei antiquæ Eccleſiæ mores, flagranſque fidelium caritas non ſine maxima divini cultus acceſſione reviviſcerent.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

CAPUT I.

De Euangelii per orbem univerſum propagatione tum in antiquo Fœdere dei promiſſionibus, Prophetarumque oraculis, tum in novo Christi Domini vaticiniis prænuntiata.

§. I. *Euangelii per orbem univerſum Propagatio divinis in antiquo Fœdere pollicitationibus præmonſtrata.*

I. Illud hic principio omnino conſtituendum reor, Prophetias in veteri Sacrarum Litterarum codice ſatis frequentes, vel ſatius perpetuas, duplicem plerumque efferre ſenſum, alterum Hiſtoricum, Propheticum alterum; quorum tamen primus alterius veluti baſis, & fundamentum habeatur. Quum enim Prophetis familiare ſit externo verborum cortice (quæ verba primo intuitu rem aliquam gerendam exponere videntur) incomparabilem alicujus arcani magnitudinem involvere; operam profecto luderet, ſi quis ea, quæ Prophetæ divino numine correpti adnuntiant, non aliter, quam prout exterius verba præſeferunt, exponenda eſſe contenderet. Id autem facile erit deprehendere tum vel maxime, quum Prophetæ a rebus hiſtoricis ad altioris ordinis myſteria retexenda de repente tranſvolant: quod dum agunt eos exhibent characteres, adeo ἐμφατικῶς loquuntur, ac ita rem ipſam exaggerant, ut nullo pacto iis, de quibus ſermo habetur, adſcribi, atque accommodari poſſe videantur. Hujus rei exemplum nobis ſuppeditat Hieronym. in *Danielem XI.* ubi hæc habet. „ Hic eſt mos Scripturæ ſanctæ, ut „ futurorum veritatem præmittat in typis „ juxta illud, quod de Domino Salvatore „ in LXXI. Pſalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia, quæ de eo „ dicuntur, Salomoni non valent convenire. Neque enim permanſit ille cum ſole, & ante lunam in generatione & generationem; neque dominatus eſt a mari „ uſque ad mare, & a flumine uſque ad „ terminos Orbis terrarum; nec omnes „ gentes ſervierunt ei; neque ante ſolem „ permanſit nomen ejus; nec benedictæ ſunt „ in ipſo omnes tribus terræ; nec omnes „ gentes magnificaverunt eum. Ex parte „ autem, & quaſi in umbra, & imagine „ veritatis in Salomone præmiſſa ſunt, ut „ in Domino Salvatore perfectius implerentur „. Iſthoc Canone, veluti jacto fundamento, ad rem noſtram propius adtingendam gradum facimus.

II. Et quidem primo Deus, uti Abrahamum veræ Filii ſui, ac cruentæ oblationis typum in Iſaaci ſacrificio ſpectare voluit (1): ita quoque, quum in ſemine ſuo omnes gentes terræ benedictum iri eidem fuerit pollicitus, profecto venturi Meſſiæ e lumbis ejus oriundi religionem per orbem univerſum propagandam fore ſatis evidenter expreſſit: Gen. XXII. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*; vel ut habet hebraica veritas: *Et benedicent tibi in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Neque enim ad Judaicum populum benedictionem illam coarctandam, ſed ad omnes prorſus gentes extendendam tum demonſtrat Apoſtolus ad *Galatas* (2), tum quoque ipſamet divina præſefert pollicitatio.

(1) *Gen. XXII.* 2. Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac . . . offeres eum in holocauſtum: *Jo. VIII.* 56. Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt.

(2) *Ad Galatas IV.* Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera per repromiſſionem: quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc autem ſunt duo Teſtamenta: unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans . . . . Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim, Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis; quia multi filii deſertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. Nos autem, Fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.

Digitized by Google

tio. Ea enim, licet ſenſu hiſtorico bonorum temporalium copiam ſignificaret, qua & Abrahamus ipſe, & florens præcipue ejuſdem poſteritas cumulanda erat: ſenſu tamen prophetico nonniſi in Chriſtum quadrat, ſive in Meſſiam, de quo Jacobus Abrahami ipſius nepos Geneſeos XLIX. *Et ipſe erit exſpectatio gentium* ; vel ad hebraicam veritatem : *Et ei erit adgregatio populorum*. Neque enim ullus fuit unquam ex Abrahami poſteris, quem gentes opperirentur omnes, cui adgregari poſſent, & unde ſolidarum virtutum, bonorum ſpiritualium, ac æternæ beatitatis munera ſibi fore conferenda certo ſibi augurari poſſent, niſi divinus Meſſias. Profecto, uti mox videbimus, Meſſiam ſemel adnuntiatum alacri ſtudio exceperunt Gentiles, ac demum ipſe malorum cumulus, quibus univerſus tenebatur orbis, veluti tacita quædam erat, ac cælum pulſans Meſſiæ Servatoris eſflagitatio.

§. II. *Evangelii per orbem univerſum propagatio Prophetarum oraculis manifeſtius prænunciata.*

III. Et ſane Prophetæ paſſim tum 1. Eccleſiam Chriſtianam monti comparant in vertice montium præparato, & elevato ſuper omnes colles, ad quem gentes omnes fluent ac populi, inde doctrinam, & judicium ſperantes (3): tum 2. rejicienda aliquando Judæorum ſacrificia prænuntiant, ac ſimul ab ortu Solis uſque ad occaſum in munda quadam oblatione, omnique labe carente Dei majeſtatem colendam, divinumque nomen in gentibus magnum futurum (4); tum 3. in orbem univerſum ditionem, regnum, judicium, ac principatum venturo Meſſiæ paſſim Sacræ litteræ tribuunt (5): tum demum omnes gentes, univerſaſque gentium familias ad terminos uſque terræ Ægyptios, Tarſenſes, Æthio-

(3) *Iſaiæ II.* Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent . . . judicabit gentes, & arguet populos multos.

(4) *Malachiæ I.* Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus.

Pſalm. II. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.

Pſalm. XXI. Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.

(5) *Pſalm. XXXIV.* Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime . . . . . Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis, virga regni tui.

Pſalm. XLVI. Omnes gentes plaudite manibus . . . quoniam Dominus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram.

Pſalm. LXXI. Deus judicium tuum regi da . . . . . Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Iſaiæ II. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem; & judicabit gentes, & arguet populos multos. *Eadem habet Michæas IV.*

Ibid. XXXIII. Dominus judex noſter, Dominus legiſer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſalvabit nos.

Ibid. XLII. Dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proſeret . . . donec ponat in terra judicium, & legem ejus inſulæ exſpectabunt.

Ibid. XLIX. Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt . . . . Hæc dicit Dominus Deus, ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum.

Danielis II. Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur . . . comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc.

Ibid. VII. Adſpiciebam donec throni poſiti ſunt; & Antiquus dierum ſedit . . . Judicium ſedit, & libri aperti ſunt . . . . & ecce cum nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient, poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.

Mich. IV. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jeruſalem, & judicabit populos multos, & corripiet gentes fortes uſque in longinquum.

(6) *Id*

Æthiopas, Babylonios, Sabæos, Tyrios, Philiſtæos, Arabas, Lydios, Græcos, Africanos, Italos, Inſularum vel longe poſitarum incolas, omnes demum, quas Deus crearit gentes, ad Deum ſe converſuras, & Deum adoraturas vaticinantur (6). Profecto diſerta iſthæc Prophetarum oracula, (quorum ſatis copioſum catalogum dat Huetius Demonſtr. Euang. *Prop. IX. cap.* 158. nos præcipua duntaxat inferne exhibemus) non modo gentium ad Chriſti fidem vocationem deſignant, verum & Chriſtianæ fidei facem orbi univerſo lumen allaturam apertæ prædicunt.

IV. Et ſane quum gentes e regione Palæſtinæ vel longe poſitas nominatim deſignent, & quidem ex omnibus mundi partibus, orientali, & occidentali, meridiana, & aquilonari; eaſdemque magna concurſione venturas, ac præ nimia multitudine, veluti impetu facto, catervatim irrutum iri ad divinum Meſſiam adorandum, ejuſque Eccleſiam conſtituendam prænutient, quidnam profecto iſtuc eſt, quam Euangelii per orbem univerſum propagationem ſatis evidenter indicare? Paucis rem omnem complectitur David Pſ. CVI. *Dicant qui redempti ſunt a Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos. A ſolis ortu, & occaſu, ab Aquilone, & mari.*

V. Merito igitur Redemptor noſter, ac Legifer Chriſtus Dominus poſt ſuam ἀνάστασιν *Reſurrectionem*, dum ſenſum Apoſtolis aperuit, ut intelligerent Scripturas, ſic ſuum clauſit ſermonem: Luc. Euang. Cap. XXIV. verſ. 46. & ſeq. *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jeroſolyma: vos autem teſtes eſtis horum.* Merito Apoſtoli Paulus, & Barnabas Judæis Euangelio contradicentibus exprobrabant: Actorum XIII. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud .... Ecce convertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.* Merito Paulus ipſe in ſuis Epiſtolis quam frequenter, ac præſertim in ea ad Romanos, pluribus ex Veteri divino Codice petitis teſtimoniis gentium ad Eccleſiam Chriſtianam vocationem, ac Euangelii per orbem univerſum promulgationem adſtruere conatur: Ad Rom. XI. *Nolo vos*, inquit, *ignorare, fratres myſterium hoc (ut non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret.* Ibid. XV. *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo: & iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe ejus: & iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi: & rurſus Iſaias ait: Erit radix Jeſſe, & qui exſurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt.* Merito demum Apoſtolus Petrus, ubi divina voce admonitus ad Cornelium Centurionem, gentium primitias, acceſſit, ipſum ejuſque ſocios in Chriſti fide inſtituens, ſic eſt adlocutus: Actorum X. *Præcepit Chriſtus nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo Judex vivorum, & mortuorum: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes.*

§. III. *Euangelii per orbem univerſum propagationem ipſemet Chriſtus Dominus manifeſtiſſime prædixit.*

VI. Enimvero Chriſtus Servator noſter licet Palæſtinæ limites ſua prædicatione nunquam fuerit egreſſus, atque adeo myſteria credenda proponeret humanæ rationi impervia, quæ carnalibus Judæis ſcandalum, errantibus gentibus ſtultitia videbantur; tum & præcepta daret ſatis dura, ac ſenſui humano repugnantia: attamen ſuam Eccleſiam ex omnibus undique gentibus conflandam, ac conſtituendam haud ſemel expreſſit.

VII. Pro-

(6) *Id confirmant hactenus producta monumenta, quibus adde ſis* I. Reg.

Digitized by Google

VII. Profecto t. diſcipulos ſuos adloquens (7), atque ad mala, quæ ipſis nominis Chriſtiani hoſtes illaturi erant, perferenda adhortans, in omnes gentes oportere prædicari Euangelium eoſdem admonet. Et clarius alibi (8) Euangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus prædicandum manifeſto prænuntiat. Qua in re illud animadvertere abs re non erit, Chriſtum de excidio Jeroſolymitano ſuos diſcipulos admonentem, prædicere fore, ut Jeroſolyma evertenda quidem armis Romanorum eſſet, at non ante, quam Euangelium regni in toto orbe fuiſſet prædicatum. Id quod ſuum eventum plene fuiſſe ſortitum mox videbimus: ſcilicet quadraginta annorum curriculo, qui ab Jeſu Chriſti nece ad ſupremum uſque Romanorum bellum in Judæos fluxere, Chriſti fidem non Judæis modo fuiſſe nuntiatam, verum & univerſis late gentibus, quæ armis Romanis parebant, ceteriſque terrarum partibus, quæ tunc tempori noſcebantur.

2. Idem

I. Reg. II. Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore . . . donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.

II. Reg. XXII. Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus.

Pſalm. XXI. Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium; quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.

Pſalm. XLIV. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Pſalm. LXXI. Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei . . . benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.

Pſalm. LXXXV. Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te, Domine.

Pſalm. LXXXVI. Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei; Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. *His ſimilia paſſim occurrunt in Pſalmis.*

Iſaiæ XXV. Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de univerſa terra.

Ibid. XXVII. Venient qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui ejecti erant de terra Ægypti, & adorabunt in monte ſancto.

Ibid. XLII. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium . . . Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ; qui deſcenditis in mare, & plenitudo ejus, inſulæ, & habitatores earum, &c.

Ibid. XLIX. Dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hereditates diſſipatas . . . Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terra Auſtrali . . . . Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, &c.

Ibid. LXVI. Ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſalvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam, in Italiam, & Græciam, ad inſulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. *His ſimilia paſſim occurrunt in Prophetia Iſaiæ.*

Jerem. XVI. Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Vere mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit.

Ezech. XXVII. Et ſcient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile; & ſiccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum.

Amos IX. In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod decidit . . . ut poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes; eo quod invocatum ſit nomen meum ſuper eos.

Sophon. II. Adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ gentium.

Ibid. III. Ultra flumina Æthiopiæ inde ſupplices mei, filii diſperſorum meorum deferent munus mihi.

Agg. II. Commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet Deſideratus cunctis gentibus.

Zacch. IX. Et loquetur pacem gentibus, & poteſtas ejus a mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad fines terræ.

(7) *Marc. XIII.* 10. In omnes gentes oportet primum prædicari Euangelium.

(8) *Matth. XXIV.* Et prædicabitur hoc Euangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.

2. Idem quoque prædixiſſe videtur, quum Centurionis fidem exaltans, ſimul & Synagogæ rejectionem, & gentium vocationem vaticinatur: Matth. VIII. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum, Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

3. Ipſemet Chriſtus Dominus de Paulo futuro Apoſtolo ſic eſt locutus: *Vide, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus*; tum ipſe Paulus in nationes ſe longe miſſum profitetur (9). Quod ſane Paulum quam fideliter præſtitiſſe nemo vel ſubdubitaverit, qui Librum Actuum Apoſtolicorum duntaxat attigerit. Quas enim regiones, & provincias ille non peragravit? Judæam, Syriam, Arabiam, Græciam, Macedoniam, Achaiam, Aſiam Minorem, Italiam &c. At de iſtoc capite mox redibit ſermo.

Tum 4. diſcipulos poſt ſuam ἀνάστασιν *reſurrectionem* ad prædicandum mittens, non minus evidenter Euangelii per orbem univerſum promulgationem & præcepit, & prædixit: Matth. XXVIII. Luc. XXIV. Marc. XVI. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes* &c. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

5. Judæos indignatos Magdalenam alabaſtrum unguenti pretioſi ſuper caput ipſius recumbentis perfundentem Chriſtus ſic adfatur: Matth. XXVI. *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* In quam Chriſti ſententiam auro contra non cara mihi occurrit S. Jo. Chryſoſtomi auctoritas *Homilia LXXX. in Matth.* quam piaculum cenſerem hic non adſerre. „ Vides, *inquit*, „ quomodo iterum exitionem ad gentes „ pronuntiet hic etiam diſcipulis, de morte ſua conſolationem adferens. Siquidem „ tanta poſt crucem virtus ejus futura eſt, „ ut prædicatio per totum Orbem effundatur. Quis tam miſero eſt ingenio, & „ animo, ut tantæ veritati repugnet? Ecce enim id quod dixit, factum eſt, & „ quocunque terrarum ibis hanc mulierem „ prædicari audies: quamquam illa non „ inſignis perſona eſſet, nec multi teſtes „ eſſent præſentes, nec in theatro quodam „ res geſta eſſet, ſed in domo, & in domo leproſi, diſcipulis tantum præſentibus. Ecquis hoc ita vulgavit, & promulgari uſquequaque fecit? Virtus ejus, „ qui hæc effatus eſt. Certe Regum ſexcentorum, & Ducum, quorum & monumenta manent, res præclare geſtæ „ involvuntur ſilentio: ac licet urbes excita-

(9) *Ad Roman. XV.* Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium verbo & factis, & in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, ita ut ab Jeruſalem, & in circuitu uſque ad Illyrium repleverim omnia Euangelio Chriſti. *Clemens Rom. Epiſt. ad Corinth. §. V. de Paulo Apoſtolo ſcribit*: In Oriente, ac Occidente Verbi præco factus illuſtrem fidei ſuæ famam ſortitus eſt, in juſtitia mundum univerſum influens, & ad Occidentis penetrans terminos. *Et S. Jo: Chryſoſt. in productum Epiſt. ad Rom. locum Hom. XXIX. ſic commentatur*: Numera itaque & urbes, & regiones, & gentes, & populos, & non ſolum, qui ſub Romanis, ſed & qui ſub barbaris ſunt. Non enim mihi per ſolam Phœniciam, & Syriam, & Ciliciam, & Cappadociam ibis: ſed & quæ retro illas ſunt, colliges omnia, & Saracenos, & Perſas, & Armenios, reliquoſque Barbaros. Propter hoc enim dixit, & in circumjacentibus regionibus, ne recta viam ſolum publicam, ſed & omnem etiam Auſtralem Aſiam mente percurras, & quemadmodum acervos miraculorum uno ſermone percurrens dixit: *per potentiam ſignorum, & prodigiorum*, ita & infinitas urbes, & gentes, & populos, & regiones uno rurſus complectitur verbo, quum dicit: Τῷ κύκλῳ, id eſt per circuitum ſive in circumjacentibus regionibus. *Similia habet Homil. I. De laudibus Pauli Apoſt.* Quia ſeipſum conſecraverat Deo, etiam Orbem univerſum ſtuduit offerre, qui terram videlicet, & mare, Græciam ſimulque Barbariam, omnemque prorſus, quanta eſt ſub cælo, regionem quaſi volitans circumivit, non ſimplici labore, velut in vacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas pariter evellens, & verbum ſeminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens, quinimmo ipſos homines quaſi ex dæmonibus in angelos provehens. *Qua de re ex ſententia quorundam veterum Patrum Paulo cum ceteris Apoſtolis nulla ſors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magiſter, & Prædicator eligitur.* Confer *Juvenem Cl. mihique amicitia conjunctiſſimum Benedictum Clementem de Aroſtegui in Diſſert.* Jacobi Zebedæi prædicatio Hiſpanis vindicata §. II.

Digitized by Google

„ citaverint, mœnibus illa cinxerint ..... „ Quod autem muliercula oleum effuderit „ in domo leproſi, duodecim viris præſenti„ bus, id per Orbem cantant omnes, ac poſt „ tantum temporis, rei geſtæ memoria non „ defecit: Sed *Perſæ*, *Indi*, *Scythæ*, *Thra„ ces*, *Sauromatæ*, *Mauri*, & qui *Britan„ nicas inſulas* incolunt, quod in Judæa „ in domo quadam, nec palam, a mulier„ cula factum eſt, prædicant.

CAPUT II.

De Euangelio per Orbem universum Apostolica prædicatione propagato generatim.

I. JAm vero quod in antiquo Fœdere Dei promiſſionibus, Prophetarumque oraculis prædictum eſt, quodque Chriſtus in novo prænunciavit, Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum per orbem univerſum diffuſa prædicatione pleniſſime adimpletum videmus. Cujus rei veluti ſpecimen quoddam nobis exhibet, quod Jeroſolymis ſtatim poſt Spiritus S. in Judæos καταβασιν *deſcenſum* accidiſſe Liber Actuum Apoſtolorum teſtatur.

II. Re ſane vera ambigendum omnino non eſt, cœnaculum illud, ubi manebant Apoſtoli, ceterique diſcipuli cum mulieribus, & Maria matre Jeſu in oratione perſeverantes, novam Chriſti Eccleſiam ſive conſtituiſſe, ſive duntaxat expreſſiſſe. At ubi accepto Spiritu Sancto Apoſtoli variis linguis eloqui cœperunt, en ſtatim, ſparſo prodigiorum, quæ ea in re acciderant, rumore, omnes qui in Jeruſalem habitabant Judæi viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, ad cœnaculum illud acceſſere ſtupentes, quod homines in Judæa, vel Galilæa nati, ſermonum longe a Galilæo, vel Judaico diverſorum gnaros ſe exhiberent, ac quiſque vernacula illius, quem forte obviam haberet, lingua ſermonem miſceret; Græce cum Græco, Perſice cum Perſa, Ægyptiace cum Ægyptio &c. (1). Divino plane conſilio factum videtur, ut Spiritus Sancti in Apoſtolos illapſus eo tempore incideret, quo ſolemne Pentecoſtes feſtum Judæos exteros ex univerſo late orbe undique Jeroſolymam acciverat, nec ſolum Judæos, verum & Judæorum proſelytos, ethnicoſque ad Judæos converſos: Parthos nimirum, Medos, Ælamitas, Meſopotamios, Cappadoces, Ponticos, Aſianos, Phrygios, Pamphylios, Ægyptios, Lybicos, Cyreneneſes, Romanos, Cretes, Arabeſque. Iſthanc profecto hominum, qui ex Occidente æque ac ex Oriente Jeroſolymam advenerant, ad Apoſtolicum domicilium, ſive Eccleſiam miram concurſitationem, Euangelicæ per orbem univerſum propagationis ſpecimen quiſnam non dixerit?

III. Atque ex eo tempore Apoſtoli, diſcipulique metum omnem deponentes, ac Spiritus S. virtute roborati in publicum prædicandæ Chriſtianæ religionis cauſſa prodire nec dubitarunt, nec unquam deſtiterunt; reluctantibus alioquin, immo & contradicentibus, atque adeo gravibus interminatis pœnis illud vetantibus Judæorum Sacerdotibus, ac magiſtratibus. Quinimmo, tempeſtate in Chriſtianos exorta, Chriſti diſcipuli, qui divino conſilio ut mortem effugerent Jeroſolymis diſcedunt, aliaſque urbes petunt, Euangelicæ prædicationis opus mira providentia auſpicantur. Inito enim ab Judæis conſilio Chriſtianum nomen delendi, omneſque Jeſu Chriſti diſcipulos diſperdendi, accidit, ut fidelium plerique, Apoſtolis vel auctoribus, vel ſaltem conſilium probantibus, Jeroſolymis ſeſe ſubducerent, atque in varias Orbis provincias diffunderentur.

IV. Et ſane teſte Luca ex illis nonnulli in Phœniciam, atque inſulam Cyprum, & Antiochiam perrexerunt: *Act. XI.* 10. Alii receperunt ſe in Damaſcum. *Act. IX.* 2. alii Samariticas regiones prætulerunt: *Act. XIII.* 5. Virum Æthiopem

(1) *Actor. II.* Nonne omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt, & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? ἀκούομεν ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν ἐν ᾗ ἐγεννήθημεν.

pem eunuchum potentem Candacis reginæ Æthiopum a Philippo Diacono in fide Chriſtiana inſtitutum, & baptizatum, atque adeo Spiritu Sancto modo ſenſibili, & extraordinario in ipſum illapſo confirmatum, gentis ſuæ Apoſtolum, & Catechiſtam egiſſe tradunt Irenæus, Hieronymus, Euſebius &c. (2). Nec deſunt, qui tradunt Euangelium promulgaſſe illum in Arabia felici, aliiſque per ea loca regionibus (3).

V. Adhæc Philippus, ut olim Habacuc, ſublimis in aera raptus ab Angelo e Judæa Babylonem ſublatus eſt, & ipſe ab Eunuchi oculis ereptus, divinitus inventus eſt in Azoto urbe Philiſtæorum celebri: atque ibi huc illucque excurrens fidem circumſpargebat, donec tandem Cæſaream Palæſtinæ ſeſe contulit. *Actorum VIII.* Tum fideles diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, ad quos Petrus ſuam priorem dedit Epiſtolam, ex iis eſſe primitivis fidelibus, qui ex urbe Jeroſolyma ſeſe ſubduxerant, cenſent Baronius, aliique.

VI. Profecto prorſus conſtat, plures ex hiſce regionibus, qui Jeroſolymam feſtivitatis Pentecoſtes cauſſa petierant, priores Petri conciones accepiſſe, ac prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem patrata vidiſſe. Tum quoque conſtat, Petro loquente, fidem Chriſti ſuſcepiſſe primum circiter tria millia, dein & quinque millia virorum. Profecto oppido veriſimile eſt ex horum numero nonnullos fuiſſe Galatas, Ponticos, Cappadoces, Aſianos, & Bithynos, qui in ſuas Provincias ſeſe recipientes ſecum Fidei Chriſtianæ depoſitum adſportarint, cujus participes ſuos facerent concives. Nec deſunt Hiſtoriographi æque veteres, ac recentiores doctrina, & eruditione clariſſimi, qui contendunt vix paucis poſt Chriſti in Cælum ἀνάβασιν *adſcenſum* annis Thaddæum, qui unus e ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti erat, Edeſſam ad Abgarum Regem perveniſſe, cujus opera Edeſſeni chriſtianam religionem ſuſceperint (4). Alios demum ex Chriſti diſcipulis, vel ex primitivis fidelibus ipſam quoque Romam profectos (inter quos Andronicus, & Junias inter diſcipulos inſignes, & ipſius Pauli cognati) indicat ipſemet Paulus ad Romanos XVI. *Salutate Andronicum, & Juniam cognatos, & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.* Graviſſima igitur, quæ Stephani cædem ſtatim inſecuta adverſus Eccleſiam excitata eſt perſecutio, tantum abeſt, ut adoleſcentiorem fidelem populum imminuerit, ut potius uberrimas Chriſti regno acceſſiones produxerit.

VII. Præterea quamvis Lucas in Actis ſcribat, diſcipulis primitiviſque fidelibus per varias regiones diſperſis, Apoſtolos Jeroſolymis fuiſſe remoratos, id tamen haud ita intelligas, quaſi hi Jeroſolymis, veluti glebæ addicti, perpetuo adhæſerint, atque tunc primum inde diſceſſerint, quando conſilium Chriſtianæ religionis in Ethnicorum provinciis propagandæ ſuſceperunt. Nam 1. paullo poſt gravem illam excitatam perſecu-

(2) *Euſebius Lib. II. Cap. I.* Eunuchus quum a Philippo cæleſti viſione admonito primus ex gentibus divini verbi myſteria percepiſſet, totius Orbis fidelium primitiæ factus, inde in patriam reverſus Dei notitiam, & Servatoris noſtri ſalutarem in terras adventum primus prædicaſſe fertur. Atque ita per ipſum completa eſt Prophetæ prædictio, quæ ſic habet: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Eadem habent *Iren. Lib. III. cap.* 12. *Hier. in Iſai. LIII.* & *Epiſt.* 103. *Cyrill. Catech. XVII.*

(3) *Ex Synopſi de Apoſtolis, ac diſcipulis Domini Dorotheo Tyrio ſuppoſita.*

(4) *Euſebius Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap.* 13. Poſt reſurrectionem Chriſti, ejuſque in Cælos adſcenſum Thomas unus e duodecim Apoſtolis divino quodam impetu impulſus Thaddæum unum e ſeptuaginta Chriſti diſcipulorum numero Edeſſam miſit, ut Chriſti doctrinam illis gentibus nuntiaret: ejuſque opera Servatoris noſtri promiſſa exitum ſortita ſunt. Cujus quidem rei teſtimonium habemus ex ipſius Edeſſæ, in qua tum degebat Abgarus, tabulariis deſumtum. Siquidem in monumentis publicis, in quibus antiquitates urbis, & res Abgari geſtæ continentur, hæc etiam ad noſtram uſque ætatem conſervata reperimus. *Eadem habent* S. Ephrem Syrus *in ſuo Teſtamento, Darius Comes Ep. ad S. Auguſtinum inter Epiſt. S. Auguſtini Epiſt.* 230. *Evagrius Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. Cap.* 26. *Procopius apud eundem Evagrium ibid. Theodorus Studita Epiſt. ad Paſchalem Pontificem, aliique.*

ſecutionem Petrus, & Joannes Samariam petunt ad confirmandos Samaritanos, qui verbum Dei ab Philippo Euangeliſta adnuntiatum ſuſceperant.

Tum 2. ſcilicet an. 38. non diu poſt Petrus ipſe Eccleſias Judææ, Galilææ, & Samariæ inviſens, devenit ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ: ibique Æneam a paralyſi, qua jam octo abhinc annis tenebatur, ſanavit: quo viſo miraculo Lyddenſes, & Saronitæ converſi ſunt ad Dominum: *Actorum IX.*

Uti quoque 3. Joppe quum diſcipula quædam nomine Tabitha, quæ ex morbo deceſſerat, per eundem Apoſtolum vitæ fuiſſet reſtituta, multi ex Joppenſibus in Dominum crediderunt: *ibidem*.

Præterea 4. Paulus poſt tertium a ſua converſione annum Jeroſolymam veniens teſtatur ibi neminem vidiſſe præter Petrum, & Jacobum Minorem: longe igitur tunc aberant Apoſtoli, & quidem ad Euangelium diſſeminandum. Neque enim ipſos deſides, ac divini de Euangelio omni creaturæ prædicando mandati immemores quis ſanæ mentis traduxerit.

5. S. Jacobus Major ex Clariſſimorum Virorum ſententia Hiſpanias petiit, ibique Euangelium adnuntiavit.

6. Ante baptiſmum Cornelii, qui anno 41. accidit, quando apertum & Gentibus oſtium Regni eſt, ſermo de Apoſtolis in Judæa frequens in Actis injicitur: at poſt baptiſmum Cornelii de Petro, Jacobo, Joanne, Barnaba, Paulo multa, de reliquis Apoſtolis nulla amplius occurrit mentio: ergo manentibus illis in Judæa, reliqui per orbem diſperſi.

7. Edeſſam adventu, & prædicatione Thaddæi paulo poſt Domini *ἀνάβασιν adſcenſum* ad fidem fuiſſe adductam, ſcribit Euſebius *Lib. II. Cap. I.*

8. Barnabas circa annum 42. ad confirmandos recens converſos fideles non ab Apoſtolis, ſed ab Eccleſia miſſus dicitur: *Cap. XI. verſ.* 22. Atqui ſi manſiſſent Apoſtoli, ubi prius, ab Apoſtolis miſſus legeretur; uti Petrus, & Joannes ab Apoſtolis Samariam uſque miſſi fuerant.

9. Demum ex communi pæne politiorum chronologiſtarum ſententia anno circiter Æræ vulgaris XXXVI. Petrus peragrata Syria, Antiochiæ Pontificiam ſedem fixit.

VIII. Atque hinc patet quid ſentiendum de illo Apollonii veteris Hiſtorici teſtimonio apud Euſebium *Lib. V. Hiſt. Eccl. Cap.* 18. quo ſcribit veterem quandam ferre traditionem, a Chriſto mandatum Apoſtolis fuiſſe, *ne intra duodecim annos ab Jeroſolymis excederent*. Quo etiam ſpectant quæ habet Clemens Alex. Stromatum Lib. VI. Edit. Oxon. pag. 762.: *Propterea dicit Petrus dixiſſe Dominum Apoſtolis. Si quis ergo velit ex Iſrael pœnitentiam agere, & propter nomen meum credere in Deum, dimittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus*. Scilicet iſtæc, quam Apollonius, & Clemens proferunt, *παράδοσις traditio*, quum Apoſtolicis ab Luca conſcriptis Actis contraria videatur, haud tanti facienda eſt, ut in ea interpretanda diutius immoremur; qua de re conſulendi Tillemontius, aliique.

IX. Illud hic tantummodo paucis animadvertendum duco, haud contemnendam illorum ſententiam, qui cenſent Apollonii, & Clementis teſtimonium de generali Apoſtolorum in diſſitas mundi plagas ſeceſſione intelligendum; nimirum Apoſtolos aliquandiu Jeroſolymis verſatos, inde excedere cœpiſſe, ac paullatim primum in Palæſtinæ regiones, dein & in alias non longe ab ea diſſitas abiiſſe, quo Spiritus S. eos duceret, ad Euangelium diſſeminandum: atque intra duodecim annos non aliis, quam Judæis congregatis in Synagogis, verba habuiſſe, nec Gentilibus, niſi per occaſionem, & per inſtinctum Spiritus S. aliquibus locutos: at completo jam duodennio, quo & ſatis Judæorum reprobatio patuerat, & Gentibus oſtium fidei plene apertum erat, non amplius per Synagogas excurriſſe, ſed recta per Gentes, & inhoſpitas regiones etiam efferatiſſimas eſſe vagatos. Ergo veterum *παράδοσις traditio* de diſperſionem Apoſtolorum per Gentes poſt duodennium commode explicari hoc pacto poſſe videtur, ut nonniſi exacto duodennio Apoſtoli in unum convenientes, diverſis Romani, Barbaricique Orbis partibus inter ſe communi conſilio partitis,

Digitized by Google

modum etiam deſcripſerint, quo præcipua fidei chriſtianæ Capita brevi Symbolo, ſive Oratione concluſa ab recens ad Chriſtum converſis hominibus non teneri modo, verum & memoriæ commendari, recitarique poſſent.

X. Illud tamen omnino falſum cuilibet vel leviter adtendenti videtur, quod Clemens innuit; ſcilicet ad duodecimum ab Chriſti *ἀναβάσει adſcenſione* annum, neminem, niſi Iſraelitam pœnitentiam agentem potuiſſe peccatorum remiſſionem conſequi; quum vix altero, aut tertio ab Chriſti *ἀναβάσει adſcenſione* anno Petrus ipſe per cæleſtem demiſſi e cælo lintei viſionem, quod impuris quibuſque animalibus plenum erat, Deo monſtrante, intellexerit Gentiles in Eccleſiæ ſinum eſſe recipiendos; ac præterea Cornelium, alioſque non paucos, qui ad ipſum audiendum convenerant, ad Chriſti fidem inſtituere non dubitarit: *Actorum Cap.* 10. Super quos, *Petro adhuc loquente, quum Spiritus S. cecidiſſet, obſtupuerant ex circumciſione fideles*, præſertim quum audirent *illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus; Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, ſicut & nos? & juſſit eos baptizari.*

XI. Quis igitur non mirabitur vix brevi trium, vel quatuor annorum ſpatio a ſolis Apoſtolis, diſcipuliſque Euangelium tam longe lateque fuiſſe diſſeminatum, & quidem Judæorum potentioribus fortiter obluctantibus, ut per univerſas Palæſtinæ provincias per Phœniciam, Samariam, Damaſcum, Antiochiam, Arabiam, Cyprum, aliaſque Orientales, barbaricaſque nationes Chriſtiana Religio radices egerit; atque adeo etiam Romæ, & in Hiſpaniis, uti mox videbimus, Chriſti nomen audiri cœperit?

XII. Illud tamen ſupra modum divinæ Providentiæ *οἰκονομίαν œconomiam* commendat, ad Euangelii propagationem ſuper ceteros ſtrenuiſſimam præſtaſſe operam illum, qui præ ceteris ejuſdem progreſſui fortiter obnitebatur; Saulum ſcilicet nominis Chriſtiani hoſtem infenſiſſimum. Non vacat hic pluribus exponere quanto animi ardore, & quam vehementi contentione ſe geſſerit in exſequendo, quod ſibi propoſuerat conſilium, ut ubicunque chriſtianæ religionis cultores inveniret, ſive viros, ſive mulieres, vinctos adduceret Jeroſolymam, ut punirentur. Illud hic tantummodo ſatis ſit indicare Saulum, qui acerrimus chriſtiani nominis hoſtis erat, ſtrenuiſſimum ejuſdem propagatorem evaſiſſe, adeout plus ceteris Apoſtolis in Euangelii propagatione adlaborarit, ejuſque opera pleriſque Orientis, ac Occidentis regionibus chriſtianæ religionis lux adfulſerit.

XIII. Vix enim ab Anania viro inter Chriſti diſcipulos morum ſanctimonia clariſſimo, ad quem Damaſcum incolentem ab ipſomet Chriſto miſſus fuerat, præceptis Euangelicis eſt inſtitutus, ac baptizatus, ut ſtatim a Deo confortatus convaleſceret, & confunderet Judæos; adeout qui audiebant obſtupeſcerent dicentes: *Nonne hic eſt, qui expugnabat in Jeruſalem eos, qui invocabant nomen iſtud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum?* Porro quid Petrus, quid Paulus, quid ceteri Apoſtoli, virique Apoſtolici in Euangelio per orbem univerſum propagando præſtiterint, *ſequenti Capite* ſigillatim explicabimus. Tantummodo ſelecta quædam Patrum Apoſtolicorum, aliorumque, qui proxima ætate floruerunt, monumenta hic proferre operæ pretium ducimus, quibus diſertiſſime adſtruitur celerrima Euangelii per orbem univerſum propagatio.

XIV. Ac 1. Clemens Romanus Epiſt. ad Corinth. num. 5. de Paulo Apoſtolo hæc habet: *In Oriente ac Occidente verbi Præco factus, illuſtrem fidei ſuæ famam ſortitus eſt, in juſtitia mundum univerſum inſtruens, & ad Occidentis penetrans terminos.*

XV. S. Juſtinus Martyr, qui altero medio ſæculo vixit, in Dialogo cum Tryphone hæc habet: *Ne una quidem eſt hominum natio, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſeu etiam aliorum omnium quocunque adpelletur nomine, vel in plauſtris degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium & pecora alentium, inter quos per nomen Crucifixi Jeſu preces, & gratia-* rum

rum actiones Patri ac Conditori univerſi non fiant. Tum in Orat. ad Antoninum Pium: *Diſcipuli Chriſti ad omne mortalium genus profecti, iſta promulgarunt, & Apoſtoli atque Legati nominati ſunt.*

XVI. S. Irenæus, qui eodem ſecundo ſæculo vixit Lib. 1. Cap. 2. ſcribit: *Eccleſia enim per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & diſcipulis eorum accepit eam fidem* &c.

XVII. Tertullianus in *Apologetico Cap.* 37. „ Heſterni ſumus, & veſtra omnia „ implevimus, urbes, inſulas, caſtella, „ municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tri„ bus, decurias, Palatium, Senatum, Fo„ rum. Sola vobis reliquimus Templa. Et adverſus Judæos *Capite VII.* „ In „ quem alium univerſæ Gentes credide„ runt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? „ Cui enim & aliæ Gentes crediderunt, „ Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inha„ bitant Meſopotamiam, Armeniam, „ Phrygiam, Cappadociam, & incolentes „ Pontum & Aſiam & Pamphyliam, „ immorantes Ægyptum, & Regionem A„ fricæ, quæ eſt trans Cyrenem inhabitan„ tes, Romani & incolæ, tunc & in Je„ ruſalem Judæi & ceteræ Gentes: ut jam „ Getulorum varietates, & Maurorum „ multi fines, Hiſpaniarum omnes termi„ ni, & Galliarum diverſæ nationes, & „ Britannorum inacceſſa Romanis loca, „ Chriſto vero ſubdita; & Sarmatarum, „ & Dacorum, & Germanorum, & Scy„ tharum, & abditarum multarum Gen„ tium, & Provinciarum, & Inſularum „ multarum nobis ignotarum, quas enu„ merare non poſſumus: in quibus omni„ bus locis Chriſti nomen, qui jam ve„ nit, regnat: utpote ante quem omnium „ Civitatum portæ ſunt apertæ, & cui „ nullæ ſunt clauſæ, ante quem feræ fer„ reæ ſunt comminutæ, & valvæ æreæ „ ſunt apertæ.

XVIII. Origenes *Lib. I. contra Celſum*: „ Chriſtianorum dogmata oppreſſa fuiſſent „ utique a tot inimicis infeſtata undique, „ niſi divina virtute ſuſtentata e tot preſ„ ſuris emergerent, totumque mundum in „ ſe coortum vincerent .... Per totum „ orbem notior eſt Chriſtianorum prædica„ tio, quam philoſophorum placita. Quis „ enim Jeſum e Virgine natum, & cru„ cifixum ignorat? Quis &c.. Videmus in „ omnem terram exiſſe vocem Apoſtolo„ rum Jeſu, & in fines Orbis verba eo„ rum. Adfirmamus igitur Jeſu res exſta„ re apud univerſi Orbis habitati homi„ nes, quam late inter Gentes incolunt „ fundatæ per Jeſum Eccleſiæ Dei, quæ „ conſtant ex converſis ad meliorem men„ tem a malis innumeris.

XIX. Arnobius *Lib. II. ad Gentes* de Apoſtolica prædicatione in hunc modum ſcribit: „ Virtutes ſub oculis poſitæ, & „ inaudita illa vis rerum, vel quæ ab i„ pſo fiebat palam, vel ab ejus præconi„ bus celebrabatur in Orbe toto, eas ſub„ didit adpetitionum flammas, & ad unius „ credulitatis adſenſum mente una concur„ rere gentes, & populos fecit, & mori„ bus diſſimillimas nationes. Enumerari „ enim poſſunt, atque in uſum computa„ tionis venire ea, quæ in India geſta „ ſunt apud Seras, Perſas, & Medos: in „ Arabia, in Ægypto, in Aſia, Syria, a„ pud Galatas, Parthos, Phrygas: in A„ chaja, Macedonia, Epiro, in inſulis & „ provinciis omnibus, quas Sol oriens at„ que occidens luſtrat, ipſam denique a„ pud dominam Romam, in qua cum ho„ mines ſint Numæ Regis artibus, atque „ antiquis ſuperſtitionibus occupati, non „ diſtulerunt tamen res patrias relinquere, „ & veritati coaleſcere Chriſtianæ.

XX. Lactantius *de Mortibus perſecutorum Cap.* 2. quum notaſſet Chriſtum Apoſtolos ad prædicationem ſuæ doctrinæ inſtruxiſſe, eoque functum munere adſcendiſſe in cælum; *Et inde*, inquit, *diſcipuli diſperſi ſunt per omnem terram ad Euangelium prædicandum, ſicut illis Magiſter dominus imperaverat*. Ibidem Lib V. cap. 12. *Cum ab ortu Solis uſque ad occaſum lex Divina ſuſcepta ſit, & omnis ſexus, omnis ætas, & gens, ac Regio unitis ac paribus animis Deo ſerviat.*

XXI. Euſebius *Orat. de laudibus Conſtantini pag.* 662. de Apoſtolis in hunc modum ſcribit: „ Quid tam mirandum „ tibi videri poterit, quam viros abjectos „ & imperitos a piſcatu penitus abducere, „ eoſ-

Digitized by Google

„ eoſque legumlatores & doctores univer-
„ ſi Orbis terrarum conſtituere : nec ſo-
„ lum promittere ſe eos facturum piſcato-
„ res hominum , idque reipſa præſtare ;
„ verum etiam tantam virtutem tantam-
„ que facultatem illis tribuere , ut monu-
„ menta ſcriptis mandarent , libroſque e-
„ derent , iique tam magnam apud omnes
„ haberent & auctoritatem , & exiſtima-
„ tionem , ut in omnes tam barbarorum
„ quam Græcorum linguas , quæ in toto
„ Orbe terrarum exſiſtunt , converteren-
„ tur , omneſque gentes in illis perdiſcen-
„ dis ſtudium & operam ponerent , pro-
„ que certo crederent divina eloquia in il-
„ lis comprehendi ? Eadem habet *Lib. I. Præparat. Euangel. Cap.* 3. aliiſque in locis . Ac præcipue Lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. ubi ſcribit, *ſalutare Euangelii Verbum* , *tanquam Solis jubar* , *repente totum Orbem luce ſua colluſtraſſe* . Eadem habet Chryſoſtomus *Homilia* 11. *in Joannem* , *aliiſque in locis*.

XXII. S. Hieronymus *Epiſt.* 35. *ad Heliodorum :* „ Nunc paſſionem Chriſti , &
„ reſurrectionem ejus cunctarum gentium
„ voces & litteræ ſonant .... Indus , Per-
„ ſa , Gothus , Ægyptius philoſophantur .
„ Beſſorum feritas & pellitorum Getarum
„ turba populorum , qui mortuorum quon-
„ dam inferiis homines immolabant , ſtri-
„ dorem ſuum in dulce crucis fregerunt
„ melos , & totius mundi una vox Chri-
„ ſtus eſt . Et *Epiſt.* 57. *ad Lætam :* Soli-
„ tudinem patitur & in urbe gentilitas .
„ Dii quondam Nationum , cum buboni-
„ bus & noctuis in ſolis culminibus re-
„ manſerunt. Vexilla militum Crucis inſi-
„ gnia ſunt . Regum purpuras & ardentes
„ diadematum gemmas patibuli ſalutaris
„ pictura condecorat. Jam Ægyptius Sera-
„ pis factus eſt Chriſtianus. Marnas Gazæ
„ luget incluſus , & everſionem Templi
„ jugiter pertimeſcit. De India, Perſide ,
„ Æthiopia Monachorum quotidie turbas
„ ſuſcipimus . Depoſuit pharetras Arme-
„ nius , Hunni diſcunt pſalterium , Scy-
„ thiæ frigora fervent calore fidei , Geta-
„ rum rutilus & flavus exercitus Eccleſia-
„ rum circumfert tentoria : &c.

XXIII. Theodoretus *Lib. IX. Therapeut. Gentium* de Apoſtolis ſcribit: „ Nec
„ ſolum Romanos , quique ſub Romano
„ vivebant Imperio , ſed Scythas quoque ,
„ ac Sauromatas , Indos præterea , Æthio-
„ pas , Perſas , Seras , Hyrcanos , Britan-
„ nos , Cimbros & Germanos , utque ſe-
„ mel dicam , omnes nationes , & omne
„ hominum genus permoverunt crucifixi
„ leges accipere , non armis uſi , non infi-
„ nita vi militum delectorum , non imma-
„ nitatis Perſicæ violentia , ſed verborum
„ ſuaſu , oſtenſa legum , quas prædicabant ,
„ utilitate . Plura ſi quis velit , adeat Albertum Fabritium ; *Salutaris Lux Euangelii Cap.* 2.

C A P U T III.

De Euangelii per Orbem universum propagatione speciatim.

§. I. *De Geſtis S. Petri.*

I. AC primo Petro Apoſtolorum Principi Eccleſiæ Jeroſolymitanæ fundatio præcipue videtur adſcribenda , quum , ipſo prædicante , ac prodigia edente , primum tria millia , dein & quinque millia virorum Chriſto nomen dederint ; adhæc & oppido veriſimile eſt & alios identidem ejuſdem concionibus ad Chriſtum fuiſſe converſos. Quum autem ab primitivis hiſce fidelibus , uti *ſuperiori Cap.* vidimus , Euangelium per varias Palæſtinæ provincias, aliaſque ab Palæſtina non longe diſſitas regiones Euangelium fuerit propagatum ; hinc ſane propria quædam Petri exoritur prærogativa , ſcilicet quod non Jeroſolymitana modo Eccleſia , verum & reliquæ principio fundatæ ad ipſum peculiari quodam jure ſpectare Eccleſiæ videantur.

II. Poſtquam Samaritanos jam a Philippo Euangeliſta baptizatos ſimul cum Joanne in fide confirmavit , ipſis per manuum impoſitionem , & orationem Spiritum S. confe-

conferendo, permulta Judææ, Samariæ, & Galilææ peragravit oppida; atque ejus potiſſimum opera factum videtur, quod *Actorum VIII.* Lucas ſcribit; ſcilicet, *Eccleſia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Sancti Spiritus replebatur*. Hinc in verba Actuum Apoſtolorum: *Factum eſt, ut Petrus dum pertranſiret univerſum* &c. ſcribit S. Jo. Chryſoſtomus Homilia XXI. in Acta: *Quemadmodum Dux in exercitu obambulat, conſiderabat quæ pars eſſet coadunata, quæ ornata, quæ ſuo adventu egeret*.

III. Tum Lyddam, Saronam, Cæſaream, aliaſque Orientales, Barbaricaſque regiones peragraſſe, inibique Eccleſias fundaſſe, indicat Lucas *ibid. Cap. XIX.* & vetuſtiſſimæ ferunt traditiones, ac teſtantur Patres antiquiſſimi: ac præcipue Cæſaream, ubi eſuriens in mentis exceſſu poſitus, ac magnum linteum e cælo demiſſum, omnique animalium genere refertum conſpiciens, tum de iiſdem promiſcue comedere juſſus, didicit gentes pro immundis habendas non eſſe. Hinc Spiritu monente Cornelii invitationem accepit, ac lubens Cæſaream perrexit, ubi Cornelium cum tota familia, & amicis quamplurimis in ejus domo congregatis, concione ad eos habita, ad fidem Chriſti convertit; ac Spiritu Sancto cælitus in eos ultro, nulla præcedente Petri manuum impoſitione, delapſo, Chriſti baptiſmo tinxit. Atque hinc & alia Petrus prærogativa exornatur; nimirum gentium primitiarum converſionem præcipuo quodam divinæ Providentiæ conſilio ipſi fuiſſe reſervatam.

IV. Tum quarto ab Chriſti *ἀναβάσει adſcenſione* anno, & Æræ vulgaris XXXVII. Antiochiam Syriæ Metropolim petiit, ibique Eccleſiam, cujus primordia jam ab aliis, uti nuper vidimus, conſtituta fuerant, fundavit, ejuſdemque per aliquot annos Epiſcopus ſedit. Unde nullus unquam dubitaſſe invenitur, Petrum primum Antiochenam Cathedram tenuiſſe, cujus ſucceſſores, qui poſtea eandem Eccleſiam gubernarunt, dicendi eſſent. Profecto Petrum Antiochiam incoluiſſe, ibique cum Judæis, gentibuſque verſatum fuiſſe teſtatur Apoſtolus *Ad Galatas II.* At vero ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopatum, & fundaſſe, & adminiſtraſſe tradunt Patres antiquiſſimi, ac univerſalis Eccleſiæ traditio (1).

V. Quod vero dicitur ſeptem annis Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum ſediſſe, iſtoc haud ita eſt intelligendum, quaſi integro illo ſeptennio nuſquam Antiochia egreſſus ſit: namque vicinas interim provincias Pontum, Aſiam, Cappadociam, aliaſque, ubi Chriſtianiſmi primordia fortaſſe jam conſtituta fuerant, peragraſſe, inibique Eccleſias fundaſſe, ex ejuſdem Apoſtoli Epiſtolis haud obſcure colligitur.

VI. Atqui Alexandrina Eccleſia ſuam D. Petro originem præcipue debet. Eam enim licet non *ἀμέσως immediate*, at *μέσως mediate* duntaxat per S. Marcum fundaverit; veteres tamen Eccleſiæ Patres Eccleſiarum æque Romanæ, & Antiochenæ, ac Alexandrinæ dignitatem, & ſplendorem ex eo potiſſimum profluxiſſe, quod a S. Petro fundatæ fuerint, aperte adſerunt. Ad rem Hincmarus Rem. Tomo II. pag. 202. *Sedes Eccleſiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ idcirco Speciales Sedes dici .... quoniam Sedes ſunt, quin potius una Sedes Magni Petri Apoſtolorum Principis*: Confer ſis Thomaſſinum *nuper indicato loco*.

VII. Atque hi præcipui ſunt a S. Petro apud Orientales, barbaricaſque regiones

(1) *Principem Apoſtolorum S. Petrum, antequam Romam peteret, Antiochenſem Eccleſiam fundaſſe pluribus hic evinci poſſet. At ſatis ſunto bina antiqua Eccleſiaſtica monumenta. S. Joannes Chryſoſtomus, dum Presbyteri partes adhuc obiret Antiochiæ, profitebatur Antiochenæ Eccleſiæ poteſtatem ſingularem conciliatam illi fuiſſe a principatu S. Petri*. Hæc eſt una noſtræ civitatis prærogativa dignitatis, quod Principem Apoſtolorum ab initio Doctorem acceperit .... Sed quum enim doctorem accepiſſemus, non in perpetuum retinuimus, ſed Regiæ civitati Romæ illum conceſſimus. *Euſebius in Chronico:* Petrus Apoſtolus Antiochenam Eccleſiam fundavit, ibique Cathedram adeptus ſedit .... Quum primum Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam profectus eſt. *Eadem habent Concilia Romana ſub Damaſo, & ſub Gelaſio, Nazianzenus, Theodoretus, Innocentius I. Gregorius M. aliique veteres, quorum teſtimonia vide apud Thomaſſinum* De V. & N. Eccleſ. Diſc. Part. I. Lib. I. cap. 7. & 8.

nes pro rei Chriſtianæ propagatione ſuſcepti labores, & Eccleſiæ conſtitutæ; & quidem vix decem, aut undecim annorum ſpatio. Anno enim Claudii Imp. XI., & Æræ vulgaris XLIV. Romam profectus Romanam fundavit Eccleſiam, uti ipſemet Apoſtolus *Ep. I. cap.* 5. ſatis indicat, ac Patres antiquiſſimi æque Orientales, & Occidentales conſenſione quanta maxima teſtantur. Neque quidquam cauſſæ eſt, cur in iſtoc capite explicando diutius immoremur, quum & plerique politiores Heterodoxi in eo ab Catholicis non diſſentiant; & diſſentientes doctiſſimis commentariis confutati ſint, eorundemque momenta penitus diſſlata. Tantummodo de authentia hiſtoriæ Simonis Magi, ad quem debellandum Petrum Romam petiiſſe Patres nonnulli tradunt, mox *Excurſu I.* pauca dabimus, ne perpetuus orationis curſus intercidi videatur.

VIII. Jam vero circiter Æræ vulgaris annum LI. Claudii Imperatoris IX. gravis Antiochiæ excitata ſeditio eſt. Quidam enim Judæi nominis Chriſtiani profeſſores e ſecta Phariſæorum e Judæa deſcendentes Chriſtianos ex gentibus circumcidi oportere dicebant, iiſdemque legis Moſaicæ onus ſubeundum. His Paulus, & Barnabas acriter ſe oppoſuerunt: *Actorum* 15. Eos παρεισάκτους ψευδαδέλφους *irreptitios falſos fratres* adpellat Apoſtolus: *Ad Galatas II.* eorumque antesignanum Cerinthum hæreſiarcham fuiſſe docent Philaſtrius *De Hæreſ. Cap.* 87. & Epiphanius *Hæreſ. XXVIII.* Jam vero quum perverſa illa doctrina fidelium animi perturbarentur, hinc ut tanto malo opportunum pararetur remedium, Paulus, & Barnabas Jeroſolymam petierunt, ut Apoſtolorum, Seniorumque iſtoc de capite fieret diſquiſitio.

IX. Eodem anno ſpeciali quadam Divinæ Sapientiæ οἰκονομίᾳ *œconomia* factum eſt, ut Judæis Cæſaris edicto Roma pulſis, Petrus quoque, qui ceu Hebræus habebatur, inde diſcedere cogeretur, ac Jeroſolymam peteret, Apoſtolorum Concilium celebraturus ad excitatam de legalium obſervatione controverſiam definiendam. Concilium igitur Apoſtolorum, Seniorumque coactum eſt, cui pro jure ſui Primatus Petrus præfuit, ac primus ſuffragium tulit. *In cujus ſententiam Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul presbyteri tranſierunt*, inquit S. Hieron. *Epiſt. LXXXIX. ad S. Auguſtinum*. Apoſtolica definitio hac formula concluſa eſt: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos bene agetis.*

X. Non ſtatim poſt Synodum celebratam Romam rediit Petrus, ſed aliquot poſt annis, ſcilicet quum Nero imperium jam conſecutus eſſet. At iterim deſidem, & otioſum Jeroſolymis manſiſſe credendum haud eſt. Novas enim per Orientis regiones Eccleſias fundaſſe, ac veteres jam a ſe prius conſtitutas inviſiſſe, & oppido veriſimile eſt, & indicat Lucas *ibidem*.

XI. Igitur Romam reverſus, quum rem Chriſtianam mirifice auxiſſet, ac longe lateque per Occidentales regiones, quæ illi inſtituendæ obvenerant, propagaſſet, divino admonitu cognovit fore, ut brevi interfici deberet. Igitur Epiſtolam ſecundam (primam enim, dum primum Romæ fuerat, jam exaraverat) ad eos, qui a ſe inſtituti fuerant, ſcripſit. Divini admonitus veritatem probavit eventus; mox enim, quum Nero intellexiſſet eum Romæ agere, ac eorum religioni, quos ipſe Imperator, tanquam incendii reos, exquiſitis manciparat ſuppliciis, propagandæ incumbere, ipſum cruci adfigi, eoque mortis genere adfici præcepit, quam ipſius magiſter olim obierat.

§. II. *De Geſtis S. Pauli.*

XII. Paulus igitur, jam Dei voce, uti nuper vidimus, *Vas electionis* conſtitutus, ut portaret nomen Dei coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael, continuo non adquievit carni, & ſanguini, ſed ſynagogis prædicabat Jeſum, ſtupentibus omnibus, qui audiebant: noverant enim ipſum nominis Chriſtiani hoſtem acerrimum. Porro Judæis in ipſum invidia, atque adeo ira concitatis, per murum dimiſ-

ſus

Digitized by Google

ſus in ſporta abiit Arabiam, ac poſt triennium venit Jeroſolymam viſurus Petrum. apud quem manſit ſolum diebus quindecim. Petrus enim, ceterique Apoſtoli auctores fuerunt, ut Jeroſolymis diſcederet, ac Cæſaream peteret, indeque Tarſum contenderet. Paulus igitur ſimul cum Barnaba, adſcito etiam in ſocietatem Joanne Marco, per has, aliaſque his finitimas Regiones Euangelium, vel primum prædicarunt, vel jam ab aliis prædicatum firmarunt, auxeruntque.

XIII. Quum vero Antiochiæ morarentur, fideles in Eccleſia Domino miniſtrantes, ac jejunantes, a Spiritu S. juſſi ſunt Paulo, & Barnabæ manus imponere: eoſque ad adnuntiandam gentibus Chriſti doctrinam dimittere: ex quo tempore præcipuas Orientis provincias peragrare adgreſſi ſunt; eas potiſſimum, ubi nomen Chriſtianum nondum erat auditum; ſcilicet Seleuciam, Cyprum, Antiochiam Piſidiæ, Iconium, Lyſtram, Derbem, aliaſque, tum & iiſdem finitima oppida, ubi licet graves ab Judæis paterentur perſecutiones, tamen prædicatione, doctrina, privatis congreſſibus, ac præcipue miris perpetratis prodigiis gentes multitudine innumerabiles ad Chriſtum duxerunt.

XIV. Quid quod opportune Antiochiam Syriæ petierunt, ubi exorta de legalibus controverſia, ipſis præcipue agentibus, ad Apoſtolos Jeroſolymis degentes delata eſt, ab quibus in Synodum congregatis, uti modo vidimus, ſalubriter definita eſt? Hinc Antiochiam redierunt, ut diſcipulis proſpicerent, omnemque poſthac contendendi occaſionem ſeditioſis adimerent. Aliquanto poſt Judas Jeroſolymam redit, at Paulus, Barnabas, & Silas, Antiochiæ manere malunt, ubi rem chriſtianam maximis incrementis adaugent.

XV. Tum Paulus Eccleſias inviſendas decernit, in quibus Euangelium prædicaverat; Barnabas Paulo libenter quidem adſentitur, modo Joannem Marcum ſecum adſumat: quum vero contra cenſeret Paulus, tanta inter eos orta eſt contentio, ut Barnabas, adſumpto Marco, navigaret in Cyprum, Paulus cum Sila peragraret Syriam, & Ciliciam confirmantes Eccleſias, dein Paulus veniens Derben, & Lyſtram, ibi Timotheum, quod ipſi ab omnibus bonum perhiberetur teſtimonium, ſecum adſumit, quem tamen matre Judæa natum circumcidendum curavit, quo Judæos magis lucrifaceret; quibus Phrygiam, Galatiam, aliaſque regiones percurrentibus, mirum quantum Eccleſiæ fide confirmarentur, ac numero credentium augerentur. Tum in Myſiam veniunt, ac inde deſcendunt Troadem, quod a Spirttu S. prohiberentur prædicare verbum Dei in Aſia, & in Bithynia. At cæleſti viſione admoniti, ut peterent Macedoniam, ſtatim itineri ſe committunt, unde provecti Troade, recto curſu Samothraciam veniunt, ac dein Neapolim, atque illinc Philippos, quæ Macedoniæ primaria urbs eſt, ubi plures ad Chriſtum convertunt, ac præcipue Lydiam quandam, quæ baptizata Paulum cum ſociis hoſpitio excipit.

XVI. Tum facto itinere per Amphipolim, & Apolloniam venerunt Theſſalonicam totius Macedoniæ Metropolim, ubi Euangelium Dei cum multo certamine adnuntiaviſſe ſe ſcribit Apoſtolus. Multa enim ab Judæis paſſus eſt. Attamen magnam Judæorum, Græcorumque multitudinem in Chriſti caulam duxerunt, ac præcipue ex mulieribus primariis non paucæ Chriſto nomen dedere, quas omnes Paulus non de fide tantum Chriſtiana, ſed etiam de futura Apoſtaſia, & Antichriſti revelatione edocuit.

XVII. Verum, Judæis incredulis auctoribus, graviſſimus in civitate tumultus per homines improbos adverſus Paulum ejuſque comites excitatus eſt, quos etiam ad magiſtratus deduxere, quibus quum ab illis factum ſatis fuiſſet, fratres ſtatim per noctem Paulum ſimul, & Silam emiſerunt Berœam. Ibi in Synagogis Scripturas explicantes Chriſtum adnuntiarunt, & quidem non ſine felici eventu. Berœenſes enim prædicata a Paulo cum Scripturis veteris teſtamenti conferentes, eaque inter ſe conſona perſpicientes, maxima ex parte crediderunt. Quumque Judæi Theſſalonicenſes illuc venientes turbam contra Paulum concitarent, fratres eum ſtatim emiſerunt, velut iturum ad mare, ſed Athenas

Digitized by Google

nas uſque deduxerunt, accepto ad Silam, & Timotheum Berœæ relictos mandato, ut ad ipſum venirent quam citiſſime.

XVIII. Dum eos Athenis exſpectat tum in Synagogis cum Judæis, tum in foro cum quibuſvis obviis, cum Epicureis quoque, & Stoicis philoſophis de Chriſto, & reſurrectione diſputat. Dein tanquam peregrinorum Deorum adnuntiator cauſſam dicturus in medium ducitur Areopagum, ubi doctiſſimam habet orationem ducto argumento ab ara ipſorum *Ignoto Deo* jam dicata. Neque defuerunt ex Athenienſibus, qui Paulo adſentirentur, inter quos fuit Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Tum Silam, & Timotheum, qui Berœa ad ipſum venerant, iterum in Macedoniam remittens, ſolus Athenis remanſit. Deinde relictis Athenis venit Corinthum, ubi apud Judæum quendam Aquilam nomine aliquandiu manſit, quando Aquila idem cum illo conficiendi tabernacula artificium exercebat. Ibi omnibus Sabbatis in Sinagoga diſſerens plures Judæos, Græcoſque ad Chriſtum convertit. Quum vero ipſi Chriſtum prædicanti Judæi increduli obſiſterent, ac blaſphemarent, hinc cum Timotheo, & Sila, qui e Macedonia jam advenerant, ad Gentiles divertit, quorum plurimos convertit, nonnullos etiam ſua manu baptizavit.

XIX. In Syriam inde navigaturus, primum devenit Epheſum, ac diſcipulis rogantibus, ut diutius apud ipſos maneret, non adnuit; reverſurum tamen ſe iterum ad eos pollicetur. Et quidem peragratis Cæſarea, Antiochia Syriæ, Galatia, Phrygia, atque Eccleſiis per iſtas, aliaſque finitimas regiones in fide confirmatis, noviſque fidelium acceſſionibus auctis, Epheſum redit, ubi tribus menſibus primum in Synagoga prædicans, dein per biennium in Schola Tyranni cujuſdam, ac demum novem aliorum menſium ſpatio Epheſi vicinas urbes concurſans, factum eſt, ut ex univerſa Aſia Judæi, Græcique Chriſto nomen darent Pauli prædicatione, atque adeo miris a Deo per ipſum perpetratis prodigiis permoti.

XX. Jam vero vehementi in Paulum mota perſecutione, fratrum conſilio inde diſcedit profecturus in Macedoniam. Porro Epheſo primum in Troadem venit, inde in Macedoniam navigat, & ex Macedonia in Græciam proficiſcitur, & ex Græcia in Syriam, ac inde in Macedoniam redit, unde per Miletum, Troadem, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæſaream tandem Jeroſolymam pervenit, nihil ſibi timens malorum, quæ ipſi Jeroſolymis ab Judæis parata erant.

XXI. Et ſane ab Eccleſia Jeroſolymitana libentiſſime exceptus eſt, ubi Jacobi conſilio ad ſparſam de eo calumniam depellendam (nim. quod Judæos fideles ab Legis Moſaicæ obſervatione recedere hortaretur) cum quatuor Judæis fidelibus, qui votum Nazareatus fecerant, Templum ingreditur, ut ſecundum Legis præſcriptum ſe purificaret. Id quod minime eum juvit, Judæis in ipſum magnis clamoribus turbas concitantibus. Verum tum in ipſo templo gravi oratione, tum apud magiſtratus, ad quos perductus eſt, fortiter, ac ſtrenue ſuam cauſſam tuetur; quin immo videns Feſtum nimis erga incredulos Judæos proclivem, adeo ut metueret ſibi a Judæorum inſidiis, Cæſarem adpellavit, quam adpellationem Feſtus admittendam cenſuit. Unde comitibus Timotheo, & Luca Romam verſus iter adripuit; quo in itinere tum gravia patiuntur incommoda, tum vel maxime prope Melitam inſulam vehementiſſimam tempeſtatem, qua omnis ſpes ſalutis ipſis ablata eſt. Verum Paulo ab Angelo revelatum eſt ſiſti oportere eum Cæſari, ac donaviſſe ei Deum omnes, qui navigabant cum ipſo. Et ſane licet navis procellarum vi diſſolveretur; homines vero partim enatantes, partim tabulis, & fragmentis navis ſubvecti ſalvi in terram omnes evadunt.

XXII. In Melita Inſula plura ab Apoſtolo perpetrantur prodigia; unde oppido veriſimile eſt nonnullos ſaltem ex Melitenſibus Pauli ſermone, ac prodigiis Chriſto nomen dediſſe: præſertim quum tribus menſibus apud eos permanſerit. Tandem multis honoribus a Melitenſibus adfectus, & iis, quæ uſui erant neceſſaria, inſtructus, conſcenſa navi Alexandrina, per Syracu-

racuſam, Rhegium, & Puteolos, Romam contendit. Roma fratres in occurſum Paulo prodierunt uſque ad Appii forum, & Tres Tabernas; & Romæ Paulo a magiſtratu permiſſum eſt habitare ſeorſum cum milite ipſum cuſtodiente. In Romano incolatu primum Judæis ad eum in hoſpitium venientibus Chriſtum ex Lege, & Prophetis adnuntiat, dein Judæis relictis ad Gentes ſe convertit. Actorum Cap. XXVIII. *Manſit biennium totum in proprio conducto omnes excipiens, qui ad eum ingrediebantur, prædicans regnum Dei cum omni dicendi libertate nemine prohibente.* Quinimmo Pauli ob Chriſtum vincula celebria facta ſunt in toto Prætorio, nonnullis etiam ex Cæſaris palatio ad Chriſti fidem converſis. Unde ſcribit Hieronym. Com. in Epiſt. ad Philem. *A Cæſare miſſus in carcerem notior familiæ ejus factus, perſecutoris domum Chriſti fecit Eccleſiam.* Neque immemor Eccleſiarum, quas in Oriente fundaverat, Roma Epiſtolas miſit ad Philippenſes, Coloſſenſes, ad Epheſios, aliaſque Aſiæ provincias, ad Hebræos, ad Philemonem.

XXIII. Jam vero expleto biennio Paulus Roma in Aſiam navigat, & Coloſſis a Philemone hoſpitio recipitur: dein in Creta Inſula Euangelium prædicat relicto ibi Tito, ut quæ reliqua erant, corrigeret. Tum Epheſi aliquandiu moratus, Timotheum ibi, quum inde in Macedoniam proficiſceretur, reliquit, ut eam Eccleſiam, ſe abſente, adminiſtraret. In Macedonia vero apud Philippenſes permanſit; ſicut eis ipſe antea promiſerat: inde Epheſum ad Timotheum rediit: demum ſecundo Romam veniens a Nerone auditus, & abſolutus per integrum annum omnibus Gentibus Romam confluentibus Euangelium prædicat, ac Petro in Romano Epiſcopatu comitem & adjutorem ſe adjungit (2). Atque uterque die 29. Junii celebri martyrio vitam finierunt: & Petrus quidem capite, ut expetierat, deorſum ſtatuto crucifixus, Paulus vero gladio percuſſus. De Pauli in Hiſpanias profectione *Cap. IV.* redibit ſermo.

§. III. *De S. Andreæ Apoſtolatu.*

XXIV. Andreas frater Petri, major natu, & prius, quam ille vocatus plures barbaricas regiones ſua prædicatione illuſtravit, ut Patres antiquiſſimi teſtantur. Origenes apud Euſebium (3), Hippolytus (4), Eucherius (5), aliique evocaſſe Scythas ad Chriſti fidem tradunt. Achaiam addit Hieronymus (6), Paulinus (7), Gaudentius (8), & Iſidorus (9); Epirum Nazianzenus (10); Græciam Theodoretus (11), & Chryſoſtomus

(2) *De Romano S. Pauli Apoſtolatu, & Epiſcopatu redibit ſermo Excurſu III.*

(3) *Origenes apud Euſebium III.* 1. Thomas, ut a majoribus traditum accepimus, Parthiam ſortitus eſt, Andreas vero Scythiam: Joanni Aſia obvenit.

(4) *Hippolytus apud Fabritium: Salutar. Lux Euangelii Cap.* 5. Andreas Scythis, & Thracibus prædicavit.

(5) *Eucherius Quæſt. in Act.* Bartholomæus in Indos, Thomas tetendit in Parthos, Matthæus Æthiopes, Andreas Scythas prædicatione mollivit, Joannes Aſiam divino ſermone correxit.

(6) *Hier. Epiſt.* 148. *ad Marcellam*. In omnibus locis verſabatur Dei ſermo cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Andrea in Achaja, cum ſingulis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris in ſingulis cunctiſque regionibus.

(7) *Paulinus Natal. IX. S. Felicis.* Hic Pater Andreas, hic qui piſcator ad Argos Miſſus . . . Theſſalicas fuſo damnavit ſanguine Patras.

(8) *Gaudentius Serm. XVII.* Joannes in Sebaſtena urbe provinciæ Palæſtinæ; Thomas apud Indos; Andreas, & Lucas apud Patras Achaiæ civitatem conſummati feruntur.

(9) *Iſidorus Lib. de Vit. & Mort. SS.* Hic in ſorte prædicationis Scythiam, atque Achaiam accepit.

(10) *Naz. Orat. XXV.* Quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Joanni cum Epheſo, Thomæ cum India, Marco cum Italia?

(11) *Theodoretus in Pſ.* 116. Sic magnus ille Joannes Aſiam a priſtino errore liberavit: Sic divinus Andreas Græciam divinæ cognitionis radiis illuſtravit: Sic diviniſſimus Philippus utrorumque Phrygum errorem redarguit.

mus (12); Bithyniam, & Pontum Philaſtrius (13), & Dorotheus. Denique de S. Andrea hæc habet Sophronius : *Andreas, ut majores noſtri prodiderunt, Scythis, & Sogdianis, & Saccis prædicavit Euangelium D. N. J. C. & in Sebaſtopoli prædicavit ... Sepultus eſt autem Patris civitate Achaiæ cruci ſuffixus*. Atque iſtæc certiora ſunt, quæ de S. Andreæ prædicatione ex antiquis Scriptoribus colligere licuit. Ceterum, quæ de ejuſdem ad Cappadoces, Galatas, Bizantinos, Moſcos &c. Apoſtolatu tradunt uterque Nicephorus Conſtantinopolitanus, & Callixtus, Menæa Græcorum, aliique recentiores, dubiæ prorſus fidei: atque ejuſmodi ſunt, ut iis non tantopere confidamus, uti erudite diſputant Natalis Alexander, & Tillemontius.

§. IV. *De S. Jacobo Majore*.

XXV. Jacobus ob vocationem priorem *Major* dictus, Joannis germanus, Spiritus S. donis perinde ac reliqui Apoſtoli inſtructus inter Jeroſolymas, vicinaque oppida majorem vitæ partem tranſegit, ac tandem ab Herode Agrippa Judæis gratificante capite truncatus eſt. Qui Jacobum ad ſupplicium traxit, quum ea animi præſentia, quæ Apoſtolum decebat, conſtanter nomen Chriſti eum profiteri animadverteret, & ipſe martyrio ejus ſe adjungens, ſecuri percutitur. Clemens Alex. apud Euſebium (14). De S. Jacobo Sophronius, *Jacobus Zebedæi filius*, inquit, *undecim tribubus, quæ erant in diſperſione, omnibus prædicavit Euangelium*. Fortaſſe Epiſtolam Catholicam, quæ eſt S. Jacobi Alphæi, quæque *duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione* inſcribitur, Jacobo Majori per errorem tribuit Sophronius; ac propterea animum induxit, illum *duodecim tribubus, quæ erant in diſperſione*, Euangelium adnuntiaſſe. An autem Hiſpanias adierit mox videbimus.

§. V. *De S. Joannis Theologi Apoſtolatu*.

XXVI. Joanni Jacobi Majoris fratri Aſia ſortito obtigit : Origenes apud Euſebium (15). Vel ſeptem ibi Eccleſias fundavit, vel jam fundatas confirmavit, rexitque, iiſdemque Apocalypſim ſuam inſcripſit: Polycrates apud Euſebium (16), Irenæus (17), Chryſoſtomus (18), Hieronymus (19), Eucherius (20), Nazianzenus (21), Theodoretus (22). Utrum autem Epheſi tanquam Epiſcopus ſederit dubium eſt : præſertim quum Parthis quoque Euangelium adnuntiaſſe indicet Auguſtinus (23), & Paulum Epheſios

(12) *Chryſoſtomus, ſive quiſquis ſit vetus auctor Homiliæ de XII. Apoſtolis ad calcem Tom.* VIII. *recentioris editionis :* Petrus hinc Romam erudit : Paulus inde Mundo Euangelium adnunciat : Andreas Græciæ ſapientes corrigit : Simon Deum docet barbaros : Thomas baptiſmate Æthiopas dealbat : Jacobi cathedram Judæa honorat : Marci thronum Alexandria ad Nilum complectitur : Lucas, & Matthæus Euangelia conſcribunt : Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam inſtituit : Philippus miraculis conſervat Hierapolim.

(13) *Philaſtrius Hæreſi* 88. Actus, quos Andreas fecit, veniens de Ponto in Græciam.

(14) *Clemens Alex. Lib. VII. Inſtitutionum apud Euſebium II.* 9. Ait enim Clemens eum, qui Jacobum judicio obtulerat, quum illum vidiſſet Chriſti fidem libere profitentem, commotum viri conſtantia, ſe quoque Chriſtianum eſſe adfirmaſſe : Ambo igitur, inquit, ſimul ad ſupplicium ducti ſunt.

(15) *Origenes apud Euſebium ſupr. n.* 3.

(16) *Polycrates apud Euſebium III.* 23. Iiſdem temporibus in Aſia Apoſtolus ille, & Euangeliſta Joannes . . . Eccleſias regionis illius gubernabat, poſt Domitiani mortem reverſus ab exſilio, quod in inſula pertulerat.

(17) *Irenæus III.* 3. Epheſina Eccleſia, quæ a Paulo quidem fundata eſt, Joannem uſque ad Trajani tempora habuit præſidentem.

(18) *Chryſoſt. Tom. IV. in Epiſt. ad Galatas :* Joannes Euangeliſta plurimum illic eſt verſatus. Nam & illic fuit relegatus, & deceſſit.

(19) *Hier. de Script. Eccleſ. in Joann.* Totas Aſiæ fundavit, & rexit Eccleſias.

(20) *Eucherius ſupr. n.* 5. (21) *Nazianz. ſupr. n.* 10. (22) *Theodoretus ſupr. n.* 11.

(23) *Auguſt. Quæſt. Euangelicarum II.* 29. Etiam illud dictum a Joanne in Epiſt. ad Parthos : dilectiſſimi.

ſios ad fidem convertiſſe conſtet, iiſdemque Timotheum paſtorem dediſſe. Si igitur Joannes Epheſi commoratus eſt aliquandiu, id poſt Timothei obitum factum eſſe oportet. Et ſane in Eccleſiæ perſecutione ſub Domitiano Romæ ab Aſiæ Proconſule miſſum in ſerventis olei dolio illæſum ſubſtitiſſe ſcribunt Tertull. & Hieronymus (24). Tum Roma in Pathmum abiiſſe exſulem, ibique vidiſſe, & ſcripſiſſe ſuam Apocalypſim, atque inde reducem peragrata Aſia jam grandævum Epheſi ad extremam uſque ſenectutem commoratum placidam tandem mortem obiiſſe, res eſt antiquis Scriptoribus Origeni apud Euſebium (25), Chryſoſtomo (26), Epiphanio (27), Auguſtino (28), Clementi Alexandrino (29), aliiſque teſtatiſſima. Recte igitur Irenæus nuper producto loco ſcribit Epheſinam Eccleſiam fuiſſe quidem a Paulo fundatam, a Joanne vero curatam.

§. VI. *De S. Thoma.*

XXVII. S. Thomam Apoſtolum apud Parthos egiſſe tradunt Origenes apud Euſebium (30), Eucherius (31), Rufinus (32), Socrates (33), Auctor Recognitionum (34), aliique. Tum Indorum Apoſtolum faciunt Ambroſius (35), Nazianzenus (36), Paulinus (37), Gregorius Turonenſis (38), Gaudentius (39), Hieronymus (40), aliique. Æthiopas addit Auctor *Homiliæ in XII. Apoſtolos* Chryſoſtomo tributæ, Perſidem Venantius Fortunatus (41), & Sophronius. Theodoretus quidem ſcribit *Serm. IX. de Legibus adverſus Gentiles* Parthos, Perſas, Medos, Æthiopas, Seras, Hircanos, Bactrianos, aliaſque finitimas gentes Chriſti Euangelium ſuſcepiſſe. Profecto ejuſmodi Apoſtolatum Thomæ adſcribendum tum modo indicata Patrum monumenta monſtrant, cum vel maxime Pſeudo-Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. *Thomas Apoſtolus*, inquit, *quemadmodum traditum eſt nobis, Parthis, & Medis, & Perſis, & Germanis, & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicavit Euangelium Domini noſtri. Dormivit in civitate Salamine,*

(24) *Tertull. de Præſcriptionibus Cap.* 36. Apoſtolus Joannes poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. *Idem teſtatur Hieron. Lib. I. adverſus Jovinianum cap.* 14., *& Comm. in Matth. cap.* 20.

(25) *Origenes apud Euſebium III.* 1. Joanni Aſia obvenit . . . . qui plurimum temporis in ea commoratus, Epheſi tandem diem obiit.

(26) *Chryſoſtomus ſupra n.* 18.

(27) *Epiphanius hæreſ.* 31. In Aſia . . . . Illic adfecta jam ætate prædicare, Spiritus S. hortatu, jubetur, & errantes a via revocare.

(28) *Auguſtinus Tract. CXXIV. in Joan. n.* 2. Si cui placet . . . adſerat Apoſtolum Joannem vivere, atque in illo ſepulcro, quod eſt apud Epheſum, dormire eum potius, quam mortuum jacere contendat.

(29) *Clemens Alex. Homil. Quis dives ſalvetur.* Eum *Joannem*, quum poſt tyranni *Domitiani* obitum e Pathmo Inſula Epheſum rediiſſet, vicinas quoque gentes rogatum viſiſſe, partim quidem ut Epiſcopos conſtitueret, partim ut integras Eccleſias diſponeret, ac formaret *&c.*

(30) *Origenes apud Euſebium ſupr. n.* 3. (31) *Eucherius ſupr. n.* 5.

(32) *Rufinus Lib. I.* 9. Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo.

(33) *Socrates l.* 15. Thomas Parthiam, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam ſortitione accepit.

(34) *Auctor Recognitionum IX.* 29. Apud Parthos, ſicut nobis Thomas, qui apud illos Euangelium prædicat.

(35) *Ambroſius in Pſ.* 45. Illis quidem etiam intercluſa barbaris montibus regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Perſia.

(36) *Nazianz. ſupr. n.* 10.

(37) *Paulinus Carm. XXVII.* Parthia Matthæum complectitur, India Thomam: Lebbæum Libyes, Phryges accepere Philippum.

(38) *Gregor. Turon. de Gloria Martyrum Lib. I. cap.* 32. Thomas Apoſtolus ſecundum paſſionis ejus hiſtoriam in India paſſus eſſe declaratur.

(39) *Gaudentius ſupra n.* 8. (40) *Hieronymus ſupra n.* 6.

(41) *Venantius Fortunatus:* Bellica Perſidos Thomæ ſubjecta vigori, Matthæum eximium Naddaver alta virum.

minæ, *quæ eſt Indiæ*. Eadem pæne habet Sophronius. Auctor Operis imperfecti in Matth. Chryſoſtomo tributi ſcribit ab Apoſtolo Thoma tres illos Magos, qui Chriſtum natum adoravere, fuiſſe baptizatos, ac ſocios in prædicatione Euangelica adſumtos.

§. VII. *De Apoſtolatu S. Matthæi*.

XXVIII. S. Matthæum Hebræis primum prædicaſſe, dein & alias regiones, diſſitaſque gentes adiiſſe ſatis indicat Euſebius (42). Porro ipſi Æthiopiam quoque patuiſſe ſcribunt Eucherius (43), Rufinus (44), Socrates (45), Venantius Fortunatus (46), aliique. Perſidem addit Ambroſius (47), Parthiam Paulinus (48), alii alias tribuunt regiones.

§. VIII. *De Apoſtolatu S. Bartholomæi*.

XXIX. S. Bartholomæum Indis citerioribus Æthiopiæ proximis divini verbi ſemina diſperſiſſe, iiſdemque Euangelium, quod eſt ſecundum Matthæum, reliquiſſe teſtantur Pantænus Philoſophus Chriſtianus apud Euſebium (49), Hieronymus (50), Rufinus (51), Socrates (52), Philoſtorgius (53), Venantius Fortunatus (54), aliique. Unde conſtans videtur fuiſſe in Eccleſia de S. Bartholomæi apud Indos Apoſtolatu traditio, quam argumentis parum firmis in dubium vocare nititur Baſnagius ad an. 46. num. 35. In majori quoque Armenia Albanis prædicaſſe, & Lycaonibus ſcribunt Auctor Homiliæ de 12. Apoſtolis, Theodorus Studites, Nicetas, aliique.

§. IX. *De S. Philippo*.

XXX. S. Philippus in utramque Phrygiam Chriſti Euangelium intulit, ac Hierapoli, quæ eſt Phrygiæ Pacatianæ civitas, martyrium paſſus eſt. Id quidem teſtantur Polycrates apud Euſebium (55), Theodoretus (56), Chryſoſtomus (57), Paulinus (58), Sophronius, aliique. Aſiam, Syriam, Phrygiam, & Lycaoniam addunt Nicetas, Walafridus Strabo, & Menæa; at horum teſtimonia tanti non ſunt, ut plenam fidem mereantur. Tum S. Philippum Gallis prædicaſſe tradunt Beda, Iſidorus, aliique recentiores; at de hoc capite opportunius *Cap. ſequent.*

§. X. *De S. Jacobo Minore, ſive Alphæo*.

XXXI. S. Jacobus Minor Alphæus, Auctor Epiſtolæ Catholicæ ad Judæos undique diſperſos, Jeroſolymitanæ Eccleſiæ ab Apoſtolis Epiſcopus conſtitutus, eandem per annos 30. ſanctiſſime rexit, uti auctor eſt Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſ. Cap.* 2. Porro Jacobus Alphæus num unus, idemque ſit ac Jacobus Minor Frater Domini, & cognomento *Juſtus* diſputant Baronius, Tillemontius, Combefiſius, aliique. Verum egregium Virorum Clariſſimorum par, Henſchenius *ad diem* 1. *Maji*, & Mazochius *Comment. in Kalend. Marm. Neap. ad diem* 1. *Maj. Diatr. de tribus Jacobis*, pluribus demonſtrare contendunt, tres Jacobos eſſe inter ſe omnino diſtinguendos, quorum primus fuerit Jacobus Zebedæi filius, Joannis frater, ex duodecim unus. Alter Jacobus Alphæi filius, item

(42) *Euſebius III.* 24. Matthæus quum primum Hebræis fidem prædicaſſet, inde ad alias quoque gentes profecturus, Euangelium ſuum patrio ſermone conſcripſit.
(43) *Eucherius ſupr. n.* 5. (44) *Rufinus ſupr. n.* 32. (45) *Socrates ſupr. n.* 33.
(46) *Venantius Fortunatus ſupr. n.* 41. (47) *Ambroſius ſupr. n.* 35.
(48) *Paulinus ſupr. n.* 37.
(49) *Euſebius V.* 10. Quibus *Indis* Bartholomæus unus ex duodecim Apoſtolis, olim, ut fama eſt prædicaverat, & Euangelium Matthæi hebraicis conſcriptum litteris reliquerat.
(50) *Hieronymus in Catal. Scrip. Eccleſ.* (51) *Rufinus ſupr. n.* 32.
(52) *Socrates ſup. num.* 33.
(53) *Philoſtorgius II.* 6. Interiores Indos quotquot Chriſtum colere ex Bartholomæi Apoſtoli inſtitutione didicerunt.
(54) *Venantius Fortunatus:* Inde triumphantem fert India Bartholomæum.
(55) *Euſebius V.* 24. Philippus unus ex duodecim Apoſtolis, qui mortuus eſt Hierapoli.
(56) *Theodoretus ſupr. n.* 11. (57) *Pſeudo-Chryſoſtomus ſupr. n.* 12.
(58) *Paulinus ſupr. n.* 37.

tem ex duodecim unus, quem non levibus de cauſſis fratrem Matthæi fuiſſe volunt, qui & ipſe Alphæi filius fuit. Poſtremus & tertius Jacobus *ὁ μικρὸς Minor*, idemque Frater Domini, & *Juſtus* cognomento dictus, adhæc ex Cleopha patre, Maria matre natus, Scriptor Epiſtolæ Canonicę. Quę cum ita ſint Jacobus *μικρὸς Minor* Epiſcopus Jeroſolymitanus fuit, & Epiſtolæ Canonicæ Scriptor. Jacobus autem Alphęi Gazæ primum, dein Eleutheropoli, & in vicinis civitatibus Euangelium prædicavit, deinde apud Ægyptios verſatus eſt, ibique Apoſtoli munere functus. Ita Nicetas, David Paphlago apud Nicephorum Callixtum *Lib. II. cap.* 40. aliique. Exemplaria tria Martyrologii Hieronymiani Natale S. Jacobi Alphæi Apoſtoli in Perſide conſignant. Poſtremo Græcia univerſa nunquam pro ternione non militavit (59). Adi ſis Mazochium, & Henſchenium *indic. locis*.

§. XI. *De SS. Simone ſic dicto Zelote, & Juda Thaddæo.*

XXXII. Simon Zelotes diſtinctus ab Simeone, quem in Epiſcopatu Jeroſolymitano ſucceſſorem habuit Jacobus, ſi fides habenda Bedæ, *Retract. in Act. Apoſt.* in Meſopotamiam Euangelium invexit. Ægyptum, & Cyrenem addunt Nicephorus Callixtus *Lib. II. cap.* 10. & Iſidorus *de Vita & Morte SS.* Africam, Mauritaniam, & Britanniam Nicephorus ipſe, & Pſeudo Dorotheus. At hæc incerta prorſus ſunt.

XXXIII. Judas ſic dictus *Thaddæus* Libyam Chriſti fide luſtravit, uti Auctor eſt Paulinus. Pontum addit Walafridus Strabus, Meſopotamiam Beda *ibid.* tum alii alias regiones. Verum in his ſubleſtam Auctorum, quos dedi, fidem jure quis ſuſpicetur.

§. XII. *De S. Matthia.*

XXXIV. S. Matthias Æthiopiam exteriorem Chriſtum deprædicaturus peragravit; id quidem narrantibus Sophronio, & Nicephoro Callixto *ibid. Cap.* 40. Verum enim vero Judææ primum conſtitiſſe id muneris obiturum, habent Martyrologia Bedæ, Uſuardi, & Rabani.

(59) Cur Jacobus *ἀδελφὸς frater Domini* cum Jacobo Alphæi filio confunderetur in cauſſa fuiſſe videtur illud Pauli ad Galatas 1. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Cepham & Jacobum fratrem Domini*. At Jacobum *ἀδελφὸν fratrem Domini* eadem ratione, qua Paulus, & Barnabas, Apoſtolum dicere ne dubites. Unde ſcite eum Paulus unum ex Apoſtolis habuit, at non unum ex duodecim.

EXCURSUS I.

De Certamine S. Petri cum Simone Mago.

I. Clariſſimus, ac omnigenæ eruditionis parens Mazochius noſter in *Kalend. Marmor. Neap. ad diem XXIX. Jun.* S. Petri cum Simone Mago certaminis Hiſtoriæ *γνησιότητα* fortaſſe primus omnium invictiſſime demonſtrat: cujus demonſtrationis ſpecimen hic veluti in nucleo exhibere operæ pretium duco.

II. Ac primo veterum Patrum teſtimonia profert ab Arnobio Afro incipiens, qui circa annum 303. ſuam ſcripſiſſe Apologiam creditur. Is *Lib. II.* ſic ſcriptum reliquit: *In qua* Roma *cum homines ſint Numæ Regis artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ. Viderunt enim currum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto evanuiſſe.* Porro videt quiſquis Arnobium de ejuſmodi Hiſtoria loqui, tanquam de trita narratione, & pervagata.

III. Arnobio proximum ætate ſubnectit Cyrillum Jeroſolymitanum, qui Catech. VI. cap. 15. ſic docuit: *Quum vero Simonis error ſe latius ſpargeret, vitium illud correxit egregium par virorum Petrus, & Paulus Eccleſiæ* (*προστάται*) *Præſides illuc profecti: qui illum* (*τὸν νομιζόμενον θεὸν*) *Deum putativum Simonem ſeſe oſtentantem ſubito mortuum repræſentarunt. Quum enim Simon ſe mox in cælum ſublimem*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mem ſublatum iri prædixiſſet ... ſervi Dei ... in terram præcipitem dejecerunt &c.

IV. Legati Sedis Apoſtolicæ, qui id certe melius aliis noverant, neque aliis in hoc capite imponere poterant, quum de re non in diſſita aliqua regione geſta ſcriberent, in ea Epiſtola, quam ad S. Euſebium Vercellenſem ſcripſerunt, ita hunc S. Epiſcopum adloquuntur: *Scit enim Dominus, & Chriſtus ejus, quia ſicut in adventu beatiſſimorum Apoſtolorum glorificatur Dei nomen in ruina Simonis; ita Valente expulſo* &c.

V. S. Pacianus Epiſt. II. ad Symbronianum Hiſtoriam ſic tangit, ut integram narrationem, tanquam vulgo notam prætereat. *Nonne*, inquit, *Simonem Petrus, judice adſtipulante* (1), *confundit* (2)? *Num* (forte *Nonne*, vel *Non*) *Elymam, favente Sergio Paulus excæcat?*

VI. Epiphanius Hær. XXI. quæ eſt Simonianorum num. 5. *Nam ſi ille potentia Dei magnus eſt.... quo pacto idem præſtituto ſibi tempore naturæ debitum reddidiſſe in urbe Roma reperitur, cum in Romanorum urbe media dilapſus miſer interiit?*

VII. S. Ambroſius in Egeſippo ſive Exjoſippo (quem fortaſſe primus omnium Ambroſio juveni, & Catechumeno plene vindicavit Mazochius noſter *ibidem*) de eadem hiſtoria hæc habet: *Simon pollicetur volatum, quo ſupernis ſedibus inveheretur .... ſtatuto die montem Capitolinum conſcendit, ac ſe de rupe dejiciens volare cœpit. Tunc Petrus in medio ſtans, ait:* Jeſu Domine oſtende ei vanas artes ſuas eſſe .... *ſtatim in voce Petri, implicatis remigiis alarum, quas ſumpſerat, corruit: nec exanimatus eſt, ſed fracto debilitatoque crure Ariciam conceſſit: atque ibi mortuus eſt.*

VIII. Quod juvenis Ambroſius ſcripſit, Epiſcopus factus non adoptavit modo, verum & iiſdem pæne verbis protulit. Sic Hexaemeri Lib. IV. Cap. 8. *Petrus Simonem alta cæli magico volatu petentem, diſſoluta carminum poteſtate, dejecit, & ſtravit.*

IX. Auctor Commentarii in *Epiſt. ad Rom.* Ambroſio æqualis ad *Cap.* 8. *verſ.* 39. ſic ſcriptum reliquit: *Neque ſi virtus ab aliquo facta fuerit (ſicut dicitur facta a Simone Mago, qui dicitur in aere ſurſum, ut populum Chriſti ſcandalizaret, volaſſe) fidem noſtram debebit minuere.*

X. Philaſtrius Brixienſis ubi de Simonis hæreſi, ſic deſinit: *Qui cum fugeret B. Petrum Apoſtolum de Jeroſolymitana civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret, cum B. Apoſtolo apud Neronem Regem, devictus undique oratione B. Apoſtoli, atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit interire, ut ejus magiæ evidens mendacium* (volatum ab impoſtore tentatum intelligit) *cunctis hominibus pateſieret.*

XI. Auctor Commentarii in omnes Pſalmos incertus quidem, ſed perantiquus in illud Pſalmi 9. *Dixit in corde ſuo: non movebor a generatione in generationem ſine malo;* ſic commentatur: *Non movebor a generatione carnali in generationem ſpiritalem* (id eſt de terra cum corpore in cælum conſcendam) *ſine malo: ac ſi dicat ſine ulla injuria. Cum voluerit aſcendere* (Antichriſtus) *ad montem oliveti Dominus eum interficiet ſpiritu oris ſui. Voluit unus de membris ſuis* (de membris ſcilicet Antichriſti) *Simon Magus cælum conſcendere, ſed interiit.*

XII. Scriptorum IV. ſeculi agmen ultimus claudat Magnus Auguſtinus, qui in eundem Pſalmum hæc habet: *Quod quidem etiam de Simone diffamatum eſt* (hoc eſt pervulgatum) *cum ſceleratis artibus cælum ſe putaſſet adepturum, & de humana generatione in divinam generationem rebus magicis tranſiturum.* Et initio lib. de hæreſibus de Simone ſic deſinit: *in qua urbe* (Roma) *Apoſtolus Petrus eum* (Simonem) *vera virtute Dei Omnipotentis* (non fal-

(1) *Judicem adſtipulantem*, h. e. Judicem, qui certamini præfuit, deſignat Philaſtrius mox producendus, quum ſcribat apud Neronem regem fuiſſe depugnatum.

(2) Pacianus hic fractam a S. Petro Simonis impudentiam *Actor. VIII.* ſpectaſſe dici poſſet, niſi τὸ *judice adſtipulante* (de quo nihil *Actor. VIII.* exſtat) interpoſuiſſet: tangitur igitur Romanus cum Simone conflictus. At ſane familiare hoc antiquis fuit, ut ultimum hoc Petri cum Simone certamen cum illo Pauli cum Elyma congreſſu componerent. Sic S. Proſper. in Lib. cui titulus *Dimidium temporis* Cap. 13. & Baſilius Seleucienſis Lib. I. de S. Thecla, & alii.

Digitized by Google

falſa vi Dæmonum, qua magus pollebat) *extinxit*.

XIII. Ab Auguſtino prorſus ſejungendus non eſt Caſulanus Urbicus Auctor Diſſertationis pro jejunio Sabbati ab Auguſtino confutatæ. Is apud eundem Auguſtinum Epiſt. XXXVI. Cap. 2. hæc opponebat: *Petrus etiam*, inquit, *Apoſtolorum caput, cæli janitor, & Eccleſiæ fundamentum*, EXTINCTO *Simone, qui Diaboli fuerat, nonniſi jejunio vincendi, figura, id ipſum* (nimirum Sabbati jejunium) *Romanos edocuit, quorum fides annuntiatur univerſo orbi terrarum*.

XIV. Ergo Patres IV. ſeculi æque Orientales, ac Occidentales concordi ſuffragio certaminis S. Petri cum Simone Mago Hiſtoriæ γνησιότητα vindicant. Quibus ſi addantur æque conſentientes Patrum, aliorumque Scriptorum, qui V. VI. & ſequentibus ſeculis floruerunt, ſententiæ maximum procul dubio robur argumento accedet (3); præſertim ſi obſervare non pigeat (quod tamen maximopere obſervandum cenſeo) productos Patres neminem prorſus paſſos fuiſſe adverſarium, atque adeo de ea re, tanquam de trita narratione, ac pervagata, fuiſſe locutos.

XV. At inquies, quinam ejuſmodi Hiſtoriam Patres antiquiſſimi præterire quiverint? quotquot ſcilicet a re geſta, h. e. a vergente ſeculo I. ad annum Chriſti tercenteſimum ſcripſerunt. Credi ne vero poteſt tot Apologiarum pro Chriſti nomine Scriptores de tam ſonoro miraculo palam Romanorum multitudine patrato fuiſſe tacituros, ſi quidem reſciviſſent; aut omnino ignoraturos rem tantam in urbe principe geſtam, ſi vera fuiſſet? Atqui de ea ſiluit Tertullianus, ſiluit Irenæus, ſiluit, in quo rei caput eſt, Martyr Juſtinus, vel tum maxime, quum id referre ſummopere ad cauſſam, quam agebat, intererat: ſcilicet *Apolog. II. ad Imperatorem, Senatum, populumque Romanum*. Ibi enim Romanos conatur ſuadere, ut *vero cognito*, (ſcilicet Simonem præſtigiatorem fuiſſe) *errorem valeant effugere, ac Statuam*, ipſi conſtitutam, *dejiciant* (4). Porro poterat ne eo loci Martyr Juſtinus majus ullum ad demonſtrandam ſigni καθαίρεσιν argumentum urgere, quam quod hunc ipſum nebulonem in oſtentum divinitatis volare magicis incantamentis adortum Petrus ex alto ſumma cum ignominia deturbaſſet? Ejuſmodi autem Juſtini ſilentium totam de Simonis volatu narrationem commentitiam præſeferre quis non fatebitur?

XVI.

(3) *Quiſnam prorſus* ἀδύνατον impoſſibile *non dixerit, ut Patres Græci, Africani, Itali, Hiſpani &c. eodem ſeculo, ſimul vel ad eandem fabellam excogitandam conſpirarint, vel ab uno excogitatam reliqui continuo adoptaverint, nemine reclamante, vel nemine advertente?*

(4) Rigaltius, *Valeſius, & Dupinius deceptum Juſtinum contendunt; quod ea Statua* non Simoni *ſed* Semoni Sango Deo Phidio *fuerit inſcripta. Et quidem an.* 1574. *Romæ e ruderibus emerſit Statua, cui* ἐπιγραφὴ, *titulus:* Semoni Sango Deo Phidio. *Apud Sabinos numen hoc ſanciendis fœderibus præerat. Profecto noſtri inſtituti ratio non ſinit in tuenda de Statua Simonis volatici Hiſtoriæ veritate pluribus immorari; præſertim quum iis, quæ hoc in capite a Tillemontio prolata ſunt, nihil addi, nihil demi poſſe videatur. Attamen novam quandam Mazochii conjecturam prætermittere piaculum duxi. Is igitur* ibid. pag. 885. *ſic commentatur*. Auguſtinus in lib. *De hæreſibus* memoriæ prodidit, circulatorem iſtum non ſibi ſolum, ſed & ſcorto illi impuriſſimo, quod Tyro abductum ſecum una circumferebat, erigi ſimulacra curaſſe: quam etiam ſub Minervæ effigie a ſuis ſectatoribus coli juſſiſſe memorat Epiphanius hæreſi 21. cap. 3. Huic porro mulierculæ *Helenæ* nomen erat: quam illam ipſam fuiſſe, quæ Trojani belli cauſſa exſtitit, impoſtor, teſte Epiphanio *loco cit.* perſuaſit. Videtur is igitur, qua arte concubinæ ſuæ divinum cultum adſeruit, eadem & ad divinos ſibi honores comparandos uſus. Et ut Helenam quidem ſuam, eandem illam a Græcis decantatam ſuaderet, nihil aliud apud ineptum vulgus, quam nomen valuit: nec mihi crede aliud quam nominis convenientia ſuaſit, uti ſe eundem illum Deum faceret, cui *Semoni Sango* nomen erat. Id vero ex eo quoque ſuaderi poteſt, quod per ea tempora Imperatores aliique clari viri, hujus aut illius Dei nomine ab adſentatoribus cohoneſtabantur: ſicuti & pluries Auguſtæ Dearum nomina adſumebant: de quo vide Fabrettum de Col. Trajana pag. 247. Id quum a Græcis fiebat, Dei illius nomini νέος, aut νέα (*novus, nova*) addi ſolebat. Cujus moris exempla in Phil. Bonarotio in Obſervat. ad maximi moduli numiſmata, & apud alios reperies. Itaque ſi ſtatuæ Simonis Magi Græca inſcriptio ſubjecta fuiſſet; ea forſitan ſic incepiſſet. ΣΗΜΩΝΙ ΝΕΩ &c. *Semoni novo*.

XVI. Porro cauſſæ plures incidere potuerunt, cur id fortaſſe neſciverint. Ac Juſtinum quod ſpectat (de Irenæo enim, Tertulliano, & aliis ab Juſtini ore pendentibus minus mirandum) 1. Acerba tunc temporis inſectatione ſæviente haud libere invicem conſueviſſe Chriſtianos neceſſe fuit.

2. Ex graviſſimorum Patrum ſententia primi Chriſtiani parum penſi duxerunt res geſtas ad poſterorum memoriam ſcriptas tranſmittere, de colendis maxime, atque inſtillandis Chriſtianæ vitæ inſtitutis ſolliciti.

3. Si quid ante Juſtinum de Simone volatico conſcriptum exſtabat, id ſive in abdito retruſum jacebat, ſive (quod non raro accidit) ab Roma in alias terras avectum ab aliquo harum rerum ſtudioſo fuerat (5). Qui igitur mirum, ſi Juſtinus homo advena, quum Apologiam Romæ conſcriberet, eam de Mago narrationem ignoraverit?

XVII. Jam vero neque trium priorum ſeculorum ſilentium plane conſtat. Et ſane Dio Chryſoſtomus, qui ineunte altero Chriſti ſeculo claruit, in *Orat. XXI.* quæ *de Pulchritudine* inſcribitur, quum quædam de Neronis inſania, qua res impoſſibiles fieri jubebat, præfatus eſſet, addit: *Hac vero parte maxime excellebat Nero, nec adeo illi quiſquam de re ulla, quamcunque dixiſſet, contradicebat, aut impoſſibile quod dixiſſet, eſſe affirmabat; ita ut etiam ſi quem forte volare juſſiſſet, & ille id ei ſponderet, & multo tempore intus apud eum in aula, tanquam volaturus nutriretur.* Tum Suetonius in Nerone Cap. 12. paucis rem dat: *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus* Neronis *decidit, ipſumque cruore reſperſit.* Profecto nemo non videt utrumque Hiſtoriographum Simonem reſpexiſſe, atque adeo rei exitum, nimirum volatum, ac ſubitum in terras dilapſum, quem Dio tanquam ab ſuo propoſito alienum tacuit, Suetonium paucis, at ſatis tetigiſſe.

XVIII. Tum Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, quem haud ſerius III. ſeculo prodiiſſe tum *ibidem* demonſtrat Mazochius, & eruditiſſimus Albaſpinæus jam notaverat (*6*), volantis Simonis bis meminit, ſemel *Lib. II. cap.* 14. his verbis: *Hic vero* Simon *præter naturam volitans, eliſus eſt.* Iterum vero *Lib. VI. cap. 9.* copioſe rem geſtam narrat, & quidem in eum prope modum, quo ab Ambroſio in ſuo Ex-joſippo narrari jam ſupra obſervavimus.

XIX. Quid quod haud levem ipſi antiqui Patres in narratione efferunt circumſtantiarum diſcrepantiam? Veluti illud eſt, quod Petri oratione dejectum Simonem Ambroſius, Philaſtrius, Auguſtinus, & alii memorant: at Petro oranti Paulum comitem adjungunt Cyrillus Jeroſol. & Maximus. Item illud, quod alas tanquam Icarias Simoni adplicant Ambroſius, Maximus, &c. at Arnobius ignearum quadrigarum, & currus meminit. Cyrillus ὀχήματος *vehiculi*, alii univerſe vi dæmonum raptum Simonem agnoſcunt. Verum, uti rectiſſime obſervat *ibidem* Mazochius, ex his, aliiſque ejuſmodi narrationum diſſidiis, quantacunque ea ſint, nihil aliud colligitur, niſi rei geſtæ ſummam,

(5) *Eſt pervagatiſſima illa S. Gregorii M. narratio de Orientalibus Chriſtianis, qui paulo poſt* SS. Petri, & Pauli *paſſionem Romam profecti, eorum ſacras reliquias in Orientem auferre adorti fuerant. Ac perfeciſſent, niſi iis* Romani *fideles reſtitiſſent. At qui ſacra Lipſana prope rapuerant, eos etiam quidquid de Apoſtolis hiſce ſcriptum repererunt, ſurripuiſſe, ac ſecum, quod omnium facillimum fuit, aſportaſſe credibile eſt. Hine prima certaminis hujus mentio, ac Simonis ex alto dejecti apud Græcum ſcriptorem reperitur*, Conſtitutionum *ſcilicet* Apoſtolicarum Auctorem (*qui ut infra monebimus, haud ſerius tertio Chriſti ſeculo ſuas* διατάξεις *ſcripſiſſe videtur*) *poſt quem* Cyrillus Jeroſolymitanus, *aliique turmatim Græci id ſcripto poſtea tradiderunt. Mazochius* ibidem.

(*6*) *De Conſtitutionibus Apoſtolicis ejuſmodi profert judicium Vir eruditiſſimus Gabriel Albaſpinæus Lib. I. Obſervat.* 13. Sunt tamen illi Canones, Conſtitutioneſque antiquiſſimæ, multa in illis excellentiſſima, & magni ponderis continentur. Nec dubito, quin olim Græcæ Eccleſiæ pro legibus, manuali, Pontificali, Rituali, ut vocant, codice fuerint . . . . De Conſtitutionibus porro iſtis nemini dubium eſſe debet, quin probus juxta, & antiquus liber ſit &c. *Igitur* Συλλογὴ Collectio *fortaſſe vel exeunte III.* vel *IV. ineunte ſeculo confecta eſt; quæ autem complectitur antiquiſſima ſunt, vel ex vetuſtioribus Scriptis, vel ex ubique receptis* παραδόσεσι traditionibus *depromta.*

Digitized by Google

mam, utpote tot teſtimoniis confirmatam, fuiſſe veriſſimam, eamque facile brevi aliquo commentario fuiſſe comprehenſam; cetera vulgi ſermonibus fuiſſe jactata, cui familiare eſt plura addere, remque unam pro locorum, temporumque diverſitate aliter, atque aliter narrare. Adhæc inter ſanioris Artis critices regulas illa ipſi Joanni Clerico præcipua habetur, nimirum Hiſtoriam idoneis teſtibus ſatis probatam ab circumſtantiarum diſcrepantiis, quæ in horum narrationibus extent, nihil prorſus detrimenti accipere.

EXCURSUS II.

De S. Petro unico Ecclesiæ Capite.

I. QUid huic quæſtioni locum dedit? 1. Quædam Scripturæ loca, maxime ipſius Pauli Apoſtoli in *Epiſt. ad Galatas*, & *in Epiſt. ad Epheſios* (1), in quibus prædicatio verbi ad omnes gentes, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum a Chriſto mandata videtur Paulo æque ac Petro.

2. Quædam Patrum loca, quæ æqualem Petro Paulum, atque indiviſam veluti auctoritatem ponere in utroque feruntur (2), adeout duo caput unum Eccleſiæ totius efficere videantur.

3. Quædam Pontificum dicta, quibus in ſuis Conſtitutionibus ſeſe ſucceſſores Apoſtolorum Petri, & Pauli, & auctoritatis utriuſque heredes eſſe teſtantur; eoque contumaces indignationem Petri, & Pauli ſubituros denuntiant (3).

II. Soluturi hunc nodum diverſas in partes abiere Theologi: alii Petrum ultro ſibi Paulum adſciviſſe in regimen totius Eccleſiæ dicunt, ut ſocium & comitem; alii ut Vicarium & delegatum. Alii duos in eadem Urbe conſtituunt Epiſcopos, Petrum Judæorum, Paulum Gentium, reſervata tamen Petro prærogativa Primatus. Quidam ulterius progreſſi eo uſque deveniunt, ut Primatum utrique communem faciant; ſola Petro ætatis, converſionis, ordinationis prærogativa adtributa.

III. Socium & comitem Petro Paulum nemo negaverit. Igitur id tantum in quæſtionem cadit, an inter Apoſtolos ſocios

(1) *II. ad Corinth. XI.* Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.

Ad Galat. II. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes .... quum veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti.

Ad Epheſ. III. Gentes eſſe coheredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Euangelium: cujus factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in Gentibus euangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes.

(2) *S. Irenæus Lib. III. Cap.* 3. Eccleſia Rumana a ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo inſtituta eſt, ac fundata.

Epiphanius Hæreſ. XXVII. Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter, & Epiſcopi fuerunt.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi VI. Petrus & Paulus Capita Eccleſiæ.

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. XXX. in Epiſt. ad Rom. Petrum & Paulum oculos Romæ, & Sanctorum Coryphæos *indiſtincte adpellat*.

S. Leo Serm. I. de Natali Apoſtolorum Petrum & Paulum vocat Romanæ Urbis Patres, ac Paſtores.

S. Gregorius M. Lib. I. Dialogorum cap. 12. Paulus, *inquit*, Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico Frater.

S. Ambroſius Serm. I. al. XXVIII. eoſdem Apoſtolos Capita martyrum, & Principes Sacerdotum *vocat*.

Auctor Commentar. in Epiſt. Pauli ſub Ambroſii nomine vocat Paulum unanimem Petro, & Coapoſtolum; & Primatus gratiam Paulo conceſſam, *ait*, ſicut & Petro.

S. Maximus Taurinenſis Serm. V. in feſto Apoſt. Principes Eccleſiarum, & fidei Chriſtianæ &c.

Sacramentarium S. Gregorii M. in Feſto SS. Petri, & Pauli. Deus, qui ligandi, ſolvendique licentiam tuis Apoſtolis *Petro, & Paulo* contuliſti.

(3) *Paulus III. in convocatione Concilii Tridentini ſic loquitur*: Auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur, &c. *Eadem repetit Pius IV.*

cios & comites Petrus Auctoritate ſit primus ac princeps.

IV. Vicarium qui faciunt, longe ab ejus ætatis more diſcedunt, & ad ſequiores ætates conjiciunt oculos. Cui enim ex veteribus Epiſcopo Vicarius conſtitutus? Atqui conſtitutus fuiſſet exemplo Principis Apoſtolorum.

V. Epiſcopos in eadem Urbe qui duos faciunt haud improbabilia ſentiunt: ſed hæc explicandis Scripturæ, & Patrum locis ſatis non ſunt; ut ſufficiant explicandis Pontificum dictis.

VI. Qui Primatum jure divino ex æquo communem utrique faciunt, hi nimium a veritate deflectunt, ac transverſim rapiuntur, & cum nodum ſolvere nequeant, ſecant. Uni Petro primum claves promiſſæ a Chriſto ſunt: *Matth. XVI.* 19. Uni paſcendi & agnos, & oves cura mandata eſt. *Joann. XXI.* ſuper Unam hanc Petram ædificatam Eccleſiam Chriſtus docet: *Matth. XVI.* 18. & quidem hæc omnia nullis finibus, nullis terminis, nullis clauſulis circumſcripta; ſed ubique, ſed ſemper, ſed ſuper omnes extenſa, antequam Paulus vocaretur, dum adhuc in tenebris deliteſceret. Atque univerſalis poteſtas hæc, univerſale regimen his verbis expreſſum eſt: aliunde vero *ſine pœnitentia ſunt dona Dei*: Ad Roman. *XI.* 29. Ergo & Paulo converſo ad fidem, adſumto in Apoſtolatum, deminuta in Petro univerſalis poteſtas illa non eſt. Fuiſſet autem, ſi Paulus ab ejuſmodi poteſtate, ac regimine ſubtraheretur, & in conſortium principatus adſciſceretur: quando indiviſa poteſtas minor ſemper in duobus, quam tota in uno eſt.

VII. Cyprianus, Optatus Milevitanus, Hieronymus, & Auguſtinus (4) duo ſimul certiſſima ponunt in Petro; pari quidem conſortio honoris, & poteſtatis Apoſtolos præditos fuiſſe, ſed originem unitatis a Petro exorientem: ex æquo quidem ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ firmitatem fundatam, ſed caput in Petro conſtitutum: æqualia Apoſtolis munia commiſſa, ſed Primatum Petro datum, ut Eccleſia una, cathedra una, communio una monſtretur; ſcilicet ne ſinguli Apoſtoli ſuam ſibi Eccleſiam, ſuam ſibi cathedram adſererent a Petri communione alienam, a Petri unitate diviſam.

VIII. Omnibus quidem Apoſtolis commune fuit, per univerſum Orbem, ut præcones, Euangelium ſalutis adferre, ut teſtes myſteriorum qua Judæos, qua gentiles in fide erudire, ſacramentis paſcere, Epiſcopos præficere, Eccleſias inſtituere, cenſuris in reos animadvertere. Quod vero eximium Petri jus? Num ut de Apoſtolorum perſona judicium ferat? corrigat? plectat? nihil alienius a ſtatu Apoſtolorum, qui ab ipſo Chriſto edocti, & Spiritu Sancto repleti nullam præbuere materiam judicio, emendationi, cenſuræ.

IX. Sed duo præ ceteris Apoſtolis habuit Petrus. 1. Ut omnes cum eo tanquam primo, tanquam centro communionis, tanquam principio unitatis, communionem retinere deberent, & ipſi qui inſtituebant per orbem Eccleſias, & ipſæ ab iis inſtitutæ per orbem Eccleſiæ: adeout Petro ſubjectas, ut Capiti, non aliis redderent.

2. Ut cauſſas communes ad univerſalis Eccleſiæ diſciplinam pertinentes Apoſtoli ad eum,

(4) *S. Cyprianus Lib. de Unitate Eccleſiæ*: Hoc erant utique ceteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur, ut Eccleſia una monſtretur.

Optatus Milevitanus Lib. I. contra Parmenianum: Bono unitatis Beatus Petrus ... præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni cælorum communicandas ceteris ſolus accepit. Et *ibid. Lib. II.* In qua una Cathedra *Petri* unitas ab omnibus ſervaretur, ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica eſt, quæ eſt prima de dotibus.

S. Hieronymus Lib. I. adverſus Jovinianum cap. 14. Licet cuncti *Apoſtoli* claves Regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.

S. Auguſtinus Tractatu CXXI. in Joan. cap. 17. In typo Unitatis Dominus Petro dedit poteſtatem, ut id ſolveretur in terra, quod ille ſolviſſet.

eum, tanquam ad Collegii Principem, diſcutiendas referre tenerentur.

X. Patet primum quod uni commendatum prius, quod poſt omnibus datum, uni cura mandata, quæ poſt aliis diſpertita, ſuper uno fundata Eccleſia, quæ ſuper alios deinde ſuperſtructa; adeo ut nec legitimus Paſtor, nec legitimus cœtus agnoſcendus, qui eſſet a Petri communione diviſus: & ei adhærere Eccleſiæ deberet quiſque, quæ ſuper hanc Petram eſſet ædificata.

XI. Patet alterum, quod Paulus & Barnabas quæſtionem ortam de neceſſitate legalium ad Petrum in Concilio retulerint: *Actor. XVI.*

XII. His conſtitutis, quod Petri, & Pauli præ cæteris conſortium? 1. Non id habuit Paulus, ut ipſe fons unitatis, centrum communionis eſſet aliis, vel ut alii Paulo, quas inſtituebant Eccleſias, ſubjicerent, ut Paulo in Concilio cauſſas majores deferrent. Ergo in Primatu conſortium nullum: Probatur 1. Quod Paulus converſus ad fidem venit videre Petrum, alium vero Apoſtolorum vidit neminem: *Ad Galatas I.* cum eo contulit Euangelium, quod prædicabat, cum eo dexteram junxit: *ibidem II.* non vero Petrus aut Paulum convenit, aut cum eo contulit, aut dexteram ab eo petiit.

2. Quod jam erat ſupra Petram ædificata Eccleſia, quum Paulus Petrum adiit, jam claves promiſſæ, jam confirmandi fratres cura Petro mandata. Ergo Paulus ei nomen Eccleſiæ dedit, quæ ſuper Petrum conſtituta; clavium particeps fuit, quarum poteſtas integra jam Petro data; inter fratres numeratus ſub eo, cui cura confirmandi fratres commiſſa jam erat.

XIII. Num in fundanda Romana Eccleſia parem cum Petro partem ſortitus eſt? minime gentium. Jam Petrus Evodio Antiochiæ relicto Romæ fundaverat Eccleſiam, jam Romanorum fides adnuntiabatur univerſo mundo, antequam Paulus Romam adiret: teſtatur id Paulus ipſe Epiſt. ad Romanos *Cap. I.*

XIV. Quid ergo præ ceteris Apoſtolis Paulus a Domino accepit? hoc tantum, ut Vas electionis eſſet, ut portaret Chriſti nomen in gentes, in reges, in regna, uſque ad extremum terræ, ut denique Apoſtolus Gentium præcipue eſſet, uti Petrus Circumciſionis præcipue Apoſtolus erat. Hinc comes, & ſocius Petro Romæ fuit in adgregatione illius Eccleſiæ, ut quam ex Judæis primum conſlaverat Petrus, ipſe ex Gentilibus augeret, amplificaretque.

XV. Sed in hoc ipſo ſubordinationem Pauli ad Petrum ad oculum cerne: Judæorum natio radix ſancta; ex ea primum componenda Eccleſia: huic radici gentiles inſerendi, ut rami; ſed radici caput Petrus: ergo & ramis. Nam rami ad radicem pertinent, & radix ramos portat, non rami radicem, ut ait Paulus. Ergo & Paulus, quos undique congregabat gentiles, huic Eccleſiæ, huic Capiti ſubjiciebat.

XVI. Ergo duo Capita in Eccleſia Romana ex æquo conſtituere a verbo ſcripto, & tradito alienum eſt, & Primatum Petro proprium, in neceſſitate communionis, & relationis cunctis impoſita ſitum, adprime convellit.

CAPUT IV.

De Euangelii per Regiones Occidentales Propagatione.

§. I. *De Euangelii per Regiones Occidentales Propagatione generatim.*

I. Ex iis, quæ prioribus hiſce Libri I. Capitibus *διὰ βραχέων breviter* quidem, at non jejune de Euangelii propagatione primum generatim, dein & ſpeciatim diſſeruimus, profecto colligere cuicui datur, regiones orientales, & barbaricas Apoſtolorum potiſſimum præconio ad Chriſti fidem fuiſſe evocatas. Hoc autem ipſum de regionibus occidentalibus, ſi Romanam excipias, quis eodem jure audeat pro-

pronuntiare, quum tanta monumentorum inopia laboremus, ut tentando potius, & conjiciendo certi quidquam ex veteribus extundere vix, aut ne vix quidem valeamus? Jam vero quum inſtituti noſtri ratio haud patiatur, ut hujuſmodi argumentum, quod noſtra magis intereſt, intactum prætergrediamur; abs re equidem futurum non putamus, ſi quæ certiora, aut duntaxat minus dubia videntur monumenta unde unde colligentes, ea ἀκιβδήλως *ſincere*, atque ex ordine proferamus, quo caput iſtud adcuratiſſime, quoad ejus fieri poteſt, pertractetur.

II. Ac primo illud generatim obſervare omnino juvat ex monumentis *Cap. I.* productis certo effici, colligique, altero Eccleſiæ ſeculo per omnes Occidentis provincias Euangelium jam plene fuiſſe diſſeminatum. Et ſane ut omittamus Patrum Apoſtolicorum, immo & antiquiſſimorum Ε'θνικῶν *gentilium* Hiſtoricorum teſtimonia, quibus Chriſti fides ipſo apoſtolico ævo per omnes omnino vel longe diſſitas regiones evulgata evincitur; profecto Irenæus, & Tertullianus mentionem expreſſe injiciunt de Eccleſiis in Germania, Gallia, Hiſpania, Britannia, Dacia, Africa, & Italia jamdiu conſtitutis. Irenæus Lib. I. cap. 3. *Et neque hæ*, inquit, *quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente* &c. Tertull. *adverſus Judæos cap.* 7. „ In quem „ alium univerſæ gentes crediderunt, niſi „ in Chriſtum, qui jam venit? Cui enim „ & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi . . . immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, „ inhabitantes Romani & incolæ, tum & „ in Jeruſalem Judæi, & ceteræ gentes, „ ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes „ termini, & Galliarum diverſæ nationes, „ & Britannorum inacceſſa Romanis loca, „ Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & „ Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, „ & Provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quas enumerare non poſſumus. „ Conſtat igitur de Chriſti fide ipſa pæne Apoſtolica ætate ab omnibus prorſus Occidentis Regionibus jam plene recepta; unde non abs re quiſque colliget partim per Apoſtolos ipſos, partim per Chriſti diſcipulos, alioſque Apoſtolicos viros Occidentis provincias, quæ jamdiu in umbra mortis conſepultæ detinebantur, Euangelii lucem aliquando tandem adſpexiſſe. At non pigeat paucis in ſingulas inquirere nationes.

§. II. *De Prædicatione Euangelii per Britanniam.*

III. Jam inde ab ævo Apoſtolico Britanniam Chriſti fidem ſuſcepiſſe indicat plus vice ſimplici productum Tertulliani teſtimonium: *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita*. Tertulliano concinunt Euſebius (1), & Chryſoſtomus (2), quorum auro contra non cara monumenta illud quoque haud obſcure indicant, Apoſtolico ſcilicet præconio ad Chriſti fidem Britannos primum fuiſſe evocatos. Neque omittendus Clemens R. *Epiſt. I. ad Corinth.* ubi ſcribit: *Paulum Apoſtolum in juſtitia mundum univerſum inſtituiſſe, & ad Occidentis terminos veniſſe.* καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν: terminos enim Occidentis Britannicam Inſulam deſignare haud levibus conjecturis ducti conten-

(1) *Euſebius Demonſtr. Euang. Lib. IV.* At vero apud omnes numen Jeſu prædicare, admirabiliaque illius geſta & in urbibus, & in agris docere: & alios quidem eorum Imperium Romanum, ipſamque omnium urbium reginam civitatem invadere, alios Perſarum &c. . . . alios porro trans Oceanum evaſiſſe ad eas inſulas, quæ Britannicæ vocantur.

(2) *Chryſoſtomus Orat.* Quod Chriſtus Deus *Tom. I. Edit. Nov. pag.* 575. Cogita quantum ſit totum orbem tam brevi tempore Eccleſiis repleviſſe, tantas convertiſſe gentes, ut paternis ſolutis legibus radicatam conſuetudinem evellerent, ubique altaria excitarent in regione Romanorum, Scytharum, Maurorum, Indorum. Quid dico? vel extra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ, quæ extra hoc mare ſitæ ſunt, & in ipſo Oceano, vim Verbi ſenſerunt: illic enim Eccleſiæ, & altaria erecta fuere. *Placuit integra iſtæc Euſebii, & Chryſoſtomi teſtimonia exſcribere, quippe quæ rem, de qua agimus, illuſtrant quam quæ maxime.*

contendunt Britannicarum Antiquitatum Scriptores. Igitur tota in eo verſatur quæſtio: nimirum cuinam Apoſtolo, Apoſtolicove viro Britannicus Apoſtolatus ſit adſcribendus.

IV. Simonem Petrum duodecim quidem annis eſſe verſatum in Oriente, viginti autem & tres annos tranſegiſſe Romæ, in Britannia, & in reliquis civitatibus occidentalibus tradit Euſebius apud Metaphraſtem: *Comm. de Petro, & Paulo ad 29. Jun.*

V. Simonem Zelotem *ad Occidentalem Oceanum, Britannicaſque inſulas* Euangelii doctrinam pertuliſſe tradit Nicephorus Callix. *Lib. II. cap.* 14. Eundem *in Britannia crucifixum, occiſum, & ſepultum* eſſe auctor eſt Dorotheus *in Synopſi*, & tradunt Græcorum Menologia. At Martyrologia latina in Perſide martyrium ſubiiſſe efferunt.

VI. Jacobum Zebedæi de Hiſpania reducem Britannis quoque prædicaſſe teſtatur, qui Flavii Lucii Dexiri larvam ſibi impoſuit in *Chronico ad an.* 41. Verum id ad Hibernos potius ſpectare mox videbimus. At iſtæc levibus innixa ſunt conjecturis, dubiæque fidei monumentis. Gravior videtur diſputatio de Paulo, & de Joſepho Arimatheenſi.

VII. Et ſane de Gentium Apoſtolo Theodoretus in *II. Timoth. IV.* hæc habet: *Quando adpellatione uſus Romam a Feſto miſſus eſt, defenſione audita fuit abſolutus, & in Hiſpaniam profectus eſt, & ad alias gentes excurrens eis doctrinæ lucem adtulit*. Et in Pſ. 116. *Inſulis, quæ in mari jacent, utilitatem adtulit*. Hæc ſane Theodoreti verba de Britannicis oris intelligenda clarius videntur, quam ut demonſtrari poſſit: præſertim quum Venantius Fortunatus, qui VI. Seculo floruit *Lib. III. de Vit. S. Martini* de eodem Apoſtolo canat:

> *Tranſiit Oceanum, vel qua facit inſula portum,*
> *Quaſque Britannus habet terras, quaſque ultima Thule.*

Idem quoque ſubindicat S. Clemens R. *nuper producto loco*

VIII. Joſephum ab Arimathea nobilem Decurionem, comite Ariſtobulo, qui unus fuerat ex LXX. Chriſti diſcipulis Britanniam Euangelii fulgore colluſtraſſe vetus fert Britannica Traditio apud Baronium *ad an.* 35. Pearſonium *de Tribus Angliæ Converſionibus*, Michaelem Alfordum *Ann. Eccleſ. Britann. ad an.* 53. alioſque complures Britannicos Archæologos.

IX. At id ſibi perſuadere haud potuerunt Uſſerius *de Eccleſiarum Britann. primordiis*, & Stillingfleetus *de Originib. Britann.* aliique, ac præſertim Baſnagius, qui *Lib. de Rebus Sacris ad an.* 35. *pag.* 27. Traditionem illam inter fabulas amandandam pluribus contendit: & quidem 1. Altum de Epiſcopatu Joſephi in Scriptura, vetuſtiſque Annalibus ſilentium: immo, quod magis mirere, tanti viri dignitas, & munus vigilantes totius Antiquitatis oculos effugit.

2. Alienum a Chriſti moribus fuit, ut ampliſſimos Senatores crearet in Epiſcopos, ne ſapientiæ, eloquentiæ, ac dignitati mortalium lætos quis referret acceptos Euangelii fructus: aureas hanc in rem Chryſoſtomi & Theodoreti ſententias vide inferne adnotatas (3).

3. Ex Sacris utriuſque Fœderis litteris nefas fuit Judæo ad alienignam accedere, antequam gentibus, Chriſto jubente, fidei reſeraretur oſtium, quod, Joſepho ad Britan-

(3) *Chryſoſtomus Orat. in Gentil.* Mira virtus erat piſcatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos ſuſcitare, morbos pellere, mortem abigere, Philoſophorum linguam mutam facere, Rhetorum ora conſtringere, apud Principes, & Reges verſari, Barbaris, Græcis, & univerſo humano generi imperare: Nam & hoc illi verbo perfecerunt.

Theodoretus Lib. VI. de curandis Græc. aff. At noſtri piſcatores, ac publicani, furorque ille noſter cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt, neque ſolum Romanos, qui ſub Romano vivunt imperio, ſed Scythas quoque, & Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Perſas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios, utque ſemel dicatur nationes omnes induxerunt Crucifixi leges accipere.

tanniam adpellente, nondum contigerat.

4. Britannicarum Inſularum mentio a Patribus non ſemel agitata fuit; nemini vero Joſephus ab Arimathea Anglicanæ fidei parens eſt habitus.

5. Demum alios a Joſepho Britannici Chriſtianiſmi auſpices Traditio ſuppeditat: ſcilicet *inito Pontificatu Eleutherius ſtatim epiſtolam accepit a Lucio Rege Britanno, qua rogabatur, ut ſe, ac ſuos in numerum Chriſtianorum reciperet. Quare Fugatium, & Damianum viros optimos eo miſit, qui Regem ipſum, ac populum baptizarent*: quæ Platina ex Beda tranſcribit. Profecto Lucio nihil opus fuiſſet ad Eleutherium ſcribere de mittendis Evangelii præconibus, ſi Joſephus in Angliam pedem intuliſſet; quum doctrinæ epiſcopatuſque ſui plurimos paſtores heredes reliquiſſet. Hactenus Baſnagius.

X. Modo indicatum Fugatii, & Damiani Britannicum apoſtolatum ſunt qui tuentur, ſunt qui rejiciunt. Negant Spanhemius, & Baſnagius antiquiorum Patrum potiſſimum ſilentio innixi, atque ob Bedæ, aliorumque, qui eam referunt hiſtoriam, in ea exponenda diſſonantiam. At contra qui tuentur longe majores numero ſunt, doctrina, eruditione, ac rerum ſacrarum ſcientia clariſſimi. Eorum porro rationes præcipuæ ſunt. 1. Auctor Pontificalis, quem medio ſeculo VI. ſcripſiſſe eruditi contendunt, Beda, tum *Hiſtor. Angl. Lib. I. cap.* 4. tum in *Compendio Hiſt.* aliique haud recentes Hiſtoriographi, quorum collecta teſtimonia reperies apud Uſſerium *ibid. Cap.* 3. omnes unanimi conſenſione Lucii ad Eleutherium Epiſtolam, & ſuſceptam a Britannis ejuſdem Pontificis opera Chriſtianam religionem teſtantur. Quod vero antiquiores Scriptores ejuſmodi hiſtoriæ caput non retulerint, illud in cauſa fuiſſe contendunt, quod de Britannicis Eccleſiis data opera nunquam egerint.

2. Vetuſta quædam ab Uſſerio exhibentur numiſmata *ibidem*, argenteum unum, aureum alterum, quod Chriſtiani Regis imaginem præſefert, & litteras quaſdam, quæ *LVC.* denotare videntur.

3. Quod vero Beda, aliique veteres in conſtituenda Britannicæ per Lucium converſionis epocha, tum & in ejuſdem exponendis *περιστάσεσι circumſtantiis* diſſentire inter ſe videantur, id ajenti ſententiæ haud officit, quum magna ſit eorundem in Hiſtoriæ ſumma conſenſio.

4. Britanniæ Inſula, uti ex Cæſare, Diodoro, Tacito, Pomponio Mela, aliiſque colligitur in multa, ac diverſa regna tributa erat, quibus diverſi Principes imperabant. Porro in ea Inſulæ parte Lucius omnino regnaſſe dicendus eſt, quæ a Romanis ſubacta fuerat, uti ex ipſo Lucii nomine videre eſt, quod certe Romanum, non barbarum eſt. Et ſane imperaſſe in ea parte Reges, qui tributum Romanis pendebant, auctor eſt Tacitus (4). Adeundi Uſſerius *ibid.* Tillemontius *Mon. Eccleſ. Tom. III.* aliique.

XI. Igitur Britannia primum ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris, dein & ab Eleutherio chriſtianam fidem edocta, eandem poſtea paulatim maximopere auctam, & mirifice florentem ad V. uſque ſeculi finem ſervavit. Id probant tum Martyres quamplurimi, qui ibidem, Diocletiano Imperii Romani clavo adſidente, pro Chriſti fide tuenda mortem oppetiere; tum magnus Eccleſiarum per varias Inſulæ regiones conſtitutarum numerus, quarum Epiſcopi haud pauci doctrina, ac pietate inſignes variis Synodis, præcipue Nicænæ, Sardicenſi, & Ariminenſi interſuere, atque pro fide Orthodoxa, adverſus hæreticos ſtrenue decertarunt; tum demum

(4) *Tacitus Annalium Lib. XIV. cap.* 31. *tradit*. Regem Irenorum Praſutagum longe opulentia clarum Neronem heredem ſcripſiſſe, tali obſequio ratum regnum, & domum ſuam procul injuria fore. *Et in Vita Julii Agricolæ*: Redacta in formam provinciæ pars proxima Britanniæ. Quædam civitates Cogiduno regi donatæ, is ad noſtram uſque memoriam fidiſſimus manſit, vetere, ac jampridem recepta Populi R. conſuetudine, ut haberet inſtrumenta ſervitutis, & reges.

mum & Gildas antiquiſſimus Britannicus Scriptor (5).

XII. Haud negandum Chriſti fidem in Britannia quaſdam velnti paſſam fuiſſe viciſſitudines: præſertim ob Pelagii teterrimam peſtem, quem Britannum fuiſſe comperta res eſt. At illud quoque nemo inficiabitur Pelagianos errores non diu in Britannia viguiſſe; quum opera vel Faſtidii Britannici Epiſcopi, vel S. Germani e Gallia illuc contendentis ſtatim fuerint extincti. Uſſerius *ibid. pag.* 171. & 174.

XIII. Præterea medio circiter ſeculo V. Angli, & Saxones Germaniæ populi univerſam pæne inſulam occnpantes eandem ſuæ ditioni ſubjecere. Unde e Britannis plerique paratis navibus alio commigrarunt, reliquis dein ab ipſis Anglo-Saxonibus ex Inſula ejectis. Porro hi recentes Britannici advenæ, quippe qui paganiſmum profiterentur, Rem Chriſtianam ibi graviter labefactatam pæne deleverunt, atque adeo maximam Inſulæ partem paganiſmi labe infecerunt (6).

XIV. Quum igitur ita ſe res in Britannia haberent, Gregorius M. quod jandin mente agitaverat, Pontificatu inito, nihil habnit antiquius, quam ut Anglos a ſuperſtitione revocaret, atque ad Chriſtianam Religionem acciret. Qua de re illuc miſit S. Augnſtinum Romani S. Andreæ Monaſterii Abbatem, alioſque nonnullos monachos, qui etſi principio quadam puſillanimitate correpti ab proſequendo apoſtolatu deterrerentur: tamen a S. Gregorio confirmati ſumma alacritate Inſulam adpulſi, primum Anglos Cantium incolentes, eorumque Regem Ethelbertum ad Chriſtum converterunt. Tum Auguſtinus in Galliam profectus Arelate a Virgilio Anglorum Epiſcopus ordinatur; unde in Angliam reverſus magnam Inſulæ partem Chriſto lucratur, Eccleſias conſtituit, Epiſcopos ordinat, Monaſteria excitat: adeo quidem, nt brevi ſpatio per univerſam Britanniam Chriſtiana Religio altas radices egerit. Adeundi Beda *Lib. I.* & e recentioribus Cl. Mabillonius *Annal. Benedict. ad an.* 596.

XV. Illud hic ſilentio haud prætereundum Anglicanarum Eccleſiarum curam R. Pontificibus ſecutis temporibus ſemper cordi fuiſſe; cujus rei nt reliqua taceamus argumenta, quod propius ad nos ſpectare videtur, paucis dabimus. Nimirum ſub annum circiter 670. auctore *Beda*, Vitalianus Papa Hadrianum Abbatem Monaſterii Niridani, ſive Niſidani ſelegit, *quem Eccleſiis Anglorum* (7) *Archiepiſcopum*, ſive Primatem *mitteret*. Et quamvis Hadrianus indignum ſe tanto gradu exiſtimans Epiſcopus ordinari renuerit, atque ejus loco Theodorus Monachus Hadriano notus Britannicus Archiepiſcopus renuntiatus fuerit; ipſe

(5) *Gildas Hiſtor. Angl. pag.* 3. *Tom. I. Script. Hiſtor. Britan.* Interea glaciali frigore rigenti Inſulæ, & velut longiore terrarum ſeceſſu Soli viſibili non proximæ, verus ille Sol ... præfulgidum ſui coruſcum oſtendens, tempore, ut ſcimus, ſummo Tiberii Cæſaris (quo abſque ullo impedimento ejus propagabatur religio, comminata Senatu nolente a Principe morte delatoribus militum ejuſdem) radios ſuos primum indulget, ideſt ſua præcepta Chriſtus. Quæ licet ab incolis tepide ſuſcepta ſunt, apud quoſdam tamen integre, & alios minus uſque ad perſecutionem Diocletiani tyranni novennem ... permanſere: tunc quantæ fugæ, quantæ ſtrages, quantæ diverſarum mortium, quantæ religionis apoſtatarum ruinæ, quantæ glorioſiſſimorum Martyrum coronæ ... Magnificavit igitur miſericordiam ſuam Deus nobiſcum, qui gratuito munere ſuperaddito, ut cognovimus, perſecutionis tempore, ne craſſa atræ noctis caligine Britannia offuſcaretur, clariſſimas lampades Sanctorum Martyrum nobis accendit, quorum nunc Corporum ſepulturæ, & paſſionum loca, ſi non lugubri devotione barbarorum quamplurima ob ſcelera noſtra civibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem divinæ caritatis incuterent. *Gildam vel exeunte V. Seculo, vel ineunte VI. ſcripſiſſe demonſtrant eruditi, & ipſa Auctoris ſcriptio ſat indicat.*

(6) *Glaſtonienſis Chronographus ad ann.* 449 *apud Uſſerium pag.* 499 Angli, & Saxones in Britanniam venerunt. Hi pagani fuerunt, & chriſtianam fidem, quam Britonnes per 243. annos fideli devotione conſervaverunt, iſti poſtea totam fere Britanniam perverterunt, & uſque ad tempus S. Auguſtini, videlicet 147. annos, maximam hujus regionis partem paganiſmo repleverunt.

(7) *Beda Lib. IV. Hiſt. Eccleſ. Cap.* 1. Erat autem in monaſterio Niſidano, quod eſt non longe a Neapoli Campaniæ, Abbas Hadrianus vir natione Afer, ſacris litteris diligenter imbutus, monaſterialibus ſimul, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutus, Græcæ pariter, & Latinæ linguæ peritiſſimus. Hunc ad ſe accitum Papa juſſit, accepto Epiſcopatu, in Britanniam venire.

ipſe tamen Hadrianus Theodorum in Britanniam perducere Pontificio mandato juſſus eſt; cui in Britanniam pervenienti Theodorus *dedit*, uti ſcribit Beda ibid. *Monaſterium B. Petri Apoſtoli, ubi Archiepiſcopi Cantiæ ſepeliri ſolent. Præceperat enim Theodoro abeunti Dominus Papa Apoſtolicus, ut in Diœceſi ſua provideret, & daret ei locum, in quo cum ſuis, ſcilicet cum ſuis monachis, quos e Monaſterio Niſidano ſibi comites Hadrianus adjunxerat, apte degere potuiſſet*. Mox Theodori progreſſus in divini Verbi diſſeminatione referens, ait hoc eum feciſſe *per omnia comitante, & cooperante Hadriano*. Tum plura ſubnectit de S. Hadriani ipſius obitu, diſcipulis, & miraculis. Igitur ſeculo VII. Niſida, quæ inſula eſt Neapoli proxima, quæque olim Inſula Salvatoris dici conſuevit, Monaſterium habebat, cujus Monachi adeo ſanctitate, ac doctrina effulgebant, ut inde accitum Hadrianum R. Pontifex Angliæ Primatem delegerit. Adeundus omnino Cl. Mazochius *de Cultu SS. Epiſc. pag.* 445.

XVI. Juvat hic paucis ſubnectere Hadrianum in ſuo Anglicano Monaſterio veluti Scholam aperuiſſe, in qua ipſe diſciplinas omnes, præcipue vero ſacras, tradiderit; unde viri æque doctrina, ac ſanctitate illuſtres prodierunt: ac præſertim S. Adhelmus Schireburgenſis Epiſcopus longe omnium Britannorum eruditiſſimus (8), Adulphus Epiſcopus Rocheſtrienſis, Alboinus ipſius Hadriani in Monaſterii regimine ſucceſſor, aliique. Profecto ante hanc ætatem litteras in Britannia in tanta obſcuritate jacuiſſe, ut neque Clerici ſine interprete Scripturas intelligerent, res eſt quam teſtatiſſima (9). Tum antequam illuc Hadrianus adpelleret, Scholamque in ſuo Monaſterio aperiret, vix unus invenitur obſcuri nominis Scriptor Anglicanus: quum, uti modo obſervavimus, Viri doctrina, ac eruditione clariſſimi deinceps floruerint. Igitur e noſtra Neapoli, unde Hadrianus excitus fuerat, ſolo Britannico litterarum auroram primum adfulſiſſe jure gloriari poſſumus. Confer huc noſtram Adnotationem ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Laurentii Moſemii *Centuria VII. Part. I. Cap. 1. Not. 3.*

§. III. *De Euangelii per Hiberniam Propagatione.*

XVII. Hiberniam Britannicarum inſularum alteram; quæ aliquando Britannia Minor, aliquando vero Scotia Magna audiit, Apoſtolica prædicatione ad Chriſti fidem fuiſſe perductam, oppido veriſimile eſt. Jam enim nuper obſervavimus ex Clemente R. Tertulliano, Euſebio, & Chryſoſtomo Apoſtolis etiam Britannicas inſulas patuiſſe: quarum duæ ſunt inſigniores, ſcilicet Britannia, & Hibernia. Profecto ſi non omnes, majores duntaxat, magiſque conſpicuas Apoſtolos, Apoſtolicoſve viros peragraſſe, atque Euangelii luce colluſtraſſe, haud dubitandum videtur (10).

XVIII. Adhæc ex Thullenſium Annalibus, aliiſque non recentibus monumentis colligunt Franciſcus Irenicus *German. Exegeſ. Lib. III. cap.* 49. Uſſerius *ibid.* aliique

(8) *De S. Adhelmo in ejus Vita a Willelmo Malmeſburienſi contexta ita ſcribitur:* Beatus Adhelmus Saxonica proſapia oriundus, primis imbuendus elementis Hadriano Abbati S. Auguſtini traditur: quem in *Arce Scientiæ* ſtetiſſe, qui Anglorum geſta perlegit, intelligit. Hinc puſio Græcis, & Latinis litteris brevi mirandus ipſis enituit magiſtris. *Ac rurſus de eodem jam natu grandiore.* Horum (*de quibus narraverat*) exemplo, & conſortio Adhelmus informatus ad ſtudium, liberales artes plenitudini ſcientiæ adjecit: quas ut medullitus combiberet, iterum ſtuduit Cantium ad pedes Hadriani, qui erat Fons Litterarum, Rivus Artium, donec valetudine cogente repedaret domum.

(9) *In Vita S. Gregorii Ultrajectini* (*Tom. III. SS. Benedict.*) *legitur*, quod adhuc juvenis Scripturas audiente S. Bonifacio legens, nihil intelligebat, utpote Latine ignarus. In Anglia tunc temporis non tantum Laici, ſed & pleraque Cleri pars parum latine ſciebat, itaut Scripturas non ſine interprete intelligere poſſet.

(10) *Petrum, vel Simonem Zelotem, vel Jacobum Majorem Hibernis Chriſtum adnuntiaſſe ſunt qui tradunt: Meſſinghamus* pag. 110. & 138. *Sulleranus* Hiſtor. Cathol. Hibern. Comp. Lib. IV. Cap. 5. *Verum incerta prorſus fide, nec ex ſatis probata traditione.*

aliique S. Manſuetum Hibernum S. Petri diſcipulum, ſocium S. Clementis, ab eodem Apoſtolorum Principe primum Thullenſem fuiſſe ordinatum Epiſcopum. Heic autem quis ſibi perſuadeat Manſuetum veluti Apoſtolum factum ſuorum concivium, vicinarumque gentium ſalutem ſuſque deque prorſus tuliſſe?

XIX. Tum II. ineunte ſeculo in Hibernia Euchum, & Achlenam S. Cataldi Parentes fidei pietatiſque cuſtodes, ac vindices fuiſſe ex antiquiſſimis Eccleſiæ Tarentinæ MSS. Codicibus deducunt Fratres Morronii *Vitæ S. Cataldi Scriptores*. Uti quoque Molanus *in Additionibus ad Martyrologium Uſuardi*, Uſſerius *ibid.* aliique rerum Britannicarum Scriptores Florentinum memorant, Firminum, alioſque Catholicos viros (ex quibus nonnulli ob adnuntiatum Gallis Euangelium martyrii coronas ſibi pepererunt) qui in Hibernia III. & IV. ſeculo floruerint; ac præcipue quatuor Epiſcopos Albeum, Declanum, Ibarum, & Kiaranum, *qui*, ut legitur in Vita Declani apud Uſſerium ibid. *plures ad Chriſtum rete Euangelico traxerunt. Sed tamen*, ſequitur Auctor, *S. Patricius majores Hiberniæ, & potentiores convertit, & ipſe ſummum habet Archiepiſcopatum per circuitum.*

XX. Et ſane Patricius a Cæleſtino Papa ad Hibernos Catholicam veritatem docendos miſſus, adeo ſtrenue ſe geſſit, tantaque felicitate uſus eſt, ut Templa vero Deo erexerit, monaſteria excitarit, Epiſcopos conſtituerit, Remque Chriſtianam publicam in Hibernia, etiam Synodis celebratis, legibus communiverit. Confer ſis Uſſerium *ibid.* Pagium *ad an.* 431. *n.* 52. Tillemont. *Memor. Hiſt. Eccleſ. Tom. XVI.* &c.

§. IV. *De Euangelii per Scotiam Propagatione.*

XXI. Scotiam demum quod ſpectat, ejus Chriſtianiſmi origines obſcuræ prorſus ſunt, & incertæ. Antiquiſſima dumtaxat fert traditio Donaldum Scotorum Regem primum tempore Severi Imperatoris Chriſtianos ritus accepiſſe; & quidem opera Paſchaſii cujuſdam illuc a Victore Romano Pontifice miſſi, qui juſſu Donaldi Romam profectus ipſum Victorem de ſtatu Chriſtianæ Religionis in Scotia certiorem reddidit. Porro omnis omnino in hac regione ſuperſtitio deleri non potuit; licet in id maximopere incumberent Donaldus ipſe, Ethodius ejus ſucceſſor, aliique; qui poſtea Scotiæ imperitarunt. Videſis Georgium Buchananum *Rerum Scoticarum Lib. IV. pag.* 65. Epiſcopi tamen plures ibi ordinati ſunt (11), magnificæ Deo conſecratæ ædes, ac monaſteria ampliſſima conſtructa. Atque adeo viri identidem, ac feminæ pietate, doctrina, ac martyrio celebres eam illuſtrarunt Eccleſiam. Profecto annum circiter 425. quum Pelagii quidam diſcipuli Scotiam adpuliſſent, ut incolis ſuum adſpergerent virus, Cæleſtinus Papa, ut ſcribit S. Proſper ordinato Scotis Epiſcopo Palladio, Romanam inſulam ſtuduit ſervare Catholicam (12).

§. V. *De Fidei Chriſtianæ per Gallias prædicatione, & propagatione.*

XXII. Ipſa Apoſtolica ætate Fidei Chriſtianæ in Galliis fundamenta jacta fuiſſe apertiſſime indicant ſuperius producta Irenæi, & Tertulliani teſtimonia. Quippe quorum alter de Gallicanis Eccleſiis, tanquam jandiu conſtitutis, verba facit; Irenæus vero hæreticos novarum re-

(11) *Anno 1262. repertum eſt Corpus S. Nicolai Caldei, qui unus ex primis Scotiæ Epiſcopis ſæviente per Britannias Maximiani perſecutione martyrio adfectus eſt. Sacra* λείψανα *reliquiæ reperta ſunt cum hac Inſcriptione:* S. Nicolai Epiſcopi. *Confer Dempſterum* Hiſtor. Eccleſ. Scotor. Lib. VIII.

(12) *S. Proſper Lib. contra Collatorem Cap.* 21. Nec vero ſegniore cura ab hoc eodem morbo *Pelagianiſmi* Britannias liberavit *Cæleſtinus Papa*, quando quoſdam inimicos Gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo *Palladio*, dum Romanam Inſulam ſtudet ſervare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam. *Et in Chron. ad an.* 431. Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur a Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.

rum cupidos, ac molitores nonniſi ex traditionibus Eccleſiarum Gallicanarum, & Germanarum confutat. Quod certe *ἀπροσδιόνυσον abſurdum*, immo ridiculum eſſet argumentum, ſi earundem Eccleſiarum inſtitutio recentior ſtatuatur. Adhæc quiſnam ſibi perſuadeat Apoſtolos de Indis, & Æthiopibus ſollicitos fuiſſe, haud vero de Gallis? Jam vero gravis inter eruditos quæſtio eſt, cuinam Apoſtolorum, vel viro Apoſtolico Chriſtianæ Religionis in Galliis origo ſit referenda.

XXIII. Petrus de Marca contendit 1. S. Lucam Euangeliſtam mandato Pauli, cui comes diu adfuerat, ſeſe in Gallias contuliſſe: in cujus ſententiæ patrocinium profert Epiphanium, qui *Hæreſ. LI.* de Luca ſcribit: *Idque ipſe* Lucas *primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præſtitit: ſed in Gallia præ ceteris*, vel magis ad græcum textum: *principium vero in Gallia: ἀρχὴ καὶ ἐν τῇ Γαλλίᾳ.*

2. Creſcentem quoque Apoſtolos adhibuiſſe ad informandas in Religione Gallias: id quod haurit ex *II. ad Timoth.* 4. ubi licet in quibuſdam exemplaribus legatur in Galatiam, attamen Euſebius, Epiphanius, Rufinus, aliique veteres, tum & plerique vetuſtiores MSS. Codices habent in *Galliam*: atque adeo Epiphanius *ibid.* errare eos docet, qui legunt *Galatiam: Non enim in Galatia, ut quidam errore ducti credunt, ſed in Gallia.* Præterea *Galatiam* apud Græcos Scriptores tum ſacros tum profanos pro *Galliis* non raro fuiſſe uſurpatam auctor eſt Theodoretus: qui licet legere maluiſſet *Galatiam*, verba tamen Pauli non ad Galatiam Aſianam, ſed ad Galliam, ſive Galatiam Occidentalem referenda cenſuit: adeo certa erat apud omnes veteres Creſcentis in Gallia prædicatio. Adhuc vetuſta Uſuardi, & Adonis Martyrologia tradunt Creſcentem poſt fidem in Galliis promulgatam in Galatiam Aſianam rediiſſe. Quare conſtat veterum pleroſque omnes adſtipulatos eſſe huic Traditioni (13).

3. Lucæ, & Creſcenti aſſiduis Pauli comitibus ipſum Paulum Apoſtolum adjungit, cui Hiſpanias petenti pergendum certe fuit per celeberrimam apud veteres viam illam, quæ ab Italia per Gallias in Bæticam ducit, cujus deſcriptionem apud Strabonem reperies. Atqui iners dicendus haud eſt Paulus in Galliis erudiendis fuiſſe, qui gentium ſalutem ſibi peculiari modo commiſſam tam flagranti ſtudio ubique peragratis regionibus undequaque procurabat, ut nihil ſupra.

4. Cenſet Philippi quoque Apoſtoli operam poſſe Gallis vindicari ex Iſidoro Hiſpalenſi Lib. de Vit. & Mort. SS. Cap. 74. *Philippus*, inquit, *Gallis prædicat Chriſtum*. Sed quoniam Baronius, eoque duce & alii pro *Gallis* legendum putant *Galatis*; hinc Uſſerii Armachani rationes profert, quibus Vir *χαλκέντερος* demonſtrare conatur *Gallis* legendum eſſe, non *Galatis* (14).

XXIV. Tum argumentis Uſſerianis duo

(13) Galatia *græce apud profanos quoque* pro Galliis *non raro uſurpatur*, *teſte Theodoreto in indicatum Pauli locum*: Creſcens in Galatia: *in quem ſic commentatur:* Galatia: Gallias ſic vocat. Sic enim veteres vocabant: ſic etiam & nunc illas vocant. *Conſentiunt Euſebius* Lib. I. cap. 4. *Epiphanius* ibid. *Hieron.* Catal. Script. Eccleſ. *Sophronius Hieronymi Interpres*, aliique. *Tum pro Gallicano Creſcentis Apoſtolatu præter indicatos antiquiſſimos Patres ſtant etiam Chronicum Alexandrinum, Anonymus apud Œcumenium, Nicephorus, Dorotheus, Uſuardus, qui omnes tradunt Gallias a Creſcente in Chriſtiana Religione inſtitutas.*

(14) *Uſſerius igitur in Antiquit. Britannicis* Cap. 2. *in hunc modum ſcribit*: Quod autem de Philippi in Galliis Apoſtolatu habet Freculfus a Malmesburienſi citatus ex Iſidori Libro *de Patribus utriuſque Teſtamenti Cap. LXXIV.* ad verbum expreſſit. Apud utrumque enim legitur: *Philippum Gallis prædicaſſe Chriſtum, barbaraſque gentes, vicinaſque tenebris, & tumenti Oceano conjunctas ad ſcientiæ lucem, fideique portum deduxiſſe*. Neque hic mihi Baronii conjectura placet, Iſidori iſta a *Galliis ad Galatas Aſiaticos* traducentis, multoque minus nuperi Operum S. Iſidori editoris Jacobi Breulii temeritas *Galatis* pro *Gallis* in ipſo textu (ſine ulla veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam præterquam quod Iſidorus in hoc ipſo Opere *Cap. LXXXII.* & in officio Toletano (quod *Gothicum*, & *Mozarabum* vulgo adpellatur) itemque Julianus Toletanus Archiepiſcopus *in Nahum Prophetam* ſcribens, & Beda (vel quicunque Auctor fuit *Collectaneorum*, & *Florum*) Philippo

duo alia & ipſe addit : 1. ſcilicet erutum e Codice quodam MS. Bibliothecæ S. Germani, in quo Tractatus ille Iſidori ante octingentos annos conſcriptus una cum aliis ejuſdem Iſidori Operibus continetur; ubi tum *Cap.* 74. Philippum Gallis prædicaſſe, tum *Cap.* 82. Galliam Philippo adſignatam videre eſt.

2. Quum Apoſtoli ex Chriſti mandato quacunque orbis patet Euangelium diſſunderent, adeo ut quemadmodum ſcribit Euſebius, ipſis quoque Britannicis inſulis Oceanum prætervecti fidei lumen intulerint, profecto nemo ſibi perſuaſerit Apoſtolos de Britanniis ſollicitos, negligentiores fuiſſe in Galliis (per quas iter eſt ad Britannias) per ſe, aut per ſuos Legatos imbuendis.

XXV. Porro quidquid ſit de Gallicano Lucæ, Creſcentis, Pauli, & Philippi Apoſtolatu, profecto firmioribus nititur monumentis traditio, qua docemur Trophimum a S. Petro in Gallias ad Euangelium adnuntiandum miſſum fuiſſe. Id teſtantur Epiſcopi provinciæ Viennenſis in libello oblato Leoni Papæ an. 445. (15). Quod jam primum tradiderat Zoſimus Papa in Epiſt. edita a Sirmondo, & laudata olim tam in Concilio Francofordienſi, quam ab Uſuardo, & Adone (16): id & antiquiſſima præferunt Martyrologia. Merito igitur vehementer errare eos putamus, qui nobiſcum amice non conjurant, dum Chriſtianæ Religionis initia in Galliis ab apoſtolica ætate repetenda cenſemus. Atque ideo ipſo apoſtolico ævo licet haud magno numero eſſent Gallicani fideles, ut indicant Acta S. Saturnini, attamen non in una Galliarum civitate Eccleſiæ inſtitutæ videntur. Trophimum enim Arelatenſem Eccleſiam fundaſſe ex modo productis monumentis evincitur. Seculo II. Lugduni, ac Viennæ ita creverat Chriſtiana Religio, ut permulti variis tormentorum generibus excruciati Martyres deceſſerint. Exeunte ſeculo II. pro quæſtione de Paſchate Gallicanum quoque Concilium celebratum occurrit. Tertullianus, qui etiam exeunte II. ſeculo floruit Galliarum *diverſas nationes memorat*, *in quibus Chriſti nomen regnabat*. Cyprianus Ep. 67. Edit. Pamelii plures recenſet Gallicanos Epiſcopos, quorum unum, quod novis rebus ſtuderet, deponendum cenſet.

XXVI. Atque hæc certiora ſunt, quæ de primæva apud Gallias Euangelii propagatione adferri poſſunt. Ceterum non magnam fidem merentur, quippe infirmis innixa monumentis, quæ circumferuntur traditiones, quæque diverſis Apoſtolorum diſcipulis diverſarum Galliæ Eccleſiarum inſtitutionem adſignant: uti Narbonenſem Paulo, Lemovicenſem Martiali, Pariſienſem Dionyſio Areopagitæ, Toloſanam Saturnino, Senonenſem Saviniano, ac præcipue Maſſilienſem Lazaro, Marthæ, M. Magdalenæ, & Maximino, qui divina Providentia auſpice in Gallias venerint, & Maſſilienſem, aliaſque vicinas fundaverint Eccleſias.

§. VI. *De Fidei Chriſtianæ per Hiſpanias Propagatione.*

XXVII. Si quæ unquam Occidentalis Eccleſia poſt Romanam Apoſtolica prædicatione gloriari poteſt, ea profecto eſt Hiſpa-

lippo Galliam adſignant, itemque Gallis prædicaviſſe Chriſtum legitur in libello *de Feſtis Apoſtolorum*, qui in Hieronymiano Martyrologio MS. habetur (ex quo pleraque omnia in librum ſuum *de Patribus novi Teſtamenti* tranſcripſit Iſidorus) illa barbararum gentium Oceano conjunctarum mentio *Europæos Gallos*, *non Gallos Græcos* ab Iſidoro intellectos eſſe, ſatis evincit.

(15) *Inter Epiſtolas S. Leonis Edit. Queſn.* 41. & *Edit. Venet.* 106. Omnibus etiam regionibus Gallicanis notum eſt., ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima inter Gallias Arelatenſis civitas miſſum a Beato S. Petro Apoſtolo Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paullatim regionibus Galliarum donum fidei, & religionis infuſum.

(16) *Zoſimus Papa Epiſt. I.* Metropolitanæ Arelatenſium urbi vetus privilegium minime derogandum eſt, ad quam primum ex hac Sede Trophimus Summus Antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus eſt.

Ado in Martyrologio ad IV. Kal. Jan. *& in Libello de Feſtivitatibus Apoſtolorum*; *antiquiſſimum Martyrologium ab Roſweydo editum* ad VI. Kal. Januarii; *Martyrologium Rom.* ad IV. Kal. Januarii, &c.

Hiſpanienſis, quam S. Jacobus fundavit, S. Paulus inviſit, auxitque, ac ipſe Princeps Apoſtolorum peculiari quadam caritate complexus eſt.

XXVIII. Ac primo quod a S. Jacobo Hiſpanienſis Eccleſia fundata ſit, id licet haud pauci negent Scriptores, & quidem haud levibus ducti conjecturis, plerique tamen firmioribus innixi monumentis tuentur. His adcenſend e doctæ, & laborioſæ Juvenis Cl. Benedicti Clementis de Arollegui lucubrationes, quibus Hiſpanis Jacobi prædicationem tam ſtrenue, tantaque cum ἀκριβείᾳ vindicavit, ut unus maxime omnium reliquis palmam præripuiſſe, & Hiſpaniæ Eccleſiæ tum vetuſtati tum dignitati velificaſſe videatur. In ea enim diſſertatione paucis abhinc annis edita Neapoli, cui titulum præfixit: *De Adventu S. Jacobi in Hiſpanias*, ut eſt acri judicio, ſingularique eruditione præditus, ſic manus ad rem admovit, nullas ut poſt ſe ſalebras reliquerit. Quod hic dictum volumus, primo ut eſſet hoc noſtræ voluntatis indicium erga Virum nobiliſſimum; cujus ut olim præſentis conſuetudine delectabar impenſius, ita nunc abſentis deſiderio diſtineor ægrius. Deinde ut ne Virum doctiſſimum merita laude defraudem, ubi ſemel animum induxi ejus hic diſſertationis veluti ſpecimen exhibere.

XXIX. Igitur I. Hieronymus ita divino juſſu Apoſtolos per totam terram diſtributos exponit, ut unum eorum in Hiſpaniam veniſſe diſerte adfirmet. En ejus verba: *Spiritus illius congregaverit eos dederitque eis ſortes, ut alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Indos, alius ad Græciam pergeret*. Ergo conſtat ex Hieronymo Hiſpaniæ Apoſtolicæ prædicationis prærogativa. At quiſnam ille Apoſtolus fuiſſe dicendus eſt, quem Hieronymus producto loco indicaverit, quæſtio eſt haud explicatu difficilis. Plurima enim evincunt Hieronymum de Paulo haud cogitaſſe. Ergo nonniſi de Jacobo Hieronymiana ſententia intelligenda, præſertim quum alibi ipſe Hieronymus loquens de Jacobo, ejuſque fratre Joanne a Domino vocatis, dum una cum Patre Zebedæo in navi reficiebant retia ſua, ſcribit: *Apoſtolos videns Jeſus in littore juxta mare Geneſareth reficientes retia ſua vocavit, & miſit in magnum mare, ut de piſcatoribus piſcium faceret hominum piſcatores, qui de Jeruſalem uſque ad Illyricum & Hiſpanias Euangelium prædicarunt*. Quidnam quæſo dilucidius ad demonſtrandum Hieronymum æque in hoc, ac in ſuperius producto loco S. Jacobi in Hiſpanias profectionem, ibique prædicationem & agnoviſſe, & comprobaſſe? Concors enim loci utriuſque effulget ſententia, nimirum ut Hiſpaniæ Jacobo adtribuantur; Joanni vero Fratri ejus Regiones, quæ interjacent uſque ad Illyricum (17).

XXX. Tum Hieronymus ipſe *ibidem* poſt deſcriptam Apoſtolorum ſortitionem ſtatim ſubnectit: *Ut unuſquiſque in Euangelii ſui, atque doctrinæ provincia requieſceret*. Qua de re quum Jacobi corpus poſt ejus mortem a ſuis diſcipulis in Hiſpaniam fuiſſe tranſvectum, ibique requieſcere negaverit nemo, quiſnam tam impudens erit, ut contendat adhuc, Hieronymum laudatis locis alium, quam Jacobum, indicaſſe?

XXXI. Adhæc Iſidorus Hiſpalenſis egregius Hiſpanienſis Doctor in Libro, quem *de Ortu, & Obitu Patrum* inſcripſit; in hunc modum ſe habet: *Jacobus Filius Zebedæi frater Joannis, quartus in Ordine ... Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum gentibus Euangelium prædicavit, & in occaſu mundi lucem prædicationis infudit .... Petrus Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus Hiſpaniam* &c. Non deſunt quidem, qui ejuſmodi opus Iſidoro abjudicant: at viri κριτικώτατοι Petrus de Marca, & Gulielmus Cave genuinum agnoſcunt. Ac præcipue Petrus de Marca *Epiſt. ad Valeſium num. 6.* de Codice Iſidoriano S. Germani Pariſienſis ante annos octingentos exarato hæc habet: *Nec diſſi-*

(17) *Notiſſimum eſt in ſortitione Apoſtolica Joanni contigiſſe Aſiam, quæ uſque ad Illyricum Orientale protenditur, ubi cum Helleſponto conjungitur. Ex quo maxima quædam elucet ſingularis dignitas, qua Dominus Jacobum, & Joannem fratres voluit condecoratos, quum illi Occidentis, huic Orientis terminos fidei lumine illuſtrandos dederit.*

Digitized by Google

diſſimulandum eſt in eo codice legi Hiſpaniam Jacobo Apoſtolo datam, eumque Hiſpanis fidem prædicaſſe. Quæ vetuſti Codicis auctoritas tanti eſt, ut eximere debeat conceptam a quibuſdam ſuſpicionem vitiatæ forte loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hiſpanarum partium ſtudioſo.

XXXII. Accedat alterum non infirmioris roboris argumentum ex Miſſali ſic dicto *Mozarabico* antiquitatis, atque auctoritatis juxta maximæ (18). In eo enim legitur in honorem S. Jacobi concinnatus hic hymnus:

Magni deinde filii tonitrui,
Adepti fulgent prece Matris inclytæ,
Utrique vitæ culminis inſignia,
Regem Joannes dextra ſolus Aſiam,
Ejus frater potitus eſt Hiſpaniam.

Atque antequam hinc ulterius progrediamur illud obſervandum cenſeo, quam mire ſcilicet Hieronymus, Iſidorus, ac producti Hymni Auctor inter ſe conſentiant.

XXXIII. Hactenus productis monumentis plura adjungi poſſent, uti auctoritates Juliani Epiſcopi Toletani, Ven. Bedæ, B. Presbyteri Liebanenſis; tum Martyrologia Blumanum, ſeu Weiſſemburgenſe ann. 772. Gallicanum ann. 804. & Altiſſiodorenſe ineunte ſeculo VIII. editum, auctore Viro Cl. Edmundo Martene. Porro hæc, & alia videri poſſunt apud Cl. Benedictum Clementem *in indic. Diſſertatione*; ubi quoque objecta prorſus diſſlata invenies, quæ ab adverſariis proferri ſolent.

XXXIV. Duo hic tantummodo obſervatu digna cenſeo. Primum, quod jam indicavi, ſcilicet miram antiquiorum cum recentioribus convenientiam optimum efferre veritatis argumentum.

XXXV. Alterum, præcipuum adverſariorum argumentum eſſe ex iis, quæ negantia vocantur, ſcilicet antiquiſſimorum Patrum ſilentium. Verum argumenti negantis adverſus adeo concordibus monumentis probatam *παράδοσιν traditionem* perparvam vim eſſe nemo veſtrum ſubdubitaverit.

XXXVI. Ad Apoſtolum Paulum quod ſpectat, eum fidem in ſe recepiſſe Hiſpanos quamprimum adeundi, dubium eſſe poteſt nemini, quum id animi ſui conſilium prodiderit Paulus ipſe *in Epiſt. ad Rom.* data, ubi, quando ſe in viam daret Hiſpaniam petiturus, Romanos quoque inviſurum pollicetur. Atqui fidem in ſe receptam ut liberaſſe eum credamus, quamvis nullum æque *ἀναντίῤῥητον irrefutabile* ſuppetat argumentum, ſi quid tamen conjectura adſequi licet, id conſilium etiam perfeciſſe facile ſuaderi poteſt.

XXXVII. Certe quum poſt primum ejus Romam adventum undecim anni, atque adeo poſt Romanam biennio captivitatem, adhuc novem anni Paulo ſuperfuerint, horum aliquot in Hiſpanicæ regionis Apoſtolica peregrinatione impendiſſe eſt quod credamus: tum quia deſiderium hoc conceperat pridem animo, tum eo vel magis, quod Romanorum conſuetudine non ad ſatietatem, ſed *ex parte* ſe velle frui ſignificat (19).

XXXVIII. Huic porro conjecturæ, ceteroquin per ſe minime ſpernendæ, accedit præterea conſtans Patrum antiquiſſimorum traditio. Enimvero ſub initium IV. ſeculi Orientem totum atque Occidentem conſtans fama pervaſerat, Hiſpanias Pauli quoque prædicatione peragratas. Epiphanius Hæreſi XXVII. ut ab Petro ſemel atque iterum Ponti, Bithyniæque Provincias, ita a Paulo Hiſpanias perluſtratas ſcribit: *Paulus in Hiſpaniam profectus eſt*;

(18) *Ejuſmodi Miſſale, ſive Officium Sacrum, quod nunc* Gothicum, *nunc* Toletanum, *nunc* Mozarabicum *audit, Seculo VI. haud ſerius dicendum eſſe, tum pluribus demonſtratur, tum vel maxime ex eo, quod quum a Concilio Tolet. IV. an. 633. celebrato unus ordo in divinis miniſteriis, officiisque celebrandis ſancitus ſit, illud ab eo tempore ad noſtram hanc ætatem profecto derivatum dubitandum haud eſt.*

(19) *Epiſt. ad Rom. Cap.* 15. Quum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis prius ex parte fruitus fuero . . . . . Per vos proficiſcar in Hiſpanias.

eſt; Petrus ſæpe Pontum, & Bithyniam viſitavit. Conſentit ex Latinis Hieronymus in Caput XI. Iſaiæ, ubi de Paulo ſcribit: *In Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt navibus*. His adde S. Athanaſium, S. Cyrillum Jeroſolymitanum, S. Joannem Chryſoſtomum, Theodoretum, Gregorium M. alioſque (20), quibus hæc Pauli ad Hiſpanos profectio adeo certa, ac rata fuiſſe videtur, nihil ut magis. Profecto mirabilis tot tantorumque Patrum conſenſio nonniſi conſtanti omnium Eccleſiarum traditioni inniti poterat.

XXXIX. Poſtremo S. Petrus peculiari quadam caritate Hiſpanienſes Regiones proſecutus eſt. Etenim auctore Paulo ab Hiſpania Romam reduce illuc ſeptem Epiſcopos miſit, qui fidem ibi jam a Jacobo ſtatutam, & a S. Paulo firmatam, augerent, propagarentque, Eccleſias fundarent, Epiſcopos conſecrarent, aliaque id genus præſtarent, ut altas ibi radices Chriſtiana Religio ageret (21).

§. VII. *De Euangelii per Germaniam, aliaſque finitimas Gentes Prædicatione, & Propagatione.*

XL. Seculo II. in Germania plures jam fuiſſe Chriſtianas Eccleſias conſtitutas nemo, niſi in meridiana luce velit cæcutire, ex nuper productis Tertulliani, atque Irenæi teſtimoniis non intelligit. Atque hac fortaſſe de cauſſa Theodoretus *Therapeuticæ Gentium Lib. IX.* inter Gentes Apoſtolorum præconio ad Chriſti fidem evocatas *Germanos* recenſet, & *Cimbros*. Ex quo certe colligere eſt jam inde ab Apoſtolorum ætate Germanis Chriſti fidem refulſiſſe.

XLI. Jam vero non ii duntaxat Germani, qui Romanis victoribus arma ſubmiſerunt, ſed illi etiam, quos Romani ſubigere nunquam potuerunt, Apoſtolorum, vel apoſtolicorum virorum opera Chriſtianam Religionem amplexati ſunt; quod Tertullianus producto loco indicat, & late demonſtrat Babellius, Cellarius, aliique Germanicarum Antiquitatum Scriptores. Porro cujuſnam opera Chriſti Euangelium in Germaniam primum invectum ſit decertant Critici, & adhuc ſub judice lis eſt.

XLII. Non deſunt qui credant Thomam Apoſtolum Euangelium Germanis adnuntiaſſe, quod quidem ex Pſeudo-Dorotheo, Œcumenio, & Sophronii quibuſdum Codicibus colligunt, ubi de S. Thoma legitur, *ipſum* ſcilicet *Parthis*, *Medis*, *Perſis*, *Germanis* &c. *Euangelium Domini* prædicaſſe. Verum alii Codices habent *Caramannis*, ut obſervat Hermannus Conringius *Diſſert. de Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ Tom. II. Oper. pag. 699.* Nicephorus *Lib. II. cap.* 40. habet *Brachmanos:* quæ ſane lectio ad Hiſtoriam itinerum S. Thomæ videtur adcommodatior; propterea quod, uti ſuo loco vidi-

(20) *S. Athanaſius in Epiſt. ad Dracontium*: Studium fuit Sancto Viro uſque ad Illyricum prædicare, neque ſegneſcere, neque amittere, quin Romam iret, & in Hiſpanias adſcenderet, ut pro graviori labore majori frueretur mercede laboris.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catbecheſ. XVII. Ab Jeroſolymis uſque ad Illyricum diſſeminavit Euangelium, qui Regiam quoque Romam inſtituebat, & in Hiſpaniam uſque promtitudinem prædicationis extendit.

S. Joannes Chryſoſt. Hom. LXXVI. in Matth. Quum igitur biennium Romæ exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt. Deinde in Hiſpanias profectus, inviſit illic Judæos &c.

Theodoretus in Cap. I. Epiſt. ad Philipp. Quum autem illinc *Roma* profectus eſſet in Hiſpaniam, & illis etiam divinum Euangelium tradidiſſet.

S. Gregorius M. Lib. XXXI. Moral. cap. 22. Paulus quum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpanias peteret. *His adde Martyrologia, ac præcipue Romanum* ad diem 22. Martii, *Adonis Chronicum* ad ann. 59. *ac denique Menologium Græcorum* ad diem 25. Septembr. *ubi mentio occurrit Xantippes, & Polixenæ a S. Paulo ad fidem in Hiſpania adductarum.*

(21) *S. Gregorius VII. Lib. I. Regeſt. Epiſt. 64. data ad Alphonſum, & Sanctium Hiſpaniarum Reges.* Quum Beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab urbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos a Petro, & Paulo Apoſtolo directos fuiſſe, qui deſtructa Idololatria Chriſtianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, Ordinem & Officium in divinis cultibus agendum oſtenderunt, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicavere, veſtra diligentia non ignoret.

vidimus, in Indiam penetraverit, & Brachmanum gens meridionalem Indiæ regionem ſpectet.

XLIII. S. Marci Euangeliſtæ apoſtolatu gloriantur Laureacenſes: Calmet *in Hiſt. Lotharingiæ*. Tum Moguntinam Eccleſiam a S. Creſcente S. Petri diſcipulo fuiſſe conſtitutam tradunt Ado, & alii recentiores, & contendit Serarius *Rerum Moguntinarum Lib. I. cap.* 19. Aliæ demum Germaniæ gentes alios deprædicant S. Petri diſcipulos ſuos inſtitutores: ſed hæc incerta prorſus ſunt, atque ea definire deſperatæ ſedulitatis eſt. Tantummodo magis conſtans, veterumque monumentis haud deſtituta traditio illa videtur, quæ docet SS. Maternum, Valerium, & Eucharium a S. Petro in Germaniam fuiſſe miſſos, ac S. Materni opera Tungrenſes, Colonienſes, alioſque finitimos populos, atque adeo ipſos Brunſvicenſes ad Chriſti fidem fuiſſe perductos; Valerium vero, & Eucharium Trevirenſibus Chriſti fidem adnuntiaſſe (22). Quare Petrus Cluniacenſis *Lib. I. Epiſt. I.* dum enumerat Epiſcopos a S. Petro in Gallias miſſos: *Miſit*, inquit, *in Galliam Treverim & Coloniam Maternum, Eucharium, & Valerium*. Et Marianus Scotus Sex Ætat. Lib. II. *Anno Dom. Incarn.* 54. *Claudii an.* 12. *Epiſcopatus Petri Romæ ann.* 8. *Eucharius cum Sociis Valerio, atque Materno ad prædicandum Gallicis gentibus miſſi ſunt*.

XLIV. Helvetii, Belgæ, Batavi, Rethæ, aliique Germanis, Galliſque finitimi populi ſui Chriſtianiſmi initia ipſi accepta referunt Apoſtolorum Principi, vel ſaltem ipſius diſcipulis: ſcilicet Helvetii S. Beato Anglo Sacerdoti, quem primum apud Helvetios publice Chriſti mentionem habuiſſe, miſſum a Petro Apoſtolorum Principe Roma in eam regionem, contendit Franc. Guillimannus *de Rebus Helvetiorum Lib. I. cap.* 15. Confer Bolland. *ad* 9. *Maji*, & *ad* 6. *Mart.* ubi de S. Fridolino; Rethæ S. Barnabæ, vel S. Lino; Belgæ SS. Ruſo, Prudenti, aliiſque ſociis, omnibus S. Pauli diſcipulis; Lotharingienſes S. Clementi, S. Pauli quoque collegæ, aliique aliis. Verum hæ traditiones, quippe quæ recentes, & monumentis deſtitutæ, nullam fidem merentur.

XLV. Porro quæ in hoc Capite certiora videntur, vel duntaxat minus dubia, præſtat hic paucis complecti. 1. S. Narciſum Epiſcopum Gerundenſem, qui exeunte ſeculo III. floruit, ejuſque Diaconum Felicem primum in Rethia Euangelium promulgaſſe produnt Martyrologia Uſuardi, Hiſpanienſe, & Romanum *ad* 18. *Mart.* Vetus Auctor Vit. S. Narciſi *apud Bolland. eadem die*, & contendit Galeſinus *in notis ad Martyrolog. Rom. ibid.*

2. S. Valentinum Paſſavienſem Epiſcopum vita functum ann. 440. & dein S. Severinum an. 482. extinctum, Norici, & Vindelicorum Apoſtolos faciunt vetus Auctor *Vitæ S. Valentini* apud Surium *ad* 4. *Auguſt.* pleraque Martyrologia, & Eugippias *Auctor Vitæ S. Severini* (23).

3. S.

(22) Temporibus Conſtantini M. claruit Maternus quidam Colonienſis Epiſcopus, cujus mentio occurrit tum in actis Conc. Arelat. tum in Epiſt. ejuſdem Conſtantini ad Melchiadem apud Euſebium *Lib. X.* Unde Tillemontius S. Materni diſcipuli S. Petri ad Germanos apoſtolatum inter commenta reponendum cenſet. At contra Baronius duos potius diſtinguendos autumat cognomines Epiſcopos Colonienſes, Majorem unum S. Petri diſcipulum; Minorem alterum, de quo Acta Arelatenſia, & Conſtantinus M.

(23) Ab Apoſtolis invectam in Noricum Chriſtianam Religionem *fuiſſe contendit Marcus Hanſigius* Tom. I. Germaniæ Sacræ Part. I. pag. 2. edit anni 1727. *& quidem tum ex Epiſtola Symmacho Papæ tributa, quæque eſt apud Theodorum Laureacenſem Archiep. circiter an.* 504. *data, tum vel maxime ex teſtimonio Agapeti Papæ II. qui medio ſeculo X. Eccleſiæ univerſæ præſedit, in ea Epiſtola, quam ſcripſit ad Gerardum Laureacenſem, ubi hæc habet*: In exordio naſcentis Eccleſiæ a Doctoribus Romanæ Sedis Catholicæ Fidei rudimenta percepiſſe Laureacenſes cives, & exinde a ſuccedentibus prædicatoribus in ſuperioris, atque inferioris Pannoniæ provincias ejuſdem fidei manaſſe gratiam. *Profecto cauſſa nulla eſt, cur, ſi primis Eccleſiæ ſeculis in Illyrico, & Germania Chriſtiani vivebant, nullos omnino fuiſſe putem, qui ad Noricos ſe conferrent, eiſque quid eſſet credendum oſtenderent. Igitur SS. Valentinus, & Severinus ea duntaxat ratione Noricorum Apoſtoli dicuntur, quod quum barbari iis regionibus potiti Chriſtianiſmum pæne deleverint, in eo reſtituendo Apoſtolici illi viri ſtrenuam operam navarint.*

3. S. Columbano, ejuſque diſcipulo S. Gallo, quorum prior an. 615. alter an. 640. obiiſſe fertur, Suevorum, & Helvetiorum apoſtolatum adſcribunt Jonas *in Vit. S. Columbani*, & ex eo Surius, Sigebertus, aliique.

4. S. Vedaſtum Atrebatenſium Epiſcopum, Clodoveum Francorum Regem ad Chriſti ſacra colenda inſtituiſſe, auctor eſt Alcuinus *in ejus Vita*.

5. S. Wigbertum fidem Chriſtianam in Belgio propagaſſe teſtatur Beda *de Geſt. Angl. Lib. V. cap.* 10.

6. S. Audbertum an. 628. defunctum Francorum, & Bojariorum, ſive Bavarorum fuiſſe Apoſtolum reperies apud Surium, Annales Bojorum, & antiquum auctorem ejus Vitæ *apud Bolland. ad* 27. *Mart.*

7. Francorum Orientalium ad Chriſti fidem converſionem S. Kiliano an. 689. defuncto tribuunt auctor ejus Vitæ *apud Surium ad* 8. *Jul.* Martyrologia Bedæ, Adonis, & Rom. *ad eumdem diem*. Videſis Mabillonium *in Annalibus Benedict. ad eundem annum*.

8. Euangelii ad Saxones prædicationem primum duobus Evaldis, ſive Evvaldolis Presbyteris, qui apud eoſdem an. 692. martyrii coronam adepti ſunt, adſignant Beda *ibid. Lib. V. cap.* 11. Sigebertus *in Chron. ad eundem annum*, aliique σύγχρονοι *coævi* Scriptores.

9. Primus in Friſia Euangelii præco occurrit S. Wilfridus Epiſc. Eboracenſis, qui quum ab Egfrido Rege Epiſcopatu pulſus eſſet, Romam an. 679. *iturus*, *& coram apoſtolico Papa cauſſam dicturus*, *ubi navem aſcendit*, *flante favonio*, *pulſus eſt Freſiam*, *& honorifice ſuſceptus a barbaris*, *ac rege illorum Aldgiſlo*, *prædicabat eis Chriſtum*, *& multa eorum millia verbo veritatis inſtituens a peccatorum ſuorum ſordibus fonte Salvatoris abluit*: ita Beda *ibid. Lib. V. cap.* 20. Mox S. Wilfrido in Saxonum, Friſionumque apoſtolatu ſucceſſere S. Suitbertus, qui an. 717. vitam cum morte commutavit, quemque Boruchtuariorum etiam Apoſtolum, ac primum Friſionum Epiſcopum faciunt Beda *ibid. Lib. V. cap.* 11. & 12. & Marcellinus *in ejus Vita*; tum & S. Willibrordus cum decem ſociis: id teſtantur Beda *ibid. Lib. III. cap.* 13. Alcuinus *in ejus Vita*, aliique. Videſis Acta SS. *ad* 1. *Mart. in Vita Suitberti*.

XLVI. Jam vero quidquid alii præſtiterint in propagando per Germaniam, aliaſque finitimas regiones Euangelio, maxime ſupra reliquos enituit S. Bonifacius, qui a Gregorio II. ad evulgandam Chriſti fidem in Germaniam miſſus maximam Germanorum multitudinem, præſertim e Friſonibus, Haſſis, Thuringis Chriſtianæ Religioni ſubjugavit; plures etiam, qui chriſtiana ſacra jam antea receperant, hos confirmavit, iiſque diſciplinam, ac leges Eccleſiaſticas ſanxit; adeo nempe, ut nullus pæne Germaniæ populus Bonifacii, vel ſaltem ejus ſociorum caritates expertus non fuerit. Quamvis enim jam inde ab apoſtolica ætate in Germania Chriſti nomen fuerit adnuntiatum, tum & deinceps non defuerint, qui hos, aut illos Germaniæ populos in chriſtiana fide erudirent: attamen vel ob vicinitatem paganorum evulſum eſt furore gentilium ſemen cæleſte, vel, quia cultura deerat, ſuffocatum, vel demum hæreticorum pravitate corruptum. Qua de re multo opus fuit ſudore, ac ſanguinis etiam effuſione, ut aliquis tandem fructus colligeretur. Et ſane Bonifacius poſtquam Germanico apoſtolatu mirabiliter eſt functus: tum & Trajectinam Eccleſiam per plures annos incredibili ſapientia adminiſtravit, denique in Friſia a gentilibus ira; & rabie æſtuantibus Chriſti martyr renuntiatus eſt.

XLVII. Jam vero S. Bonifacio felicius, quam aliis, qui ante ipſum vineam Domini excolendam ſuſceperunt, res ceſſiſſe videtur. Ejus enim Euangelii præconium uberiorem, ac ſtabiliorem fructuum copiam Eccleſiæ peperit. Id vero duplici ex cauſſa factum arbitror, tum ſcilicet, quod ipſe, vel ipſius ſocii (inter quos S. Willebaldus dubio procul emicuit) quos ſemel in Chriſti ovile perduxerant populos, eoſdem denuo inviſere, atque in tradita fide confirmare non deſtiterunt; tum vel maxime, quod Francorum Reges in eamdem rem ſtrenuam & ipſi operam præſtiterunt.

XLVIII.

Digitized by Google

XLVIII. Sane Carlomannus, Pipinus, Carolus M. & Ludovicus Pius modo Epiſcoporum coactis Conciliis, modo ſaucitis ſanctionibus de Paganis ad Catholicam fidem invitandis, modo etiam Eccleſiis a fundamentis extructis & ipſi Chriſtianam Religionem vel labectatam reſtituere, vel inter paganos Principes in ſuam ditionem redactos communicare, vel denique viris apoſtolicis, qui bonum ſemen ſeminarent, in remotas, ac barbaras nationes miſſis, mirum in modum augere conati ſunt. Unde Ludovicus Pius in ſua Sanctione an. 829. *De Paganis ad Chriſtianitatem invitandis* apud Baluzium Tom. I. Capitularium pag. 681. ſcribit: *Sedem Archiepiſcopalem Hamaburgenſem Cæſarea auctoritate fuiſſe conſtitutam, unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum uberiuſque capere poſſent ..... inſuper etiam, & magnorum progenitorum noſtrorum ſacra lucrandi ſtudia noſtris in diebus nunquam deficerent. Genitor etiam noſter glorioſæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam Eccleſiaſticæ Religioni ſubdidit, jugumque Chriſti ad uſque terminos Danorum, atque Slavorum corda ferocia ferro perdomans docuit.* Idem teſtantur Sigebertus, Rembertus, aliique (24).

XLIX. Poſt Caroli M. tempora plures deinceps floruere viri ſanctitate, ac doctrina inſignes, & Religionis Chriſtianæ tuendæ propagandæque ardore mirum quantum incenſi, qui partim in ipſa Germania Chriſtianam Religionem confirmarunt, partim ad finitimos Germaniæ populos Chriſti nomen invenxere. Uti S. Anſcharius Bremenſis Epiſcopus, qui Suecos, & Danos Chriſti fidem edocuit. S. Bruno Epiſcopus Ruthenorum, qui in Pruſſia Verbi Dei præco extitit. S. Adalbertus, ſive Albertus Pragenſis Epiſcopus, qui Bohemis, Polonis, & Hungaris Euangelii lætus nuntius advenit. S. Otho Epiſcopus, qui Pomeranis Chriſti Euangelium adtulit, ac reliqui omnes, quorum alii alios Germaniæ populos Chriſtianam fidem edocuerunt. Videſis Germanicarum Rerum Scriptores, & Albertum Fabricium *Lucis Euang. Cap. XIX.* Poſtremo iiſdem Caroli M. temporibus floruit in Germania S. Lioba Virgo miraculis clara, quæ cum Sorore Walpurga ſanctimonialium apud Germanos inſtitutarum anteſignana fertur. S. Liobæ Acta Rabani juſſu conſcripta edidit Surius *Tom. V.* Confer etiam Trithemium de Viris Illuſtribus Ord. S. Benedicti *Lib. III. cap.* 173. & Baronium in Martyrologium *ad diem* 28. *Septemb.*

(24) *Sigebertus Gemblacenſis ad an.* 780. Carolus Rex Albiam fluvium tranſgreditur, ibique in ejus gratiam Bardogavenſes, & Norduitæ baptizantur. *Tum ad an.* 780. Carolus Saxoniam velut tempeſtas proterit, munitiones irrumpit, & ad hoc eos impellit, ut ſe, & patriam ei dedant, & datis obſidibus ſe Chriſtianos futuros ſpondeant. *Et ad an.* 785. Withicindus, & Albion Duces Saxonum Carolo reconciliati baptizantur, & motus Saxonum reprimuntur.

Rembertus in Vita S. Anſcanii cap. 11. Carolus Auguſtus, *inquit*, omnem Saxoniam ferro perdomitam, & jugo Chriſti ſubditam per Epiſcopatus diviſit, ultimam partem ipſius provinciæ, quæ erat in Aquilone ultra Albiam, nemini Epiſcoporum tuendam commiſit, ſed ad hoc reſervare decrevit, ut ibi Archiepiſcopalem conſtitueret ſedem, ex qua, Domini gratia tribuente, etiam ſucceſſio fidei Chriſtianæ in exteras proficeret nationes: qua de re primitivam etiam ibi *Hamburgi* Eccleſiam per quendam Epiſcopum Galliæ *Trevirenſem* Amalharium nomine conſecrari fecit.

C A P U T V.

De Euangelii per Italiæ Provincias Propagatione.

§. I. *De Euangelii per Italiæ Provincias Propagatione generatim.*

I. NOſtri ſane Inſtituti non eſt hic S. Petri Hiſtoriam adtexere, ejuſque Romam adventum, ibique Epiſcopatus regimen, ac poſtremo ipſius martyrium ex veterum monumentis adſtruere; præſertim quum id præſtiterint Viri Cl. non e Catholicis modo, verum, & ex heterodoxis cordatiores. Contendimus tantum-

tummodo hoc in loco paucis deſignare quonam pacto, & quorum opera per Italiæ regiones Euangelium fuerit evulgatum.

II. Principio illud monendum duco, S. Petrum, poſtquam Romam conceſſit, non ita illic ſuam ſtatuiſſe ſedem, ut ne pedem quidem extra urbem efferret; ſed, ubi poſtularet occaſio, alia evagatum fuiſſe. Namque illum, præter iter Jerſolymam inſtitutum, ubi Jeroſolymitano præfuit Concilio, Occidentis, ac præcipue Italiæ regiones, ut ipſis euangelizaret, haud ſemel percurriſſe, & veterum monumenta, & antiquiſſimæ Eccleſiarum traditiones ſatis commoſtrant.

III. Et re quidem vera S. Epiphanius *Hæreſ.* 27. de S. Clemente verba faciens (quem opinio erat inauguratum fuiſſe Romæ Epiſcopum, quum adhuc in vivis ageret S. Petrus) in eam it ſententiam, Petrum ſcilicet, conſtituta Romæ ſui Epiſcopatus ſede, quia per varias regiones excurrere ſolebat, ut ipſis Euangelii lucem adferret, Linum, & Cletum ſibi veluti vicarios ſuppoſuiſſe; ne Roma, ipſo abſente, ſine ullo prorſus Epiſcopo remanſiſſe diceretur. En Epiphanii verba: *Quamquam vel hac quidem ratione, viventibus adhuc Apoſtolis, Petro ſcilicet, & Paulo, Epiſcopi alii ſurrogari: quod iidem illi prædicandi Euangelii gratia in alias urbes, regioneſque profectionem ſuſciperent: carere autem Epiſcopo Roma non poteſt*. Eadem habent & alii veteres Hiſtorici, ac præcipue Rufinus, cujus verba vide inferne (1). Id quod etiam in cauſſa fuiſſe videtur, cur R. Pontifex, tanquam S. Petri ſucceſſor, licet in univerſum Chriſtianum orbem non honoris modo, verum & poteſtatis primatum habeat; attamen peculiari quodam jure *Δυσικῶν κορυφαῖος* *Occidentalium Coryphæus* a S. Baſilio *Epiſt.* 10. dicitur, & *Occidentalis Eccleſiæ Præſidens* a S. Auguſtino *Lib. I. contr. Julianum*. Tum & Patres Arelatenſes Epiſt. ad Silveſtrum Papam eum *majores diœceſes tenere* ſcribunt.

IV. Nemo unquam dubitavit, immo Veteres concordi videntur ſententia docuiſſe; uti reliquis Apoſtolis, vel Perſiam, vel Achaiam, vel Aſiam, vel Indiam &c. ita S. Petro Occidentis regiones Euangelica face illuſtrandas contigiſſe: cui Apoſtolatui S. Paulus comes & adjutor divinitus datus fuit. Atqui hanc Spartam, quam S. Petrus cælitus nactus eſt, quinam pro merito ornaſſet, ſi Romæ mœnia nunquam tranſgreſſus foret, & non Italiæ ſaltem regiones, Roma haud longe diſſitas, Euangelica prædicatione illuſtraſſet?

V. Quamvis veteres Patres plerumque S. Petrum Romam in ſorte prædicationis accepiſſe tradant; id tamen haud ita intelligendum, quaſi ſolam Romanam urbem inſtituendam acceperit; ſed quod Roma Occidentis, ac præcipue Italiæ velut Caput eſſet, Princeps, ac Metropolis. Quare S. Hieronymus *Epiſt.* 148. *ad Marcellam*, ubi Petro Romam, Thomæ Indiam, Paulo Illyricum &c. adſignat, *In omnibus locis*, ſcribit, *diſerte verſabatur* (Dei ſermo) *cum ſingulis Apoſtolis, & apoſtolicis viris in ſingulis, cunctiſque regionibus*.

VI. Quod autem veteres Hiſtorici ſingularum non meminerint Italiæ civitatum, quas S. Petrus præſentia, prædicationeque ſua decoraverit, hæc momenta in cauſſa fuiſſe cordatioribus videntur: 1. Quum ii plerumque Orientales fuerint, nil mirum, ſi res Italicas peculiares & minutiores hoc in capite vel ignorarint, vel neglexerint.

2. Occidentalibus vero fortaſſis, aut ne fortaſſis quidem nulla ſuborta eſt occaſio, ut peculiaria iſtæc, & de loco in locum ab

(1) *Rufinus Præf. ad Recognisiones Clementi Romano adſcriptas*: Linus, & Anacletus fuerunt quidem ante Clementem Epiſcopi in urbe Roma, ſed ſuperſtite Petro, videlicet, ut illi Epiſcopatus curam gererent, ipſe vero Apoſtolatus impleret officium. *Huc quoque faciunt, quæ ſcribit Innocentius I. ad Decentium Eugub. Epiſt. XXV. n.* 2. Manifeſtum (eſt) in omnem Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Africam, atque Siciliam, & inſulas interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes. Aut legant, ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe.

ab Apoſtolo variis temporibus facta itinera recenſerent.

3. Non inepte factum iiſdem videri potuit, ſi pro Italia ipſius Italiæ Metropolim Romam adpellaverint, quemadmodum ſub nomine Romanæ Urbis, Reipublicæ, vel Imperii Romani Scriptores veteres ſignificabant, quidquid cogniti Orbis Populo, Senatui, & Imperatori Romano ſuberat.

4. Præterea ſicut antiqui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores contenti dixiſſe, Petrum Antiochiæ primum ſediſſe, quæ *totius Orientis Metropolis* erat (2), nil de Petri prædicatione addiderunt in provinciis *Ponti*, *Galatiæ*, *Cappadociæ*, *Aſiæ*, *&* *Bithyniæ*, quas adeo certum eſt, ipſum Chriſti Euangelium prædicando peragraſſe, ut & ad illas Epiſtolas miſerit Apoſtolus; ita quoque contenti indicaſſe, Petrum Romam veniſſe, Romæque ſediſſe, quæ ut totius Imperii, ita præcipue Occidentis, & præſertim Italiæ erat Metropolis, cætera ſapientibus relinquebant lectoribus facili negotio intelligenda.

5. Dein Apoſtoli ſane omnem terrarum orbem luſtrantes, non taciti & elingues itinera inſtituebant ſua, donec ad præcipuas quaſdam Orbis Metropoles pervenientes, ibi ſolummodo Euangelicæ veritatis ſemina funderent, quaſi ad eas tantum eſſent miſſi, & non præceptum illis fuiſſet a Domino: *Ite in Mundum univerſum; prædicate Euangelium OMNI CREATURÆ;* ſed ipſi Dominici memores præcepti ubique prædicantes incedebant, comitibus ſibi adhærentibus, ſimplicitate columbæ, & ſerpentis prudentia. Quare ſatis erat ipſis Hiſtoricis una voce dixiſſe Apoſtolos Antiochiam, Epheſum, Corinthum, Romam veniſſe, ac eodem tempore explicaſſe regiones omnes, atque civitates, quæ ſecus viam erant, Euangelica illuſtraſſe doctrina. Hinc ſatis fuit Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo in Epiſtola ad Romanos altero Chriſti ſeculo ſcripta apud Euſebium *Lib. II. cap.* 25. dixiſſe: *Vos tanta admonitione veſtra ſementem, quæ Petri, & Pauli ſatione ſuccreverat, Romanos ſcilicet & Corinthios ſimul commiſcuiſtis. Ambo enim illi in Urbem noſtram ingreſſi, ſparſo Euangelicæ doctrinæ ſemine nos inſtituerunt; &* IN ITALIAM SIMILITER PROFECTI, *cum vos ſimiliter inſtituiſſent, eodem tempore martyrium pertulerunt;* ac ſimul hiſce verbis prægnantibus indicaſſe *Italiam* ſaltem *Ciſtiberinam*, civitateſque, quæ in Ciſtiberina Italia ſecus Appiam viam dextrorſum, & ſiniſtrorſum erant poſitæ, Apoſtolos tranſmigrantes ad Chriſti religionem adduxiſſe.

6. Demum rei ſatis compertæ, ac pervagatæ notitiam ſatis fuit traditione conſtanti, & perpetua Epiſcoporum ſibi ſuccedentium ſerie pæne apud omnes ſervari; quod & plurimis id genus non hiſtoriæ modo, verum & eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus accidiſſe neminem latere arbitror.

VII. Non ut Romanam igitur peculiarem Eccleſiam tantummodo fundarent, in Italiam venere Apoſtolorum coryphæi Petrus, & Paulus, ſed ut per Italicas quoque Civitates Ciſtiberinas, & Tranſtiberinas, Ciſpadanas, & Tranſpadanas excurrentes, in iis, quod in aliis Terræ partibus perfecerant, & populos Chriſtianam Religionem edocerent, & Miniſtros, ſine quibus firma ſtare, & incrementum capere Chriſtiana Religio non poteſt, opportune ordinarent, ut Epiphanius hær. LXXIX. ſcripſit: *Presbyteris, & Diaconibus in primis opus erat; a quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt. Ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrebat, nullus eo loco poſitus eſt Epiſcopus; at ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum, qui Epiſcopatu digni erant copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti.*

VIII. Præter hoſce Apoſtolorum Principes, Italis circumpadanis Barnabam Apoſtolum Euangelium prædicaſſe non admodum obſcura fama eſt. Cum Petro item *Marcum Euangeliſtam*, ipſius filium, interpretem, & prædicationis ſocium; ut & cum Paulo *Euangeliſtam Lucam*, hujus quoque itineris, periculorum, ac prædicationis ſocium, & ſcriptorem in Italiam adventaſſe, eamque Euangelica do-

F 2 ctri-

(2) *Hieronym. Lib. con. Joan. Hieroſol.*

Digitized by Google

ctrina, quam ſcriptis luculentiſſime conſignarunt, illuſtraſſe, minime addubitari poteſt. Roma enim, ut cordatioribus firma manet ſententia, *electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ* ſcribens Petrus ait: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. Paulus quoque Roma, ubi captivus degebat, ad Philemonem ſcribens addit: *Salutat te Epaphras .... & Lucas adjutores mei*. Quare hæreſi LI. §. 11. S. Epiphanius, quibus in regionibus Chriſtum prædicaverit Lucas, extento veluti digito indicans, ait: *Idque ipſe primum in Dalmatia, Gallia, ITALIA, ac Macedonia præſtitit*.

IX. Igitur antiquiſſimæ illæ traditiones, quarum vi nonnullis Italicis Eccleſiis, præſertim Romæ adjacentibus, S. Petri vel alicujus ex ejus diſcipulis adſeritur Apoſtolatus, haud contemnendæ videntur: quum 1. & nulla antiquorum Patrum iis adverſetur auctoritas, & 2. ſervatæ ab Apoſtolis in Euangelii propagatione methodo conveniant, & 3. nil contineant, quod Antiquitati eccleſiaſticæ abſonum videatur. Quibus adde ſis earundem Eccleſiarum non paucas, ac ſaltem præcipuas Epiſcoporum catalogum jam inde ab ætate apoſtolica exordientem in tabulariis adſervare: alias vero hiſce catalogis gloriari non poſſe, non quod ab Apoſtolis, apoſtoliciſque viris conſtitutæ non ſint, ſed quod ſui Chriſtianiſmi origines, & Epiſcoporum, quos primitus ſortitæ ſunt, notitiæ temporum injuria perierint: illas demum, quæ non Apoſtolica ætate, ſed ſeculo III. vel IV. primum ordinatæ fuerunt, nunquam apoſtolicæ fundationis gloriam ſibi vindicaſſe; ſed veram, ac poſteriorem earundem conſtitutionem vel *τοπικὰς locales* hiſtorias, vel etiam traditiones teſtari: ut de Aſculo aliiſque plurimis Piceni Eccleſiis conſtat, quas IV. ineunte ſeculo per S. Emygdium illuc a S. Marcello Papa miſſum ordinatas fuiſſe ex antiquiſſima traditione exhibet Martyrologium Romanum ad Nonas Auguſti. His generatim veluti delibatis in idem caput ſpeclatim, atque enucleate *διὰ βραχέων breviter* diſquiramus.

§. II. *De Euangelii per Italiæ provincias Propagatione ſpeciatim*.

X. Florentini Hetruſcæ fidei, ac pietatis origines ab apoſtolicis temporibus repetunt; & quidem a Paulino Petri Apoſtoli diſcipulo an. 46. in Hetruriam ad Euangelium adnuntiandam ab eodem Apoſtolorum Principe miſſo. Confer Franciſcum M. Florentinum de *Hetruſcæ Piet. origin.* Sed & Ptolomeum quendam in Tuſciam ad prædicandum Euangelium miſiſſe Petrus Apoſtolus traditur, qui & ibidem martyrio coronatus ſit. Hujus acta habere ſe teſtatur Baronius ad Martyrologium Romanum die 19. Octobris. Adhæc Piſanis Euangelii lux adſulſit opera S. Perini, vel Petrini, quem jubente S. Petro Piſas adventaſſe antiquiſſima fert Piſanorum traditio. Tum Lucenſes Euangelii lumen adſpexiſſe feruntur opera ejuſdem S. Paulini, qui licet a S. Petro ad annuntiandum generatim Hetruſcis Euangelium miſſus fuerit; at ſpeciatim primus Lucenſis civitatis Epiſcopus conſtitutus, ſub Nerone ad radices Montis Piſani cum pluribus ſociis martyr occubuit. Hujus Acta Manuſcripta ab Eccleſia Lucenſi accepiſſe ſe teſtatur Baronius ad Martyrologium die 12. Julii.

XI. Feſulani Apoſtolatu S. Romuli S. Petri diſcipuli Chriſtianam Religionem fuiſſe amplexatos, tum ſcribit S. Antoninus *Part. 1. Tit. VI. cap. 26.* §. 4. tum & antiquiſſima ferunt Eccleſiæ Feſulanæ monumenta. Is igitur ab Apoſtolorum Principe primum Feſulanus Epiſcopus conſtitutus, dein ab eodem ad prædicandum Euangelium miſſus, quum in multis Italiæ locis Chriſti adventum adnuntiaſſet, Feſulas rediens ſub Domitiano Principe martyrii una cum ſociis coronam ſortitus fuit. Ejuſdem Feſulani Epiſcopi Acta ex antiquiſſimis monumentis edidit Franciſcus Cattaneus Epiſcopus itidem Feſulanus.

XII. Ravennates S. Apollinaris S. Petri diſcipuli opera ſeſe ad chriſtianam religionem recepiſſe contendunt. Id quod indicare etiam videtur S. Petrus Chryſologus *Serm. CXXVIII.* Eodem Apollinare doctore nonnullas antiquiores Æmiliæ Eccleſias,

ſias, uti Ariminenſis, Forocornelienſis, Faventina &c. Chriſti fidem agnoviſſe, & antiquiſſimæ earundem traditiones indicant, & vetuſta Martyrologia tradunt.

XIII. Bononienſes primum ſuæ civitatis Epiſcopum habent S. Zamam, qui ex Martyrologio R. ad *XXIV. Jan.* a S. Dionyſio Romano Epiſcopus ordinatus illuc ad Chriſti fidem propagandam miſſus Bononienſem fundavit Eccleſiam. At non deſunt, qui contendant aliquos ſaltem e Bononienſibus ætate apoſtolica chriſtianam religionem fuiſſe amplexatos; quibus, quippe quod perpauci, ſtatim Epiſcopus datus non ſit. Videſis Bollandum ad *eandem diem*, Baronium ad *an.* 272. ac præ reliquis Carolum Sigonium *De Epiſc. Bononienſibus Tom. III. Oper.*

XIV. Mediolanenſes S. Barnabam Apoſtolum ſuæ Eccleſiæ Fundatorem fuiſſe, ac primum Epiſcopum contendunt; ejuſque ſedem S. Anathalonem, qui SS. Gervaſium, & Prothaſium baptizavit, occupaſſe tradit Rom. Martyrologium ad *XXV. Septembr.* (3) Verum Mediolanenſem S. Barnabæ Apoſtolatum cum ejuſdem Apoſtoli itineribus haud convenire obſervant Viri rerum Apoſtolicarum peritiſſimi. Videſis Tillemontium, Mabillonium apud Muratorium *Scrip. Rer. Italic. Tom. I. Part.* 2. Bolland. *Hiſt. de Epiſc. Mediolan. præfixa Tom. VII. Maji.*

XV. Parmenſes, Placentini, Regienſes, aliæque per illam Italiæ oram conſtitutæ gentes S. Apollinari S. Petri diſcipulo, aliove illuc a S. Petro Euangeliſta miſſo ſui Chriſtianiſmi auctore gloriantur. Confer Mombritium *Tom. I.* Petrum in Catalogo *Lib. VI. pag.* 128. alioſque.

XVI. Ligures a S. Petro ſe, atque a S. Barnaba Chriſtianam fidem accepiſſe contendunt. Confer Auguſtinum Juſtinianum Ordin. Prædic. *Hiſt. Genuenſis Lib. I.* & Baronium *ad an. LI. n.* 54.

XVII. Aquilejenſes a S. Marco Euangeliſta Chriſti fidem fuiſſe edoctos antiquiſſima Eccleſiæ Aquilejenſis traditio eſt; quem vel Romam petentem, vel inde diſcedentem, ut Alexandriam commearet, ipſis Euangelium adnuntiaſſe, primumque eis dediſſe, ajunt, Epiſcopum ſuum diſcipulum S. Hermagoram, qui poſtea, quum vicinis etiam populis prodigiorum dono conſpicuus Chriſti fidem prædicaret, una cum Fortunato Diacono ſuo capitali ſupplicio adfectus martyr occubuit. Conſulendi Henricus Palladius *Hiſtor. Aquilejenſis Lib. V.* Bernardus de Rubeis *in Monumentis Aquilejenſ.* Tillemontius, Bollandiani &c. Inter Hermagoræ diſcipulos primas obtinuiſſe videntur SS. Syrus, & Juventus, quorum opera Ticinenſes ad Chriſtum converſi traduntur. Confer Anonimum Ticinenſem *de Laudibus Papiæ* apud *Muratorium Tom. XI. ibid.*

§. III. *In Veronenſis Eccleſiæ Origines ſpeciatim inquiritur.*

XVIII. Veronenſes Euprepium ſibi vindicant primum Epiſcopum, quem unum fuiſſe ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis illuc a S. Petro miſſum ad Chriſti Euangelium adnuntiandum contendunt, ac pluribus demonſtrant. Ita Auguſt. Valer. Epiſcopus Veronenſis, & Card. *Lib. Antiq. Monum. Epiſcop. Veron.* aliique Antiqui-

(3) *De S. Anathalone exſtat pervetuſta quædam ἐπιγραφὴ conſcripta a S. Mirocle Mediolanenſi Epiſcopo, qui floruit ineunte ſeculo IV.*

D. ANATHALONI ATTICO SECUNDO EPISCOPO.

Petri hoſpes, ſancteque Anathalon, domne probate,
Atque idem ſocius Barnabæ Apoſtoli,
Qui Mediolani Verbi Myſteria tradens
Te jubet agnatos viſere Cenomanos.
Dum tua membra metu rigidis ſubducta tyrannis
Brixia vicino detinet in loculo.
Hic titulum, & picto venerandos pariete vultus
Mirocles reddit, præſtitit alma fides.

Si S. Miroclis genuina eſt hæc inſcriptio, profecto S. Barnabæ, ejuſque vel ſocio, vel diſcipulo S. Anathaloni perperam Mediolanenſis Epiſcopatus abjudicatur. Vero enim haud ſimile eſt IV. ineunte ſeculo Mediolanenſis Chriſtianiſmi origines ejuſdem civitatis Epiſcopum latuiſſe.

quitatum Veronenſium Scriptores. Profecto ætate Apoſtolica Veronæ Euangelii lucem adfulſiſſe tum pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod S. Zeno, qui VIII. ab Euprepio Veronenſis Præſul fuit, Martyr ſub Gallieno occubuerit. Gallienus enim imperium tenuit circiter ann. 255.

XIX. Non deſunt quidem Hiſtoriographi, qui tantam Chriſtianiſmi antiquitatem Veronenſibus, aliiſque finitimis gentibus denegent. Horum opinioni, quod mirum videatur, noviſſime ſuum calculum addidit Vir Cl. Eques Scipio Maffejus Veronenſis in ſuo opere inſcripio: *Verona illuſtrata Part. I. Lib. VIII. col.* 207. *ſeq.* Potiora recentioris Veronenſis Chiſtianiſmi argumenta hæc ſunt. 1. Plures antiquæ Inſcriptiones Zenoni *Martyris* notam non adpingunt. 2. S. Ambroſius Zenonem Syagrii prædeceſſorem memorat: atqui Syagrius Ambroſii ætate vixit, ad quem ipſe Ambroſius ſcripſit Epiſtolam, quę eſt 46. *Lib. VI. Vet. edit. Rom.* 3. Sermones Zenoni tributi in perſecutionum tempora non quadrant.

XX. Primum argumentum facili negotio diſſolvitur. Nam 1. Inſcriptiones, in quibus *Martyrii* nota deeſt, deeſt quoque nota *Epiſcopatus;* ſed plerumque *Patronum* tantummodo efferunt (4): Num inde eduxeris Zenonem Epiſcopum non fuiſſe?

2. Familiare fuit veteribus Martyrii, vel Epiſcopatus characteres omittere, uti pluribus demonſtrari poſſet; ſed ſatis eſto noſtrum vetus Kalendarium marmoreum, cui novem ſeculorum antiquitatem vindicat Mazochius, in quo promiſcue occurrunt: S. Johannis Chrim. S. Potiti, S. Felicis Nolani, S. Elpidii Episc. S. Philone, S. Ignatii, S. Policarpi, S. Rufini Mar. S. Philippi Epi. Mar. &c.

3. S. Gregorius M. *Dialog. Lib. III. cap.* 19. diſerte Zenonem Martyrem memorat; *Apud Veronenſem Urbem*, inquit, *Fluvius Atheſis excreſcens ad beati Zenonis Martyris, atque Pontificis Eccleſiam venit.* (5)

XXI. Alterum argumentum etiam plene occidit, ubi cum Baronio in *Martyrol. Rom. ad diem XII. April.* duos ponamus Zenones; primum ſub Gallieno, alterum ætate Ambroſii. Iis enim, qui nonniſi unum ætate Ambroſii Zenonem, Veronenſium Epiſcopum conſtituunt, prora, & puppis eſt Sermo *de Pudicitia* eidem Zenoni tributus, ubi Auctor numerat ab Apoſtoli Pauli ad Corinth. primam ſcribentis Epiſtolam tempore ad ſuam ętatem *annos*, ut ait, *ferme quadringentos, & amplius*. At vero ubi quis ab anno Chriſti LIX. (quo illam Epiſtolam ſcriptam contendunt Uſſerius, aliique *κριτικώτεροι* chronologiſtę) recenſeat *annos quadringentos*, profecto inveniet ſermonem illum Anno CCCCLIX. omnino ſcribi oportuiſſe, & quidem diu poſt obitum Ambroſii; quem extremum diem obiiſſe anno CCCXCVII. ſatis conſtat. Igitur

ęcu-

(4) *Plures exhiberi poſſent Inſcriptiones, in quibus Divo Zenoni neque* Martyris, *neque* Epiſcopi *character adpingitur: ſed tantummodo* Patronus *ſignificatur. At ſatis eſto vetus Inſcriptio apud Ughellium* Epiſc. Veron. *in* Zenone:

Templum quod cernis Viator
Priſcis olim Longobardorum Regum temporibus
Fundatum
Bellorum deinde injuriis
A Pipino Magni Caroli Filio Italiæ Rege
Auguſtius demum a fundamentis
Excitatum
Hoſtilibus ſubinde petitum incurſibus
D. Zenoni Eximio Veronæ Patrono
Reſtauratum
Marmoreis Parietibus Æreis Portis adhuc perſeverans
Inter Urbis Miranda cenſetur.

(5) *Martyrium S. Zenonis adeo conſtat, ut neque Maffejus illud in dubium revocare quiverit; licet dein contra perpetuam & antiquiſſimam Eccleſiæ Veronenſis παράδοσιν* traditionem, *& veterum Martyrologiorum fidem illum exeunte IV. ſeculo a paganis occiſum ſuſpicetur, vel potius comminiſcatur.*

cęcutiat oportet, qui non videt illam numeri notam mendoſam eſſe, atque pro *annos ferme quadringentos & amplius*, legendum *ducentos & amplius*. Sic enim numerando ducentos annos, & amplius ab anno Domini LIX. quo, ut diximus, ea ad Corinth. Epiſtola ſcripta eſt ad Gallieni tempora, qui imperavit ab anno Dom. CCLV. ad annum CCLXVIII. ſub quo Zeno traditur paſſus, profecto deducitur numerus reſtitutus.

XXII. Tertium argumentum quod ſpectat, non deſunt quidem, qui Sermones vulgo S. Zenoni Epiſcop. & Mart. tributos, alteri Zenoni S. Ambroſii *συγχρόνῳ coævo* tribuant; verum mea ſententia illorum plerique S. Zenoni Mart. omnino tribuendi ſunt, licet fortaſſe aliquot alterius Scriptoris ſint, & inter Sermones Zenonianos vel ex nominis ſimilitudine, vel ex argumenti adfinitate, admixti. Quod vero illorum plerique S. Zenonis Mart. genuini fœtus ſint, atque adeo in perſecutionum tempora quadrent, pluribus evincitur. Speciminis loco ſint; 1. Eodem nuper indicato de *Pudicitia* Serm. Auctor vehementer in feminas invehitur, quę Gentilibus nubunt; adhęc diſerte ſcribit Idolorum templa tunc fuiſſe patentia, & victimas ſolitas immolari: id quod ab Ambroſii ętate alienum eſt, & potiori jure ab medio ſeculo V. quo tempore, uti modo probavimus, ſermonem illum oportuiſſet Auctorem conſcribere, ſi antiquę lectioni *annos ferme quadringentos & amplius* ſtandum eſſet. Atque hinc etiam patet prorſus reſtituendum, *ducentos & amplius*, quod a nobis pręſtitum eſt; & miramur Maffejum id non advertiſſe.

2. Serm. I. *de Avaritia* ſcribit in nummis excudi conſueviſſe ſigna idololatrię, atque adeo ipſa idola, quę colerentur in templo. Scribit enim: *Aurum, argentumque, Chriſtiane, ſi vera dicenda ſunt, execraris in ſimulacris ſolis, non in penetralibus tuis: nam & illic aureis, argenteiſque veluti Templis tereti moneta percuſſis ineſſe ſimiliter Regum vultus, ſignaque cognoſcis: nihilque aliud diſtat, niſi quod intra domum minuta ſunt, in Templo majora.*

3. Serm. *de Spir. Ædif. domus Dei*, plane demonſtrat eo tempore nullum templum, aut perrarum fuiſſe erectum, quod cum Gentilium ædibus comparari poſſet: quod ſane ſignificat Auctorem longe ante Conſtantini tempora claruiſſe.

4. Eodem Serm. I. *de Avaritia* Veronenſium mores iis depingit coloribus, quibus perſecutionum potius tempora, quam pacis efferuntur. *Sed hæc*, inquit, *non ad vos Fratres, quorum largitas Provinciis omnibus nota eſt, quorum pia ſemina totius quodammodo Orbis per membra jactantur; a vobis multi redempti:* MULTI EDICTIS FERALIBUS *liberati: multi conditionibus exuti: veſtræ domus peregrinis omnibus patent, ſub vobis vivus, mortuuſque diu nunquam viſus eſt novus.*

XXIII. Placuit longius aliquantulum immorari in vindicanda Veronenſibus Apoſtolica ætate conſtituta Eccleſia, & conſecrato Epiſcopo. Inde enim maximum argumenti robur accedit antiquiſſimis, & haud recentibus monumentis, nec levibus conjecturis firmatis traditionibus, quas Brixienſes, Bergomates, Cremonenſes, Patavini, Dertonenſes, Vicentini, aliæque circumjacentes regiones efferunt ad ſuam tuendam Apoſtolicam antiquitatem; quas neque firmioribus rationum momentis Cl. Maffejus *ibidem* proſternere conatur.

XXIV. Igitur ab Apoſtolicæ Prædicationis poſſeſſione exturbandi non ſunt 1. Patavini, qui primam originem referunt ab S. Proſdocimo natione Græco S. Petri Diſcipulo, qui Patavium ad prædicandum Euangelium miſſus, ibi cum plures ad Chriſti fidem convertit, tum vel maxime Vitalianum Præſidem cum uxore baptizavit, ejuſque filiam Juſtinam, quæ poſtea Martyr occubuit. Qua de re ab eodem S. Petro Patavinæ Eccleſiæ Epiſcopus conſtitutus, quum eandem pluribus annis rexiſſet, ibidem demum extremum diem obiit. Ejuſdem Hiſtoriam ex antiquis Patavinæ Eccleſiæ actis collegit Mombritius *Tom. II. Vit. Sanctor.*

2. Ejuſdem Proſdocimi opera Vicentinos quoque circiter annum LXXVII. Chriſti fidem, ac primum Epiſcopum S. Leontium accepiſſe, tum Vicentinorum Præſulum

ab

Digitized by Google

ab ipſo Apoſtolico ævo ſeries indicat, tum & ipſe Mombritius *ibidem* demonſtrat.

3. Tridentinis ex antiquiſſima eorundem traditione Euangelii lux adfulſit opera S. Hermagoræ diſcipuli S. Marci Euangeliſtæ, qui, quum jam Aquilejenſis eſſet Epiſcopus, Tridentinis Chriſti fidem prædicavit, iiſdemque primum Epiſcopum dedit ſuum diſcipulum Jovinum. Confer Janum Pyrrhum Pincium *de Trid. Urbis origine*.

4. Bergomates S. Narno ſui Chriſtianiſmi glorientur auctore, qui a S. Barnaba baptiſmi aqua luſtratus primus ab eo Bergomenſis Eccleſiæ Epiſcopus eſt conſtitutus.

5. Brixienſes S. Anathalonem, quem primum Mediolanenſium Epiſcopum deſtinaverat S. Barnabas, ſui Chriſtianiſmi Auctorem efferunt; qui cum Brixiæ plurimum laboraſſet, Mediolanum reverſus ibidem extremum diem obiit.

6. Cremonenſes Sabinum S. Syri Papienſis Epiſcopi diſcipulum primum Epiſcopum accepiſſe feruntur.

7. Tertonenſes, vel Dertonenſes fidei Doctorem ſortiti ſunt S. Marcianum Epiſcopum, & Martyrem, qui ſub Trajano pro Chriſti gloria occiſus eſt: ita Martyrologium Romanum. At ejus acta apud Mombritium *Tom. II.* & apud Petrum in Catal. *Lib. III. cap.* 189. ſub Hadriano paſſum efferunt.

CAPUT VI.

De Apostolica per Oras Regni Neapolitani Euangelii Propagatione.

§. I. *De Apoſtolica per Oras Regni Neapolitani Euangelii Propagatione generatim.*

I. Jam vero præ reliquis univerſæ Italiæ regionibus Regno Neapolitano primigenia Apoſtolicæ prædicationis gloria potiori jure tribuenda videtur, eo quod regiones, ex quibus illud modo coaleſcit, Pauli indubio adpulſu primo, & Petri Apoſtolorum Principis adventu primo Romam verſus, dein propter Claudii edictum ex Urbe diſceſſu, demum ipſius in Urbem reditu fuerint non ſemel peragratæ: quod ſane Chriſtianæ Religionis monumenta vetuſtiora, & Antiſtitum ſeries abunde teſtantur; præſertim ſi ex citata Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi Scriptoris antiquiſſimi Epiſtola animadverratur, Petrum & Paulum diverſis utique temporibus Corintho ſolventes in *Italiam* certe *Ciſliberinam* adpuliſſe. Et profecto quemadmodum apud Eruditos clariſſime conſtat, regiones haſce Ciſtiberinas primum fuiſſe poſt diluvium habitatoribus ex Oriente advenientibus cultas, ita quoque Apoſtolis adhuc ex Oriente, & a Græcia præſertim ſolventibus regiones eaſdem Euangelio fuiſſe primum illuſtratas fatendum eſt.

II. Vetuſtiſſimis igitur Regni noſtri traditionibus ſane ſincerioribus conſtat, duplici itinere Romam petiiſſe S. Petrum. Sub Claudio primum Imperatore Corintho ſolvens Apoſtolus Brunduſium, e Græcia advenientibus ſtationem opportunam, & frequentiſſimam, adpulſus; inde viſitaſſe Hydruntum, ac Tarentum; dein terreſtri itinere via Appia ut plurimum per Uriam, Egnatiam, Barium, Medumnium, Butuntum, Rubos, Hadriam Appulam, Cannas, Salapiam, Sipontum, Canuſium, Beneventum, & inde Neapolim, Capuam, aliaſque Civitates Romam ingreſſus, eodemque retrogrado itinere e Roma ſub eodem Claudio diſcedens in Orientem reverſus traditur.

III. Sub Nerone poſtmodum Imperatore iterum Romam petens, itinere maritimo dicitur Rhegium primo, inde Siciliæ Urbes Syracoſias, Tauromenium, aliaſque, & illinc Salernum, Neapolim, Puteolos, nonnullaſque noſtri Tyrrheni maris alias Urbes inviſiſſe Apoſtolus; quo curſu peracto in Latium terreſtri via rediiſſe. Illud profecto dubio procul eſſe videtur

detur, Neapolitana in Urbe, Capuana ſimiliter, Sneſſana, Atinenſi, Tarracinenſi, & ceteris, quæ hinc inde Romanam ad viam pertingunt, Apoſtolum conſtituiſſe. Non inficias ibo, hoc decus Tranio Summontium, Sarnellium Vigiliis, Caperſano Tarſiam, alioſque Scriptores aliis Civitatibus eſſe impertitos: nec quidem ſilentio premam, Caracciolum, Summontium illum, nonnulloſque alios recentiores pro lubitu paulo aliter hæc itinera deſcripſiſſe; verum excuſſis Eccleſiarum Regionum noſtrarum Archivis & Monumentis, quæ antiquitate, & ſinceritate ſe commendant, non alio modo traditionem, ſemotis difficultatibus, ac miris omnibus averruncatis eventibus, ſtare poſſe fateor.

IV. Hac igitur traditione expoſita, majus illi pondus accedit ex Epiſcopis Apoſtolo coævis, qui in illis Civitatibus ab eodem ſuis in Euangelicis peregrinationibus conſtituti ex cujuſvis Eccleſiaſticis monumentis proferuntur. Et profecto *Amaſianum* a Divo Petro Epiſcopum ordinatum affert Tarentina Eccleſia, Barienſis *Maurum*, *Photinum* Beneventana, Neapolitana *Aſprenum*, *Priſcum* Capuana, Sneſſana *Siſinnium*, Puteolana *Patrobam*, Atinenſis *Marcum*, *Epaphroditum* Tarracinenſis, Rhegina *Stephanum*, nonnulloſque alios. Quod ſane argumentum tanti eſt momenti, ut Jannonium ipſum Hiſtoriæ Regni noſtri difficilem criticum fateri coegerit, negari haud poſſe Chriſtianam Religionem primis Eccleſiæ ſæculis a S. Petro, vel alio Apoſtolo, vel aliquo ex eorum diſcipulis noſtras in Regiones fuiſſe invectam; adeo quam in partem argumenti vi compulſus ſe daret, neſciebat.

V. Infinitus ſane eſſem, ſi harum omnium Eccleſiarum monumenta ad traditiones modo in medium prolatas comprobandas adferre vellem. Præſtat autem ex iis aliqua ſeligere, ne videantur traditiones noſtræ ſola ſtare vulgi traditione. Porro de Eccleſia Neapolitana fuſior nobis ſermo habebitur *Capite ſequenti*, quo Urbi Neapolitanæ S. Petri adventum, & prædicationem vindicabimus.

§. II. *De Eccleſia Tarentina.*

VI. Ac primo Tarentinam quod ſpectat Eccleſiam, licet male adſertis quibuſdam narratiunculis ipſius traditio apud Joannem Juvenem reperiatur, ut erant medio ævo hominum ingenia ad mira in Sanctorum Actis fingenda plerunque adcommodata; illis tamen ſublatis ex MS. codice, quem Tarentini clerici pro officio Divi Cataldi in Choro obſervabant, & ex Antonii Galatæi *de ſitu Japigiæ* opere elegantiſſimo ediſcimus: 1. Quod adhuc exſtet ad XII. mille paſſuum ab Acra Japigia verſus Tarentum vetuſtiſſimum templum Divo Petro dicatum, ubi Apoſtolus adpulſus primum in Italiam divina myſteria cum ſociis celebravit.

2. Tarentum ingreſſus quum ei *Amaſianus* pauperculus, & miſerrime incurvus horti cujuſdam divitis Eucadii cuſtos occurriſſet, non ſolum invocato Chriſti nomine ſanum erexit, ſed baptiſmo ablutum ipſi Chriſto fidelem reddidit.

3. Mox cum alios ad fidem convertiſſet, inde diſcedens Petrus, ut in alias ſeſe conferret civitates, Marcum reliquit, qui Tarentinam augeret ordinaretque Eccleſiam.

4. Quare Marcus Eucadii filia a dæmonis vexatione liberata, quum inde integra Eucadii domus, nonnullique alii baptiſmum recepiſſent, ipſe Amaſiano tunc adoleſcente Tarentinæ Eccleſiæ Epiſcopo augurato, ad Præceptorem ſuum, qui non Rhegii, ſed in Peucetia morabatur, ſe contulit.

§. III. *De Eccleſia Barienſi.*

VII. Juvat hic paulo plenius de Barienſi S. Petri Apoſtolatu ſubnectere, quæ mihi ſuggeſſit acerrimi judicii vir, & in rimandis æque ſacris, ac profanis, præcipue Regni noſtri, antiquitatibus ſi quis unquam callentiſſimus Alexander Maria Kalæphatus Regius Sacr. Theologiæ Anteceſſor, & ejuſdem Primatialis Barienſis Eccleſiæ Canonicus. Igitur conſtantiſſima æque ac vetuſtiſſima Barienſium traditio a S. Pe-

S. Petrum Apoſtolorum Principem, Barium univerſæ Apuliæ illuſtre *Municipium* veniſſe non ſemel, hiſce ſeptem innititur fundamentis.

1. Barienſis Civitas Græcis Romaniſque frequentata ſecus viam erat poſita, quæ Appia dicebatur, quaque Brundiſio Romam verſus, & Roma Brunduſium ſollemne iter erat (1). Hinc, unde Apuliæ, Lucaniæ, & Samnii reliquæ civitates mediterraneæ argumentum arceſſunt traditionis ſuæ, receptæ nimirum per Apoſtolum Petrum Religionis Chriſtianæ, inde & potiore jure ſibi vindicant Barienſes.

2. In hac quidem urbe prope maris littus boreale, & in ipſo pæne Barienſis Promontorii apice adhuc incolumis eſt ſubterranea ſpecus ſaxoſo excavata toſo, oblonga, ſatis ampla, ſiniſtrorſum ſinuoſa, & vetuſtiſſimis ornata picturis, in qua ſub tholo aræ veſtigia ſuperſunt, & cui in monumentis nomen eſt SPECUS S. PETRI ARCHEI, & PROTERI, ſcilicet *Antiqui*, & *Primi*. In hac utique ſpecu Divum inhabitaſſe, ibique & Barienſes baptiſmo peperiſſe Chriſto, & primum Epiſcopum *Maurum* ordinaſſe, & ſacrificaſſe pluries, dum Barii eſt moratus, ſemper, & ab omnibus una voce conſtantiſſime traditum eſt. Quare grato Barienſium erga Divum Petrum animo minime oblangueſcente, quemadmodum in aliis propriæ civitatis regionibus, & in ſuburbiis antiquitus ſub ejus invocatione ſacras ædes erexerunt, ita non longe a prædicta ſpecu venientibus annis ampliſſimum ab iis conſtructum eſt Templum, quod duobus abhinc ſeculis reſtitutum, hodiedum dicitur *S. Petri Apoſtoli Majoris*, ſive *S. Petri ad Foveas*. In hoc profecto Templum ſolemni pompa illa eſt ejuſdem Apoſtoli illata vetuſtiſſima marmorea ſtatua, quæ in ſacra illa ſpecu antiquitus colebatur.

3. In duobus Barienſis Eccleſiæ Kalendariis primo ſeculi V, breviſſimo, copioſiore altero VII. ſeculi, legitur XIII. Kalendas Januarii, (ſcilicet XX. Decembris) ADVENT. PETRI BAR. quod niſi de adventu Apoſtoli Petri in Barienſem urbem intelligatur, aliud non occurrit, quod interpreteris. Præſertim quod in ſatis antiquo ejuſdem Eccleſiæ breviuſculo Martyrologio plenior hujuſce adventus memoria legatur. In eodem antiquiore Kalendario habentur quoque & hæc alia notatu digniſſima; IV. NON. Maji, (ſcilicet die IV. Maji) TRANSIT. PAULI. Item III. KAL. Novembris, (ideſt XXX. Octobris) REVERS. MARCI; ut & VI. IDUS Septembris, (videlicet VIII. Septembris) COMMORAT. LUCÆ; quæ quidem peculiares omnino hujus Eccleſiæ commemorationes nonniſi *de tranſitu Pauli Apoſtoli* per Barienſem civitatem, *de reverſione S. Marci* in eandem urbem, & *Commoratione S. Lucæ* apud Barienſes cives intelligi poſſunt, præſertim ſi addatur in codice Membranaceo obvoluto ſeculi X. vel XI. in quo peculiare EXULTET, & peculiaris BENEDICTIO IGNIS, CEREI, ac FONTIS habentur, quæ in illa Eccleſia Sabbato Sancto de more cani ſolebant, ſane notatu dignum illud occurrere, quod non ſine conſilio inter imagines Apoſtolorum *Pauli*, & *Petri* verba illa ſunt adpoſita: *Dignum & juſtum eſt (gratias Deo agere) per eundem Dominum noſtrum, qui nos ad noctem iſtam non tenebrarum, ſed luminis matrem perducere dignatus eſt, in qua exorta eſt ab inferis in æterna die Reſurrectio mortuorum*. Verum hæc, & alia egregia quidem monumenta propediem opera ejuſdem viri Cl. Commentariis illuſtrata prodibunt.

4. Hujuſce Petri adventus in urbem Barii, ut & prædicationis memoria luculentiſſime legitur enarrata a *Michaele Barienſi ſubdiacono* ſeculi octavi Scriptore in ejus adverſus Iconoclaſtas opuſculo.

5. In antiqua Barienſis Eccleſiæ Liturgia ſeculi noni, quæ priorum ſeculorum Liturgicas uſu confirmatas conſuetudines continet, præcipitur, die Sabbati Sancti Hebdomadæ majoris, poſt benedictionem baptiſmalis fontis in *Trullo* Cathedralis *Jeſu Chriſto Sateri* dicato, Clerum urceos quinque aqua benedicta e *Trullo* hauſta plenos geſtantem cum Archiepiſcopo *tunc ſolum*

(1) *Horat. Satyr. 5. L. 1.* . . . . via pejor ad uſque Bari mœnia piſcoſi.

ſolum antecedente, Crucemque auream præ manibus geſtante procedere ad *S. Petri Apoſtoli Archei*, *&* *Proteri* ſpecum, ad fontem benedicendum, in perennem baptiſmi ab Apoſtolo Barienſibus primum collati memoriam: inde poſtmodum procedere ad benedicendos fontes in ſacris ædibus *S. Pauli*, *S. Lucæ Illyricorum*, *S. Joannis Baptiſtæ*, *&* *S. Marci Alexandrinorum*, in quarum ſingulos fontes unus ex quinque urceis aquæ benedictæ *Fontis Trullani* infundebatur, & e quorum fontibus ſingulis urceus ille unus exhauſtus denuo replebatur: ac demum Clerum ipſum cum Archiepiſcopo in Cathedralem redire ad quinque illos urceos, noviter aqua benedicta quinque fontium baptiſmalium *SS. Petri*, *Pauli*, *Lucæ*, *Joannis*, & *Marci* repletos in Trullanum fontem Salvatoris effundendos, ad unitatem baptiſmi, qui unus eſt in Chriſto Jeſu D. N. clariſſime ſignificandam.

6. Præterea primus Barienſium Antiſtes, qui in Epiſcoporum hujus Primatialis Eccleſiæ occurrit ſerie, eſt *S. Maurus Epiſcopus*, *&* *Martyr Petri diſcipulus*. Hic ab Apoſtolo conſtitutus novi gregis a ſe congregati Paſtor, ſub *Domitiano* Imperatore una cum *Sergio Diacono*, & *Pantaleone Lectore* apud Barium martyrii corona donatus, a *Thecla* pientiſſima Matrona in prædio ſuo *Sagina* dicto *prope Vigilias* honorifice eſt ſepultus, cui eodem in loco ipſamet Thecla ſub *Trajano* Baſilicam excitavit. Quamvis & Vigilienſes civitatis medii ævi incolæ, Martyrem hunc ſuum primum prædicent Epiſcopum: at & hoc Bollandiſtæ negant, & *Acta Primigenia*, & *coæva* hujuſce Martyrii auro contra pretioſiora Barienſes apertiſſime in ſua retinent antiqua poſſeſſione.

7. Quatuor ulterius MSS. Barienſium Epiſcoporum Catalogi, Liberque MS. Actorum Antiſtitum Barienſium a S. Mauro Divi Petri Apoſtoli diſcipulo ſeriem exordientes, ſatis evincunt, Barienſem traditionem de felici præſertim Apoſtolorum Principis apud eos prædicatione maxima veritatis ſpecie conſtare.

8. Tandem Scriptores pæne omnes, qui de Regno Neapolitano per Petrum ad Chriſti fidem converſo verba fecerunt, hanc probarunt Barienſem traditionem: uti inter ceteros videre eſt Petrum Jannonium in ſua Civili Hiſtoria *L. I. cap.* 11. §. 2. Hactenus firmata Barienſis Eccleſiæ Traditio mirum quantum ceterarum Regni noſtri Eccleſiarum traditiones roborat. Namque ſi S. Petrus Romam petens Barium in Neapolitano Regno poſitam Civitatem Euangelica ſedulo inſtituit doctrina, quin alias ejuſdem Regni Civitates, quæ Barium circumſtant, ad Chriſti fidem perduxerit, nefas eſt dubitare.

§. IV. *De Eccleſia Beneventana*.

VIII. Quod ad Beneventanam Principem in Hirpinis poſitam Eccleſiam, omni ævo illuſtrem, & S. Januarii Neapolitani Civis Epiſcopatu, & Martyrio ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus celeberrimam ſpectat, profecto res omni dubitatione vacat. Joannes de Vita Vir Clariſs. primum Beneventanæ Eccleſiæ Canonicus, modo Epiſcopus Reatinus, in ſuo vere omni eruditione, doctrinaque refertiſſimo *Antiquitatum Beneventanarum Theſauro*, Differt. III. in qua *de Tempore, quo primum Beneventi ſuſcepta eſt Chriſtiana Fides* inquirit, Patriæ ſuæ traditionem in tuto poſuit validiſſimis hiſce momentis fultam.

1. Profecto nihil verius, certiuſque adfirmari poteſt, quam Petrum in eo itinere, quo ter Ciſtiberina Italia ſibi fuit peragranda, illuſtrioribus ſaltem locis, qua pertranſiiſſe oportuit, Euangelii prædicandi munere non ſine felici ſucceſſu fuiſſe functum. Quare quum Beneventum Romanorum antiqua Colonia in meditullio Appiæ viæ, qua Brunduſio Romam iter erat, fuerit poſita, quis unquam addubitaverit, quin a S. Petro in illa Chriſti cauſa fuerit conſtituta?

2. Huic non mediocri profecto conjecturæ majus robur accedit ex eo, quod in *Kalendariis*, *Martyrologiis*, *Lectionariis*, *Litaniis*, & hujuſmodi aliis antiquis monumentis, quibus, ut Eruditi ſatis norunt, Beneventanæ Eccleſiæ Bibliotheca abundat, *primus Beneventanorum Epiſcopus*

pus recenſeatur S. Photinus, S. Petri diſcipulus, & ab eodem Apoſtolo ordinatus (2).

3. Præterea cum criticis cordatioribus fatetur De Vita, plurima tum in quædam Epiſcoporum acta, quæ circumferuntur, tum in ipſas traditiones commenta irrepſiſſe; ea tamen non eſſe hujuſmodi contendit, quæ veritati illi officiant, qua in pleriſque Ciſtiberinæ Italiæ Urbibus Petri prædicatione, ac labore Chriſti fidem ſuſceptam fuiſſe conſtat; ita maximopere gloriatur, quod *ſincerior fortaſſe, quia ceteris ſimplicior, ad poſteros ejus rei traditio* (Beneventana) *pervaſit, dum de ſuo Epiſcopo Photino, ac de Petri in ſua mœnia adventu nihil magnificum, ac quadam miraculorum pompa illuſtre jactat; eo duntaxat contenta, ut eundem Photinum primum ſibi ab eodem Petro Epiſcopum conſtitutum velit* (3).

§. V. *De Eccleſia Puteolana*.

IX. Neminem profecto latere arbitror, quibus diverſo tempore Puteolorum Civitas vexata fuerit bellis, incendiis, terræmotibus, vaſtationibus &c. ita ut ſæpe ſæpius habitatoribus denudata, inculta, ac deſerta jacuerit. Et noſtra etiam ætate jaceret profecto, niſi opportunas admoviſſet manus Petrus de Toledo Neapolis Prorex. Qua de re mirum non eſt, ſi monumentis iis deſtituta lugetur, quibus Euangelii prædicatio ab Apoſtolis per Puteolos diſſeminata monſtretur.

X. Nihilominus ſatis ſuperque conſtat Euangelicam lucem Puteolanis Apoſtolorum opera adfulſiſſe; & quod tum maximi momenti, tum Puteolis honoris eſt, ex Sacris Novi Teſtamenti paginis id aperte evincitur.

1. Profecto in Apoſtolorum Actis *Cap.* 28. deſcribitur Paulus a Melita Syracuſas adpuliſſe, inde deveniſſe Rhegium, & poſt duos dies Puteolos, *ubi inventis fratribus rogatus eſt manere apud eos dies ſeptem*. Quod fratrum nomine fideles hic intelligantur, illi nimirum, qui Chriſti fidem jam fuerant amplexati, res eſt luce ipſa ſplendidior, atque æque veterum, ac recentiorum Scriptorum auctoritate firmata. Nos quoque rei ejuſdem inferne pauca ſubnectimus (4). Paulus Puteolos adveniſſe

(2) *Franciſcus Pacca Archiepiſcopus Beneventanus in* Epiſtola Encyclica, *quam in ſuæ Sedis auguratione* ad Clerum Populumque Beneventanum *miſit, adſeruit, primum Beneventi Epiſcopum fuiſſe* S. Marcianum Martyrem S. Petri diſcipulum. *Verum Archiepiſcopus a Viro Cl. Epiſcopo Areatino (quod optime factum) interrogatus, undenam novam illam, omnibus ignotam, ac communi, vetuſtiſſimæque oppoſitam hauſiſſet traditionem, quam Beneventano populo venditaret, reſpondit*: In Uſuardo *Monaſterii Beneventani S. Sophiæ, modo in Bibliotheca Vaticana adſervato, cui X. aut XI. Seculi antiquitas tribuitur in Menſ. Junio ſe aliquando legiſſe*: Beneventi S. Marciani Epiſcopi, & Martyris diſcipuli S. Petri. *Porro merito indignatus doctus De Vita ait*: Quis credat, quum longo tempore Eccleſia S. Sophiæ (in ipſa Beneventi civitate antiquitus a Benedictinis Monachis maxime culta) ejus Codicis quotidiana pæne lectione uti debuiſſet, atque adeo vulgatum apud omnes Beneventanos S. Marciani Primi Epiſcopi nomen jam fuiſſet, ejus tamen rei ita periiſſe memoriam, ut nullum vel leve veſtigium ad poſteros permearit? *Et e contrario, ut Epiſcopi Reatini dictis aliquid nobis addi liceat, quis credat, ſi uti vera, ac ſincera daretur illa Uſuardi S. Sophiæ lectio, adverſus illam S. Marciani jactatam traditionem potuiſſe unquam S. Photini Primi Beneventi Epiſcopi, Petrique Apoſtoli diſcipuli tot ſeculorum curſu apud omnes Beneventanas Eccleſias, in omnibus Sacris Beneventanis monumentis adeo conſtantem ſemper perennare memoriam?*

(3) *Hic omnino animadvertendum, conſtitutum a Viro Cl. Critices Canonem non ita eſſe intelligendum, ut inde alia Acta, vel miraculis ſint omnino expolianda, vel uti falſa traducenda; præſertim ſi miracula ipſa probabilibus ſint firmata monumentis; quippe in prima gentium ad fidem converſione miracula a Deo in adnuntiatæ veritatis confirmationem patrari conſueverunt, uti ex Actis Apoſtolicis, ex antiquis Eccleſiaſticis monumentis, & ex ipſis Chriſti Domini promiſſionibus ſat evidenter efficitur. Quid ſi dicamus S. Photini Acta periiſſe (nam nulla circumferuntur) & Photini tantum nominis, ordinationiſque ejus a Petro factæ, ut & ejuſdem Apoſtolici diſcipulatus memoriam ſimpliciter in Kalendariis aliiſque id genus brevioribus Eccleſiaſticis monumentis, ut doces, eſſe ſervatam?*

(4) *Græcus textus ſic ſe habet*: Οὗ εὑρόντες ἀδελφοὺς παρεκλήθημεν ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμεῖναι ἡμέρας ἑπτά: *Quod interpretari licet*; Ubi inventis fratribus rogati, *ſive rectius* conſolati ſumus, quum ibi manſiſſemus apud eos. *Sive, ut aliis placet*: rogati ſumus, ut ibi permaneremus eorum cauſſa, eorum

niſſe conjicitur circa annum Æræ vulgaris LXIII. Neronis vero IX.

2. Præterea Paulus *Epiſt. ad Rom. Cap. XVI.* hæc habet : *Salutate Aſyncritum , Patrobam , Hermen , & qui cum eis ſunt fratres* . Patrobas primus fuit Puteolorum Epiſcopus. Quamobrem quum Epiſtola ad Romanos exarata ſit ann. 60. Æræ vulgaris , effici inde , cogique poſſe videtur , Puteolorum civitatem jam tum fuiſſe fidelem .

3. Sanctum vero Patrobam primum fuiſſe Puteolorum Epiſcopum non aliunde colligitur, quam ex antiquiſſima , ac perpetuo ſibi conſtante Puteolorum Civitatis, aliarumque Italiæ Eccleſiarum traditione ; quam Clariſſ. Ughellius ſic deſcribit : *Patrobam unum ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti, immo & Pauli comitibus , cujus meminit* Epiſt. ad Romanos , *ſatagente Petro Apoſtolorum Principe Jeroſolymis , poſt Judaicam perſecutionem , diſperſionemque Chriſti diſcipulorum per univerſas orbis terrarum partes , ordinatum Epiſcopum Puteolos nutu divino adpuliſſe , eaque in urbe tunc florentiſſima Euangelium diſſeminaſſe , ejuſque primum Præſulem fuiſſe inſtitutum vetus conſtanſque traditio narrat . Verum de ea pauca loquuntur monumenta* ; quæ *enim , ut Baronius ſcribit* , a primis Chriſtifidelibus geſta ſunt Scriptorum inopia , vel ſcripturarum naufragio , remanſerunt ſilentio ſepulta . *Igitur S. Patrobas primus Puteolanus Epiſcopus aſſiduo labore , fideique fervore prædicationis accenſus , fidem , ſedemque Epiſcopalem Puteolis conſtabilivit* . Confer etiam Baronium in *Martyrol. die IV. Novembris* , & *Annal. Eccleſ. An. LVI.*

§. VI. *De Eccleſia Capuana.*

XI. Pervetuſta , & perpetua Capuanæ Eccleſiæ traditio tum antiquis monumentis , tum validiſſimis conjecturis firmata docet , S. Petrum , Eccleſiis Tarenti , Beneventi , Neapolis , aliiſque fundatis , quum Romam verſus iter adgrederetur , Eccleſiam Capuanam ſtabiliviſſe , eique Epiſcopum præfeciſſe S. Priſcum , unum ex 72. Chriſti diſcipulis . Michael Monachus in ſuo *Sanctuario Capuano*, quod ex antiquis Capuanæ Eccleſiæ memoriis collegit , confecitque , poſtquam traditionem hanc adtuliſſet , ſic habet . *Hanc ego traditionem diligenter examinans mihi viſus ſum aliis monumentis conſentaneam reperire . Hæc habet , S. Petrum Neapoli Romam terreſtri itinere conceſſiſſe : at idem habent acta antiquiſſima Atinenſis Eccleſiæ* . Hoc etiam innuunt verba Petri Natalis *Lib. VIII. cap.* 18. quæ ſunt : *Priſcus poſt Adſcenſionem Domini veniens Romam cum Apoſtolo Petro in partibus Campaniæ Euangelium prædicavit . Qui & apud Capuam in via Aquaria depoſitus eſt* . Tum antiquiſſimum Breviarium Capuanum . *B. Priſcus Capuæ donatus a Domino , ut populus , qui ibi Dianæ vana ſacrificia offerebat , liberaretur . . . . Verbi Dei prædicatione intentus non longe ab Albana porta in via , qua Beneventum itur* . Jam vero quæ in antiquiſſimis hiſce Actis dicuntur de Porta Albana , & de cultu Dianæ optime conveniunt cum antiqua Capua , uti demonſtrant Camillus Peregrinus *de Campania Felice Diſſ. II. Cap.* 29. aliique Scriptores, qui antiquum Campaniæ ſitum deſcripſerunt .

XII Præterea in dubium revocari minime poteſt , quod Martyrologia Adonis , & Romanum teſtantur , Capuæ ſcilicet S. Priſcum martyrio coronatum occubuiſſe . At vero conſtat aliunde , S. Rufum tertium in Capuana Sede Epiſcopum baptiſmo initiatum a S. Apollinari D. Petri diſcipulo ; martyrium ſub Nerone ſubiiſſe . Itaque S. Priſcus aliquot ante annis conſecratus fuit Epiſcopus . Neque alia proferri poteſt cauſſa , quamobrem dicamus S. Priſcum ad fidem converſum , baptizatum , atque Epiſcopum ordinatum , niſi D. Petri Capuam adventus ſtatuatur , qua prætereundum illi fuerat , quum Romam contenderet .

XIII.

rum lucro , propter eos , quaſi diceret : ἐπὶ τῷ κέρδει . *Profecto duo Codices legunt* : παρ' αὐτοῖς : *Ita Grotius , Ludovicus de Dieu , Hoſtus , aliique apud* Polum . *Verum quocunque modo Lucæ verba explicentur* , ἀδελφοὺς fratres fideles *efferre dubitandum haud reor* .

XIII. Porro his adde, Chriſtianæ religionis antiquitati maximam lucem accedere a martyrio Epiſcoporum, aliorumque fidelium, qui ad multorum tormentorum obruſſam exacti, Capuæ tandem laurea decorati obierunt. Hujuſmodi fuere primi Epiſcopi Priſcus, & Rufus: Ariſtinus, Carpophorus &c. ut conſtat ex Martyrologio Romano, & ex aliis etiam Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, & Adonis. Confer quoque Orlendim in Orbe Sacro, & Profano *Part. II. Lib. IV. Cap.* 5. *num.* 8. & Joannem Petrum Paſqualem in ſua Hiſtoria *Lib. I. pag.* 23. & 24.

XIV. Denique obſervatum ſæpius a nobis eſt, hunc ordinem in propagando Euangelio ſervaſſe Apoſtolos, ut nobiliores, & illuſtriores prius civitates invaderent, quo facilius inde ruptis obicibus, qui in principibus urbibus frequentiores opponuntur, provinciarum urbes minorum gentium Chriſti jugo, imperioque ſubigerent. At vero Capuana Civitas tunc temporis nobilitate ſumma, ac magnitudine florebat, quum S. Petrus, cui Occidentales regiones obtigerant, Romam contenderet, qua de re oppido veriſimile eſt, hanc illum ſtabiliendæ ibi religionis Chriſti occaſionem arripuiſſe.

XV. Verum ad præſcriptam Capuanæ Eccleſiæ traditionem magis corroborandam illud mihi ſane validius, & omni exceptione majus argumentum videtur, quod deducitur ab antiquiſſima quadam Eccleſia D. Petro dicata, quam dicunt *S. Petri de Apoſteja*, ſive *Apoſtoleja*. Hæc porro Eccleſia tantam præſefert vetuſtatem, ut anno 1420. Canonicus quidam Cathedralis Eccleſiæ Capuanæ quum eam reficere, & reædificare ſtatuiſſet, ne locum quidem invenit, ubi quondam illa erigebatur, ut ab Inſtrumento conſtat, quod in Archivis Capuæ adſervatur, quodque refertur a Michaele Monacho in ſuo *Sanctuario Capuano*. Hujuſmodi Inſtrumentum hæc habet: *Præfatus Marinus Pharaoni de Alipha habitator Capuæ ex quadam ſua devotione, quam geſſit, & gerit erga Eccleſiam S. Petri ad Poſtejam extra Capuam antiquitus pia fidelium devotione fundatam, quæ propter ipſius antiquitatem & propter guerrarum turbines, totaliter fuit, & eſt collapſa & diruta, adeo quod vix poteſt diſcerni locus, ubi dicta Eccleſia antiquitus fuit ædificata. Quæ propter ipſius collapſitatem, & ruinoſitatem ab eo tempore quum hominum memoria in contrarium non extet* &c. Argumenti ſane hujus vis, & robur elucet vel maxime a priorum fidelium conſuetudine, ut adpellarent *Apoſtolejum* illam præcipue Eccleſiam, ubi Apoſtoli alicujus corpus adſervaretur. Atque hac de cauſſa *Apoſtoleon* adpellat Sozomenus Eccleſiam ſub auſpiciis D. Petri Romæ dedicatam, ſiquidem S. Petrus Romæ profecto Sedem ſuam poſuerat, martyriique laurea redimitus occubuerat. Atque hic ſummopere miror, eccur Franciſcus Antonius Granata in ſua *Hiſtoria Eccleſiaſtica Capuana*, & Petrus Rinaldus in ſuis *Memoriis Hiſtoricis Civitatis Capuæ* hoc argumentum minime attenderint, quod mihi maximam videtur Capuanæ Traditioni conciliare auctoritatem.

§. VII. *De Eccleſiis Regni Siciliæ, ac primo de Panormitana.*

XVI. Antiquiſſima ſane, & vetuſtate ipſa commendabilis Eccleſiæ Panormitanæ traditio eſt, a D. Apoſtolo Petro S. Philippum *Agyrenſem* dictum delegatum fuiſſe, qui Euangelium Siciliæ adnuntiaret, vetereſque Panormitanos ejuſdem Philippi opera Chriſti fidem amplexatos fuiſſe. Nemini profecto dubium eſt, quin Philippus diu multumque adlaboraverit, quod Euangelium per Siciliam diſſeminaretur. At vero gravis inter eruditos contentio exoritur, qua potiſſimum ætate ille floruerit.

XVII. Doctiſſimus Rocchus Pirro Ab. Netinus in ſua *Sicilia Sacra*, *Notitia I.* §. I. de ejuſmodi traditione hæc habet: *Jam antiquiſſima, ſibique ſemper conſtans Siculorum omnium, atque Agyrenſium præcipue traditio fuit; Agyrenſem illum Philippum ab Apoſtolo huc tranſmiſſum Petro ad expellendos dæmones, & Chriſtianæ Religionis ſementem faciendum; neque doctiorum hominum ſuffragio hactenus caruit opinio, aut adverſis rationum machinis, ſive aliorum ſcriptorum auctoritate everſa eſt.*

Et

Et licet Martyrologium Romanum ſimpliciſſimis illis verbis rem adnotet : *S. Philippus ab Romano Pontifice in Siciliam miſſus*; in explorato tamen eſt , Gregorii XIII. Martyrologium quantamaxima diligentia , & ſtudio elaboratum , typiſque Romæ primum , tum Antuerpiæ editum aperte , dilucideque ſtatuere : Apoſtoli Petri Auctoritate , atque imperio Philippum in Siciliam trajeciſſe (5).

XVIII. Præterea in antiquiſſimo quodam Eccleſiæ Gallicanæ Breviario hæc Pſalmo cuidam antiphona præfixa viſitur : *In manibus tuis Domini commendo ſervum tuum Philippum filium meum*, *ait ſubito B. Petrus*. Idem etiam teſtantur Manuſcripti antiquiſſimi Codices Eccleſiarum Calatabillottæ, & S. Philippi Fragalatis, ac denique Commentariolus Manuſcriptus S. Athanaſio Archiepiſcopo Alex. tributus, & inſcriptus: *De Vita*, *&* *moribus S. Philippi Agyrenſis*, quem ſub Nerone ſtatuit.

XIX. Haud ignoro , P. Octavium Cajetanum in Opuſculo ſuo *de SS. Siculorum Vitis* in alia omnia abiiſſe ; quippe qui S. Philippum Agyrenſem intra tempora Imperatoris Arcadii coarctat , quadrigentos circiter annos poſt conſtitutam a nobis Epocham . In hanc eum ſententiam adducere videntur Acta S. Philippi , quæ ab his verbis initium ducunt : *Temporibus Arcadii Imperatoris* &c. Acta hæc conſcripta ferunt ab quodam Euſebio ipſius Philippi Comite, & Manuſcripta proſtant in Archivis Panormi, Syracuſarum , Catanæ, & Agyronis. Qua de re Actorum ejuſmodi auctoritas minime videtur deſpicienda.

XX. Porro hic facile ſuſpicari , quin pro certo licet aſſerere verba illa : *Temporibus Arcadii Imp.* vel ab imperito quodam in marginem primus conjecta , inde vero in textum majori imperitia irrepſiſſe , vel amanuenſium errore *Neronis* vocem in *Arcadii* fuiſſe commutatam , vel denique aliunde erroris originem repetendam . Et ſane genuina Actorum exemplaria haud raro occurrunt , quæ ejuſmodi ſcatent erroribus, qui tamen non ita ſunt, ut eorumdem auctoritati aliquid detrahant, ut ſcite Cardinalis Baronius animadvertit (6).

XXI. Porro hæc Acta Euſebiana vetuſtioribus ſeculis eſſe referenda nonnullæ ſuadent haud contemnendæ conjecturæ . Ac 1. In his Actis res aliquæ geſtæ deſcribuntur , quæ a V. ſeculo alienæ ſolis Apoſtolicis temporibus convenire videntur. Confer Rocchum Pirrum *ibidem*.

2. Id etiam ſuadet Dignitas Panormitanæ Civitatis. Si enim tantæ S. Petro curæ fuit Fidei Chriſtianæ per Siciliam propagatio , ut Marcianum , Pancratium, & Berillum Epiſcopos dederit Syracoſiis , Tauromenio , & Catanæ , ut mox dicemus ; eccur autem inficiabimur eandem illud quod ad Panormum præſetuliſſe ſollicitudinem?

3. Medio ſeculo III. imperante Decio B. Agatha martyrii coronam adſecuta eſt. Panormus igitur, ubi & orta , & Religionis myſteria illa edocta eſt (7) , jam tum Chriſtiana Civitas dicenda , quin & ſuum habuiſſe Epiſcopum , quum inde mulieres tanta pietate, ac virtute exornatæ emicuerint.

§. VIII. *De Eccleſiis Catanenſi*, *&* *Meſſanenſi*.

XXII. Catanenſis & ipſa Civitas traditam a majoribus opinionem ſervat , primum ſe Epiſcopum cognomento Berillum a Di-

(5) *In Pirri ſententiam conſpirant Fazellus Siculorum Hiſtor. Scriptor* Dec. 1. Lib. X. *Joſeph Carnil.* de Deſcript. Sicil. fol. 197. *Joſeph Bonfigl. Meſſan.* in ſua Meſſan. Lib. I. fol. 4. *Galeſinus* in Martyrolog. 6. Idus Maji . *Clariſſimus Baronius* in Annalibus ad ann. 146. *&c.*

(6) *Baronius ad diem 9. Octobris in S. Dionyſio:* Quod ſi unum , vel alterum errorem in Vitis ſanctorum inventum, cetera quæ remaneant, fide carere dixerimus, profecto omnes fere Sanctorum vitæ in maximum diſcrimen adducimus, quum pæne in omnibus aliquid notari poſſit , quod corrigendum videatur, ſitque canonicarum tantummodo ſcripturarum ſingularis prærogativa , ut in eis cuncta vera , inconcuſſa, certaque narrentur.

(7) *S. Agatham Panormi ortum ſuum habuiſſe antiquiſſimi Manuſcripti Codices*, *vetuſta Martyrologia*, *Menologium Græcorum Vita S. Agathæ apud Metaphraſtem* , *auctore Lypomano* in Præf. menſ. Febr. *ex antiquiſſimo Codice eruta*, *Ado Trevirorum Epiſcopus*, *aliique docent*.

Digitized by Google

a Divo Petro inauguratum accepiſſe, cujus hæc in Martyrologio Rom. habentur: *Catanæ S. Berilli, qui a D. Petro ordinatus Epiſcopus, quum multos gentilium convertiſſet ad fidem in ultima ſenectute quievit in pace*. Ejuſdem S. Berilli mentio etiam occurrit eadem die in Græco Menologio; hunc Baronius notat diverſum eſſe ab eo, quem S. Hieron. *de Script. Eccleſ.* ſcribit vixiſſe temporibus Alexandri Imper. At vero quum religionem Chriſtianam diſſeminare, & conſtabilire in principibus urbibus, unde facilius in vicinas Civitates dimanaret, Petrus conſueverit; quumque præterea in compertu ſit Catanam unam ex illuſtrioribus Siciliæ urbibus fuiſſe, non abs re erit hinc adſerere Catanenſis Eccleſiæ traditionem non minimum ponderis ſibi comparare. Eadem ratione videtur quoque Meſſanenſi Civitati tribuenda ſuſcepta ævo apoſtolico Chriſtiana Religio; quum alioquin monumenta, quæ pro vindicanda ſibi Apoſtolica prædicatione vulgo a Catanenſibus venditantur, nimis recentia ſint, ac dubiæ fidei.

§. IX. *De Eccleſia Syracuſana.*

XXIII. Verum Syracuſanæ Eccleſiæ traditio videtur firmioribus ſuperſtructa fundamentis, quippe quæ adſerat ex Antiochia Petrum ad prædicandum per Siciliam Euangelium delegiſſe Marcianum, qui Epiſcopus jam ab eo conſecratur, Syracuſis ſedem fixit. Hujus rei teſtes habemus Martyrologium Romanum (8), & pervetuſtum quoddam Gallicanum Breviarium. Præterea Metaphraſtes *die* 29. *Junii* aperte ſtatuit, Petrum ab Antiochia S. Marcianum Syracuſas, Pancratium Tauromenium miſiſſe. Poſtremo Syracuſana Civitas S. Pauli Apoſtoli tridui manſione decorata eſt; qui ex antiquiſſima traditione a S. Marciano incredibili lætitia hoſpitio receptus, per tres illos dies commoratus verba fecit ad populum jam Marciani opera chriſtiana dogmata edoctum.

§. X. *De Eccleſia Melitenſi.*

XXIV. Pauca ſuperſunt adjicienda de Eccleſia Melitenſi. Profecto conſtans, atque antiquiſſima traditio eſt *Publium inſulæ principem*, cujus pater febribus, & dyſenteria vexatus S. Pauli oratione illico ſanitati reſtitutus fuerat, *Actor. Cap. XXVIII.* cum inſulanis pleriſque ad Chriſtianos tranſiiſſe, qui mox ab ipſo Apoſtolo Epiſcopus fuerit renuntiatus. Ejuſmodi traditio patronis non caret, & quidem antiquitate, ac auctoritate clariſſimis. Id docent S. Jo. Chryſoſtomus, S. Gregorius M. (9), Martyrologia Bedæ, Adonis, &c.

XXV. Clariſſimus Tillemontius *Note 64. ſur S. Paul* cenſet, Publium Athenarum Epiſcopum martyrium obiiſſe circa ætatem Marci Aurelii; ſcilicet medio ſeculo II. Unde ex ejus ſententia opinio de Publio Melitenſi opera S. Pauli ad Chriſti fidem traducto corruere videtur. At contra non modo Martyrologia Bedæ, Adonis, aliaque Publium Athenarum Epiſcopum *Melitenſem* faciunt, verum & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium, & S. Hieronymus (10) diſerte adſe-

(8) *Martyrologium Rom. die* 14. *Jun. hæc habet*: Syracuſis S. Marciani Epiſcopi, qui a B. Petro ordinatus Epiſcopus poſt Euangelii prædicationem a Judæis occiſus eſt. *Concinit pervetuſtum Gallicanum Breviarium eadem die*: Poſt triumphalem memoriam Domini noſtri Jeſu Chriſti . . . B. Apoſtolus Petrus Antiochenam fundavit Eccleſiam, Sanctum vero Marcianum Epiſcopali dignitate inſignitum cum Pancratio in Siciliam provinciam comite miſerunt.

(9) *S. Joann. Chryſ. Hom. LIV. in Acta*: Solventibus impoſuerunt neceſſaria: Manifeſtum quod & verbum prædicationis ſuſceperunt, qui illos ſic tractaverunt. Non enim diſſeruiſſent trimeſtri illo tempore, niſi & credidiſſent, & fructus declaraſſent; & inde magna conjectura eſt, multitudinem credentium illic viſam.

S. Gregorius in Job. Lib. XXVII. Cap. 1. Signo quippe virtutis pater Publii ſanandus fuerat, ut mente reviſceret, dum miraculo ad ſalutem rediret.

(10) *Euſebius Lib. IV. Cap.* 23. Altera vero Dionyſii *Epiſtola* ad Athenienſes ſcripta excitans ad

Digitized by Google

adſerunt Publium Dionyſio Areopagitæ in Eccleſia Athenienſi, Publio autem ſuffectum eſſe Quadratum.

§. XI. *Nonnulla ſubnectuntur ad firmandas Regni Neapolitani Traditiones.*

XXVI. Jam vero illud hic primo prorſus obſervandum, (quod ab initio jam lectores monuimus) ſcilicet S. Petrum non perpetuo Romæ deſidem fuiſſe commoratum. Qua de re ut ſui Apoſtolatus munia obiret, Italia, ac Neapolitanum præcipue Regnum plus vice ſimplici percurrendum ipſi fuit; unde plures earum regionum civitates, & oppida viſere, ac ſalutaribus imbuere præceptis tum potuit, tum debuit. Quandoquidem & in iis locorum, temporumque circumſtantiis verſatus eſt, ut illas excurrere difficile ei non fuerit, & localium traditionum concordia æque ac vetuſtas ad idem confirmandum veluti conjurant.

XXVII. Profecto uti hoc Regnum ejuſmodi traditiones uſque immobiliter ſervavit, ſalutarem nempe Euangelii lucem S. Petro acceptam referens: ita e. g. Mediolanenſes, Ravennates, Bononienſes ſuas Eccleſias non a S. Petro, ſed a Barnaba, ab Apollinare, a Marco ab eodem S. Petro legatis inſtitutas adſerunt. Reliqui ſane Italiæ populi, qui ab Apoſtolico uſque ævo Chriſto nomen dederunt, Neapolitanis ſcrupuloſius non feciſſent, quin falſas inducerent traditiones ad ſui Chriſtianiſmi origines honeſtandas.

XXVIII. Hactenus prolatæ Eccleſiarum traditiones, quippe quæ τοπικαὶ *locales*, & antiquiſſimis monumentis deſtitutæ a nonnullis tanquam dubiæ fidei habentur (11): a quibus equidem non poſſum quin diſſentiam. Quamvis enim, quod ad ſingulas quaſque partes attinet, fidem omnem ſibi non vindicent, quod tamen ad rei ſummam, tantam veriſimilitudinem præſeferunt, ut de iiſdem dubitare piaculum pæne ducam: quod jam ſatis demonſtratum autumo hujus Capitis initio. Quibus addeſis

1. S. Petrus quum Antiochenæ Eccleſiæ clavo adſideret, ipſe per ſe Pontum, Aſiam, Cappadociam, Bythiniam &c. percurrit Euangelium prædicans, & ſui diſcipuli, nimirum S. Marci opera, Alexandrinam Eccleſiam inſtituit. Qui igitur exiſtimari poterit S. Petrum Romanam tenentem Cathedram Italiæ regiones neglexiſſe, quum Occidentalis præcipue apoſtolatus ipſi fuerit concreditus?

2. Ex concordi antiquiſſimorum Patrum ſententia altero Eccleſiæ ſeculo Religio Chriſtiana jam minores urbes, ac oppida etiam occupaverat. At unde tanta Euangelii, ipſa pæne apoſtolica ætate, profecta eſſet diffuſio, ſi Apoſtoli in primis tantummodo Metropolibus Euangelium adnuntiaſſent, circumjacentes vero regiones poſthabuiſſent? Id quod ab apoſtolico inſtituto quam fuerit alienum unus Apoſtolorum Actuum liber apertiſſime declarat.

ad fidem . . . . negligentiam arguit Athenienſium, quippe qui a fide propemodum deſciviſſent, ex quo Publius ipſorum Epiſcopus in perſecutionibus tunc temporis excitatis martyrium ſubierat. Meminit etiam Quadrati, qui poſt martyrium Publii Epiſcopus Athenienſis eſt conſtitutus.

Hieron. Vit. Script. Eccleſ. in Quadrato: Quadratus Apoſtolorum Diſcipulus, Publio Athenarum Epiſcopo ob Chriſti fidem martyrio coronato, in locum ejus ſubſtituitur.

(11) *Auctor Hiſt. Civilis Regni Neap.* Lib. I. Cap. 11. *illorum opinionem videt, qui ejuſmodi traditiones prorſus contemnendas cenſent: atque adeo in illorum potius abire ſententiam videtur, qui præcipuas ſaltem Regni noſtri civitates apoſtolica prædicatione ad Chriſti fidem perductas docent.*

CAPUT VII.

VINDICATUR URBI NEAPOLITANÆ APOSTOLICA PRINCIPIS APOSTOLORUM PRÆDICATIO.

I. Quum de Religionis Chriſtianæ exordiis, quæ Urbi Neapolitanæ Apoſtolicis temporibus adfulſit, ut paulo latius diſſeramus, res ipſa expoſtulare videatur, neceſſarium omnino ducimus, capita quædam hujuſce Neapolitanæ traditio-

nis in anteceſſum figere, eaque monumentis breviter demonſtrare indubiis, ut in quibus a Criticorum ingeniis hæc eadem Traditio diſcrepat, & in quibus cum iis conveniat, Lectoribus harum cupediarum prudentiſſimis, ante quos hæc eadem judicium ſubitura ſe ſiſtit Neapolitana Traditio, luculentius pateat.

1. Eſt igitur caput primum, *Apoſtolorum Principem Simonem Petrum, Antiochenſi fundata Eccleſia, Romam ſub Claudio Imperatore accedentem, e Beneventana Appia via ad mœnia Urbis Neapolitanæ perveniſſe, ibique longo fatigatum itinere paululum quieviſſe*.

2. Alterum eſt illud: *Quandam mulierculam, ſenem, infirmam, tranſeuntem a Petro fuiſſe conſpectam, qua de civium moribus, & religione interrogata, cuique Chriſto ex ordine euangelizato, eandem Jeſu nomine invocato, cum Chriſtianis, qui ejus veſtigia ab Antiochena Urbe ſecuti erant, Petrum ſanaſſe; quo miraculo & credidiſſe mulierem, & regenerantis liquoris baptiſmi rore fuiſſe perfuſam ſalutari*.

3. Eſt illud tertium: *Dicente vetula illa, ſe habere VIRUM amiciſſimum quendam, nomine Aſpren* (1), *benignum, pium, modeſtum, ſobrium, & religioſum, atrociſſimo tamen morbo quaſſatum, qui ſi ſanari potuiſſet, fidem, quæ ab ipſo Petro prædicabatur, ſtatim reciperet, ejus adſertor idoneus, defenſor robuſtus, & propugnator exiſteret: inde ejuſdem mulieris miniſterio a Petro fuiſſe Aſprenem ſanatum, qui ſurgens, oblitus tunicæ, ſoloque pallio indutus ad Simonem veniens ejus pedes oſculatus eſt, quemque præterea idem Petrus catechizat, baptizatque*.

4. Quartum caput eſt illud: *Poſt receptum baptiſmum cœpiſſe Aſprenem Magiſtri ſui in catechizandis, baptizandiſque infidelibus COOPERATOREM* (ergo Eccleſiaſtico Miniſterio initiatum) *eſſe, & ad clamationem nominis Salvatoris ſigna, & prodigia facere*.

5. Tandem quintum eſt illud: *Conquiſita Neapoli Chriſto Domino* (ſcil. non plenarie, ſed illa ex parte, qua tunc quidem Neapolis Chriſti portio dici poterat, ut Mazochius ſcite advertit) *Romam Petrum ire decreviſſe; ſed ad preces Neapolitanæ plebis ab Apoſtolo Aſprenem fuiſſe Neapolitanum Præſulem conſecratum, qui ad Pontificis provectus apicem, verbo Doctrinæ uſque ad mortem opportune, & importune conſtantiſſime prædicavit; quique demum obiit ſenex, plenus dierum, & operibus virtuoſis tertio nonas Auguſti miraculis coruſcando*. Simplici hac veſte, vultuque minime fucato, at ad modeſtiam compoſito omnibus conſpiciendam ſe præbet Neapolitana conſtans, & antiqna Traditio.

II. Verum ſi quis peteret, quibus e monumentis hæc in apricum prodeat Traditio? Dicimus illa octo eſſe, eaque ut diſparis ætatis, ita & auctoritatis.

1. Primo ſunt *Acta Primigenia S. Aſprenis* QUARTO SECULO ab Anonymo conſcripta, quæ ſimplicitate, brevitate, & nativa quadam elegantia omnibus ſe commendant; quæque a Chioccarello in *Epiſcopis Neap.* a Mazochio in Diſſertatione *De Sanctorum Neap. Epiſcoporum cultu* Part. III. Cap. I. a Sabbatinio Ep. Aquilano *in Vetuſto Kalend. Neap. illuſtrato* die III. Aug. aliiſque edita ſunt ex antiquo Codice Manuſcripto Litteris Langobardicis exarato, & in Theſauro S. Januarii Eccleſiæ Majoris Neap. adſervato. Hæc quidem Acta Cl. Tillemontius T. I. art. ult. de S. Petro p. 190. *præ cæteris legere percupiebat, ſciens breviora illa eſſe, & Neapoli in Theſauro Cathedralis ſervari*. Ex his ſane Actis *quinque Neapolitanæ Tra-*

(1) *De vera hujus S. Epiſcopi ſcriptura ſic eruditiſſime Mazochius De cultu SS. Epiſcop. Neapol. pag.* 191. Apud omnes antiquos Aſpren duabus Syllabis legitur, & ſic per omnes caſus, quaſi ſi nomen ἄκλιτον (indeclinabile) fuerit. Sic legitur in Faſtis marmoreis, ſic in Joanne Diacono, ſic in Blanchini laterculo, in longiore Vita Athanaſii, in lectionibus antiquis, ceteriſque poſterioribus Actis: uno Alberico excepto, in quo nova declinandi ratio invenitur: recto caſu modo *Aſpren*, modo *Aſpres*: gen. *Aſpret*: accuſ. *Aſpren*. abl. *Aſpre*. Verum hujus auctoritas nauci non eſt. Etjam Romanum Martyrologium tritam ſcribendi rationem ſequitur his verbis. *Neapoli in Campania Sancti Aſpren Epiſcopi* &c.

Digitized by Google

Traditionis Capita iiſdem pæne verbis protulimus, ut non alio ex fonte illa ſincere noſcerent exteri, quam ex quo ſibimet Neapolitana Eccleſia jure meritoque in Domino plaudit (2).

2. Secundo eſt *S. Athanaſii Epiſcopi Neap. Vita, vel ſeculo X. a Petro Subdiacono Neapolitano*, ut nonnullis, *vel XI. aut XII. ineunte ab Anonymo*, ut Mazochio placet, ſcripto tradita. In hujus Vitæ Prologo §. 3. legitur: *Non ſolum a Conſtantino piiſſimo Principe, Primo Auguſtorum Chriſtianiſſimo, ſed plures ante annos Chriſtiana inibi* (ſcil. Neapoli) *Religio floruit. Siquidem beatiſſimus PETRUS Apoſtolorum Princeps ASPREN ſanctiſſimum IBI ORDINAVIT EPISCOPUM.*

3. Tertio ſunt alia *S. Aſprenis Acta ſecundigenia*, ut ita dicam, ab Ughellio *Ital. Sacr.* T. VI. in *Neap. Epiſcopis* primum vulgata, quæ, ut in prologo legitur, *ſtylo diffuſiori, atque excultiori, ut ad novem competentis magnitudinis lectiones ea ſufficerent*, ſeu potius ſtylo peſſimo oratorio, quidam *Albericus* Auctor infelix, & quidem juſſu *Petri de Surrento ſeculo XIII. Neap. Archiepiſcopi* ex *tomo chartæ breviter, & inculto, corruptoque ſermone* de Sancto Viro Aſprene antiquitus exarato (ſcil. ex Actis Primigeniis, & antiquioribus, quæ ipſi Alberico Scriptori verboſo, & exſucco videntur *brevia & inculta*) conſarcinavit. Porro Albericus *eandem reipſa narrationis, traditioniſque veritatem ſervavit*. Hæc profecto Alberici Acta Tillemontius *loc. cit.* vocat *magnum verborum cumulum, & nihil amplius*; Mazochius vero noſter Albericum ipſum vocat Scriptorem ingenio præditum, orbatum *judicio*. Namque dum ipſe Albericus *Actorum priorum ſimplicitatem* vocat *incultum, corruptumque ſermonem*, *Albericiana iſtæc* ſua qui legerit Acta, *mirum ſi cachinnum tenere poſſit, tantis a ſummo ad imum redundant phaleris ineptiſſimis, & nugatiſſimis*.

4. Eſt quarto *Chronicon S. Mariæ de Principio*, quod poſt ſeculi XIII. medietatem fuit contextum, quodque licet modo ſit deperditum, in Tabulario tamen Capituli Neap. ejus ſervantur *Excerpta* ann. 1553. eleganti charactere deſcripta. Verum recte eſt, quod integra pars illa Chronici vetuſtioris, in qua *Petri adventus*, *Mulieris vetulæ* (cujus in hoc Chronico primum *CANDIDÆ* nomen effertur, quum in utriſque laudatis Actis eſſet ipſa anonyma) & *Aſprenis infirmitas, curatio, & baptiſmus*, ut & *Aſprenis ipſius tandem Epiſcopatus ab eodem Petro illi collatus*, Mazochio teſtante, in hæc *Excerpta* fuerint traducta.

5. Quinto eſt *Chronicon* alterum *Joannis Villani*, quod vergente ſeculo XIV. patria dialecto fuit ab eo contextum; & in quo quidquid in priore *Chronico S. Mariæ de Principio* legebatur, & *Excerptis* illius adhuc ſupereſt, Italice converſum adparet.

6. Sexto veniunt antiquiſſimi Manuſcripti Codices, de quibus ſic loquitur Clariſs. Caracciolus *de Sacr. Eccl. Neap. Monum. Cap. III. pag.* 59. „ Tertio Codices Mſſ. „ ego ipſe vidi, legique permultos, & „ quiſque alius poterit, qui diligenter Ar„ chiva, ac Bibliothecas excutiat Campa„ niæ, Italiæque. Recenſebo equidem ad „ præſens aliquot ſolummodo priſco cha„ ractere inſigniores. Antiquiſſimum ſa„ ne, & ante octingentos propemodum „ annos (ut harum rerum periti judicant) „ litteris Langobardicis ſcriptum (3), „ habebat in ſuo muſeolo ampliſſimus, „ idem-

(2) *De ejuſmodi primigeniis Actis hæc habet Chioccarellus in SS. Epiſc. Neap. pag.* 10. Habetur etiam Sancti Aſpren vita, atque rei hujus narrationis hiſtoria ſinceriſſime, etſi rudi ſtylo, nulloque fuco, atque orationis elegantia elaborata, ſed ſincera tantum hiſtorica veritate referta, quæ conſcripta videtur (ſi conjecturæ locus eſt) paulo poſt Silveſtri Papæ, & Conſtantini Auguſti tempora, quæ antiquis Langobardicis litteris exarata ſervatur in majoris Eccleſiæ Theſauri ſacello.

(3) *Caracciolus noſter ſcribebat principio circiter Seculi XVII. jam præteriti. Quare ſi Codices, in quibus S. Aſpren Acta erant conſcripta, ætate Caraccioli* ante octingentos propemodum annos *fuerant exarata, decimo Seculo id factum dicere oportet. Hinc igitur concludendum, veluti exploratum ſtatui non poſſe, ante Seculum XI. nullibi ſcriptum reperiri, S. Aſprenem ab Apoſtolo Petro fuiſſe Epiſcopum ordinatum.*

„ idemque eruditiſſimus Urbini Archiepi-
„ ſcopus Paulus Æmilius Sanctorius cele-
„ berrimi illius Sanctæ Severinæ Cardina-
„ lis ex fratre nepos. Alterum æque for-
„ taſſis antiquum Codicem apud Divi Re-
„ nati in Picentinis aliquot Neapolitanos,
„ Surrentinoſque Divos enarrantem lege-
„ runt, atque exſcripſerunt e Noſtratibus
„ multi: ejuſdemque ante centum annos
„ exceptum ſervat noſtra Torenſis in agro
„ Vicano Domus. Nunc e Divi Renati
„ alio exportatum fuiſſe prototypon audi-
„ vi, ac plane indolui. Porro ambo hi
„ vetuſtiſſimi codices vitam habent S. Aſ-
„ prenatis, ſive ut alii vocant, Aſprenis
„ primi Neapolis Epiſcopi; qua profecto
„ ſi non eleganter, dilucide tamen, & di-
„ ſtincte narratur B. Petrum ab Oriente
„ adveniſſe Neapolim, & Neapolitanæ Ec-
„ cleſiæ a ſe fundatæ præfeciſſe Epiſcopum
„ Aſprenatem. His quoque adſtipulantur
„ ſummo conſenſu vetera ejuſdem Eccle-
„ ſiæ Mſſ. Lectionaria, Martyrologia,
„ Kalendaria, & ſacræ Tabulæ fide digniſ-
„ ſimæ „.

7. Porro omittendus non eſt Hymnus, quem, ut ſcribit Chioccarellus *ibidem*, antiquiſſimis temporibus Neap. Eccleſia in Aſprenis ſollemnibus recitare conſueverat, quique habetur in eo, qui *Hymnarius Neap. Eccleſiæ* vocatur, & ſupra annos octingentos conſcriptus videtur Langobardicis litteris. Hymnus ille de S. Aſprene ſic canit:

Sanctus Petrus Apoſtolus
Dedit te noſtro Populo:
Et fecit te Epiſcopum
In noſtro loco primitus.

8. Ultimo loco veniunt *vetuſtæ Inſcriptiones*. Chioccarellus in *S. Aſprene* p. 15. teſtatur *in Regeſto quodam Caroli I. Neap. Regis juſſu confecto* (ergo ſeculo XIII. ad finem labente), *quod in Regiæ Siclæ Archivo adſervabatur .... ubi de S. PETRI AD ARAM BASILICA agitur, Petri Apoſtoli in Civitatem Neap. adventus diſtincte recenſetur, atque de Miſſæ ſacrificio, quod inibi Petrus Aſpren, Candida, aliiſque præſentibus obtulit, & DE S. ASPREN EPISCOPI INSTITUTIONE abunde agitur, & in dextro Altaris Cornu ejuſdem Baſilicæ ad poſterorum memoriam GRÆCIS LITTERIS IN MARMORE SCULPTAM INSCRIPTIONEM, ea omnia probantem, adpoſitam teſtatur, quam TUNC QUOQUE EXSTARE ait; aliamque PRIUS VETUSTIOREM ADPOSITAM in Campanilis pariete MARMOREAM INSCRIPTIONEM, quam a Gothorum exercitu ereptam confractamque adfirmat. Quod quidem Regeſtum Ladislaus Rex ..... deſcribi, & in publicam formam redigi juſſit die 29. Novemb. 1409. adſtantibus ipſo Rege, atque Joanna ejus ſorore, ac innumeris ejus Regni Proceribus*. Igitur ad XV. uſque ſeculum conſtans a primis uſque Religionis Chriſtianæ temporibus ſtetit Traditio hæc Neapolitana. Quare hac tam multiplici, variaque monumentorum ſerie, addita Hiſtoricorum omnium ſequioris ævi auctoritate, ipſo Jannonio non refragante, quis firmam ſtare Neapolitanam hac in re Traditionem negaverit?

III. Clariſſimus omni ævo Mazochius noſter, cui non Reſpublica Litteraria tantum, at Neapolitanæ præſertim Eccleſiaſticæ Antiquitates nihil non debent, quamvis PRIORA QUATUOR Traditionis Neapolitanæ CAPITA, & probet, & luculenter fateatur (aliter enim facere quis poteſt?) QUINTUM TAMEN negat ex parte, & ex parte adfirmat. En ejus verba, quibus ſuam explicat ſententiam *ibid. pag.* 192. „ Ordinatum a Pe-
„ tro ipſo Aſprenem & ipſe fateor; non
„ Epiſcopum tamen, ſed Presbyterum;
„ qui quidem ad puſillum Chriſtianorum
„ Gregem a Petro converſum, qua verbo
„ Dei, qua Divinis Sacramentis enutrien-
„ dum tunc ſatis eſſet. Nec enim primo
„ Petri Neapolitano adventu credentium
„ turbam copioſiorem fuiſſe arbitror, quam
„ ut presbyteri unius ductu regi poſſet.
„ At poſtquam, Aſprene *per Dominici ta-*
„ *lenti acceptionem populos ad viam ſalutis*
„ *quotidie evocante*, crevit turba creden-
„ tium, tum enimvero Pontifice opus
„ fuit, qui in vicinis pagis, & oppidis
„ alios presbyteros ordinaret. Hanc vero
„ Epiſcopalem Aſprenis ordinationem ſub
„ S. Clemente contigiſſe Joanneus, &
„ Blan-

„ Blanchinianus Catalogus (*en ſibi ſumit* „ *binos Epiſcoporum Neap. Catalogos*, *qui* „ *noſtris ſunt mox monumentis adcenſendi*) „ aperte oſtendunt . „ Quare , ut Mazochius *ibid. pag.* 194. ſcribit „ in Aſprenis hiſtoria duo rei geſtæ capita inter ſe „ adcurate ſunt diſtinguenda. I. Nam quod „ Aſpren primus omnium in Cathedra „ Neapolitana ſederit, id quidem extra omnem dubitationis aleam poni debet . „ II. At vero quod Aſpren ab ipſo Apoſtolo Petro conſecrationem Epiſcopalem „ acceperit , ejuſce vero rei haud extat „ antiquius monumentum Scriptore Athanaſianæ Vitæ . . . . Ergo ante XI. ſeculum haud facile ſcriptum reperitur , a „ Petro ipſo Aſprenem fuiſſe ordinatum „ Epiſcopum „.

IV. Verum quibus potiſſimum teſtimoniis , quibuſve argumentis tantum ſibi fidit Magnus merito Mazochius noſter , ut Quintum hoc Neapolitanæ Traditionis caput aliter explicando ex parte neget ? Binos adhibet teſtes , unum pæne ſilentem , alterum mutum , & omnino elinguem ad ea firmanda , quorum gratia illos profert ; multiplici deinde utitur ingenioſo quidem , at conjecturali argumento . En Teſtimonium primum . *In Neapolitanorum Epiſcoporum Catalogo* , ineunte X. ſeculo conſcripto (qui , utpote ex Florentino Bibliothecæ S. Marci Codice a Franciſco Blanchino ann. 1723. editus , dicitur *Blanchinianus*) legitur: I. *Aſpren Epiſcopus* , *ſedit annos XXIII. Fuit temporibus Clementis* , *Anacleti* , *Evariſti*, *Alexandri Papæ ; & Trajani*, *& Hadriani Imperatoris* . Quamvis hoc loco num a S. Petro , an vero a S. Clemente fuerit S. Aſpren ordinatus Epiſcopus non dicatur , attamen quia *Auctor Blanchiniani Catalogi nec S. Petri* , *nec Lini Epiſcopatui Aſprenis Cathedram æqualem facit* , *ſed Clementis*, *& ſequentium aliquot Pontificum temporibus* , hac de cauſſa ut cetera monumenta omnia ſive vetuſtiora , ſive ævi ſequioris , quæ diſertiſſime Aſprenem a S. Petro ordinatum Epiſcopum docent , cum hoc decimi ſeculi catalogo conciliet Mazochius , binas illas Aſprenis ordinationes , quas in ejus Actis Primigeniis a S. Petro ambas factas legimus ; duobus adtribuit Pontificibus , & *presbyteralem* a S. Petro , *epiſcopalem* a S. Clemente peractas autumat . Aſt quis non videt , novam hanc præſentis , & pæne ſilentis teſtis a Viro præclariſſimo ingenioſe propoſitam explicationem majorem diligentiam deſiderare , neque huic teſti ſibi , & aliis Scriptoribus non cohærenti eſſe fidendum ?

V. Et profecto 1. ſi Aſpreni jam in ipſo Petri adventu *HOMINI benigno* , *pio*, *modeſto* , *ſobrio* , *& religioſo* , *atrociſſimo morbo quaſſato* , *vetulæ amiciſſimo* demus non ſexaginta , ut deceret , ſed ad minus *quinquaginta ætatis annos* , quum a Petro Ær. Chriſt. ann. 44. Presbyteratui initiabatur ; quum ulterius ipſe Aſpren a Chronologo Blanchiniano mortuus dicatur ſub Pontificatu Alexandri I. qui regere Eccleſiam cœpit Ær. Chriſt. an. 108. etiamſi dicamus hoc primo Alexandri Pontificatus anno eum obiiſſe , haberemus inter ordinationem presbyteratus , & mortem annos *ſexaginta quinque* . Tum ipſemet Chronologus Blanchinianus ſcribit Aſprenem obiiſſe ſub Hadriano , qui imperium nactus eſt anno Æræ Chriſt. 117. Quamobrem licet concedamus hoc primo imperii Hadriani anno eum vita functum , haberemus inter ordinationem preſbyteratus , & mortem annos *ſeptuaginta quatuor* ; quibus ſi addas illos *quinquaginta* annos jam ante baptiſmum elapſos , conſtaret vixiſſe Aſprenem annos CXV. vel CXXIV. quod ſane præter ordinem factum , num ſine Scriptore teſte luculentiſſimo ſit credendum , alii viderint . In Actis quidem Primigeniis Aſprenem *plenum dierum* obiiſſe legimus ; at hoc de *octogenario* , vel ad ſummum *nonagenario* intelligi vulgo ſolet, non de homine *quindecim* , *vel viginti quatuor annis centenariam ſupergreſſo ætatem*.

2. Præterea licet ſtatuamus Aſprenem a Clemente ordinatum Epiſcopum ultimo ſui Pontificatus anno; nimirum Æræ Chriſtianæ 74. & etiamſi demus Aſprenem mortuum Pontificatus Alexandri I. anno primo , nempe Ær. Chriſt. ann. 108. haberemus eundem Neapolitanum Epiſcopatum rexiſſe per annos ſaltem XXXIV.

quod

quod qua ratione cum annis XXIII. Epiſcopatui Aſprenis a Blanchiniano ipſo Catalogo tributis ſtare poſſit ſine notarum Chronicarum cerebroſa emendatione, dicant alii.

3. Tandem quum ipſemet Mazochius ſciiſſime & ipſe viderit, *ibid. pag.* 20.: *Fruſtra laboraveris, ſi quidem* (in legendo Blanchiniano Catalogo) *EPISCOPORUM* (Neapolitanorum) *TEMPORA CUM PONTIFICUM, & Imperatorum ANNIS APTE SEMPER CONNECTERE CURÆ FUERIT*; & *pag.* 19. multo luculentius: *AT IN PONTIFICIBUS ROMANIS* (Catalogus Blanchinianus) *NON SATIS SIBI CONSTAT: nam CLEMENS & ANACLETUS, quos ASPRENI COÆVOS FACIT, TRAJANI PRINCIPATUM NON* ATTIGERUNT. ITAQUE (quid, ut veritati, nobiſque faveret, poterat fateri ſincerius?) *IN ASPRENE SALTEM HAUD BELLE OMNIA CONSENTIUNT*; quum, inquam, ipſemet Mazochius, qua erat præditus ingenii perſpicacia, judicique acumine & viderit, & edixerint, *Blanchinianum Catalogum male Epiſcoporum Neapolitanorum tempora cum temporibus Pontificum Romanorum connectere, & hoc peccato præſertim peccare in S. Aſprene*; neſcio ſane, nec ſuadere mihimet valeo, quomodonam Vir Summus ſecum pugnans, in exturbando hoc *quinto* Neapolitanæ Traditionis *Capite*, adeo incerto, immo *falſo* a ſe probe detecto, aliiſque prudenter commonſtrato, utatur teſte adverſus monumenta certa, & antiquiora?

4. Quid quod & ipſe Mazochius Chronologiæ difficultatibus preſſus vidit, ac faſſus eſt, Aſprenem ad S. Petri tempora eſſe traducendum? En ejus verba *pag.* 19. *Mitto* (adverſus Blanchinianum Catalogum Neapolitanorum Antiſtitum tempora cum temporibus Pontificum Romanorum, & præcipue S. Aſprenis cum S. Clemente confundentem) *quod Aſprenem a S. Petro ordinatum Auctor Vitæ Athanaſianæ, & VETERES ASPRENIS LECTIONES* (ſcil. Acta S. Aſprenis Primigenia) *tradunt*. Aſt dum hæc videt & fatetur Mazochius in priorem abreptus ſententiam ſubdit: *Verum hæc quemadmodum ſint accipienda in Aſprene ipſo viderimus Parte III.* In illa tamen III. Parte tam longe abeſt, ut ipſe a propoſitis ſeſe expediat difficultatibus, ut potius in majores ſe conjiciat: nam dum eam init viam, ut dicat, eundem Aſprenem a Petro Presbyterum, Epiſcopum a Clemente ordinatum, profecto quum Aſprenis *tempora*, ut jam vidimus, *non bene conſentiant cum temporibus Clementis, Anacleti, Evariſti & Alexandri Pontificum, ut & Imperatorum Trajani, & Hadriani*, quomodo poterunt cum horum ſimul, & Petri Pontificis, & Imperatoris Claudii temporibus conſentire? Vidimus argumentis 1. & 2. hujus §. V. quas in Chronologicas ſyrtes videns & lubens ſe projiciat nova illa ſua explicatione Magnus Mazochius; ut tandem concludere merito poſſimus, vel Traditioni noſtræ favere, vel ſaltem non adverſari Blanchinianum Catalogum.

VI. Alter mutus quidem, & elinguis teſtis, quem adhibet Mazochius noſter, eſt *Epiſcoporum Neapolitanorum Catalogus a Joanne Eccleſiæ S. Januarii ad Diaconiam in Urbe Neapoli poſitam Diacono* (nonnullis operibus de Neapolitanis Eccleſiaſticis Antiquitatibus benemerentiſſimo) ſeculo IX. conſcriptus, & a Viro Cl. Ludovico Antonio Muratorio e Cod. Latin. Vaticano 5007. in Part. II. T. I. *Script. Rer. Italic.* ann. 1720. primum vulgatus. At quid adverſus Epiſcopalem S. Aſprenis ordinationem a Petro factam fatetur Joannes? Quum huic Catalogo, vel Chronico ſuo prolegomena ipſe præmiſerit, ea ex Mazochio *pag.* 191. ſic auctori procedunt. „ I. Principio exponit, quo „ anno Chriſtus Dominus in Mundum „ advenerit. II. Seriem Imperatorum re- „ cenſet uſque ad Claudium (*adverte non* „ *uſque ad Domitianum, & Trajanum*, „ *ſub quibus S. Clemens floruit, a quo* „ *vult Mazochius S. Aſprenem ordinatum* „ *Epiſcopum*). III. Narrato Petri Ro- „ mam adventu, & ejuſdem Romana „ Cathedra .... Petri ſucceſſores Linum, „ Cletum, atque Clementem ſubnectit, „ horumque Cathedras cum Imperatorum „ temporibus comparat; niſi quod in Cle- „ men-

Digitized by Google

„ mente . . . . comparatio cum Imperato-„ ribus mutila prorſus eſt . Sic enim in „ Clemente narrat : *Clemens ſedit ann. „ IX. menſ. II. dies X. Fuit autem* . . . . „ Nam cetera de Clemente deſunt , ni-„ mirum hujuſmodi : *Temporibus Neronis*, „ *& Trajani* , ac ſi quid forte aliud ad-„ jicere in mentem venit . . . . His præ-„ miſſis tandem de Epiſcopis Neapolita-„ nis ſic incipit . I. Aſpren Epiſcopus „ &c. „ Scripſerat propterea idem Mazo-chius *pag*. 19. in Notis Catalogo Blan-chiniano ſubnexis : „ Undecim priorum „ Epiſcoporum Cathedræ annos non ad-„ ſert Joannes Chronographus , quos no-„ ſter (Blanchinianus Catalogus) adſert. „ Noſter priorum undecim (*Epiſcoporum*) „ tum pontificatus annos . . . tum Impe-„ ratorum , & Pontificum Romanorum , „ ſub quibus ſederunt , nomina adcurate „ (alibi vidimus non bene) notat ; At „ Joannes in decem prioribus utrumque „ neglexit „ . Et paulo poſt idem ad-dit : „ Pulchre ſibi Joannes Diaconus ca-„ vit, dum in prioribus tribus ſeculis tem-„ porum curam in totum neglexit „ . Hinc tandem Vir ſummus pag. 196. Ope-ris citati concludit : „ Quæ textus Joan-„ nei οἰκονομία (*diſpoſitio*) plane evin-„ cit Chronographo huic (*Joanni Diaco-„ no*) haud minus ac Blanchiniani later-„ culi Auctori fuiſſe perſuaſiſſimum , Aſ-„ prenis Epiſcopatum non fuiſſe S. Cle-„ mente Papa antiquiorem „ . En qua via Auctorem Blanchiniani Catalogi cum Joanne Diacono Chronici Epiſcoporum Neap. Scriptore in unum copulat Mazo-chius, & utroſque in ſuam adducit ſenten-tiam.

VII. Huic teſtimonio per ſe muto , & elingui , quod tamen tam eloquenter fari docuit Mazochius , ut ceteros eloquentiſ-ſimos immane quantum ſuperet teſtes, quid nos pro veritatis patrocinio reſpondebimus? En quæ ad manus ſunt adverſantia argu-menta , quæque teſtimonium ipſum nobis favere demonſtrant.

1. Muratorius , qui hoc nobis Chroni-con ex Vaticana Bibliotheca primum de-dit , adhibitis inſpectoribus Viris doctiſ-ſimis , in Nota 3. poſt *Clementem Pontificem* adpoſita teſtatur ex ore teſtium oculatorum : „ *In Manuſcripto Codice Vaticano hic fi-nis eſt OCTAVÆ PAGINÆ* , ubi *CER-TE DESIDERATUR UNUM FOLIO-LUM* (nempe quintum) *ſive duæ pagi-næ* (nimirum nona & decima) . *Dolen-dum autem eſt* , *narrationem hic interru-ptam fuiſſe . Fortaſſis enim Auctor narra-bat* , *quis Urbis Neapolitanæ primus Chri-ſtianam Religionem invexit* , *& quis ex Romanis Pontificibus primum illi Urbi E-piſcopum dederit* . Quid ad hæc Mazo-chius ? Ait ipſe *pag*. 195. „ Faceſſat illa „ Muratorii expoſtulatio conquerentis . . . „ integrum chartæ foliolum deeſſe . . . . „ Ne credas . Nam ſicut in Blanchiniano „ Catalogo Clemens Aſprenem Epiſcopum „ ordinavit (*demonſtravimus hoc aliter ſe „ habere*) idem prorſus etiam Joannes Dia-„ conus ſenſit „ . Quum adverſis frontibus pugnent , quæ Muratorius , & Mazochius dicunt , nos , qui audientes medii inter eos ſtamus, cuinam ex his , uno ajente , alte-ro teſte negante , credemus ? Si verum o-mnibus eſt , quod in *Trucul.* dixerat Plau-tus : *Plus valet oculatus teſtis unus* , *quam auriti decem* , profecto magis Muratorio , qui ex fide *teſtium oculatorum* ſcribit *folio-lum unum* ſive *binas paginas* deeſſe, quam Mazochio , teſti ex ſe graviſſimo , at hac in re nec *oculato* , nec *aurito* , ſed tantum *ex ingenio conjicienti* , eſt omnino creden-dum . Quare foliolum , ſeu binas paginas Vaticano Manuſcripto , & hinc evulgato Joannis Diaconi Chronico deeſſe pro certo habemus.

2. Binis illis paginis quidnam quæſo e-rat inſcriptum ? Hoc ſane eſt hariolari . Quid divinando & Muratorius , & Mazo-chius dixerint, modo vidimus. Nos utriuſ-que cogitata amplectimur , & de noſtro ſymbolam damus , ut ex integro duarum deficientium paginarum lacuna probe ſup-pleatur . Cum Mazochio igitur dico pri-mo , quod quum Joannes Diaconus tem-pora Pontificatus Petri , Lini , Cletique cum temporibus Imperatorum conjunxe-rit , hoc idem in Clemente fecerit , ſcri-pſeritque propterea : *Clemens ſedit ann. IX. menſ. II. dies X. Fuit autem Tempo-ribus Neronis* , *Veſpaſiani* &c. ; quo ſane facto

facto ſeculum Eccleſiæ I. abſolvit. Dico ſecundo ex pænu meo poſt Clementem adpoſita fuiſſe a Joanne in binis deficientibus paginis nomina, & tempora Pontificum II. & III. ſeculi, nominibus Imperatorum, ſub quibus vixere, conjuncta, ad uſque *Marcellum* Papam, & Imperatores *Diocletianum*, *&* *Maximianum*. Undenam hoc ſcis, o bone? Ex ipſomet Mazochio. Hic enim in *Opere cit. p.* 10. ſcribit: *Joannes in DECEM PRIORIBUS* (Neapolitanis Epiſcopis) *utrumque neglexit* (ſcil. notare Epiſcopatus eorum annos, & Imperatorum, ac Pontificum Romanorum, ſub quibus ii Epiſcopi ſederunt, nomina ſubnectere, quod male factum habetur in Catalogo Blanchiniano, ut ipſe advertit); *niſi quod in UNDECIMO* (Epiſcopo Neap) *ZOSIMO* (qui vixit ſub Euſebio, Miltiade, & Silveſtro Pontificibus, & Imperatore Conſtantino) *incipiat EPISCOPALEM SEDEM CUM PONTIFICUM, ET IMPERATORUM TEMPORIBUS NECTERE*. Joannes ergo quum a *Zoſimo Undecimo Epiſcopo Neapolitano*, qui initio IV. ſeculi vixit, incipiat tempora Epiſcoporum cum temporibus Pontificum, & Imperatorum conferre, quod in *decem Prioribus Neapolitanis Epiſcopis* I. II. & III. ſeculi non fecerat; quumque a Pag. Manuſcripti *Octava* cœperit Joannes nomina Pontificum I. ſeculi *Petri*, *Lini*, *Cleti*, *&* *Clementis* cum reſpondentium Imperatorum nominibus enumerare; quid certius dici credique poteſt, quam a Joanne ipſo hanc Pontificum & Imperatorum ſeculi II. & III. & non ultra, enumerationem fuiſſe pagina *nona*, & *decima* peractam? Dico tertio cum Muratorio, ſi quid ſpatii in *decima pagina* ſupererat, in eo fuiſſe narratum, *quis Urbi Neapolitanæ primus Chriſtianam Religionem invexerit*, *&* *quis ex Romanis Pontificibus primum illi Urbi Epiſcopum dederit*.

3. At dicet non nemo: Curnam Joannes hic Chronographus Neapolitanorum Antiſtitum Catalogum ſcripturus; præmittere in Prolegomenis decrevit Romanorum Pontificum, & Imperatorum I. II. & III. ſeculi elenchum, & non potius, ut Auctor Blanchiniani Catalogi fecerit, Antiſtitum Neapolitanorum tempora cum temporibus Pontificum & Imperatorum una ſimul dare? Immo curnam idem Joannes, quemadmodum ab initio IV. ſeculi nomina Neapolitanæ Eccleſiæ Epiſcoporum cum Pontificum, & Imperatorum Romanorum nominibus, & temporibus conjunxit, non idem præſtitit in I. II. & III. ſeculo? Huic objectioni facile eſt reſpondere. Neſciebat Joannes *decem priorum Antiſtitum tempora peculiaria*, *quibus* Neapolitanum Epiſcopatum rexerant, licet ſciret eos per 250. circiter annos a *S. Aſprene* ad *Zoſimum* Neapolitanæ Eccleſiæ præfuiſſe. Hac de cauſſa quoque neſciebat, ſinguli priores decem Epiſcopi ſub quibus Pontificibus, ac Imperatoribus ex ordine, & temporum ſerie vixiſſent, quamvis ſciret, ſub Pontificibus ac Imperatoribus I. II. & III. ſeculi eos floruiſſe. Quare ne in hiſtoria lubens ementiretur ipſe Joannes, & ita poſteris fucum faceret, ut peſſime præſtitit, Mazochio advertente, Auctor Blanchiniani Laterculi, maluit potius tempora, quibus Antiſtites illi decem in Cathedra Neap. ſederunt, tacere, maluitque potius ſuo Catalogo Neapolitanorum Antiſtitum præmittere Pontificum, & Imperatorum I. II. & III. ſeculi elenchum, ſcil. a *Petro* ad *Marcellum Papam*, & a *Claudio* ad *Diocletianum*, & *Maximianum Imperatores*; quam, ut vellet, & tempora circumſcribere Neapolitanis Epiſcopis, & cum temporibus Pontificum atque Imperatorum illa reſpondentia dare. Nam a IV. ſeculo, quum tempora illi IX. ſeculo viventi eſſent viciniora, & notiora; ac proinde clariora, atque luculentiora adeſſent monumenta, cœpit idem Joannes in *Zoſimo* & annos Epiſcopatus adnotare, & ſubnectere Pontificum, ac Imperatorum nomina, ſub quibus utcumque conſtabat Epiſcopos ſequentes vixiſſe. *Quocirca*, ut egregie quidem ſcribit Mazochius noſter, *pulchre ſibi Joannes Diaconus cavit; dum in prioribus tribus ſeculis TEMPORUM CURAM IN TOTUM NEGLEXIT*. Quæ quum ita ſint, quoniam a *Petro Pontifice*, & *Claudio Impe-*

rato-

ratore elenchum, Catalogo Antiſtitum Neap. præmiſſum incipiat Joannes, hinc inſpecta Joannis ejuſdem ſententia concludendum eſt omnino, *S. Aſprenem I. Neapolitanum Epiſcopum a Petro fuiſſe ordinatum, & ſub Claudium Neapolitanam regere Eccleſiam cœpiſſe*. Non ergo cum Catalogo Blanchiniano cohæret Joanneus Catalogus, nec Mazochio, ſed nobis facem præbet, Neapolitanæque Traditioni unice favet Diaconus Joannes.

VIII. Atque hæc ſunt bina illa monumenta a Cl. Mazochio producta, quibus diſertiſſima Traditionis noſtræ teſtimonia e manibus eripuiſſe videtur. Addit ipſe deinde conjecturalia quædam argumenta. Et profecto Acta vetuſtiſſima S. Aſprenis, quæ Chioccarellus, Sabbatinius, aliique quarto dant Seculo, nos vero ad ſummum quinto addicimus, ad XI. ipſe amandat Seculum. At curnam? In hiſce Actis brevitate, ſtylique ſimplicitate ſe commendantibus, in quibus Petri adventus, Vetulæ Aſpreniſque infirmorum curatio, & baptiſmus; ejuſdem Aſprenis Epiſcopalis ordinatio a Petro facta; ut & Aſprenis ipſius in Epiſcopatu ad mortem uſque opera enarrantur, quatuor ſubnectuntur miracula a Deo Aſprenis interceſſione patrata, quorum Primum illud eſt, cujus cauſſa Vir ſummus hæc eadem Acta, vix ac ne vix quidem, ſex ſeculorum ferre ætatem demonſtrare conatur. En illud: Quum Neapoli vir & uxor eſſent timentes Deum, divites cum multa familia, filium tamen, aut filiam non habebant, & flagitabant S. Præſulis meritis, ut eo intercedente filius eis concederetur, vel filia: obtinent poſtulata: naſcitur eis filius: conjuges ipſi gratias Deo & meritis Præſulis exhibentes referunt: *baſilicam ad honorem S. Aſpren decentiſſime conſtruunt: QUÆ USQUE IN HODIERNUM DIEM DICITUR STEPHANIÆ BASILICA*. Ex poſtremis hiſce verbis conjiciendo ita Actis S. Aſprenis ſumme colendam aufert vetuſtatem, ætatemque tribuit Seculi XI. *pag.* 211. „ Cum nos ex Joanne Diaco„ no, & Blanchini Catalogo didicerimus, „ STEPHANIAM (*Neapolitanam ſcil.* „ *Cathedralem*) a Stephano I. ineunte „ VI. Seculo primum factam, & mox „ (*igne crematam*) ab altero Stephano „ exeunte Seculo VIII. refectam; quum „ hæc, inquam, jandiu didicerimus, quid „ hoc nunc, rogo, portenti eſt, quod in „ his Actis Stephaniæ ædificatæ laus ab „ iis Epiſcopis in conjuges neſcio quos in„ nominatos, & temporis incerti tranſcri„ bitur „? Hinc poſt multa, quod minus credabamus, ſic concludit ſenex noſter eruditiſſimus. „ Sed magis eſt, ut aliam no„ viſſimam Stephaniæ refectionem in A„ ctis S. Aſprenis deſignari credamus. „ Nam quæ Baſilica poſt tria non inte„ gra Secula, quam facta fuerat, a Ste„ phano II. reficienda fuit, eam credibi„ le eſt X. Seculo, aut ineunte XI. ite„ rata reparatione indiguiſſe: quam ab „ his piis conjugibus perfectam hic deſi„ gnari credo „.

IX. Verum quis non videt, aliam fuiſſe Scriptoris Actorum S. Aſprenis ſententiam ab illa, quam ei, ut ſuam tueatur, adpingit Mazochius? Scriptor paucis dixerat: *Baſilicam ad honorem Sancti Aſpren* (ac proinde ab ejus nomine vocatam) *decentiſſime conſtruunt* (non reædificant pii conjuges) *quæ uſque in hodiernum diem* (mutato nomine S. Aſprenis, & ab eorum Epiſcoporum adpellatione, qui vel eam fatiſcentem reſtaurarunt, vel novo copularunt templo, ſcil. a Stephanis I. & II. vocata) *dicitur Stephaniæ Baſilica*. Quare poſt quartum circiter ſeculum a conjugibus pientiſſimis *S. Aſprenis conſtituta eſt Baſilica*, quam Stephanus I. Seculo VI. refecit; vel cui probabilius Baſilicam addidit S. Salvatori dicatam, & a ſe Stephaniam dictam: quum in Blanchiniano, & Joannis Diaconi Catalogis legatur: *Hic* (Stephanus I.) *fecit Baſilicam ad nomen Salvatoris, copulatam cum Epiſcopio, quæ uſitato nomine Stephania vocatur*. Altera hæc ſane probabilior ſententia ex Actorum vetuſtorum amplificatore Alberico clarius patet dicente: *Jugales... pro gratiarum redditione ad Antiſtitis* (Aſprenis) *decus AULAM decentiſſime conſtruunt, ſicut uſque in hodiernum diem eſt cernere IN EA, QUÆ DICITUR STEPHANIÆ BASILICA*. Unde quiſque vi-

videt Baſilicam S. Aſprenis non abſolute vocari *Stephaniam* , quum adhuc poſt plura ſecula dicatur *Aula in ea , quæ dicitur Stephaniæ Baſilica* . Quum enim pone eandem S. Aſprenis Eccleſiam Stephanus I. *Baſilicam Salvatoris* Epiſcopio copulatam conſtruxerit (quæ ab ejus nomine *Stephania* vocata eſt) hinc profecto factum , ut utraque ſacra ædes in unam pæne coaluerint , ac nomine *Stephaniæ* indigitari cœperint , licet antiquiſſima S. Aſprenis Eccleſia peculiare quid retinuerit , unde ab Alberico non abſolute *Stephania* , *ſed Aula in ea , quæ dicitur Stephaniæ Baſilica* , dicta ſit.

X. At nonnemo dicet forſan , quod quamvis tradita hæc interpretatio recto talo conſiſtat , Mazochii tamen adhuc aliqua ex parte firma ſtat ſententia , Acta nempe S. Aſprenis novitatem redolere . Nam ſi ſtatuatur poſt IV. circiter ſeculum a piis conjugibus fuiſſe S. Aſprenis Baſilicam ædificatam , quæ deinde VI. Seculo a Stephano I. refecta , ac novæ *Salvatoris Baſilicæ* adnexa , & ipſa ab ejuſdem *Stephani* nomine *Stephania* dici cœperit ; quum in hiſce Actis legatur , pios conjuges Baſilicam S. Aſprenis conſtruxiſſe , *quæ uſque in hodiernum diem dicitur Stephaniæ Baſilica* ; ergo hæc acta ſcripta omnino ſint oportet poſt Stephanum I. ſive poſt Seculum VI. vel poſt alterum Stephanum , nempe poſt VIII. Seculum.

XI. Ita ſane res eſſet , ſi ab una eademque manu & *S. Aſprenis Vita Acta* , & *Acta Miraculorum S. Aſprenis* , quæ aliquot abhinc Seculis in unum conjuncta ſub unico titulo *Actorum S. Aſprenis* circumferuntur , eſſent profecta . Verum ipſamet bina & *Vitæ* , & *Miraculorum Acta* , quamvis arctiſſimo ſecum vinculo jam copulata , duplicem ſibi elata voce cient Patrem . Stilus enim primo , quamvis in utriſque brevis ſit , at in prioribus elegantior , nitidior , & purior incedit , in poſterioribus vero ſequiorum omnino ſeculorum inelegantiam redolet . Deinde priora Acta ſatis apte deſinunt in verba illa : *Obiit autem ſenex , plenus dierum , & operibus , virtuoſis tertio nonas Auguſti* ; quod ſane Auctor ita non concluſiſſet , ſi ad miracula enarranda e veſtigio procederet .

XII. Tandem , ut Lectori noſtro pronum ſit , noſtrum de vario horum Actorum ſtilo judicium perpendere , in medium hic proferuntur nonnulla ex iis excerpta . Acta Vitæ S. Aſprenis ſic exordiuntur : *Princeps Apoſtolorum Simon Petrus , Antiochenſi fundata Eccleſia , Romam accedens , ad mœnia urbis Neapolitanæ tranſeundo pervenit : ubi longo fatigatus itinere quieſcens paululum , quandam mulierculam ſenem tranſire conſpexit . Sciſcitatur ab ea de civitatis ſtatu , de civium habitu , de forma morum , de qualitatibus animorum ; quæ eis vita , quæ legum cæremoniæ , quæ in deitatis cultura devotio , quæ in pietate religio eis ineſſet* , &c. At contra poſteriorum Scriptor Actorum , ut viam ſibi ad miracula , ſequioribus Seculis patrata , ſubnectenda faceret , ita incipit : *In Neapolitana ſiquidem Urbe vir & uxor conjuges erant* . Nonne *vir maritum* , mariti ſociam *uxor* explicant ? Curnam poſt *virum & uxorem* additur , illos fuiſſe *conjuges* ? Redundantia eſt hominis inſulſe ſcribentis , nec vim verborum *viri* & *uxoris* plene adſequentis . Poſt pauca addit Scriptor : *Quidam Sergius nomine , dolore iliaco tortus diutius , almifici Aſpren Eccleſiæ adiit limina , & paulo poſt ad domum ſuam reſtituta pleniſſime eſt ſoſpitate regreſſus . Alius quidam Sergius ejuſdem morbi adflictus anguſtiis , convertit ſe tota fide ad S. Aſpren ſuffragia expetenda , & ad frequentem clamationem ægroti , languore dimiſſo , ſanus integer eſt effectus* , &c. Quis non videt illa *dolore iliaco* , *almifici Aſpren* , *reſtituta ſoſpitate* , *frequentem clamationem* , *ſanus integer* , & alia hujuſmodi elegantiam non ſapere IV. vel V. Seculi , ſed redundantiam potius , & novitatem Seculi VII. & VIII. ?

XIII. Hanc Neapolitanam Traditionem , quæ primam Religionis Chriſtianæ in noſtram urbem invectæ originem exhibet , quum primum huc Apoſtolorum Princeps Petrus advenit , paulo fuſius proſecuti ſumus : tum quia adcuratiorem operam ipſa , quæ excuſſimus , monumenta deſiderabant : tum vero potiſſimum , quia magni nominis is eſt , quocum contentio

nobis

Digitized by Google

nobis fuit, ac diſceptatio. Porro vehementer diſplicet, in eum locum nos fuiſſe adductos, ut a Præcl. Mazochii (quemadmodum de univerſa propemodum ſapientia, ita de Neapolitana preſertim Eccleſia benemerentiſſimi) ſententia deſciſcere oportuerit. Unus enim perſcrutandæ veritatis amor efficere potuit, ut inviti tanto viro, cujus ſumma cum obſervantia memoriam ſemper uſurpabimus, adverſari auderemus. In quo ſane Auctorem ſecuti ſumus Virum Clariſſimum *Joſephum Sparanum* noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicum Cardinalem, & Pœnitentiarium; cui tum aliis nominibus, tum vel maxime doctiſſimo evulgato Opere: *Memorie Iſtoriche per illuſtrare gli Atti della Chieſa di Napoli* &c. Neap. Eccleſiaſticæ Antiquitates plurimum debent; is enim indicato Opere *Lib. II. Cap.* 4. primus fuit, qui ab Mazochii ſententia diſcedendum duxit.

CAPUT VIII.

De Euangelii per Africæ oras Propagatione.

I. Simonem Zelotem Euangelium in Africam intuliſſe teſtantur Nicephorus *Hiſt. Lib. II. cap.* 40. Dorotheus, Hippolytus, & Græcorum Menologia *ad diem* 10. *Maji* Profecto Baronius *ad an. Chriſti* 44. Apoſtolorum voce Africam ad Chriſti diſciplinam fuiſſe adductam cenſet, tum vel maxime Auguſtini, ac Salviani Maxilienſis teſtimoniis innixus.

II. Jam vero Auguſtini, & Salviani verba ſi accuratius perpendantur, longe alia videtur ipſis adfigenda explicatio. Et ſane quod habetur in Libr. de Unit. Eccleſ. Cap. 15. *Si dicitis periiſſe in illis locis, quod erat per Apoſtolos ſeminatum, & ideo eſſe rurſus ex Africa ſeminandum: reſpondetur*, &c. Id quidem quis non ſtatim intelligit ex Donatiſtarum dici ſententia; quum ibi S. Doctor Donatiſticum commentum ſibi ipſe opponat, ut illud poſtea diſſolvat? Hoc autem aperte patet ex verbis, quibus ſuum ſermonem auſpicatur: *Si dicitis*, inquit, &c.

III. In Salviani *de Provid. Lib. VII.* porro exponenda ſententia toto prorſus cælo oberrat. *In urbe Chriſtiana*, inquit, *urbe Eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerunt, quam paſſionibus ſuis Martyres coronarunt, viri in ſemetipſis ſœminas profitebantur*. At id de Carthagine haud intelligas. Adeo quippe verum eſt hic Salvianum de Roma, non de Carthagine conqueri, ut quæ proxime ſequuntur verba amplius dubitare non patiantur: *Hæc ergo impuritas*, poſt adlatum teſtimonium illico ſubnectit, *in Romanis & ante Chriſti Euangelium eſſe cœpit, nec poſt Euangelium ceſſavit*.

IV. Adhac Tertullianus *de Virginibus velandis Cap. I.* in tranſmarinis regionibus apoſtolicas Eccleſias eſſe quærendas adfirmat: *Conſuetudini etiam conſuetudinem opponam. Per Græciam, & quaſdam Barbarias ejus, plures Eccleſiæ virgines ſuas abſcondunt..... Eas ego Eccleſias propoſui, quas & ipſi Apoſtoli, & apoſtolici viri condiderunt*. Tum in Lib. *de Præſcript. Cap.* 20. Hæreticos oppugnaturus ad Traditionem confugit, quam ab Apoſtolicis Eccleſiis poſcendam conſtituens, *Romanam, Philippenſem, Aſianam* &c. Eccleſias commemorat; *Africanam* nullam.

V. Igitur veriſimilius videtur Eccleſias Africanas non ab Apoſtolis fuiſſe fundatas, & fortaſſe neque auctoritate apoſtolica. At vero extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt ineunte ſeculo II. Chriſti fidem jam in Africam fuiſſe inductam.

VI. Et 1. quidem Juſtinus in Dialogo cum Tryphone: *Nec unam quidem eſſe*, inquit, *hominum nationem, ſive barbarorum, ſive Græcorum, ſeu etiam aliorum omnium quocunque adpellentur nomine* &c. *inter quos per nomen Crucifixi Jeſu preces, & gratiarum adpellationes Patri, & Conditori Univerſi non fiant*. Eadem habet S. Iræneus *Contr. Hæreſ. Lib. I. cap.* 2.

2. Adde his, quod Agrippinus Carthaginienſis III. ineunte ſeculo Synodum 70. Epiſcoporum celebravit: quod ſane non

 levi

levi eſt argumento haud recentem in Africa eo tempore fuiſſe Chriſtianam religionem. Præſertim quum ex Cypriano *Epiſt. LXXIII.* conſtet non omnes Africanos Epiſcopos eam in Synodum conceſſiſſe, nonnullis ob furentes perſecutionum æſtus abſentibus.

3. Præterea eodem ſeculo III. tum plures in Africa pro Chriſtiana Synodi coactæ ſunt, tum & innumeri pæne Chriſtiani pro catholica fide dimicantes martyrii palma inſigniti ſunt, quorum agmen an. 200. duxerunt MM. Scilliiani.

4. Demum ejuſdem Seculi III. decurrente ætate, tum Martyrum fide, conſtantia, ac ſanguine effuſo, tum Epiſcoporum, ac maxime Cypriani opera & laboribus adeo Res Chriſtiana in Africa excrevit, ut per univerſas pæne Africanas provincias Chriſti nomen audiri cœperit, Eccleſiæ paſſim fuerint erectæ, & Epiſcopi conſtituti.

VII. Piget hic Chriſtianæ Religionis in Africa IV. & V. ſeculo incrementa referre, quum ſine operæ pretio tempus, & ſtudium perdere nolimus, & unuſquiſque, qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ delicias ſummis, ut ajunt, labris deguſtavit, perſpectius noſcat, quam deſcribi poſſit.

CAPUT IX.

De Persecutionibus, quas primum ab Judæis, dein et ab Ethnicis, ac Philosophis per quatuor priora secula Ecclesia passa est.

§. I. *De Perſecutionibus, quas ab Judæis Eccleſia paſſa eſt.*

I. Quot quantaque mala ab Judæis Apoſtoli, antequam Jeroſolymis diſcederent, paſſi ſint Liber Actuum Apoſtolorum diſerte tradit; præcipue vero poſtquam Stephanus lapidibus obrutus eſt, tanta *Cap.* 8. *ibid.* dicitur in Eccleſiam excita perſecutio, ut omnes diſcipuli fuerint per regiones diſperſi. Præ ceteris autem S. Paulus tum ab Judæis, tum ab Ethnicorum plebe, plerumque Judæorum ſtimulis concitata, quamplurimis, iiſdemque graviſſimis perpetuo ærumnis ad ſatietatem preſſus eſt: ut ipſemet ſemel, atque iterum in ſuis epiſtolis teſtatur, Liber Actuum Apoſtolorum indicat, & nos ſatis *Cap. II.* deſcripſimus.

II. Jam vero capitale in felices Chriſtianæ Religionis ſucceſſus jam conceptum odium Judæi nunquam depoſuerunt, illam deriſione, blaſphemiis, calumniis, ac etiam apertis perſecutionibus laceſſentes; & quidem calumnias in Chriſtianos confictas, quibus in locis poterant, ſpargere conſueviſſe Judęos auctores ſunt Origenes, Juſtinus M., Tertullianus, Euſebius, aliique veteres, quorum ſelectiora teſtimonia vide inferne (1).

III. Euangelicam doctrinam primum a Chriſto, dein & ab Apoſtolis evulgatam, vaticiniiſque, ac prodigiis firmatam quam evidentiſſimis Judęi, veluti horribili quadam cęcitate perculſi, conviciis, maledictiſque nefarie exceperunt; quod non modo ipſi teſtantur Euangeliſtę, verum & anti-

(1) *Origenes contra Celſum Lib. VI. ſcribit* Judæos jam ab initio calumnias adverſus Chriſtianos vulgaſſe: *Eadem habet* Hom. X. in Jerem. Cap. 12.

S. Juſtinus M. in Dialogo cum Tryphone num. 17. *ſcribit* Judæos Chriſtianæ religionis progreſſibus invidentes ſceleſtos viros Jeroſolymis in univerſum mundum miſiſſe, Atheam Chriſtianam Religionem prodiiſſe, dicentes, eaque ſpargentes, quæ in nos ab iis omnibus, quibus noti non ſumus, dicuntur.

Tertullianus Lib. I. ad Nationes Cap. I. 14. Credidit Judæo vulgus; quod enim aliud genus ſeminatiæ infamiæ noſtræ? *& Lib. III. contra Marcionem cap.* 23. *notat* a Judæis cœpiſſe infamiam, & per ipſos propter ipſos blaſphemari nomen Domini in nationibus *ex Iſaiæ cap.* 25.

Euſebius Lib. IV. cap. 18. Significat etiam Judæos ultra extrema terræ ſuos Apoſtolos miſiſſe epiſtolas deferentes, ac ſupra dorſum aquarum, in marique navigantes, ubique terrarum diſcurriſſe, ſermonem de ſervatore noſtro calumniis vellicantes.

antiquiſſima produnt hiſtorica monumenta. Seductoris, Samaritani, Dæmoniaci, aliaque hujus generis probroſa nomina haud raro Judæi Divino ipſi Magiſtro adfixerunt (2). Tum Apoſtolicæ prædicationi non ſolum tanquam pernicioſæ noviter excogitatæ ſectæ ubique contradicere (3); ſed etiam illam deſpicientes ubique etiam exſecrari ſui muneris eſſe cenſebant (4). Unde Origenes Hom. X. in Jerem. XII. *Etiamnum*, ſcribit, *in ſilva leones ſunt Judæi, diris devovere cupientes Jeſum, eique maledicentes*. Atque eo uſque Judæorum furor exarſit, ut quemadmodum ex Hieronymo, & Epiphanio compertum eſt, quoties ad orandum in Synagogas convenirent, ter per ſingulos dies, mane, meridie, & ad veſperum ſub nomine *Nazaræorum* Chriſtianorum nomen anathematizare conſueverint (5).

IV. At calumniis ne duntaxat, ac maledictis chriſtianos inſectati ſunt? Haud ſane. Namque aperta vi, cruciatibus, necnon morte ipſa, ubi temporum, ac locorum περιστάσει *circumſtantiis* id ipſis permiſſum eſt, ab Chriſti diſcipulis exagitandis nunquam deſtiterunt. Unde Hieron. Lib. I. in Amos: *Dummodo nos interficiant, volunt igne comburi*. Tum præter ærumnas, ac graves etiam cruciatus, quibus ab Judæis Apoſtoli onerati ſunt, uti ſuperius enarravimus, Hadriano Rom. Imperii clavum tenente quidam Judæus Barchochebas, quum bellum Romanis intuliſſet, quos comprehendere, bello obſtinatius perſiſtente, *Chriſtianos* potuit, eoſdem *ad gravia ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent, & maledicerent, pertrahi juſſit*.

V. Poſtremo Judæi, uti Chriſti vaticinia a veritate exciderent, ſemel, iterum, ac tertio Urbis, Templique reſtitutionem moliti ſunt: at ſemel, iterum, ac tertio irrito conatu. Chryſoſt. *Hom. VI. adverſ. Judæos*. Profecto dum Euangelium per orbem univerſum tanta celeritate, ac felicitate propagabatur, adeo Judæorum excreverat iniquitas, ut ejuſdem Joſephi Hebraici Scriptoris teſtimonio Lib. V. cap. 16. *ni Romani Jeroſolymæ maturaſſent exitium, neceſſe fuiſſet, ut illa aut terræ hiatu abſorberetur, aut eluvione deleretur, aut ſoli Sodomitici experiretur fulmina*. Enimvero Chriſti oracula de Judæa omni divina ope ſpolianda ea mirabili οἰκονομίᾳ, *œconomia* ſuum eventum ſortita ſunt, ut primum Judæis in omnem immunditiam, ac prorſus in reprobum ſenſum traditis, dein An. 70. Jeroſolyma a Romanis exciſa fuerit, Templumque everſum.

VI. Igitur 1. quum circiter an. 134. duce Barchocheba Templi inſtaurationem cogitarent, ab Hadriano Auguſto non repreſſi modo ſunt, verum & oppreſſi. Namque in loco vicino e ruinis exciſæ urbis Æliam Capitolinam ædificari juſſit gravi Judæis intentata pœna, ſi eo accedere tentaſſent. Euſebius ex Ariſtone Pallæo *Lib. IV. cap. 6.* Tertull. adverſus Judæos *cap. 13.* Hieron. in Iſaiæ VI. & in Danielis IX. &c. Hinc Tertull. ipſe Apolog. cap. 21. *Quanta deliquerint..... probat exitus hodiernus ipſorum: diſperſi, palabundi, & cæli, & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine homine, ſine Deo, ſine rege, quibus nec advenarum jure terram ſaltem veſtigio ſalutare conceditur*.

VII. 2.

(2) *Matth. XXVII. 63. Joan. VII. 12. VIII. 48. &c.*

(3) *Actor. XXVII. 22.* De ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.

(4) *Actor. XIII. 45.* Contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blaſphemantes, ἀντιλέγοντες, καὶ βλασφημοῦντες, & *XVIII. 6.* Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus: Ἀντιτασσομένων δὲ αὐτῶν καὶ βλασφημούντων. *Unde Paulus ipſe, adhuc Saulus, ut a Judæis edoctus erat, Chriſtianos perſequens cogebat blaſphemare*. Compellebam blaſphemare. *Actor. XXVI. 11.*

(5) *Hieron. ad Cap. V. Iſaiæ*: Ter, *inquit*, per ſingulos dies in omnibus Synagogis ſub nomine Nazaræorum anathematizant nomen Chriſtianum. *Idem repetit Lib. I. & III. in Amos*.

Epiphan. Hæreſ. XXII. cap. 9. Mane, ac meridie, & ad veſperum ter de die, quum in Synagogis ſuis ad orandum conveniunt, diris illos *Nazaræos*, ſive *Chriſtianos* devovent.

Sixtus Senenſis Biblioth. S. Lib. II. ex Judæorum ſcriptis, ac præcipue ex Ghemarà ad Miſnam IV. In Cod. Berachot cuilibet Judæo in more eſſe ſcribit, ter in diem blaſphemare omnem Chriſtianorum gentem, ac Deum precari, ut confundant extermìnentque ipſam cum regibus, & principibus ſuis, atque hoc maxime facere Sacerdotes Judæorum in Synagoga ter quotidie orantes in odium Jeſu Nazareni.

VII. 2. Sub Conſtantino M. an. 325. iterum Templi reparationem Judæi adgreſſi ſunt. Teſtatur id S. Jo. Chryſoſtomus *Homil. VI. adverſus Judæos:* *At* Conſtantinus, inquit, *viſo ipſorum conatu, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis ſigno impreſſo corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos tanquam fugitiva mancipia, & verberones, corporibus mutilatis conſpicuos illos faciens omnibus, ac eos, qui per omnes regiones erant ſparſi, erudiens, ne in poſterum eadem conarentur.* Eadem habet Cedrenus *pag.* 234.

VIII. 3. Poſtremo ſub Juliano Apoſtata an. 363. Judæi non facultatem modo impetrarunt Templi reſtituendi, verum & vectigalium, ac tributorum onere levato, ad illud operis ſubſidia obtinuerunt; at ipſorum opus cælitus immiſſo igne ad irritum cecidit. Id *γραφικῶς graphice* deſcribit Chryſoſtomus *Hom. V. adverſus Judæos*, quam habuit an. 387. Res ſane per univerſum, qua late patebat, Rom. Imperium pervagata eſt. Ejuſmodi enim Hiſtoriæ caput indicat Julianus ipſe in *Frag. de templo Judæorum ter everſo;* ac evidenter teſtantur Nazianz. *Orat. IV.* Rufinus *Lib. I. cap.* 13. Socrates *Lib. III. cap.* 20. Sozomenus *Lib. V. cap.* 21. Theodoretus *Lib. III. cap.* 20. &c. Jam vero ſine piaculo omitti nequit Ammiani Marcellini Auctoris gentilis teſtimonium, qui *Lib. XXIII. cap.* 1. de Juliano: „ Imperii ſui, *inquit*, memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Jeroſolymam Templum, quod poſt multa, & interneciva certamina, obſidente Veſpaſiano poſteaque Tito ægre eſt expugnatum, inſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hocque modo elemento deſtinatius repellente, ceſſavit inceptum (6).

§. II. *De Perſecutionibus, quas ab Ethnicis Chriſtiana Religio perpeſſa eſt.*

IX. Non ab Judæis duntaxat, verum & ab Ethnicis & quidem vehementius ſuos diſcipulos perturbatum iri haud ſemel Apoſtolos monuit Chriſtus Dominus. Profecto ſicut ipſe Gentibus tradendus erat ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, *Matth. Cap. X. verſ.* 19. haud ſecus ſuos Apoſtolos, horumque exemplo alios fideles ad Præſides, & reges ducendos in teſtimonium illis, & gentibus ipſemet divinus Magiſter manifeſto prædixit *ibid. Cap. X. verſ.* 18. Et ſane Apoſtoli, primique Chriſti diſcipuli Ethnicorum Principum Decretis ad ſupplicia rapti martyrium conſecuti ſunt.

X. Verum nulla crudelior extitiſſe videtur perſecutio, quam quæ ſub Ethnicis Romanis Imperatoribus per tria pæne ſecula in Eccleſiam debacchata eſt; a Nerone nimirum ad Conſtantinum uſque. Hæc ſane eo ſævior fuit, quo magis ſuos limites extendit, quum Romanum totum imperium pervaſerit, quod tunc ex Europa, Africa, magnaque Aſiæ parte coaleſcebat: ex potioribus ſcilicet Terræ tunc cognitæ regionibus. At licet pro 300. ferme annos perduraſſe viſa fuerit, attamen quum identidem a ſua ſævitate deferbuerit, fidelibuſque quædam veluti induciæ datæ fuerint, hinc in decem vulgo Perſecutiones diſpeſci ſolet, quas hic *βραχέως breviter* deſcribemus.

§. III. *Perſecutio Neroniana.*

XI. Prima itaque Perſecutio Neronis vulgo dici ſolet, quæ licet principio in ſolos Urbis Chriſtianos deſæviret, quippe qui auctores adpellarentur incendii, ab ipſo Nerone dolo malo excitati (7) quo Trojæ

(6) *S. Jo: Chryſoſtomus Homilia V. adverſus Judæos:* Nam ſemel, & iterum, ac tertio ſub Hadriano, ſub Conſtantino, ſub Juliano conatus illorum Templi inſtaurandi cohibitus eſt.

(7) *Tacitus Ann. Lib. XV. Cap.* 44. *Suetonius in vita Neron. cap.* 38.

Trojæ conflagrationem expreſſam inde conſpiceret, ſive, ut alii opinantur, quo Roma magnificentius exſtrueretur: tamen modico admodum elapſo intervallo, & quidem an. LXIV. (8) Neronis juſſu totum Romanum orbem invaſit, quæ tandem Imperatore exſtincto ceſſavit. Primum omnium in Apoſtolorum Principes Petrum, & Paulum ſævitum eſt; dein immanis per imperii provincias cujuſcunque conditionis fidelium cædes facta eſt. Id teſtantur Ermes in *Paſtore*, Auctor Epiſtolæ Diognati datæ, quæ eruditorum judicio a quodam *συγχρόνῳ coævo* conſcripta eſt, Tertullianus *Apolog. cap. I.* Melito Sardenſis apud Euſebium *Lib. IV. cap.* 25. At audiendi prorſus Tertullianus in *Apolog.* & Lactantius in Lib. *de Mort. Perſecut.* (9), qui ibidem cauſſam inſuper exponit, quamobrem ſævus Imperator univerſalem hanc perſecutionem edixerit. Neroni an. 68. Galba, Galbæ eodem anno Otho, Othoni an. ſequenti Vitellius, Vitellio eodem anno Veſpaſianus, Veſpaſiano an. 79. Titus, Tito demum an. 81. Domitianus ſucceſſit. At ſub his Imperatoribus nulla adverſus Chriſtianos Edicta prodiere.

§. IV. *Perſecutio Domitiana*.

XII. Altera perſecutio Domitiano imperante excitata eſt. Is ſub imperii exordium *Clementis*, & *Pii* nomen uſurpavit: at proceſſu temporis eo crudelitatis, atque inſaniæ devenit, ut Nero & ipſe dici optimo jure quiverit; atque ea ſane de cauſſa a Tertulliano *Portio Neronis* appellatur, *Apolog. cap. V.* ab Lactantio *non minor tyrannus*, de Morte Perſec. *cap.* 3. & ab Euſebio *Neronianæ impietatis ſucceſſor*, Lib. III. cap. 17. Ipſe circa annum 94. Edicta evulgavit in Chriſtianos acerbiſſima: tum omnem omnino lapidem movit, nervoſque omnes in id intendit, ut, quoad ejus fieri poſſet, ſpiritale Eccleſiæ ædificium demoliretur. In hac Perſecutione Joannes Apoſtolus in inſulam Pathmum relegatus traditur; tum & martyrium ſubiere S. Dionyſius Areopagita, S. Oneſimus S. Pauli auditor, S. Nicomedes Presbyter, aliique innumeri fideles, ex quibus præterire piaculum eſt S. Flavium Clementem ipſius Domitiani patruelem, alium prorſus a S. Clemente Papa, & S. Flaviam Domitillam ejuſdem Imperatoris ex ſorore neptem: de quorum martyrio Ethnicos ipſos Scriptores teſtes habemus; uti Suetonium in Domitiano *cap.* 15. & Dionem *Lib. LXVII. pag.* 766. Hæc perſecutio ad menſem uſque Septembr. an. 96. excurrit, interque eruditos minime convenit, utrum a ſucceſſore Nerva, an ab ipſo Domitiano revocata Edicta fuerint. Domitiano Nerva eodem anno ſuffectus eſt, quo imperante Eccleſia aliquantulum conquievit. Vix 16. menſium ſpatio imperium obtinuit, qui tandem a Trajano ann. 98. ſumma rerum potito exceptus fuit.

§. V. *Perſecutio Trajana*.

XIII. Trajanus igitur tertiam in Chriſtianos novis promulgatis ſanctionibus excitavit; in qua tormentis jactati occubuere S. Ignatius Antiochenſis Epiſcopus, S. Rufus, S. Zoſimus, aliique ex Philippenſibus, uti conſtat ex Epiſt. S. Polycarpi apud Euſebium *Lib. III. cap.* 36. quæ ſic habet: *Obſecro vos omnes Philippenſes, ut pareatis præpoſitis veſtris, omnemque patientiam exhibeatis, quam ſpectaſtis, non ſolum in Ignatio, Ruſo, ac Zoſimo viris beatiſſimis, ſed etiam in aliis veſtrum.* Quod vero hæc Perſecutio & ſæva nimis fuerit, & totius Rom. Imperii provincias occupa-

(8) *Nero an. Æra Vulg. LIV. Ad Imperium evectus eſt.*

(9) *Tertull. Apolog. Cap. V.* Conſulite commentarios veſtros; illic reperietis primum Neronem Cæſariano gladio feroci{ſſe}. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ gloriamur.

Lactantius de Mort. Perſec. cap. II. Quum animadverteret Nero non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad religionem novam, damnata vetuſtate, tranſire, ut erat exſecrabilis, ac nocens Tyrannus, proſilivit ad exſcindendum cæleſte regnum, delendamque juſtitiam.

occupaverit , teſtantur id Tertullianus , Euſebius , & Plinius Jun. in Epiſt. ad Trajanum (10) . Et licet ex litteris Trajani ad Plinium adpareat perſecutionis violentiæ modum mox fore imponendum , quum in illis imperet ne ſollicite perquirantur inde fideles , ſed ii tantum pœnis ſubjiciantur , qui fuerint denuntiati : attamen exardeſcente magis in chriſtianos ethnicorum odio, ac furore, quemadmodum non deerant ubique , qui illos denuntiarent , ita ubique ad ſupplicia trahebantur (11) .

§. VI. *Perſecutio Hadrianea.*

XIV. At ſub Hadriano, qui anno 117. Trajani ſolium occupavit , tum perduravit , tum majori pertinacia bacchata eſt perſecutio . Ut enim Hadrianus in paganorum ſuperſtitionibus totus erat , ita immaniori præ reliquis chriſtianos odio proſequebatur . Id teſtantur Euſebius *Lib. IV. cap.* 3. Hier. de Viris Illuſtr. *cap.* 19. & evidentiſſime adparet ex Apologiis , quas pro Chriſtiana Religione ſcripſerunt , ipſique imperatori nuncuparunt S. Quadratus Vir Apoſtolicus , & S. Ariſtides chriſtianus Philoſophus Athenienſis . In hac perſecutione martyrio coronati ſunt duo Rom. Pontifices S. Alexander ſcilicet, & S. Sixtus I. S. Symphoroſa cum filiis, aliique ſane multi , ut videre eſt apud Baronium , & apud Tillemontium .

XV. Circa annum Hadriani 10. vel 11. vis perſecutionis conc idiſſe videtur ; etenim ipſe Hadrianus Minucio Fundano Aſiæ Proconſuli , Reſcripto delato , imperavit (12) , ne Chriſtiani poſthac , quo poſtulationibus inſanæ plebis fieret ſatis, damnarentur : atque in eos tunc ſolum animadverti voluit , quum enormium delictorum rei arguerentur . Cur hujuſmodi Reſcriptum evulgaretur , modo indicatæ Apologiæ in cauſſa potiſſimum fuiſſe videntur.

§. VIII. *Perſecutio Antoniniana.*

XVI. Titus Antoninus Imp. Hadriani anno 138. ſucceſſor ob inſignes quidem animi dotes , virtuteſque ſuas ſatis apud veteres commendatur ; ob clementiam præſertim erga ſubditos *Pii* cognomen ſortitus eſt : quum tamen anteceſſoris Hadriani Edicta non revocaverit , a crudelitate ſua perſecutio , ipſo imperante , nuſquam receſſit . Hinc cauſſam nactus eſt Juſtinus M. primam ſcribendi Apologiam , quam anno 150. Imperatori , ac S. P. Q. Romano exhibuit. Atque ex hac quidem Apologia adparet , innumeros Martyres , Antonino imperante , per omnes ubique Imperii provincias non unius generis cruciatibus adfectos periiſſe : quos inter primas obtinent tres R. Pontifices S. Teleſphorus , S. Pius II. & S. Hyginus , S. Felicitas, & ſeptem ejus filii, aliique non pauci; uti tum ex aliis pluribus, tum vel maxime ex Juſtino conſtat , & in Apologetico I. & in Dialogo cum Triphone (13). Porro Antoninus vel quod Juſtini Apolo-

(10) *Euſebius III.* 33. Tanta , & tam gravis pleriſque in locis adverſus noſtros perſecutio tunc temporis ſæviebat , ut Plinius II. inter Provinciarum rectores celeberrimus motus martyrum multitudine ad Principem retulerit de numero eorum, qui fidei cauſſa obtruncabantur . . . . . Reſpondens Trajanus edixit : Chriſtianos quidem requirendos non eſſe , oblatos vero puniri oportere . Quo facto perſecutionis incendium , quod nobis violentius incumbebat , reſtinctum quidem aliqua ex parte videbatur ; iis tamen , qui nos maligne , & fraudulenter adgredi vellent non minor opportunitas ſuppetebat : alibi populo , alibi præſidibus provinciarum adverſus noſtros inſidias comparantibus : adeo ut ſi non palam , & publice , locales tamen in aliquot Provinciis perſecutiones exardeſcerent , & plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen ſubirent . Eadem habent *Tertullianus Apolog. Cap.* 2. *aliique veteres , ac Plinius ipſe Lib. X. Epiſt.* 97. *ad Trajanum* .

(11) Epiſtola Trajani apud Plinium . *ibid. Epiſt.* 98. & Euſebius *modo producto loco* .

(12) *Reſcriptum Hadriani extat ad calcem Apologiæ longioris S. Juſtini . Vide ſis Euſebium* Lib. IV. cap. 8. & 9. *Ad idem Reſcriptum provocant Juſtinus ipſe* Apolog. II. pag. 99. *Melito apud Euſebium* ibid. cap. 26. & *Xiphilinus in Antonino Pio ſub init.*

(13) *Juſtinus Apolog. I. pag.* 55. De noſtris Chriſtianis nomen ipſum tanquam criminis comperti argumentum arripitis . . . cauſſa non judicata ſupplicia infertis . *Dialogo cum Triphone pag.* 337. Dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & beſtiis objicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis omnibus plectimur, & excruciamur &c.

Apologiam perlegiſſet, vel quod cum chriſtianis operam perdere cerneret, quos ſupplicium quodvis ſubire malle, quam Chriſtum negare perſpiciebat, vetere odio concocto, favere Chriſtianis cœpit; atque adeo datis per provincias litteris præcepit, ne quem amplius, duntaxat quod Chriſtianus eſſet, tormentis cruciarent (14).

XVII. Verum licet ſub Antonini Pii Imperii finem ceſſaſſe aliquantulum viſa ſit perſecutio, erupit tamen, & quidem majori cum impetu, ſub inſequenti Imperatore Marco Aurelio Antonino. Hic quum ſublimioris philoſophiæ ſpeciem venditaret, cui ſeſe dediſſe nomen gloriabatur, ſuperbia elatus, atque inani inflatus ſcientia, non potuit humilitati Crucis bellum non indicere, ac Chriſtianorum perſecutorem ſe non profiteri. Huic ipſi Apologiam alteram nuncupavit Juſtinus, quæ tamen non eandem, quam prior, ſortem nacta eſt; quin illi tanquam crimen hoc ipſum fuit impactum, unde morti addiceretur (15). Tormentis etiam confecti vitam cum morte commutarunt SS. Pontifices Anicetus, & Soterus, & fidelium numerus pæne infinitus, uti ex Euſebio habetur, aliiſque veteribus genuinis monumentis (16). Quapropter hæc crudeliores inter perſecutiones recenſetur. Et re ſane vera quum Imperator Chriſtianos, tanquam Atheos traduceret, eoſque idcirco inſectandi firmiſſimam oſtenderet voluntatem; hinc ut illi velificarentur populi, magiſtratus, Provinciarum gubernatores, falſorumque Numinum Sacerdotes, ingenti impetu, ac furore in Chriſtianos irruentes cædes, depopulationem, vaſtationemque paſſim adtulere.

XVIII. Et quamvis exſtinguenda prorſus fuiſſet perſecutio ob inauditum illud prodigium, quod D. O. M. ad Chriſtianorum preces, qui Melitenam Legionem (quæ *Fulminatrix* dicebatur) conſtituebant, pro Romano exercitu operatus fuerat; de quo alibi jam locuti ſumus; attamen quum tantummodo per triennium reſediſſet, novo dein, ac inſolito furore revixit, unde martyrii lauream conſecuti ſunt illuſtres Martyres Lugdunenſes, ac Viennenſes, aliique innumeri, uti ex Apologiis conſtat ab Athenagora Philoſopho Chriſtiano Athenienſi, S. Melitone Epiſcopo Sardicenſi, S. Meltiade, & S. Apollinari Hieropoleos Phrygiæ Epiſcopo conſcriptis. Hujuſmodi tamen Apologiæ perſecutionem minime ſubverterunt, quæ tandem feroci, ingratoque tyranno exſtincto ſimul occubuit. Anno 176. Commodus a Marco Aurelio in Imperii ſocietatem adſcitus eſt. Hic anno 180. obiit, ille vero an. 193. Pertinax qui eodem anno Commodo ſucceſſit, tribus poſt menſibus e medio ſublatus ſucceſſorem habuit Didium Julianum.

§. VIII. *Perſecutio Severiana.*

XIX. Septimius Severus, cujus juſſu Didius Julianus occiſus interiit, eodem an. 193. Imperio potitus nulla in Chriſtianos Edicta ſanxit ante annum 202. Quoniam vero Plebi, ac Magiſtratibus immanitatem in fideles exercendi veniam facile indulſit;

(14) *Epiſt. ad τὸ κοινὸν τῆς Α'σίας* ad commune Aſiæ, *ad calcem ejuſdem Apologiæ S. Juſtini*: Commodius illis fuerit, ſi ob id videantur, de quo accuſantur, mortem oppetere. Et vincunt illi vos, ſuas ipſorum animas potius projicientes, quam ut obſequentes, quod poſtulatis, faciant. *Idem Imperator ſcripſit quoque ejuſdem argumenti Epiſtolas ad Athenienſes, ad Theſſalonicenſes, ad Lariſſenſes. Euſebius* Lib. IV. cap. 26. *ac etiam ad Senatum* R. *quam poſtremam leges ſit ad calcem Apologiæ I. S. Juſtini.*

(15) Acta MM. ſincera apud Ruinart. Præf. num. 41.

(16) *Dionyſius Corinth. apud Euſebium* Lib. IV. cap. 24. *Melito Sardenſis apud eundem* ibid. *cap.* 26. &c. *At vero audiendi omnino Athenagoras in Apolog. quam an.* 177. *conſcripſit*. Innocentium, *inquit*, fama violatur tanta quidem calumniatorum frequentia, ut Proconſules, & Præfecti a vobis in diverſas provincias miſſi cauſſis audiendis non ſufficiant: *& Euſebius ipſe Lib. V. cap.* 1. Annus tunc agebatur ſeptimus decimus Antonini Veri, quo tempore, quum in nonnullis terrarum partibus violentior adverſus noſtros perſecutio commota eſſet ex incurſione popularium *innumerabiles prope Martyres* per univerſum Orbem enituiſſe, ex iis, quæ in unica provincia contigerunt, conjicere eſt.

hinc iſti ſæva omnia, ac crudelia experti ſunt. Id conſtat tum ex Tertulliano, qui annum circiter 195. quum Catholicam adhuc profiteretur fidem, eruditam, doctamque pro Chriſtianis Apologiam conſcripſit, licet haud felici eventu, tum & ex Clementis Stromatibus, quæ ante annum 202. evulgata nemo negaverit. Igitur ob novas, uti modo innuimus, ab Severo latas leges, novas quoque perſecutio accepit vires. Quapropter ubique per Orientem, per Galliam, per Italiam, præſertim vero per Africam, frequentes Chriſtianorum cohortes variiſque, diriſque cruciatibus ad necem perductæ ſunt. Id patet tum ex Tertull. *ad Scapulam cap.* 4. & ex binis ejuſdem Tractatibus *de Patientia*, & *de Exhortat. ad Martyr.* tum & ex Juda Chriſtiano Scriptore *συγχρόνῳ coævo* apud Euſebium (17), ex eodem Euſebio, ex Minutio Felice in *Octavio*, & ex ipſis Auctoribus gentilibus, ac præſertim ex Ælio Spartiano in *Severo*, ubi *Cap.* 17. ſcribit Imperatorem gravem interminatum pœnam vetuiſſe, ne quis Judaicæ, vel Catholicæ Religioni nomen daret. Hac ætate jam agebat Origenes, qui multis ſuis diſcipulis, ac preſertim parenti ſuo Leonidę in pugnam properantibus ſuppetias ivit, iiſque in certamine animas addidit: quo munere functus eſt, quum XVII. ſuæ ętatis annum vix attigiſſet. Euſebius *ibid. Cap.* 2.

XX. Septimium Severum anno 211. in imperio exceperunt Caracalla, & Geta, quorum prior anno 198. poſterior anno 208. jam in Imperii ſocietatem adſciti fuerant. Anno 212. Caracalla Getam fratrem occidit, & ſolus Imperii adſedit gubernaculo ad annum uſque 217. Tum Caracallę eodem anno Macrinus ſucceſſit, Macrino anno 217. Heliogabalus, Heliogabalo anno 227. Alexander Severus, huic anno 235. Maximinus.

§. IX. *Perſecutio Maximiniana.*

XXI. Igitur ab anno 211. ad annum uſque 235. pacem fideles obtinuerunt; quin etiam ſub Alexandro Severo, qui ſummopere Chriſtianis favebat, patrocinio uſi, publica quoque templa exſtruxerunt, quorum erigendorum poteſtas nunquam antehac illis facta fuerat. Hęc porro firma ſemper ſteterunt debacchantibus licet, & contra obnitentibus, quę deinceps inſurrexerunt, perſecutionibus. Sed quid? Maximinus vix Imperator fuerat ſalutatus, quum ipſe natione quidem barbarus, at magis moribus, ſtatim Chriſtianos inſequi, & crudelitatis, pœnarumque omne genus in illos exercere cœpit, cui natura comparatus erat. Huic vehementi in Eccleſiam perſecutionis ęſtui cauſſam potiſſimum dediſſe videntur, tum Chriſtiani cujuſdam militis imprudentia, qui temere ſe Imperatori fidelem probare voluit (18), (licet iſtius cauſſę Tertullianus jam Montaniſta patrocinatus eſſet *in Lib. de Corona*) tum vel maxime Ethnicorum convicia, qui quum Romanum Imperium terręmotibus, fame, incendiis, & peſte quateretur, Chriſtianæ Religionis propagationi rerum hujuſmodi cauſſam adſigebant (19). In

(17) *Euſebius VI.* 7. Antichriſti adventum jam tunc imminere exiſtimabat *Judas*, adeo commota tunc adverſus noſtros perſecutio. *Idem ibid.* 1. Quum Severus perſecutionem adverſus Eccleſias excitaſſet per omnes ubique locorum Eccleſias, ab Athletis pro pietate certantibus illuſtria ſunt contecta martyria. Præcipue tamen Alexandriæ increbuerunt, quum ex univerſa Ægypto, ac Thebaide lectiſſimi pugiles eo tanquam in ampliſſimum Dei ſtadium deducerentur, & cujuſquemodi tormenta, mortemque invicto animo perpeſſi, immortales a Deo coronas acciperent.

(18) *Huic perſecutioni cauſſam dediſſe videtur miles quidam Chriſtianus, qui, quum Romæ fieret liberalitas, donativi diſpenſatione militibus facta, ipſe ad Tribunum accedens, qui donativum ſingulis ex ordine erogabat*, Lauream caſtrenſem *manu geſtabat, quam ceteri in capite. Cauſſam expoſtulatus, quum Chriſtianum ſe reſpondiſſet non licere ſibi coronatum incedere, ruſſatus* ſuo ſanguine in carcerem rapitur. *De quo quum variæ eſſent ſententiæ, quaſi qui ſolus videretur inter tot fratres commilitones Chriſtianus, Tertullianus coronari capite Chriſtianos prohibitum* Lib. de Corona Militis *inſcripto demonſtrare contendit. Non deſunt quidem, qui ejuſmodi rem ad* Septimii Severi *tempora referendam cenſent; at nobis arridet magis ſententia Viri eruditiſſimi Ab. de Fleurio* Hiſtor. Eccl. Lib. V. num. 2. *facinus illud ad Maximini tempora referentis. Confer Pamelium in indicatum* Tertull. *Librum.*

(19). In hac perſecutione Chriſti fidem ſanguine ſuo obſignarunt duo R. Pontifices SS. Pontianus, & Anterus, atque innumeri inter fideles, in Italia pręſertim, Ponto, & Cappadocia, ubi magis deſęviit perſecutio. Ad Maximini tempora referri poteſt Origenis opus contra Celſum, quod egregia merito dici poteſt Apologia inter plures ceteras, quę prioribus illis ſeculis pro Chriſtiana Religione lucem adſpexerunt.

XXII. Poſt Maximinum Imperium moderati ſunt ann. 237. Gordianus Senior, Balbinus, & Pupienus, ann. ſequenti Gordianus Junior, an. 244. Philippus, ac demum an. 249. Decius.

§. X. *Perſecutio Deciana.*

XXIII. Quum itaque an. 249. imperium poſt cędem Philippo deceſſori ſuo illatam Decius uſurpaſſet, Eccleſiam vexare cœpit, non ſolum ob odium in Philippum, qui Chriſtianis maximopere faverat, ac fertur etiam Chriſtianus fuiſſe: verum etiam ob ſuperſtitioſos, & iniquos Ethnicos, qui damna & calamitates, quas identidem Romanum ſubibat Imperium, admirabili Euangelii dilatationi adſcribere adhuc non deſiſtebant.

XXIV. Igitur quamplurimi ex fidelibus ſuppliciis occubuere; prę reliquis S. Fabianus R. Pontifex, S. Venantius, SS. Abdon, & Sennen, SS. Victoria, & Anatolia, S. Felicianus, aliique plurimi, quemadmodum videre eſt apud Euſebium, alioſque veteres (20).

XXV. Anno 252. Decio Gallus ſufficitur, quo imperante, licet ſub initium exſtingui aliquantulum viſa eſt perſecutio, paucos tamen poſt menſes crudelior quam antea revixit, quod ex S. Cypriano notum eſt. Inter ceteros martyrium conſecuti ſunt duo R. Pontifices SS. Cornelius, & Lucius, S. Hippolytus, aliique, uti ex iiſdem SS. Cypriani, & Dionyſii Epiſtolis colligere datur. Gallo, qui an. 252. Voluſianum, & Gallum Hoſtilianum Imperii participes fecerat, quique eodem anno perierant, an. 253. Æmilianus ſucceſſit, Æmiliano eodem anno Valerianus, & Gallienus ſuffecti ſunt.

§. XI. *Perſecutio Valeriana.*

XXVI. Valerianus an. 253. Imperator renuntiatus ad annum uſque 254. Chriſtianorum amator potius, ac fautor fuit: dein vero Macriani, qui a S. Dionyſio Alex. (21) Magorum Archiſynagogus dicitur, artibus, atque dolis contra Chriſtianos quidem edicta ſanxit, & contra Epiſcopos pręſertim; licet temporis proceſſu univerſam Chriſtianam plebem invaſerit perſecutio, quin & mulieres ipſas, & infantes, uti innuunt S. Cypriani Epiſtolę, ac pręcipue Epiſt. 76. al. 77. (22) In eadem hac perſecutione martyrii laurea donatum fuit egregium R. Pontificum par, ſcilicet SS. Stephanus, & Syxtus cum ſuis Diaconis, & Clericis, ex quibus nefas omnino ſilentio pręterire S. Laurentium, cujus laudes veteres Patres celebrarunt. Per tres annos, & menſes 6. debacchata eſt hęc perſecutio; qua de re Dionyſius Alexandr. Apocalypſeos prophetiam Valeriano adſignat. *Apoc. XIII.* 5. 6. *Data eſt ei poteſtas facere menſes qua-*

 dra-

(19) *Origenes in Matth. Hom. XXVIII.* Scimus & apud nos terræmotum factum in locis quibuſdam, & factas fuiſſe quaſdam ruinas, ita ut qui erant impii extra fidem, cauſſam terræmotus dicerent Chriſtianos, propter quod & perſecutiones paſſæ ſunt Eccleſiæ, & incenſæ ſunt.

(20) *Hanc perſecutionem ſæviſſimam fuiſſe, & generalem ſat indicans Euſebius* Lib. VI. cap. 39. 41. 42. *Cyprianus* Ep. X. al. XIV. *Lactantius* de Mortibus Perſecut. cap. 4. *&c. Adhæc Euſebius poſt recenſitos Martyres Italos, Aſianos, Ægyptios, Antiochenos, qui hoc æſtu perſecutionis abſumti ſunt, alios referens Martyres a Dionyſii Alexandrini teſtimonio his ejus verbis utitur:* Sed & alii quamplures per oppida, & vicos a gentibus diſcerpti ſunt. *Tum Lactantius Decium a Patribus* Execrabile Animal *adpellatum indicat*. Extitit, *inquit*, Exſecrabile Animal Decius, qui vexaret Eccleſiam. Quis enim juſtitiam, niſi malus perſequatur?

(21) *Dionyſius Alex. apud Euſebium* Lib. VII. cap. 10.

(22) *Cyprianus Epiſt. 76. al. 77.* Martyrii beatum gregem, & ſexus, & ætas omnis ornavit. *& Epiſt.* 80. *al.* 82. Perſecutioni quotidie Præfecti in Urbe inſiſterunt.

draginta duos , *& aperuit os ſuum in blaſphemias in Deum ..... & datum eſt illi bellum facere cum Sanctis ſuis* . Interim ann. 260. Valerianus Macriani ipſius fraude, qui contra Chriſtianos illum obarmaverat , in poteſtatem Saporis Perſarum Regis incidit , qui poſtquam Romanum Imperatorem in Urbem regiam vinctum adduxerat, adeo male , & contumelioſe excepit , ut Valerianum univerſis populis exemplum fecerit . Hinc idem S. Dionyſius illi Apocalipſeos verba tribuit : Apoc. XIII. 10. *Qui in captivitatem duxerit* , *in captivitatem vadet* , *qui in gladio occiderit*, *oportet eum gladio occidi*. *Hic eſt patientia* , *& fides Sanctorum* .

XXVII. Valerianum , & Gallienum ejus filium Claudius in Imperio ſuſcepit an. 268. Claudium Quintilius an. 270. ac demum eodem anno Aurelianus, quem etſi prodigiis cęlum deterruiſſet , ne contra Chriſtianos leges proponeret , eos tamen ipſe proſcripſit. Hieronymus in Chronico : *Aurelianus quum adverſus nos perſecutionem moviſſet* , *fulmen juxta eum* , *comitesque ejus ruit*. Eadem habet Euſebius *Lib. VII. cap.* 30.

XXVIII. Ex Lactantio Lib. de mort. Perſ. Cap. VI. *Aurelianus iram Dei crudelibus factis laceſſivit*. *Verum illi ne perficere quidem* , *quæ cogitaverat* , *licuit* , *quippe protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt* . *Nondum ad provincias ulteriores ejus Edicta pervenerant* , *& jam Cænofrurio* , *qui locus eſt Thraciæ* , *cruentus humi jacebat* &c. Jam vero licet brevis hęc fuerit perſecutio , quum tamen poſt Imperatoris interitum ſex circiter menſium interregnum fuerit , hinc Provinciarum Pręfecti , qui Chriſtianos averſabantur , non deſtiterunt in eoſdem ſęvire. Videſis Baronium *ad ann.* 275. *num.* 1. & *ſeq.* Tillem. Pagium &c. Atqui paucis poſt menſibus a militibus trucidatus mortem oppetiit ; quamobrem ejus perſecutio inter decem illas, quas ab Ethnicis Imperatoribus experta eſt Eccleſia , minime adcenſetur . Perſecutione hujuſmodi ęſtuante martyrii palma coronati ſunt S. Felix Papa, SS. Agapitus Pręneſtinus, Eutropius, Bonoſus, & Zoſima Porthuenſes, aliique haud pauci. In hujus ipſius perſecutionis pertinacia Librum ſuum *de Exhortat. ad Martyrium* conſcripſit S. Cyprianus.

XXIX. Aureliano an. 275. Tacitus ſucceſſit , Tacitum an. 275. in Occidente Florianus , in Oriente Probus excepere , his eodem anno Probus , Probo an. 282. Carus , ac demum Caro ann. 284. Diocletianus ſuffectus eſt.

§. XII. *Perſecutio Diocletianea* .

XXX. Ab anno 284. quo Diocletianus Imperator fuit ſalutatus , initium ducit Æra, quę *Martyrum* dicitur , quum maxima fidelium copia fuerit , qui martyrium , ipſo ſuiſque Collegis in longum tempus regnantibus , ſubiere (23) . Sane conſtat ante ann. 303. Diocletianum per omnes imperii provincias nunquam perſecutionem inſtituiſſe. At certum magis eſt , multum in Chriſtianos antehac quamſęviſſime ubique debacchatum eſſe . Et quidem an. 285. ab Oriente decedentem Pręfectis , & Magiſtratibus provinciarum ſummam feciſſe poteſtatem Chriſtianos judicandi, ac juxta leges , & Decceſ-

(23) *Sub finem ſeculi III. quando ſcilicet Diocletianus Imperator ſalutatus eſt* , *quantum* , *quamque longe* , *lateque Chriſtiana Religio propagata fuerit* , *ac ubique floreret*, *deſcribit Euſebius Lib. VIII. cap.* 1. Singulis , *inquit*, Eccleſiarum Antiſtitibus ſummum honorem , cultum , ac benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum rectoribus deferri vidiſſes. Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Chriſti confugientium turbam, quis numerum Eccleſiarum in ſingulis urbibus, quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris cumulate poſſet deſcribere ? Quo factum eſt , ut priſcis ædificiis jam non contenti , in ſingulis urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis exſtruerent Eccleſias .

Quid quod ipſe Maximinus Tyrannus nominis Chriſtiani hoſtis inſenſiſſimus idem confirmat? Quum enim Epiſt. ad Sabinum *apud Euſebium* Lib. XIV. cap. 9. *perſecutionis a Diocletiano* , *& Maximiano excitatæ novum ignem admoveri ſanciat* , *Chriſtianæ Religioni ſummopere velificatur* . *Scribit enim* : Gravitati tuæ, & cunctis mortalibus notum eſſe arbitror , qualiter Domini , ac parentes noſtri

ceſſorum edicta damnandi ſat conſtat. Idipſum egit, ubi Romam pervenit (24).

XXXI. Verum magis magiſque exarſit perſecutio, poſtquam Diocletianus Imperii collegam renuntiavit Maximianum Herculeum male moratum hominem, barbarum, & Chriſtianæ religionis infenſiſſimum hoſtem, cujus juſſu præſertim in Galliis maximopere recruduit perſecutio (25).

XXXII. Interea temporis quum Imperii provincias ubique barbari invaderent, e re duxerunt Imperatores duos ſibi Cæſares conſtituere, quibus ſummam conferrent poteſtatem auctoritate tamen ſua inferiorem. Ergo in quatuor partes diviſum Imperium eſt, ſua cuique tum Imperatoribus, tum Cæſaribus portione præſcripta.

XXXIII. Qui Cæſares creati ſunt fuere Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus. Ille facilis ingenii vir, neque Chriſtianorum inimicus; hic natura ferox, ſuperbus, ambitioſus, & incredibili in Chriſtianos odio adcenſus. Atqui hæc diviſio Religioni profuiſſe videtur: quandoquidem in Galliis, Hiſpaniis, & Britannia, quas Chlorus moderabatur, pæne conquievit omnino perſecutio; in reliquis vero Imperii provinciis vel deſtitit, vel multum eſt imminuta.

XXXIV. At an. 303. generalis perſecutio incœpit (26) adeo crudelis, ut Euſebius, qui tunc temporis dies agebat, fateatur, Deum O. M. inferorum Virtutibus e tenebroſis carceribus erumpendi, & Terræ Principibus in Chriſtianæ Religionis ſectatores quamſæviſſime furendi dediſſe jus, arbitriumque. Tria hoc anno edicta ſancita ſunt. Primum imperabat, ut

ſtri Diocletianus, & Maximianus, quum cunctos fere homines, relicto Deorum immortalium cultu, ad Chriſtianam ſectam ſe adplicuiſſe cernerent *&c.*

(24) *Ad annum 285. omnino referenda eſt Paſſio SS. Martyrum Claudii, Aſterii, & aliorum, quorum Acta refert Cl. Theodoricus Ruinartius*: Act. Martyr. Selecta pag. 267. Edit. Pariſ. *Acta illa in hunc modum ſe habent*. Lyſias Præſes provinciæ Lyciæ in civitate Ægea pro tribunali dixit: Offerantur decretioni meæ Chriſtiani, qui traditi ſunt curialibus hujus civitatis ab officio. Commentarienſis Euthalius dixit: Secundum præceptum tuum, Domine, quos potuerunt Chriſtianos comprehendere curiales iſtius Civitatis, offerunt.

Tum circa eadem tempora dubitandum haud eſt paſſos fuiſſe Tarſi S. Bonifacium, *in Mauritania* S. Marcellum, *&* S. Caſſianum *Martyres Tingitanos*, *in Numidia* S. Maximilianum, *alioſque quamplures, quorum Acta refert Ruinartius* ibidem.

Romæ quoque ſub Diocletiano ad eadem tempora plures fideles martyrium ſubiiſſe demonſtrat Tillemontius Hiſtoire Eccleſ. Tom. V. Art. 3. & ſequent. *Profecto anno 286. Romæ paſſus eſt* S. Geneſius *ex mimo* Martyr, SS. Saturninus, & Siſinnius, S. Suſanna, S. Cajus Rom. Pontifex, S. Sebaſtianus, aliique. *Confer Tillemontium* loco indicato.

Igitur licet primis Diocletiani temporibus Eccleſia nullis Edictis agitata fuerit, nec tunc Chriſtiani, maxime in iis locis, quæ ſub Diocletiani cura erant, inquiſiti fuerint; attamen Martyria plura fuerunt. Profecto, uti obſervat doctiſs. Tillemontius ibidem, *antiquæ adverſus Chriſtianos ab Imperatoribus latæ leges quum nunquam diſerte abrogatæ inveniantur, Provinciarum Præfecti earundem vi ſibi fas, juſque eſſe crediderunt pro lubito in Chriſtianos ſævire.*

(25) *Ejuſmodi Maximiani Herculei perſecutionem indicant acta Sancti Firmini Ambianenſis Epiſcopi, Sancti* Juſtini, *ſeu* Juſti *adoleſcentis Antiſiodorenſis, qui in agro Bellovacenſi paſſus eſt, Sanctorum* Donatiani, *&* Rogatiani *Namnetenſium*, Macræ *Virginis Remenſis*, Capraſii, & Fidis *Virginis Aginnenſium* &c. *Quin & in nonnullis ejuſmodi actis diſerte exprimitur Maximianum tunc in Galliis verſatum fuiſſe. Sic incipiunt Acta Sanctorum* Fuſcani, Victorici, *&* Gentiani. Eodem tempore, quo Maximianus truculentiſſimus Auguſtus per arva Galliæ præſidebat *&c.* Criſpinus, *&* Criſpinianus *Martyres Sueſſionenſes ab ipſomet Maximiano interrogati memorantur. Acta Sancti* Piatonis *in Codice vetuſtiſſimo S. Theodorici prope Remos*: Diocletianus ... ad conſortium imperii vel laboris olim ſibi commilitonem Maximianum Cæſarem fecit, ... eodem tempore Beatiſſimus Piaton ſanctis Martyribus conſociatus eſt Quintino, *&c. hinc in Actis Sancti* Victoris *Maximianus* Sanctorum ſanguinem per totas Gallias fudiſſe *dicitur. Nec diſſentiunt veteres Scriptores, qui teſtantur Maximianum Herculeum ſæpius in Gallias adventaſſe, ibique multum temporis, potiſſimum in Belgica, ubi frequentiora martyria fuere, tranſegiſſe.*

(26) *Clariſſimus Pagius cenſet perſecutionis initium conſignari poſſe vel anno 293. quo Diocletianus Decennalia imperii ſui celebraturus ſe ut Deum adorari, & gemmas veſtibus calceamentiſque ſuis inſeri juſſit, vel ad annum 297. quo Diocletianus quum immolaret pecudes, ut in earum jecoribus ventura quæreret, fugatis ſigno crucis, quo ſe quidam e Chriſtianis adſtantes munierant, dæmonibus, ta-*

cro

ut Templorum omnium fieret demolitio, & Sacri Libri Præfectis traderentur: tum ut Chriſtiani muneribus, atque honoribus omne genus exſpoliarentur; atque ipſis & quod ad judicia agitanda, & quod ad exceptiones proferendas, niſi religionem prius deteſtarentur, omnino interdictum eſſet. Alterum paulo poſt evulgatum Epiſcopos, Presbyteros, ceteroſque Eccleſiæ miniſtros divexandos edicebat. Tertium tandem reliquos omnes cujuſcunque loci, conditionis, ætatis, ac ſexus fideles complectebatur, in quos atrociſſima ſupplicia, atque extrema omnia præſcribebantur, ſi in ſua fide conſtantes invenirentur (27).

XXXV. Conſtitutiones hujuſmodi ab Diocletiano Galerii Maximiani ſuaſu latæ (28) ſtatim tum ad Maximianum Herculeum, tum ad Conſtantium Chlorum pervenere; quas ille ſumma crudelitate exſecutus eſt, hic vero maxima lenitate; ut eo temporis ſpatio, quo totum imperium huc, atque illuc vertebatur, Galliæ tantum quieviſſe potius dici merito poſſint. Si quis vero numerum fidelium, qui exquiſitiſſimis tormentis cruciati martyrii coronam conſecuti ſunt, aliqua duntaxat ex parte dignoſcere cupit, adeat Lactantium (29), & Euſebium Auctores συγχρόνυς, & αὐτόπτας coævos, & ocu-

cra perturbata ſunt. Quare Imperator non ſolum eos, qui in palatio erant, ſacrificare juſſit, ſed etiam datis ad præpoſitos litteris milites cogi ad nefanda ſacrificia præcepit, & renuentes militia ſolvi. Verum hæc nonniſi leviſſima præludia fuere immaniſſimæ perſecutionis, quæ edictis promulgatis per univerſum orbem Romanum an. 303. *graſſata* per decem continuos annos plebem Dei, *ut loquitur Sulpicius Severus*, depopulata eſt: *qui poſtea de ejus acerbitate hæc ſubdit*: Nullis unquam magis bellis mundus exhauſtus eſt: neque majore unquam triumpho vicimus, qui cum decem annorum ſtragibus evinci non potuimus.

(27) *Euſebius Lib. VIII. cap.* 2. Nonus decimus agebatur annus imperii Diocletiani .... propoſita ſunt ubique imperialia edicta, quibus Eccleſiæ ad ſolum uſque dirui, ſacri vero codices flammis abſumi jubebantur; utque honorati quidem infamia notarentur, plebeji vero libertate ſpoliarentur, ſi in Chriſtianæ fidei propoſito permanſiſſent ..... ſed non multo poſt aliæ rurſus litteræ ſupervenerunt, quibus mandabatur, ut omnes ubicumque Eccleſiarum Antiſtites, primum quidem conjicerentur in vincula, deinde vero diis ſacrificare omnibus modis cogerentur .... verum ubi apertius ſe ad bellum accinxit, dici non poteſt, quot & quantos Chriſti Martyres in omnibus locis atque urbibus paſſim cernere licuerit. *Hæc Edicta evulgata ſunt anno* 305. *in Terminalibus; terminum enim imponere Chriſtianæ Religioni volebant Diocletianus, & Maximianus; atque a leo adulatoribus prope jam viſi ſunt impoſuiſſe, unde Inſcriptio vetus apud Gruterum pag.* 280. DIOCLETIANVS JOVIVS ET MAXIMIAN. HERCVLEVS CÆS. AVG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCIDENTEM IMP. ROM. ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI REMP. EVERTEBANT. Et alia in eandem ſententiam: DIOCLETIAN. CÆS. AVG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SVPERSTITIONE CHRIST. VBIQVE DELETA ET CVLTV DEOR. PROPAGATO.

(28) *Maximianus Galerius, cujus furori diu Diocletianus repugnaverat, occulte miniſtris palatio ſubjecit incendium, quod quum ipſius opera Chriſtianorum malevolentiæ imputatum eſſet, Edicta feralia adverſus Chriſtianos evulgata ſunt.*

(29) *Diocletianæ perſecutionis immanitatem γραφικῶς* graphice *deſcribit Lactantius* in Lib. de Mort. Perſecutorum, *ubi poſt enarratam Nicomedienſem cladem, in qua Diocletianus ipſe*, excarnificari omnes ſuos protinus *præceperat, & ipſe ſedens* innocentes igne torrebat. Item judices univerſi, omnes denique, qui erant in palatio Magiſtri, data poteſtate torquebant. Erant certantes quis prior aliquid inveniret .... omnis ſexus & ætatis homines ad exuſtionem rapti. Nec ſinguli, quoniam tanta erat multitudo, ſed gregatim circumdato igni ambiebantur, domeſtici alligatis ad collum molaribus mergebantur. Nec minus in ceterum populum perſecutio violenter incubuit, &c. *poſt hæc, inquam, ſubdit:* Tum litteræ ad Maximianum, atque Conſtantium commeaverant, ut eadem facerent .... & quidem ſenex Maximianus libens paruit per Italiam *&c. Deinde cap.* 16. *ſic exorditur*. Vexabatur ergo univerſa terra, & præter Gallias ab Oriente uſque ad occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem,

quæ Judices per Provincias juſtis atque Innocentibus intulerunt: *Euſebius vero lib. VIII. cap.* 4. Dici non poteſt quot & quantos Chriſti martyres in omnibus locis, atque urbibus paſſim cernere licuit, *Ean-*

& *oculatos* rerum geſtarum teſtes. Dixiſſe hic ſufficiat in Eccleſiæ Martyrologiis nullum deeſſe diem, qui aliquo perſecutionis hujus martyre non ſignetur: eadem enim vi, ac impetu æque in Oriente, ac in Occidente perſecutio furebat: quæ tamen remiſiſſe aliquantulum habenas viſa eſt, ubi an. 305. Kalendis Maji Diocletianus & Maximianus purpuram, ac diadema depoſuerunt; atque Imperii regimen ſuſcepere Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus, qui novos Cæſares crearunt Severum, & Maximinum.

XXXVI. Interea temporis tum ob novam Imperii partitionem, in qua tamen Conſtantius Chlorus Gallias ſortitus eſt, Hiſpaniam, & Britannias, tum ob novorum Principum ſubrogationem, imminuta, ac pæne exſtincta in Occidente perſecutio eſt, quæ interim magis in Oriente ſæviebat, ubi duo diaboli miniſtri imperabant, nimirum Maximianus, & Maximinus; quæque ad annum uſque 313. perduravit. Namque anno 311. menſ. Maji peſtilenti diuturnoque morbo Galerius correptus cum æternis ſuppliciis vitam commutavit; & anno 313. Maximinus a Conſtantino bello victus, fugatuſque in Tarſum Ciliciæ ſe recepit, ubi quum in morbum ſuæ libidinis, & crudelitatis dignum incidiſſet, miſerrime periit. Atqui eodem tempore Conſtantinus, qui jam inde ab anno 306. patri Conſtantio Chloro ſucceſſerat, anno 311. quum in Italiam ingenti comparato exercitu deſcendiſſet, Maxentium fugavit.

XXXVII. Atque ita tyrannis debellatis, cumque ipſis tota progenie protſus exſtincta, pacem aliquando per totum Rom. Imperium Eccleſia adepta eſt. Ubique enim præſcripta, atque propoſita ſunt Edicta, quibus in omnibus provinciis Chriſti Religionem Conſtantinus erigebat, atque Ethniciſmum, profana etiam ſacrificia interdicendo, deteſtabatur.

XXXVIII. Conſtitutiones hujuſmodi Licinii etiam nomine obſignabantur, qui jam ab an. 307. a Galerio Maximiano Auguſtus fuerat renuntiatus, & quocum fœdus inierat Conſtantinus, cujus ſororem Conſtantiam Licinius ipſe ſibi matrimonio junxerat.

XXXIX. Attamen Licinius Ethniciſmum exuere haud potuit, quinimmo ipſi addictus partim naturali ſua feritate, partim invidia concitatus ob proſperitates, quibus in Occidente Conſtantinus fruebatur, primum clam, dein & palam bellum Chriſtianis indixit. Iſthæc perſecutio æque, ac illæ quæ præceſſerant, vehemens, ad tres circiter annos perduravit (30). Conſtantinus enim an. 324. duobus acerrimis, præclariſque certaminibus de impio tyranno plenum egit triumphum; unde Orientis,

Eandem perſecutionem idem Euſebius Lib. I. de vita Conſtantini M. cap. 73. *bello civili comparat*. Illi quidem (*inquit*) Dei cultorum tam virorum quam mulierum cædibus, tamquam civili quodam bello, Provincias ſibi ſubjectas polluerunt. *Lactantius* Lib. V. Initit. cap. 11. *probat eoſdem tyrannos* belluis eſſe ſæviores, qui nihil hominis, niſi lineamenta, & ſummam figuram gerunt. Nam (*inquit*) quis Caucaſus, quæ India, quæ Hircania tam immanes, tam ſanguinarias umquam beſtias aluit? .... Illa eſt v ra beſtia cujus una juſſione funditur atrox ubique cruor, crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem poteſt pro merito deſcribere, quæ uno loco recumbens, tamen per totum orbem dentibus ſævit, & non tantum artus hominum diſſipat, ſed & oſſa ipſa comminuit. *De Præſidibus vero provinciarum ſic proſequitur*: Quæ autem per totum orbem ſinguli geſſerint enarrari impoſſibile eſt. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? accepta enim poteſtate pro ſuis moribus quiſque ſæviit.

(30) *Euſebius* Lib. X. cap. 18. *De Licinio, ejuſque adverſus Chriſtianos excitata perſecutione hæc habet*. Primum Chriſtianos domo ſua expellit ... Poſt hæc cunctos in urbibus militantes, niſi dæmonibus ſacrificare mallent, exauctorari, & honore militiæ ſpoliati jubet. Sed hæc parva ſunt, ſi cum majoribus, quæ deinde ſecuta ſunt, conſerantur ... Eo furoris proceſſit, ut Epiſcopos etiam adoriretur... Sed quæ apud Amaſiam, & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum tranſcendunt .... Quidam novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes membratim conciſo. Poſt hæc igitur Dei cultores fugam iterum inire cœperunt .... Quæ quum ad hunc modum impiiſſimo Tyranno ſuccederent, deinceps perſecutionem adverſus omnes Chriſtianos excitare in animum induxit. Ac procul dubio voti ſui compos exſtitiſſet, niſi Deus Conſtantinum .... ad has partes perduxiſſet.

tis, Occidentiſque conſecutus ditionem nimis optatam Eccleſiæ pacem reſtituit; quæ quum per tria pæne ſecula, licet ſub Ethnicorum Principum nimis duro, gravique jugo gemebunda, immota tamen conſtitiſſet, ad maximam a pientiſſimo Principe tranquillitatem & gloriam evecta eſt.

XL. Ex his, quæ hactenus diſſeruimus, profecto liquet, per illud temporis Eccleſiam haud perennem perpeſſam fuiſſe perſecutionem. Exſtiterunt enim Imperatores, qui non modo fideles non exagitarunt, verum & ipſis ſummopere ſunt ſuffragati. Verum neque horum Principum ætate ubique per univerſum imperium Eccleſia compoſitis rebus quievit. Etenim in quibuſdam provinciis Præſidum aſtutia, in aliis vero Ethnicæ plebis maleſuada rabies Chriſti gentem ſummam per injuriam exercuit. Re namque vera quamvis Commodus nullas Chriſtianos impetentes leges ſanciviſſet, tamen illos multis in provinciis a gentilibus fuiſſe exagitatos teſtis eſt Theophilus Antiochenus (31).

XLI. Poſtremo hic ſilentio prætereundæ non ſunt binæ Perſicæ perſecutiones, quarum alteram a Rege Sapore ſic dicto Longævo anno 340. excitatam per annos 40. perduraſſe; alteram vero juſſu Regis Iſdegerdis ab anno 419. ad annum 450. protractam teſtes ſunt, iidemque *σύγχρονοι coævi* Socrates, Sozomenus, & Theodoretus.

§. XIII. *Philoſophi quoque Chriſtianis bellum indixerunt.*

XLII. Non defuere etiam ea tempeſtate, qui catholicam veritatem modo ſophiſmatum argutiis, modo argumentorum pondere, modo conſcriptis, atque in lucem editis operibus oppugnarent. Hoc autem nemini mirum accidere debet, quum ipſemet humanæ ſalutis Reparator Herodianorum acutas propoſitiones, Phariſæorum interrogationes, ac Sadducæorum inſulſas quæſtiones ſuam tum doctrinam, tum morum ſanctimoniam adpetentes incredibili animi tranquillitate exceperit, atque rejecerit. Præterea Apoſtoli omnes, ac præſertim, qui gentibus Euangelium adtulit, ſcilicet Paulus, nonne plurimos Philoſophos oppugnatores experti ſunt? nonne aſperrimas cum iis concertationes inſtituerunt? Tum nonne & martyrum coryphæus Stephanus Scholas Libertinorum, Cyrenenſium &c. edita opera expugnavit? Huc etiam referre licet hæreſes omnes, quæ Chriſti ſponſam, rabie, ac furore æſtuantes adgreſſæ, hinc atque hinc dilacerarunt (32). Quod perſecutionis genus Salvator noſter ne fideles interturbaret, longe ante prædixit, dum eos adloquens ait: *Tradent enim vos in Conciliis* &c. Matth. X.

XLIII. Profecto pleraque opuſcula alia aliis temporibus Catholicam religionem impetentia gentilium philoſophorum ſtudio,

(31) *Theophilus Antiochenus* Lib. ad Autolycum, *quem anno I. Imperii Commodi conſcripſit, hæc habet:* Adhuc hodie non ceſſant Chriſtianos crudeliſſime, & immaniſſime virgis cædere . . . . Qui verum Deum venerantur, hactenus ſunt perſecuti, nec adhuc hodie perſequi ceſſant: imo iis, qui verborum quibuſdam illecebris Deum conviciantur, præmia, & honores decernunt: quoſdam eorum, qui feſtinant ad vitam capeſſendam, & ſanctam vitam agunt, lapidibus obruere &c. *Eadem habet Euſebius* Lib. V. cap. 21. *Profecto ſub initium Imperii Commodi Apollonius Auctor Eccleſiaſticus martyrium paſſus eſt.*

(32) *Apoſtolis negotium fuit cum Sadducæis doctrinam de Reſurrectione ferre nolentibus:* Act. Cap. IV. verſ. 1. & 2. Cap. VI. verſ. 9. *Stephanus diſputavit cum nonnullis* de Synagoga Libertinorum & Cyrenenſium &c. *ſed qui* non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui *in Stephano* loquebatur. *Paulo in inſula Papha ſeſe oppoſuit* Pſeudopropheta Judæus Barjeſus, *qui idem* Elymas, *&* Magus *dicitur* Actorum XIII. *Ipſe Paulus gravem Athenis cum* Epicureis, *&* Stoicis Philoſophis *habuit controverſiam:* ibidem XVII. verſ. 18. *Præterea adverſus Chriſtianam veritatem ævo Apoſtolico inſurrexerunt* Antichriſti multi *ex I. Joan. cap. 2. verſ.* 18. Pſeudoapoſtoli, operarii ſubdoli traſfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti: *II. ad Corinth. Cap. 11. verſ. 13. Deſertores* Phigellus, & Hermogenes *II. ad Timoth. cap. 1. verſ. 15.* Demas *ibid. cap. 4. verſ. 9.* Hymenæus, & Alexander *I. ad Timoth. cap. 1. verſ. 20.* Diotrephes III. Joann. *verſ. 9. Tum* Nicolaitæ, & Doſitheani, Gorteni, *aliique. Confer Ittigium* Diſſert. de Hæreſiarchis Apoſtolicæ, & Apoſtolis proximæ ætatis.

dio, ac labore publicam lucem adſpexere. Sane altero Eccleſiæ ſeculo ineunte Celſus, quem Origenes inter *Epicuri porcos* numerat, opus adverſus Judæos, & Chriſtianos conſcripſit, cui titulum adpoſuit: Λόγος ἀληθὴς *Sermo verus*. Hunc Origenes ipſe cauſſa Eccleſiæ ſuſcepta octo libris confutavit, in quorum II. ea potiſſimum ex cauſſa illum arguit, atque irridet, quod quum ſe omnia Judaicæ, & Chriſtianæ Religionis dogmata rimatum eſſe jactitaret, Euangeliorum codicem ad manus nondum habuerit (33).

XLIV. Lucianus Celſi familiaris & ipſe Chriſtianam doctrinam oppugnavit: in quo tamen non argumentis, aut rationum vi uſus eſt, ſed potius σαρκασμοῖς, blaſphemiis, conviciis: præſertim in ſuo *Protheo*, & *Philopatro* (34) Chriſtum, & Apoſtolos, necnon ſanctiſſimos ritus, ac veneranda Eccleſiæ δόγματα *dogmata* adgreſſus, omnium ludibrio expoſuit.

XLV. Tertio Eccleſiæ ſeculo Theoſtenes Philoſophus Peripateticus dente leonino Catholicam veritatem adpetiit, contra quem tamen Macarius, qui aut ſub exitum III. aut ſub initium IV. ſeculi floruit, ſtilum acuens quatuor exaravit Libros. Eodem ferme tempore Porphyrius Platonis placitis addictus Opere in XV. Libros diviſo, ut auctor eſt S. Cyrillus *Lib. I. contra Julianum*, in lucem edito, Sacroſanctam Chriſti doctrinam evertere conatus eſt. Hujuſmodi porro opus plurium Imperatorum ſanctionibus edacis ignis furores ſubivit; hinc nullæ ejus reliquiæ, nec fragmentum ullum noſtro, aut Patrum noſtrorum ævo ſuperfuerunt. Hic illud παρέργως *obiter* adverti volo, quod eruditorum natio, & præſertim Muſemius, & Gudlingius jamdiu obſervarunt (35); ſcilicet non metuendum, ne quid damni Chriſtianæ fidei obveniret, ſi forte fortuna Porphyrii opus adhuc exſtaret; quin potius dolendum nobis maximopere ſit, de deperditis operibus Euſebii, Methodii, Apollinaris, aliorumque, qui ſuis laboribus Porphyrii labores irritos reddere curarunt.

XLVI. Exeunte III. ſeculo Catholicorum doctrinam in ſuis libellis lacerarunt duo Scriptores Bithyni, quorum Lactantius *Lib. V. cap.* 21. meminit, eorumque mores vividis coloribus deſcribit. Quamvis autem adcuratiſſime, quoad ejus fieri poteſt, utriuſque Auctoris imago nobis repræſentetur; tamen prior illorum qui a Lactantio exhibetur, quiſnam fuerit, divinare nemo audet. Alter vero, ſi quid acutum datur cernere, videtur fuiſſe Hierocles Bithyniæ Præfectus, ex quo Diocletianea in Chriſtianos perſecutio primam originem duxit, ipſo Lactantio teſte (36). Verum hujuſmodi opus, quod auctor in duos Libros partitus eſt, Euſebium nactum fuit adverſarium, & oppugnatorem.

XLVII. Non videtur omittenda diſputatio, quam refert Minucius Felix in ſuo Dialogo inter Cæcilium quendam Ethnicum, & Octavium Chriſtianum. Porro Cæcilius Idolorum, Octavius Chriſti cauſſam perorabat. Quum autem maxima animorum contentione hinc, atque hinc decertarent, & uterque, ne litem perderet, argumenta conſarcinaret ſua, tandem Cæcilius Octavii rationibus victus arma ſubmittere coactus eſt. Huc quoque refe-

(33) *Non omittenda Collatio Origenis habita cum eruditis quibuſdam Judæis, quam Origenes ipſe memorat* ibid. Lib. I. *inſcribitque*: Διάλεξις πρὸς λεγομένους τῶν Ἰουδαίων σοφοὺς: Colloquium cum eruditis Judæis.

(34) *Dialogus, cui titulus* Philopater, *licet vulgus Luciano adjudicet, reclamant tamen eruditi, qui contendunt illum non eſſe genuinum* Luciani *fœtum, adeoque alium hujus operis auctorem agnoſcunt, licet, quonam ejus auctor ſeculo vitam egerit, definira non audeant; quum nonnulli* Luciano *vetuſtiorem adſerant, aliis Antonino imperante, aliis Diocletiano vixiſſe videatur. Verum vir eruditiſſimus Geſnerus pluribus, iiſdemque clariſſimis argumentis oſtendit Philopatrum adſcribendum eſſe* Luciano *juniori Sophiſtæ, ad quem exſtat Epiſtola a Juliano Apoſtata conſcripta.*

(35) *Jo: Laurentius Muſemius*: Inſtitutiones Hiſt. Eccleſ. pag. 107. *& Nicolaus Hieronymus Gudlingius in* Gudlingianis XL. pag. 465.

(36) *Lactantius Inſtit. Divin. Lib. V. cap.* 2. Alius eandem materiam mordacius ſcripſit: qui erat tum e numero judicum, & qui auctor in primis faciendæ perſecutionis fuit: quo ſcelere non contentus etiam ſcriptis eos, quos adflixerat, inſecutus eſt.

res certamen initum ab Jaſone Chriſtiano cum Papiſco quodam Judæo Alexandrino; quum ambo propriæ religioni ſtudentes illius partes propugnandas ſuſcepiſſent: quam ſane concertationem ab Ariſtone Pellæo perſcriptam temporis edacitate abſumptam dolemus (37). His addere eſt diſputationem, quam habuit Juſtinus cum Tryphone, unde ortum duxit illius *Dialogus cum Tryphone*. Denique his omnibus adcenſendæ quoque ſunt contentiones & pugnæ, quas idem Chriſti Martyr cum pleriſque gentilibus Philoſophis eandem ob rem pugnavit (38), ac præſertim illa, in qua cum Creſcente Cynico Philoſopho manus ſumma cum laude conſeruit.

XLVIII. Quum bacchantium, atque in Eccleſiam furentium Imperatorum perſecutiones ſigillatim expoſuerimus, operæ pretium erit hic paucis deſcribere Juliani Apoſtatæ ſtudium, & labores, quibus Catholicam fidem labefactare conatus eſt; qui ſcilicet non armorum ſtrepitu, aut aperta vi, ſed potius fraudibus, & ſeductione Chriſtianos in tranſverſum agere ſtuduit; quod perſecutionis genus, quo pacatius ſeſe oſtendebat, eo majorem Eccleſiæ perniciem, & ruinam minabatur.

XLIX. Principio Julianus ſeptem Libros adverſus Chriſtianos confecit, quorum omnium vix pauca fragmenta reperies apud S. Cyrillum, qui de induſtria Julianum ſolidiſſimis argumentis profligavit. Mox ſancivit, ut Idolorum templa iterum reſerarentur; quod ut felicius eveniret, ipſe primus templa adibat, & ſacerdos renuntiatus incredibili alacritate ſacrificia operibus manuum hominum offerre non dubitabat: immo magis Pontificis, quam Imperatoris nomine gloriabatur. Litteras dedit ad pleroſque Idolorum Sacerdotes, quibus eos hortabatur, ut ſe veræ virtutis amatores, & vindices exhiberent. In his epiſtolis nolens, & invitus Chriſtianorum Sacerdotum ſanctimoniam deprædicat; quorum deſiderabat ſuos Pontifices eſſe imitatores, &, ut ait Gregorius Nazianzenus, *πιθήκας ſimias*. Verum de hoc Capite alibi redibit ſermo.

L. Præterea callidiſſimus Imperator artis ſuæ non oblitus in patrocinium ſuſcepit hæreticos quamplurimos, atque cum primis Arii, & Donati diſcipulos; eo ſane conſilio, ut diſſenſionum, quæ horridas admodum tempeſtates Conſtantii ævo excitarunt, ſeges magis, atque magis multiplicaretur (39). Mox edicto vetuit, ne quis Chriſtianorum aut in publicis Academiis, aut intra domeſticos parietes edocere aliquam ſcientiam auderet (40). Tum Eccleſiaſticos viros, virgines præcipue, atque monachos multis, quos calliditas miniſtrabat, modis exercuit. Idcirco ipſos exſpoliavit omnibus illis privilegiis, quæ a Conſtantino, ejuſque filio Conſtantio retulerant. Hinc factum, ut frequentes audirentur querimoniæ; ob quas alii in vincula conjecti, alii diverſo tormentorum genere cruciati, alii

(37) *Papiſcum Alexandrinum Judæum* ſtrenue ſatiſque judaice contradicentem adverſarium *convicit Jaſon auctore Origene contra Celſum* Lib. IV pag. 200.

(38) *Atque hinc enatum egregium Juſtini Opus, cui titulus*: Ariſtotelicorum quorundam dogmatum everſio, & Quæſtiones græcanicæ de Deo, & de Reſurrectione.

(39) *Sozomenus Lib. V. cap.* 5. Aetium ab exſilio revocavit, ut domeſticis litibus, & contentionibus Eccleſiam oppugnaret. *Auguſtinus Epiſt.* 166. *ad Donatiſtas*. Succedens Julianus deſertor Chriſti, & inimicus, ſupplicantibus veſtris Rogatiano, & Pontio, libertatem parti Donati permiſit: denique tunc reddidit Baſilicas hæreticis, quando templa dæmoniis: eo modo putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi unitati Eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, invideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. *Tum* Novatianos *juſſit Templum inſtaurare*: Socrates Lib. III. cap. II. Aetium, & Photinum *muneribus, & honorificis ornat Epiſtolis*. *Julianus ipſe* Epiſt. 31. *Sozomenus* Lib. V. cap. 5.

(40) *Ammianus Marcellinus Scriptor Ethnicus Lib. XXV. cap.* 4. Inter quæ, *inquit*, erat illud inclemens, quod docere vetuit Magiſtros Rhetoricos, & Grammaticos Chriſtianos, ni tranſiſſent ad Numinum cultum. *Et S. Auguſtinus de Civitate Dei Lib. XVIII. cap.* 52. An ipſe *Julianus* non eſt Eccleſiam perſecutus, qui Chriſtianos liberales litteras docere, ac diſcere vetuit? *Verba ipſa Juliani Edicti habentur inter ejus Epiſtolas in Petavii editione* Epiſt. XLII.

alii denique ipſa morte multati fuere. Nullum non movit lapidem, quo Chriſtianos, præſertim aulicos, & qui militiæ nomen dederant, modo promiſſis, modo blanditiis, modo denique minis pelliceret ad *ἀποστασίαν apoſtaſiam*. Hoc autem in cauſſa fuit, quamobrem, qui fidei Catholicæ mordicus adhærentes ipſius juſſa capeſſere noluerunt, gladio percuſſi ſint.

LI. Quum vero intelligeret Julianus promiſſa ſua, & comminationes ſuſque deque a Chriſtianis ferri, ulterius ſui furoris effectus produxit. Itaque variis edictis propoſitis juſſit nemini Chriſtianorum licere munus aliquod in provincia obire, multo minus alicui ex Provinciis Imperii præeſſe: vectigalia non tenuia iis, qui ſacrificare nollent, impoſuit: Hebræis ædificandi Templi veniam dedit, uti ſupra oſtendimus. Denique omnem facultatem populo, & provinciarum præfectis indulſit, qua Chriſtianos calumniis, conviciis, opprobriis onerarent, variis cruciatibus torquerent, ac demum de medio tollerent. Adhæc eos in provincias mittebat, quos noverat ferociores, omnino humanitatis oblitos, idololatriæ acerrimos vindices, ac propugnatores, & Catholicæ fidei hoſtes infenſiſſimos. Hinc qui jus omne, atque fas cum Chriſtianis invertebant, præmio afficiebat; qui vero juſtitiæ jus ſuum cuique tribuentis leges ſectabantur, pœna multabat. Hinc demum verba illa, quibus Chriſtianos oppreſſos ad ipſum confugientes excipiebat; ſcilicet legem Chriſti eos adigere, ut omne malum libentiſſime ferrent; vel potius nihil mali eſſe decem Chriſtianos ab uno Gentilium interfici. Nil mirum igitur, ſi tot Chriſtianos martyrii palmam Juliano imperante conſecutos recenſeat, & veneretur Eccleſia (41). Potius demirari par eſt miram divinæ Providentiæ *οἰκονομίαν œconomiam*, quæ Juliani furoribus in tempore modum poſuit. Etenim quum adverſus Perſas dimicaret, quibus victis, omnes Imperii Romani Chriſtianos hoſtiam idolis mactare ſtatuerat, ab inviſibili dextera percuſſus in jecore, vitam cum morte commutavit, quum annum ageret XXXII. atque imperii clavo per XXI. menſium intervallum adſediſſet.

(41) *Proſper in Chronico:* Juliano ad Idolorum cultum converſo, blanda perſecutio fuit, magis illiciens, quam impellens ad ſacrificandum. *Attamen ipſomet connivente, ut verbis utar Rufini Lib. II. cap.* 28. veluti relaxatis frenis efferbuit in omnem ſævitiam feritas paganorum. *Unde ſub Juliano* Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Cæſareæ, Jeroſolymis, Coloniæ *&c. Martyres quam plurimi fuerunt, de quibus confer Baronium, & Tillemontium.*

C A P U T X.

De Variis Nominibus, quibus Christiani antiquitus donati sunt.

§. I. *De ſplendidis quibuſdam Nominibus, quibus olim ſeſe vocare Chriſtiani conſueverunt.*

I. Qui primum Chriſtianam fidem ſunt amplexati, antequam Chriſtiani (1) adpellari cœpiſſent, quod nomen Antiochiæ primum ſortiti ſunt: *Actor. XI.* 26. plerumque *Diſcipuli*, *Fideles*, *Electi*, *Sancti* dicebantur; paſſim in *Actis Apoſt.* & in *Epiſt. S. Pauli*.

II. Tum quoque 1. dicti ſunt *Conſervi*: Apocal. *VI. v.* 11. & Lactant. *Inſt. Divin. Lib. V. cap.* 16. Quo tamen nomine plerumque Epiſcopis, aliiſque Clericis eos indigitare mos fuit, qui eodem ac ipſi in Eccleſia miniſterio fungebantur. *Ad Coloſſ. I.* & *IV.* 2. *Jeſſæi* auctore Epiphanio *Hæreſ.*

(1) *Licet Fideles ab Chriſto* Chriſtiani *nuncupati ſint; quum tamen Chriſti nomen ab Chriſmate ortum ducat ſuum, hinc veteres nonnulli myſtica quadam notione vocabulum illud accipientes, tradiderunt Chriſtianos ſic dictos* a Chriſmate, *quo in baptiſmate inunguntur.*

XXXIX. n. 4. vel a Jeſſe parente Davidis, vel a Jeſu Chriſti adpellatione, quod ejus diſcipuli forent.

3. *Therapeuthæ* ex Euſebio Lib. II. cap. 17. *vel quod tanquam medici quidam animos eorum, qui ad ipſos accedebant, vitioſis adfectibus liberatos curarent, vel quod ipſi divinum numen caſte ac ſincere colerent*. Gravis quidem inter eruditos adhuc viget controverſia, Therapeuthæ, quorum ex Philone meminit Euſebius, Chriſtiani ne fuerint Ægypti regiones incolentes, an vero Judæi peculiare quoddam vitæ inſtitutum ſervantes. Inſtituti noſtri ratio non ſinit hic vel paululum in iſtac diſcutienda quæſtione immorari; qua de re videri poſſunt Scaliger, & Voſſius in indicatum Euſebii locum, & noviſſimus Originum Chriſt. Collector Thomas Mamachius *Lib. I. Cap.* 1. §. 5. Nos etiam de hoc capite aliqua dabimus, ubi de Monachis agendum nobis erit.

4. *Piſciculi*, & quidem, ut ſcribit Tertullianus de Baptiſmo Cap. 1. *quia ſecundum ἰχθὺν noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur: nec aliter quam in aqua permanendo ſalvi ſumus* (2).

5. *Gnoſtici:* hujus nominis rationem dat Clemens Alexandrinus *Strom. I. pag.* 345. *Edit. Oxon.* 1715. ſcribens: *Si Dominus eſt Veritas, & Sapientia, & Virtus Dei, ſicut eſt, patet, quod revera is eſt* Gnoſticos, *qui eum cognovit, & per eum Patrem*. Et ſane Γνωστικὸς hominem ſcientia, & ratione præditum, qui nunc *βαρβαρικωτέρως Spiritualis* dicitur, deſignat.

6. *Eccleſiaſtici:* at vero non eo ſenſu quo Clerici, ſed ea duntaxat notione, tanquam qui homines eſſent de Eccleſia, & diſcriminarentur a Judæis, Gentilibus, & Hæreticis. Euſebius *Lib. IV. cap.* 7. & *Lib. V. cap.* 27. Cyrillus Jeroſ. *Catech. XV. num.* 4.

7. *Theophori, Chriſtophori*, & *Chriſti*. *Theophori* titulum plerumque ſibi tribuit Ignatius; namque omnes ejus Epiſtolæ ſic incipiunt. Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος: *Ignatius, qui & Theophorus*. Tum in antiquis Martyrii ejus Actis ejuſdem adpellationis ratio traditur. Trajano enim interroganti: *An tu eum, qui crucifixus eſt, in corde tuo geſtas?* reſpondit ſtrenuiſſimus Martyr: *Ita eſt, ſcriptum eſt enim, habitabo in eis, & inhabitabo* (3). Acta Ignatii apud Grabium *Spicil. Tom. II. pag.* 10. Eruditus Pearſonius ex diverſis antiquorum Patrum auctoritatibus demonſtrat Theophori titulum non peculiarem Ignatii fuiſſe, ſed reliquis omnibus Chriſtianis communem: *Vind. Ignat. Part. II. cap.* 12. Ac præcipue Clem. Alex. Strom. VII. pag. 748. *Divinus*, docet, *ergo eſt Gnoſticus, & jam ſanctus, qui Θεοφορῶν, καὶ Θεοφορούμενος* Deum fert, & a Deo adflatus.

8. Eadem prorſus ratione apud Euſebium Martyres *Chriſtophori* nuncupantur: *Lib. VIII. cap.* 10. ſcilicet, quod templa Chriſti eſſent, & a S. ejus Spiritu agerentur.

9. Quod vero Chriſtiani Spiritu S. uncti ſint, eos Chriſtos adpellat Hier. *in Pſ. CIV.* & Ambroſius *de Obitu Valent.* Uti quoque nonnunquam dicuntur *πνευματοφόροι Spiritiferi*, quod ejuſdem S. Spiritus donis aucti ſint, & adflatu agantur. Unde Irenæus Lib. V. Hæreſ. cap. 5. *Sanctis enim hominibus, & πνευματοφόροις* Spiritiferis *paratus eſt Paradiſus*. Eadem habes apud Hieron., Baſilium, alioſque.

10. Demum ob ſimplicitatem, vitæ innocentiam, pacis, caſtitatiſque amorem, ac mitis, demiſſique animi ſignificationem apud nonnullos antiquos Patres, & in veteribus quibuſdam Eccleſiæ monumentis dicti aliquando occurrunt *Parvuli, Adoleſcentuli, Agni, Vituli lactentes, Infantes, Columbæ*, vel *Pulli columbarum, Veri Iſraelitæ, Filii Dei*, vel *Filii Altiſſimi, Semen Abrahæ* &c. Verum non vacat nobis

(2) *Litteræ initiales græcorum Servatoris noſtri nominum:* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ. Ἰχθὺς, *quod* piſcem *ſignificat, efficiunt: ad quod videtur adluſiſſe Tertullianus.*

(3) *Mera poſterioris ævi græcorum δράματα* Commenta *ſunt: nimirum Ignatium* Theophorum *ſeipſum nominaſſe, vel quod ipſe puerulus ille fuerit, cui medios inter diſcipulos collocato Servator noſter manus impoſuerit, vel quod* JESUS CHRISTUS *aureis litteris cordi ſuo inſcriptum geſtaverit. Videſis Pearſonium* ibid.

bis in hiſce myſticis Chriſtianorum potius characteribus, quam nominibus explicandis diutius immorari. Cuicui enim Sacras Litteras vel leviter attingenti eorundem rationes perſpicue patebunt.

III. Hactenus explicata nomina ſatis produnt veteres Fideles ab humanis adpellationibus maximopere abhorruiſſe. *Non ab hominibus adpellamur*, ſcribit Chryſoſt. Hom. XXIII., *non eſt nobis anteſignanus aliquis, uti quidem aliis Marcion, aliis vero Manichæus, aliis Arius, aliis alius ſectæ Dux exſtitit*. Et Nazianz. Orat. XXXI. *Petrum honore proſequor, nec tamen Petrianus vocor: & Paulum, nec tamen Paulianus nominatus ſum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, quia a Deo ſum creatus*. Eadem habet Epiph. *Hæreſ. XLII.* Hinc Valentinianis, Marcioniis, Arianis, Donatiſtis, aliiſque hæreticis exprobrarunt antiqui Patres, quod, Chriſtianorum nomine repudiato, Ducum ſuorum nomine ſe adpellarent: auream hac de re Baſilii ſententiam inferne invenies (4). At contra Chriſtifideles *Chriſtiani* nomen conſtanter ſervabant, ac de eo ſummopere gloriabantur. Ex Euſebio *Lib. V. Cap.* 1. Diaconus quidam Eccleſiæ Viennenſis in perſecutione Antonini a Magiſtratibus interrogatus de nomine, civitate, conditione &c. ad omnes quæſtiones reſpondebat: *Chriſtianus ſum: neque aliam vocem ab eo gentiles, quidquid moliebantur, extorquere valuerunt*.

§. II. *De Cognomine Catholici, aliiſque ἀδιαφόροις Chriſtianorum Nominibus.*

IV. Quum hæretici, quamvis ſectæ ſuæ nomen gererent, communi tamen Chriſtianorum nomine ſeſe interdum occultarent; hinc Fideles nomini *Chriſtiani* illud *Catholici* addiderunt, quod cognominis inſtar eſſet, quo ab omnibus hæreticis internoſcerentur. Pacianus in Epiſt. ad Sembronianum hæreticum Novatianum ſic ſcribit: *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus cognomen; illud me nuncupat, iſtud oſtendit*.

V. Cur *Catholici* cognomen veteres Chriſtiani adſciverint, obſervante Optato Millev. *Lib. II. pag.* 46. illud in cauſſa fuit, quod Chriſti Eccleſia ſit ubique diffuſa. Hic omnino notandum Catholici cognomen ejuſdem cum ipſa Eccleſia antiquitatis eſſe: occurrit enim apud Ignatium, Clementem Alexandr., Euſebium (5), alioſque.

VI. In Gentilium Scriptis Judæorum nomen ſæpius Chriſtianis tributum invenitur, eo quod Gentiles Chriſtianos a Judæis non diſtinxerint. Hinc nomine Judæorum, quos Claudium Roma expuliſſe ſcribit Suetonius in *Claud. Cap.* 26. Chriſtianos quoque fuiſſe comprehenſos omnes concorditer eruditi ſtatuunt. Jam vero Chriſtiani licet ob hæreticos, qui legem Moſis cum doctrina Euangelii commiſcebant, ab eo nomine ſe abſtinere ſtuduerint; at illud non omnino reſpuebant, ea tamen notione acceptum, quo Dei populus a Synagoga Satanæ diſtinguitur: *Apoc. II. v.* 9.

VII. Poſtremo quum Chriſtus aliquando a gentilibus per errorem dictus fuerit Chreſtus, hinc Chriſtiani etiam *Chreſtiani* non raro nuncupati ſunt (*6*). Id obſervarunt

(4) *Baſilius Comm. in Pſ. XLVIII.* Quod ſi nonnullos videris ob falſi nominis ſcientiam ſibi maximopere placere, ſeſeque conſenſu nefario dedere improbatis dogmatibus, & pro Chriſtianorum nomine ab uno aliquo eorum, qui hæreſiarchæ fuerunt, nomenclaturam adſciſcere, puta ab Marcione, aut Valentino, aut uno aliquo eorum, qui hac tempeſtate ex ignotis prius emerſerunt tandem, velim noveris hos nomina ſua vocaſſe in terris, ut qui ſe addixerint hominibus peſtilenti corruptelæ expoſitis, nihilque ſapientibus, quam terrena hæc.

(5) *S. Ignatius Epiſt. ad Smyrn. num.* 8. Ubi fuerit Chriſtus Jeſus, ibi *Catholica* eſt Eccleſia. *Clemens Alex. Strom. Lib. VII.* Dicimus antiquam, & *Catholicam* Eccleſiam. *Euſebius Lib. IV. cap.* 15. Sanctæ, & *Catholicæ* Eccleſiæ populis miſericordia, pax &c. *Tum Pionius interrogatus a Judice Polemone cujus eſſet Eccleſiæ; reſpondit:* Catholicæ. Nulla enim eſt alia apud Chriſtum. *Baronius ad an. CCLIV. n.* 9.

(6) *Quo tempore* Χριστὸς *dictus eſt* Χρηστὸς *fortaſſe jam uſus invaluerat apud Græcos, ut τὸ ἦτα pronunciarent ut* ἰῶτα.

varunt Juſtinus M. *Apol. II.* Lactant. *Lib. IV. Cap.* 7. aliique; qui & ſubjunxere de hac re litigare opus non eſſe, quum utrumque nomen bonæ eſſet ſignificationis. Ad rem Tertull. Apolog. Cap. 3. *Chriſtianus quantum interpretatio eſt, de Unctione deducitur. Sed & quum perperam Chriſtianus pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate, vel benignitate compoſitum eſt.*

§. III. *De Probroſis Nominibus, quæ olim Eccleſiæ hoſtes Chriſtianis impoſuere.*

VIII. Sunt & aliæ adpellationes, quibus ab ſuis hoſtibus ſive Judæis ſive Gentilibus Chriſtiani contumelioſe donati ſunt. Ac 1. dicti ſunt *Nazareni*, & *Secta Nazarenorum*: Act. XXV. 5. Fuere quidem hæretici ſic dicti, & Judæis, Epiphanio teſte *Hæreſ. XXIX. n.* 9. inviſi, propterea quod cum ritibus Moſaicis Chriſtianam religionem commiſcerent: hinc ter per ſingulos dies ab Judæis in Synagoga congregatis anathemate fuiſſe perculſos, & quidem amariſſima exſecrationis formula: *Nazaræos Deus exſecretur*, tradit *ibid.* Epiphanius. Atqui Chriſtiani etiam univerſim Nazareni, ſive Nazaræi a Judæis nuncupabantur: Hieron. *de Locis Hebr.* & Epiph. *ibid.* Qua de re Hieronymus ipſe *Comm. in Eſai. XLIX.* Chriſtianis quoque illo anathemate Judæos fuiſſe imprecatos tradit. Eandem adpellationem Chriſtianis Gentiles etiam impoſuiſſe ſcribit Prudentius *Carm. V.* de S. Vincentio, & *Hymn. X.* de S. Romano M.

2. *Galilæi*: Nomen Galilæi Juliano Apoſtatæ adeo familiare erat, quum de Chriſto, & Chriſtianis loqueretur, ut legem tulerit, ne quis alio eos nomine indigitaret: ſic enim nomen Chriſtiani abolitum iri exiſtimabat: hoc teſtantur Socrates *Lib. III. cap.* 12. Theodoret. *Lib. III. cap.* 4. Chryſoſtom. *Hom. XLIII.*

3. *Athei* quoque dicti ſunt, & Chriſtiana Religio *Atheiſmus*, quod Gentilinm falſa numina contemneret. Hinc Dio narrat Acilium Glabrionem ad necem datum Ἀθεότητος *Atheiſmi* cauſſa, Chriſtianam Religionem intelligens: Dio *in Domit.* Porro Atheiſmi Fidelibus illata calumnia adeo apud Gentiles pervulgata erat, nt iiſdem Chriſtianæ Religionis deſertoribus eam abjnrare juſſerint his verbis: Αἶρε τοὺς ἀθέους, *Tolle Atheos*.

4. *Impoſtores* quoque qnam ſæpiſſime Chriſtianos adpellare conſueverunt Gentiles: id notavit Hier. Ep. 10. ad Furiam: *Ubicunque*, ſcribit, *viderint Chriſtianum, ſtatim illud de trivio*: ὁ γραικὸς, ὁ ἐπιθέτης: *en Græcum, Impoſtorem*. Eodem nomine Ulpianns fideles proſcribit: *Dig. Lib. I. Tit. XIII. cap.* 1.

5. *Sophiſtæ* etiam nonnunqnam dicti ſnnt, ejuſmodi adpellatione in malam partem accepta; ſcilicet, ut illum ſignificet, qui ut alium decipiat, fraude aliquid comminiſcitur. Prudentius *Carm. X. de S. Romano M.* Atqui ipſemet Servator noſter a Luciano ſacrilega lingua *Crucifixus Sophiſta* dicebatur: *De Mort. Peregr. pag.* 337.

6. *Magi*: Quum enim ſicuti Servator noſter, ita ejus diſcipuli plura ederent miracula, quæ Gentiles magicæ arti adſcribebant; hinc factum eſt, ut Chriſtianos ceu *Magos* infamarent, & Chriſtianam Religionem *Novam Superſtitionem* dicerent. Qua de re Suetonius in *Nerone Cap.* 16. Chriſtianos vocat *Genus hominum ſuperſtitionis maleficæ*: & Plinius *Lib. X. Ep.* 97. de Chriſtiana Religione ſcribit: *Nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam, & immodicam*. Judæis potiſſimum auctoribus fidelibus impacta magicæ artis, & ſuperſtitionis maleficæ calumnia: Origenes contra Celſum *Lib. III. n.* 1. Ejuſdem criminis nomine a Judæis Chriſtus ipſe jam accuſatus fuerat: *Matth. XII. Lucæ XI.*

7. Dicti qnoqne ſunt *Sybilliſtæ*, propterea quod cum Gentilibus diſputantes ad Sybillarum carmina, quæ ſummam apud ipſos obtinebant auctoritatem, nonnunquam provocarent: ita Celſus apud

apud Origenem *Lib. V. pag.* 272. (7).

8. Quod vero Gentiles Chriſtianos viderent non mortem ſolummodo ſpernere, verum & aliquando ſponte ſua ob ſpem vitæ immortalis morti ſeſe offerre, hinc eos probroſe adpellarunt *βιοθανάτυς*, id eſt *ſui ipſorum interſectores*, vel, uti vertit eruditus Suicerus, *quaſi vivos mortuos*, qui per mortem ad immortalitatem ſe perventuros crederent (8).

9. Iſtoc intuitu Chriſtianam Religionem *Vanitatem*, *& Barbaram audaciam* nuncupavit Porphyrius apud Euſebium *Lib. VI. cap.* 19. & Chriſtiani Arrio Antonino apud Tertull. ad Scapulam *Cap.* 4. Δειλοὶ *Stupidi*, & Pagano apud Minucium Octav. Cap. 8. *Homines deſperatæ*, *inlicitæ & deploratæ factionis*; tum & apud Lucianum de Mort. Peregr. Tom. IV. pag. 277. Edit. vero Baſil. pag. 8. Κακοδαίμονες *Miſeri*, *& ærumnoſi vitam ſuam profundentes* nuncupantur.

10. Eandem ob cauſſam dicti quoque ſunt *Parabolarii*, & *Deſperati*. Parabolarii, ſive Paraboli, & Parabolani apud Romanos fuere projectæ audaciæ homines, qui ob ſtipendium in Amphitheatro certarent, unde *Beſtiarii*, & *Confectores* dicebantur. Quod vero Chriſtiani id facere mallent, quam Religioni ſuæ renuntiare, hinc Parabolanorum nomine, tanquam convitio, illudebantur. Id nominis & ipſi ſibi dabant aliquando, uti Acta SS. Abdon, & Sennen efferre videntur apud Suicerum. At vero Deſperatorum nomen, ceu calumniam rejiciebant, illud in adverſarios ſuos retorquentes, quippe quibus majori jure conveniret: Lactantius *Inſtit. Lib. V. cap.* 9.

11. Quod vero Martyres, ubi vivi cremandi erant, ad palum revincirentur, quem Romani *Semiaxin* vocabant, tenuium lignorum faſciculis, quos *Sarmenta* nuncupabant, hinc ab iſtoc ſupplicii genere, Chriſtianos quoſvis *Semiaxos*, & *Sarmentarios* ignominioſe adpellitabant: Tertull. *Apolog. Cap.* 50.

12. *Latebroſa*, & *Lucifuga natio* dicti quoque ſunt a Gentilibus Chriſtiani, & quidem ea de cauſſa, quod ad depellendam, ut ſcribit Origenes contra Celſum *Lib. I. pag.* 5. capitalem ſibi intentatam necem clam, & interdum noctu religioſos ſuos conventus agerent. Uti quoque quod publicis ab muneribus libenter abſtinerent, *Muta in publico natio*, *Inutiles Reip.* & *infructuoſi in negotiis* nonnunquam apud Gentiles audiere. Cæcilius apud Minucium *Cap.* 8. *pag.* 8. & Tertullianus *Apolog. Cap.* 42.

13. Demum quod Chriſtiani pauperum, ignobilium, idiotarum, ac rudium opificum gregem repræſentare viderentur; hinc quam ſæpiſſime probroſis ejuſmodi nominibus ab Gentilibus indicati occurrunt: nimirum *Obtuſi*, *Rudes*, *Idiotæ*, *Inſenſati*, *Indocti*, *Impoliti*, *Inepti*, *Agreſtes*, *Cerdones* (9), *Plautinæ proſapiæ* (10), *Piſto-*

(7) *Carmina Sybillina tum quæ octo ferme Libris collecta circumferuntur, tum quæ Patrum ætate laudabantur, tum quæ ante Chriſti adventum in Capitolio adſervata magno apud Ethnicos in pretio erant, cuncta ex æquo fuiſſe Sybillis falſa adſcripta demonſtrarunt evidentiſſimis rationibus Viri κλεινότατοι Ælias Dupinius, Iſaacus Voſſius, Petrus Petit &c.*

Quod vero Patres aliquando ex Sybillinis Carminibus Myſteria Chriſtiana adverſus Gentiles adſtruxerint, nihil eſt omnino, cur illos Impoſtores dicas: quum nec ipſi ea confixerint, & ab Ethnicis vulgata bona fide crediderint. Neque ipſos vanos argutatores dixeris, qui veluti argumento ad hominem, uti Scholaſtici loqui amant, ex monumentis apud Ethnicos receptis, & in pretio habitis dogmata ab ipſis exploſa firmaverint. Namque Sybillina carmina tanto cum emolumento ad Chriſtianæ Religionis veritatem ab Gentilium calumniis vindicandam producebantur, ut teſte Juſtino Apolog. II. *ab Præfectis Romanis mortis ſupplicium adverſus Librorum Hyſtaſpis, aut Sybillæ, aut Prophetarum lectores conſtitutum fuerit.*

(8) *Ex Martyrologio Bedæ obſervat Baronius* ad an. 138. n. 5. *quod ubi ſeptem Symphoroſæ filii Hadriano Imperatore ſupplicio adfecti ſunt, ipſorum corpora in unam foveam junctim projecta ſint; cujus loci nomen Templorum Pontifices* Ad Septem Biothanatos *vocaverint: fortaſſis ad deridendam Chriſtianam de Reſurrectione doctrinam. Videſis Minuc. Octav.* Cap 8. pag. 26.

(9) *Cerdones dicti ἀπὸ τῦ κέρδεος* ab lucro, *propterea quod, tanquam pauperes lucri cauſſa opus exercerent. Adi ſis io: Lamium* de Erud. Apoſt. Cap. 3.

(10) *Plautus, obſervante Hieron* Chron. An. I. Olymp. *CXLV. adeo pauper fuit, ut tempore quodam famis ad molas manuarias ſe piſtori locare coactus ſit.*

Piſtores, aliiſque id genus: paſſim apud Tertull. in Apolog., Cæcilium apud Minucium, Lucianum de Mort. Peregr. &c. Videſis Rigaltium *in Minucium Fel. Octav. Cap.* 14. *pag.* 42.

14. Poſtremo, quod Chriſtiani falſis Gentilium Diis cultum adhibere detrectarent, hinc *Impii*, *Sacrilegi*, *Profani*, *Extranei*, & *Rei læſæ divinitatis*, & *Religionis* nonnunquam apud Gentiles ipſos audierunt. Tertull. *Apolog. Cap.* 10. 24. & 31. Prudentius de S. Romano M. *Carm.* 14. (11).

§. IV. *De aliis quibuſdam Nominibus ſpeciatim ab Hæreticis Chriſtianis Catholicis contumelioſe adſcriptis.*

IX. Ac 1. Novatiani eos adpellarunt *Cornelianos*, eo quod Cornelio R. Pontifici adhærere mallent, quam Novatiano: Eulogius apud Photium *Cod.* 280. *pag.* 1622. *Edit. Rothom.* Adhæc & *Apoſtatas*, *Capitolinos*, *Synedrianos*, eo quod Lapſos, & eos, qui in Capitolio Romano ſacrificatum iverant, ſincere reſipiſcentes in communionem recipiendos in ſuis Synodis decreverint; Pacianus *Epiſt.* 2. *ad Sympronian.*

2. A Neſtorianis nuncupati ſunt *Cyrilliani* a Cyrillo Ep. Alex. qui adverſus ipſos hæreticos pro Dogmate Catholico Orthodoxorum agmen ducebat: *Epiſt. Legat. Schiſmat.* ad ſuos in Epheſo *in Act. Conc. Epheſ. Tom. III. pag.* 746. Uti quoque ab Arianis *Athanaſiani*, *Euſtathiani*, *Pauliniani*, *Omouſiani*, *vel Omouſionates*, ſcilicet ab Athanaſio Ep. Alex. cujus cauſſam tuebantur, ab Euſtathio, & Paulino, ab quorum partibus ſtabant: Sozomenus *Lib. VI. cap.* 21. & ab vocabulo ὁμοούσιος, quod adhibebant, ut Filium Dei ejuſdem adſererent cum Patre ſubſtantiæ, ſive naturæ. Opus Imperfectum *Hom. XLVIII. apud Chryſoſt.*

3. Ab Montaniſtis Cataphrygianis dicti ſunt ψυχικοὶ Pſychici *Carnales*, eo quod Montani Prophetias, ac rigidas ejus ſectæ Leges rejicerent: uti ex adverſo Montani ſectatores *Spirituales* nuncupati ſunt a Tertulliano, qui & Libros data opera *adverſus Pſychicos* ſcripſit. Atqui teſte Irænæo *Lib. II. cap.* 11. jam inde ab altero Eccleſiæ ſeculo Valentiniani, qui ſe ſe Spirituales, & Perfectos dicebant, Catholicos *Seculares*, & *Carnales* adpellitabant.

4. A Chiliaſtis, ſive Millenariis *Allegoriſtæ* dicti ſunt, quod vaticinium de millenario Sanctorum cum Chriſto Regno *Apoc. XX.* allegorice interpretarentur: Euſebius *Lib. VII. cap.* 24.

5. Aetiani Arii ſectatores, quod Catholicorum Religionem brevi finem habituram

(11) *Quod fideles noctu ſuos conventus agerent, ac in iis Chriſti carnem manducarent, ac ſanguinem biberent; id eſt Sacram Eucharistiam participarent, hinc orta fideles calumniandi occaſio, ſcilicet, quod infantem recens natum farre confectum, occultis vulneribus occiſum, ac in partes diſcerptum manducarent, ac infanda alia peragerent, quæ modeſtiæ nomine ſilere ſatius ducimus. Videſis Origenem contra Celſum* Lib. I. n. 1. & Lib. VI. n. 27. *Octavium* pag. 9. edit. 1652. *Tertull. Apolog.* cap. 2. &c. *Eadem de cauſſa, ſcilicet quod antelucanis horis convenirent, tanquam conjurationum ſuſpecti traduci aliquando conſuevere. Hanc calumniam in hunc modum diſpulit Tertullianus Apolog. cap.* 39. Hæc coitio Chriſtianorum merito ſane illicita, ſi illicitis par merito damnanda, ſi non diſſimilis damnandis; ſi quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela eſt, in cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc ſumus congregati, quod & diſperſi . . . . neminem lædentes, neminem contriſtantes. Quum probi, quum boni coeunt, quum pii, quum caſti congregantur, non eſt factio dicenda, ſed curia. *Tanquam diſſenſionum* factionumque Auctores *æque ab Judæis ac ab Gentilibus Chriſtiani habiti ſunt. Profecto occaſione hæreticorum, qui ab Eccleſia Catholica diſcedentes nomen Chriſtianorum contra jus omne retinebant, ea fidelibus illata calumnia eſt, ſcilicet quod diſſenſionum, factionumque eſſent Auctores: verum hanc calumniam plene diſſlarunt Origenes* contr. Celſum Lib. III. cap. 12. *Tertull.* Apol. cap. 38. *At audiendus Clemens Alex. Strom. Lib. VII.* Primum ergo hoc adverſus nos adducunt dicentes non oportere credere propter diſſenſionem hæreſum . . . . Quibus reſpondemus, quod & apud vos Judæos, & apud eos, qui inter Græcos fuere in exiſtimatione Philoſophos, fuere plurimæ hæreſes. Neque tamen ideo dubitandum dicitis, an ſit philoſophandum. *Neque tandem defuere, qui Chriſtianos* Generis humani hoſtes, læſæ Majeſtatis reos, ac Reip. everſores *venditarent: At haſce calumnias diſſlabimus, ubi de veterum Chriſtianorum moribus ſermonem inſtituemus.*

turam jactitarent, eoſdem *Chronitas*, ſive Temporarios adpellabant. Quam contumeliam in Arianos retorqueri poſſe obſervat Athanaſius, ſive Auctor Dialog. II. *Quoſnam vocas Chronitas? Eos qui jam inde a Sanctis Apoſtolis uſque ad hodiernum diem collaudant & Patrem, & Filium, & Spiritum S. an tuos, qui ab uno, & altero die adparuerunt?*

6. Manichæi, qui ex Auguſtino de Hæreſ. *cap.* 46. ſibi ipſis glorioſa nomina *Electorum*, *Macariorum*, *Cathariſtarum* dederant, Catholicos contemptim vocarunt *Simplices*, & eorum Doctores *Simpliciorum Magiſtros*: Manichæus in Diſputatione adverſus Archelaum Ep. Meſopotamiæ *ad calcem Sozom. Edit. Valeſ.*

7. Apollinariſtæ Catholicos *Anthropolatras* dixere, quod Chriſto animam rationalem, & corpus ejuſdem nobiſcum naturæ tribuerent: Naz. *Orat. LI.* qui & *ibidem* obſervat potiori jure ipſos *Sarcolatras* adpellari poſſe, quippe qui animam humanam Chriſto denegantes, carnem duntaxat adorare viderentur.

8. Tum quod Carnis reſurrectionem ita tuerentur, ut corpora noſtra ea ipſa, & nihil ſecundum ſubſtantiam mutata in altero ſeculo reſurrectura docerent, ab Origeniſtis, qui Reſurrectionis veritatem negabant, *Simplices*, *Philoſarcæ*, & *Piluſiotæ*, vel potius *Peluſiotæ* dicti ſunt: Hier. *Ep.* 62. *ad Pammach.* & *Comm. in Jerem. cap.* 29.

9. Tandem Catholica Eccleſia a Luciferianis nuncupata eſt *Lupanar*, *Synagoga Antichriſti*, & *Satanæ*, eo quod Epiſcopos, qui confeſſioni Ariminenſi Arianorum fraude inducti incaute ſubſcripſerant, honores, & officia retinere pateretur: Hier. *Dial. adv. Lucif.*

CAPUT XI.

De Diversis in Ecclesia Hominum Ordinibus, et de Distinctione Laicos inter, et Clericos.

§. I. *De Diverſis in Eccleſia Hominum Ordinibus.*

I. Uti in Urbe Roma ab primæva ſui inſtitutione duo præcipui erant Civium Ordines, nimirum Senatorum, & Popularium; unde in militaribus Inſignibus illud veluti Emblema inſcribi conſuevit: *S. P. Q. R.* & in quacunque civili politia cives in Ordinem, & Plebem diſpeſcuntur; ita & Eccleſiæ Chriſtianæ corpus divino jure varii hominum Ordines, ſive Gradus, conſtituunt. Quare jam principio obſervavimus Euſebium tres hominum ordines in Eccleſia recenſere; nimirum *Præfectos*, ſive *Clericos*, *Fideles*, *Catechumenos*: Clericos, qui præſunt, Fideles, & Catechumenos, qui ſubjecti ſunt. Atqui Hieronymus quinque ponit Ordines *in Iſ. cap.* 19. nimirum *Epiſcopos*, *Presbyteros*, *Diaconos*, *Fideles*, & *Catechumenos*. Verum iſtoc eodem recidit: neque enim Euſebius varios in Præfectis, ſive Clericis gradus negat, æque ac in Urbe Roma Senatus in varios, diverſoſque magiſtratus diſtinguebatur.

II. Ergo Fidelium nomen in hiſce Euſebii, & Hieronymi diviſionibus, ut cuique patet, ſtricte accipitur pro Laicis baptizatis, ceu diſtinctis a Clericis, & a Catechumenis; quo ſenſu ea vox plerumque accipitur in antiquis Liturgiis, & Conciliorum Canonibus. Unde vetus illa diſtinctio in Miſſam Catechumenorum, & Miſſam Fidelium; & Auctor Conſtit. Apoſt. Lib. VIII. cap. 34. *Fidelis*, inquit, *ne in domo quidem precetur cum Catechumeno.*

III. Catechumeni, quippe qui in Eccleſiæ gremium aliqua ratione adſciti, Eccleſiaſticiſque regulis ſubjecti, aliquando etiam Chriſtianorum nomine indicati occurrunt: Conc. Conſtantinop. I. *Can. VII.*

IV. At, inquies, Gregorius Naz. Orat. in S. Lavacrum docet, Catechumenum eſſe *in veſtibulo pietatis*, *nec adhuc poſſe*

poſſe vocari fidelem, niſi intus ingrediatur per baptiſmum. Chryſoſt. *Hom. XXIV. in Jo.* Catechumenum ſcribit *alienum eſſe a fideli, & nihil habere cum eo commune, non civitatem, non menſam*. Cyrill. Jeroſ. *Lib. XII. in Jo. Cap.* 50. Catechumenos apud Chriſtianos id eſſe tradit, quod erant *incircumciſi apud Judæos*. Quonam igitur pacto peculiarem hominum ad Eccleſiam pertinentium ordinem conſtituere unquam poſſunt? Verum quod voto in Eccleſia ſint, atque adeo ſi vitam Ethices Chriſtianæ regulis conformatam inſtituunt, æternam æque ac fideles conſequi poſſint beatitatem; hinc licet non ut filii, ut ſervi duntaxat ad Eccleſiam pertinere non immerito dicuntur. Ad rem Auguſtinus Tract. XI. in Joan. *Quod ſignum crucis in fronte habent Catechumeni jam de domo magna ſunt: ſed fiant ex ſervis filii. Neque enim nihil ſunt, qui ad magnam domum pertinent.*

V. Hæretici in Chriſtianorum cenſum nunquam recenſiti, neque pro Catechumenis reputari; quum nec fidem habeant, neque ad eam redire exoptent. Unde Tertull. de Præſcript. Cap. 37. *Si hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt*. Quod & Lactantius *Inſtit. Lib. IV. cap.* 30. Athanaſius *Orat. II. adverſus Arianos*, Hieronymus, Auguſtinus, aliique veteres Patres luculenter ſtatuunt.

VI. Veteres Monachi, & Aſcetæ licet plebi in Eccleſia ſemper quodam modo præſtiterint, ad communem tamen fidelium cœtum referri poſſunt; uti quoque Pœnitentes, & Energumenos Catechumenis adcenſere recte licuerit, quippe qui in eadem plerumque ab Eccleſia claſſe collocati fuerint. Verum de his opportunius ſuo loco.

§. II. *De Nomine Clerici, ejuſque Etymo, & Uſu.*

VII. Neminem latere arbitror nominis *Clericus* etymon a græca voce κλῆρος deducendum eſſe, quæ latine *Sors*, ſive *Hereditas* redditur. Hieron. Ep. ad Nepotianum Κλῆρος *græce, Sors latine adpellatur: propterea vocantur* Clerici, *vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus* ſors, *ideſt pars Clericorum eſt*. Merito igitur in Eccleſia, qui ad ſacrum miniſterium non ſucceſſione, ut in veteri teſtamento, ſed divina vocatione, veluti ſorte addicuntur, Clerici dicti ſunt; *Leg. L. Cod. Theod. de Decurionibus*. Quum omnes ſimus conſortes, & cohæredes Chriſti (1): id tamen potiori jure de iis dicendum eſt, qui ſacris vacant functionibus; haud ſecus ac *Num. XVIII.* & *Deuteron. item XVIII.* Deus peculiari ratione tribum Levi vocat *Sortem*, & *Hereditatem ſuam*, licet omnes Iſraelitæ in ſortem Domini vocati fuerint.

VIII. Ergo in Eccleſia ii ſemper Clerici audiere, qui ſacro in Eccleſia miniſterio publice fungerentur ſive præeundo, ſive miniſtrando: vel, ut definit Conſtantinus M. Leg. XI. Cod. Theod. de Epiſ. & Cler. *Qui divino cultui miniſteria religionis impendunt*. Quare primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopi duntaxat, Preſbyteri & Diaconi Clerici nominati occurrunt; at deinceps Hypodiaconi etiam, Lectores, aliique inferioribus ordinibus inſigniti eodem nomine donati ſunt. Cyprianus Optatum Hypodiaconum, & Saturum Lectorem vocat Clericos *Ep.* 24. Tum eorundem Ordinationes vocat *Ordinationes Clericales*. Et Lucianus M. Cypriani σύγχρον© *Ep.* 17. *al.* 23. apud Cyprian. Exorciſtas æque ac Lectores *Clericos* adpellat. *Præſente de Clero, & Exorciſta, & Lectore Lucianus ſcripſit*. Huc etiam faciunt plures veterum Synodorum Canones, ac præcipue Synod. Nicænæ & Carthag. III. quos vide inferne (2). Quinimmo ſecutis temporibus nomen Clericorum inferioribus ordinibus ſpecialius adſigna-

(1) *Ad hanc vocis* Κλῆρος *notionem reſpexiſſe videtur Apoſtolus, ubi ſcribens ad Coloſſ. Cap. I. v.* 2. Dignos, *inquit*, nos fecit in partem ſortis τῦ κλήρυ ſanctorum: *& rurſus ad Epheſ. Cap. I. v.* 11. In quo nos ſorte vocati ſumus ἐκληρώθημεν.

(2) *Nicænæ Syn. Can. III.* Omnibus modis interdixit S. Synodus, neque Epiſcopo, neque Presbytero, neque Diacono, nec ulli Clericorum omnino licere habere ſecum mulierem extraneam. *Et Conc. Carthag. III. Can. XXI.* Clericorum nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retineant.

gnatum reperitur. Unde Ambroſius de Dignit. Sacerd. Cap. 3. *Aliud*, inquit, *ab Epiſcopo requirit Deus, aliud a Presbytero, aliud a Diacono, aliud a Clerico, aliud a Laico*. Idem quoque evincitur ex Syn. Laodic. *Can. XX.* quo ſancitur: *Haberi honorem Diaconis a miniſtris, & omnibus Clericis oportet*.

IX. Clerici interdum vocati ſunt *Canonici* a Græco Κανὼν, qui inter reliquas ſuas notiones Catalogum cujuſcunque Eccleſiæ ſignificabat, in quo omnium Clericorum nomina ſcripta erant, & ex quo intelligere dabatur, ad quam quiſque Eccleſiam pertineret. Quo ſenſu adhibita vox Κανὼν in Synodis Nicæna, & Antiochena (3), quæ & aliquando per τοὺς ἐν κανόνι *Clericos* deſignant. Unde apud Cyrillum Jeroſ. Præf. Catech. n. 3. κανονικῶν παρουσία *Canonicorum præſentiam* ſignificat; & in Conc. Laodic. *Can. XV.* Clerici ad pſallendum in Eccleſia ordinati vocantur Κανονικοὶ ψάλται. Eandem ob cauſſam Monachi, Virgines, Viduæ, ac reliqui, quorum nomina Catalogo Eccleſiaſtico inſerebantur, ut ab Eccleſia vitæ ſuſtentationem acciperent, *Canonici*, & *Canonicæ* dicebantur. Baſilius *Epiſt. I. Canonica Can. I.* ex ſententia Balſamonis, & Zonaræ.

X. Illud hic haud omittendum Clericorum Ordinem a Nazianzeno *Orat. XX. in laudem Baſilii*, & *Orat. XIX. in funere Patris* adpellari τάξιν τοῦ βήματος *Ordinem Sanctuarii*, eo quod ſolis Clericis permiſſum erat eam Sacræ Ædis partem intrare, ubi Altare conſtitutum erat, quæque proprie dicebatur Βῆμα, vel Ἱεράτειον *Sanctuarium*. Hinc apud eundem τῷ βήματι προσάγειν *Clericum facere*, ſive *miniſterio initiare* ſignificat. Et apud eundem ibidem οἱ περὶ τὸ βῆμα, οἱ τοῦ βήματος, & οἱ ἐκ τοῦ βήματος idem eſt, ac *ii, qui ſunt ex ſacro ordine*, ſive *ex Clericis*.

§. III. *Clericis a Fidelibus Laicis divino jure diſtingui Sacræ Litteræ aperte edicunt.*

XI. Clericos a Laicis æque Ordinis, ac Poteſtatis ratione diſtingui, & quidem ab primæva Eccleſiæ inſtitutione, res eſt adeo evidenter antiquiſſimis probata monumentis, ut mirum omnino ſit, Rigaltium, Seldenum, & omnium audaciſſimum Salmaſium id in controverſiam vocare non dubitaſſe.

XII. Et ſane 1. in Veteri Teſtamento Sacra omnia, ac Legis interpretatio Tribui Leviticæ adeo reſervata erant *Exod. XIII.* & *paſſim*, ut terræ hiatu abſorpti fuerint, vel lepra percuſſi, qui ad illa aliqua ratione adſpiraverint: *Num. cap. 16. II. Paral. cap. 26.* Atqui Lex umbram habebat futurorum; neque de ſacrificiis Taurorum tanta, tamque gravis cura Deo fuiſſe dicenda eſt. *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt*. I. ad Corinth. cap. 9.

2. Apoſtoli dicuntur ἀφωρισμένοι *ſegregati in Euangelium Dei*, æque ac Deus ipſe populum Iſrael dicitur ἀφορίσαι *ſecreviſſe* a reliquis populis: *Lev. XX.* Myſteria quippe Chriſtianæ Religionis Apoſtolis diſerte, haud vero aliis a Deo concredita ſunt. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* I. ad Cor. IV.

3. Diſtinguuntur Clerici a Laicis, uti Paſtores a grege. Act. XX. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus S. Epiſcopos regere* ποιμαίνειν paſce-

(3) *Conc. Nicæn. Can. XVI.* Quicunque temere .... neque Eccleſiaſticum Canonem ſcientes, receſſerunt ab Eccleſia. *Et Can. XVII.* Dejicietur, & alienus ab Eccleſiaſtico Canone erit.

Conc. Nicæn. Can. XVII. Quoniam plerique Eccleſiaſtici πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι avaritiam, & turpem quæſtum ſectantes &c.

Conc. Antioch. Can. I. Depoſitos etiam externo honore privari, eujus ſanctus Canon, & Dei ſacerdotium fuit particeps.

Et ejuſdem Conc. Can. VI. Idem Decretum adverſus laicos, & presbyteros, & Diaconos, & eos, qui ſunt in Cleri catalogo, καὶ πάντων τῶν ἐν κανόνι obſervetur.

Catalogus Clericorum, qui in Synodis Nicæna, & Antiochena dictus eſt Κανὼν *a Sydonio Apollinari* Lib. VI. Epiſt. 8. *dictus eſt* Album, *a Concilio Agath. Can. II.* Matricula, *& ab Auguſt. Hom. L. de Diverſis* Tabula Clericorum.

ſcere, *Eccleſiam Dei*. I. Petri cap. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Domini*.

4. Apoſtoli eos ad Diaconatum viros adſcivere, qui univerſæ Eccleſiæ conſilio adhibito viderentur boni teſtimonii, pleni Spiritu S. & ſapientia. Quorſum hæc, niſi quia a multitudine ſegregandi erant, & ſacris miniſteriis addicendi? Et ſane ſtatim poſt ſacro prædicandi, & baptizandi miniſterio uſi ſunt. Ad rem Chryſoſt. Hom. XIII. in Acta: *impoſuerunt illis manus, quoniam Apoſtoli hoc ritu ſeptem illos ſegregaverint a multitudine*.

5. Demum Epiſcopi ab Apoſtolis collato per impoſitionem manuum, vel per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii Spiritu S. conſecrati, Eccleſiæque miniſterio addicti ſunt. Jam vero quid ſibi vult illa *τῶν χειρῶν ἐπίθεσις Manuum impoſitio*, vel illa *προφητεία prophetia*? Explicat Chryſoſt. *in Cap. I. Ep. ad Timoth.* ſcilicet *ἀπὸ προφητείας per prophetiam* Sacerdotes conſecrati ſunt, hoc eſt *ἀπὸ πνεύματος ἁγίου a Spiritu S.* vel *κατὰ πνεύματος ἀποκάλυψιν Spiritus S. monitu, ſive illapſu, quod non humanum, ſed divinum illud eſſet, ad quod non inaugurabantur*.

§. IV. *Clericos a Laicis jure divino diſtingui ex antiquiſſima Eccleſiæ Traditione manifeſte evincitur*.

XIII. Ac 1. Clemens Alex. in Libro *Quis dives ſalvetur* de Joanne Apoſtolo tradit *eum, quum poſt tyranni obitum a Patmo inſula Epheſum rediiſſet, vicinas quoque gentes rogatum viſiſſe, partim quidem ut Epiſcopos conſtitueret, partim ut integras Eccleſias diſponeret, ac formaret, partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus deſignaret, in clerum cooptaret*.

2. Clemens Rom. Ep. I. ad Corinth. n. 40. *Summo Sacerdoti*, inquit, *ſua munera tributa ſunt, Sacerdotibus locus proprius adſignatus eſt, & Levitis ſua miniſteria incumbunt. Laicus præceptis laicis conſtringitur*.

3. S. Ignatius M. Epiſt. ad Magneſianos num. 6. hortatur fideles, *ut omnia agant Epiſcopo præſidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici*. Et in Epiſt. ad Philad. n. 7. *Quemadmodum*, ſcribit, *Dominus ſine Patre nihil fecit; neque per ſeipſum, neque per Apoſtolos; ita neque vos ſine Epiſcopis, & Presbyteris aliquid agite*. Similia habet & in reliquis Epiſtolis.

4. Vetuſtiſſima Eccleſiæ Concilia, tum ex Chriſti Domini præſcripto, tum ex antiquiſſimo Eccleſiaſtico jure Sacrificii Euchariſtici oblationem adeo ſolis Sacerdotibus adſerunt, ut vix Diaconis Euchariſtiam jam peractam fidelibus miniſtrandi jus tribuant (4). Quare Epiphanius Hæreſ. LXXIX. *Neque Diaconos*, ſcribit, *Eccleſiaſtica regula concreditum eſt peragere ſacrificii myſterium, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα ſed miniſtrare tantum*.

5. Poſtremo Tertullianus *Lib. de Præſcript. Cap.* 41. hæreticos ſui temporis eo nomine inſectatur, quod apud ipſos, qui *hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus*. Tum ſubnectit: *Nam & laicis ſacerdotalia munia injungunt*. Idem præſtat Hieron. Tom. II. pag. 145. *Omiſſis paucis homunculis, qui ipſi ſibi, & Laici ſunt, & Epiſcopi*. At quinam potuiſſet hoc hæreticis exprobrari, niſi divina inſtitutione Clerici a Laicis diſtinguerentur?

§. V. *De Sacerdotio lata notione accepto*.

XIV. Igitur ubi Sacerdotium Chriſtianis omnibus tributum occurrit, id nonniſi lato modo intelligendum eſt. Et ſane uti vox

(4) *Concilium Nicænum* Can. XIII. *in hunc modum decrevit*. Pervenit ad Sanctum magnumque Concilium, quod in quibuſdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam ſanctæ Communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt Chriſti corpus accipiant. *Idem diſerte ſancitum occurrit Conc. Ancyr.* Can. II. *Arelatenſis I.* Can. XV. *Lexoienſis* Can. XXV. &c.

vox Sacrificium æque lata, ac ſtricta notione acceptum reperitur in Sacris Litteris, & apud veteres Patres; ita quoque & vox Sacerdotium. Egregium hac de re habemus Origenis locum Hom. XIX. in Cap. 16. Levit. *Si membra mea ab omni concupiſcentia carnis mortificavero, ſi mundus mihi crucifixus ſit, & ego mundo, holocauſtum obtuli ad altare Dei, & ipſe meæ hoſtiæ Sacerdos efficior*. Ecquis non videt hic Sacerdotis vocabulum ab Origene improprie, ſive lata notione uſurpari? Eandem Sacerdotii lata notione accepti rationem efferunt Auctor Conſt. Apoſtolic. Ambroſius, Leo M. ac præcipue Auguſtinus (5).

XV. Atque hinc lux adſulget explicandæ illi ſatis notæ S. Petri auctoritati *Ep. I. Cap. 2. v. 5. & 9.* ubi fideles ſic adloquitur: *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias Deo per Jeſum Chriſtum. . . Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*. Illud profecto indicat iſtac ſententia Apoſtolus, Fideles æque Sacerdotii, ac Regiæ dignitatis Jeſu Chriſti participes vota, preces, largitiones, benefacta Deo Patri offerre una cum ſacrificio, quod ille noſtri gratia peregit; qua ex conjunctione quidquid in iis, quæ petimus, vel offerimus, pretii eſſe poterit, omnino oritur. Fidelis igitur quiſque ſpirituali acceptione Dei Sacerdos eſt, ſpirituales hoſtias offert Deo. *Unuſquiſque ungitur in ſacerdotium, in regnum, ſed ſpirituale regnum eſt, & ſacerdotium:* Ambroſius de Sacram. *Lib. IV. cap. 1.* Neque tamen id prohibet, quominus eſſe debeant in Eccleſia Sacerdotes rite initiati, ac peculiari auctoritate præditi ad offerendum Deo auguſtiſſimum ſacrificium, ceteraque obeunda munia, quæ Chriſtus unis Apoſtolis, eorumque dignitatis heredibus reſervavit. Præſertim quum ipſemet Petrus, uti modo vidimus, ejuſdem Ep. *Cap. 5.* paſcendi gregem Domini poteſtatem ſolis adtribuat Senioribus, ſive Epiſcopis, & Presbyteris, quibus, ut fideles ſubditi ſint, *ibid.* admonet.

§. VI. *Explicatur perdifficilis Tertulliani locus.*

XVI. Tertullianus Lib. *de Caſtit.* cap. 7. omnibus ex æquo fidelibus videtur Sacerdotii munia adſerere: ſcribit enim: *Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & ſacerdos es tibi ſolus. Sed & ubi tres, Eccleſia eſt, licet laici*. Non deſunt, qui credant Tertullianum jam Montaniſtam Exhortationem ad Caſtitatem ſcripſiſſe. Verum præter quam quod ex Hieron. *adverſus Jovinianum Lib. I.* videtur colligi ſcriptum Librum illum a Tertulliano decem annis, antequam deficeret ad Montaniſtas, profecto ſententiam de Sacerdotio laicis etiam communi profert, tanquam ex doctrina Catholicorum hauſtam, atque adeo de praxi loquitur ſua ætate apud Catholicos uſitata. Igitur præſtat paucis perdifficilem Tertulliani locum explicare.

XVII. Ac primo verba illa *Eccleſiæ auctoritas* vel de Origine, & Inſtitutione intelligenda ſunt: ſcilicet Eccleſiam ab ſuo Auctore Chriſto Domino differentiam inter Clericos, & Laicos accepiſſe: vel potius de Epiſcoporum, aliorumque Clericorum electione, & conſecratione. Prioribus enim Eccleſiæ ſeculis promovendi ad Epiſcopatum, aliumve ordinem a plebe eligebantur, & ab Eccleſia per impoſitionem manuum presbyterii conſecrabantur. Unde ſequitur; *Et honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo;* hoc eſt conſidentibus in Eccleſia Epiſcopis, ac Presbyteris, iiſdemque manus imponentibus; quam

(5) Auctor Conſtit. Apoſt. *Lib. III. cap. 15.* Ambroſius *de Sacram. Lib. IV. cap. 1.* Leo *I. Ser. III. de Anniverſ.* Auguſtinus de Civit. *Lib. XX. cap. 10. Erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis, non utique de ſolis Epiſcopis, & Presbyteris dictum eſt, qui proprie jam vocantur in Eccleſia Sacerdotes; ſed ſicut omnes* Chriſtianos *dicimus propter myſticum chriſma, ſic omnes* Sacerdotes, *quoniam membra ſunt hujus Sacerdotii; de quibus Apoſtolus Petrus,* Plebs, *inquit*, ſancta, regale Sacerdotium.

quam manuum impoſitionem divina ſanctificatio, ſive benedictio comitabatur (6).

XVIII. Sequitur Tertull. *Ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus*. His verbis indicat Tertull. tempore perſecutionis, quum Epiſcopi, Presbyteriique conſeſſus, ſive conventus haberi non poſſet, quod ſua ætate haud ſemel accidit, licuiſſe laicis in ſuis privatis domibus, veluti conventum agere, atque adeo ſacerdotalia quædam munia, quæ tamen ad veri ſacerdotii indolem, ac *οὐσίαν naturam, eſſentiam* non ſpectant, exercere: idque ex eo demonſtrat, quod ſcriptum ſit: *Regnum nos, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit. Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ego ſum in medio eorum*. Igitur patet Tertull. nonniſi Sacerdotium laxiori notione acceptum laicis tribuiſſe, quo præcipua, ac ſpecialiori quadam ratione in neceſſitatis *περιστάσει circumſtantiis* fungantur offerendo, baptizando, & conventum privatim agendo.

XIX. Porro quonam ſenſu offerre laicis tribuat Tertullianus, paucis diſcutiendum eſt; nanque tinguere, ſive baptizare, ubi neceſſitas cogat, laicis convenire, nemo unquam vel ſubdubitaverit. Jam vero conſtat vocabulis *Offerre*, & *Oblatio* triplici notione veteres Patres, atque adeo ipſum Tertullianum uſos fuiſſe. 1. pro actione, qua in veteri Eccleſia, qui jus communicandi habebant, per Diaconos altari panem, & vinum offerebant (7). 2. pro ipſa conſecratione, qua panis, & vini ſubſtantia in Chriſti corpus & ſanguinem convertitur. 3. quum longe ante conſecratus panis offertur, & fidelibus ſumendus traditur. Porro Tertullianum verbum *Offerre* laicis tribuiſſe priori duntaxat,

(6) *Doctiſs. Albaſpinæus* Lib. II. de Euchar. cap. 8. *obſervat Tertullianum haud raro vocabula* Auctoritas, & Auctor *pro Origine, & Inſtitutione uſurpaſſe; ac præſertim Lib. de Præſcriptionibus Cap.* 36. Habes Romam, *inquit*, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. *Item*: Neque Apoſtoli alicujus Auctoris eſſe. *Et Lib. de Teſtim. anim.* Si recogitet naturæ majeſtatem, ex quo cenſetur auctoritas animæ.

Idem Auctor ibid. *pluribus demonſtrat vocabulum* Honor *pro dignitate, poteſtate, charactere Epiſcopali, vel Presbyterali; & phraſim* Ordinis conſeſſum *pro Epiſcopi, Presbyterorumque collegio, ſive publico conventu fuiſſe ab antiquis Patribus adhibita. Cyprianus Lib. IV. Epiſt.* 2. Epiſcopi nec poteſtatem habere, nec honorem: *& Epiſt.* 6. Presbyterii honorem; *& Epiſt.* 10. Conſidentibus Preſbyteris. . . . Compresbyteros tecum conſidentes. *Et Collatio Carthag. II.* Maxime quum lege divina conſeſſus prohibeatur, ne cum ejuſmodi adverſariis conſidere velimus.

(7) *Auguſtinus Serm.* 215. *de Tempore*: Oblationes, quæ in altari conſecrentur, offerte. *Can. III. Apoſt. vetatur Epiſcopus, aut Presbyter* offerre ſuper altare, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, & confecta quædam, aut volatilia . . . . Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria. *Conc. Nicæn. Can. XI.* Duobus autem annis ſine oblatione populo in oratione communicent. *Tertullianus Lib. de Monogamia*: Et offert annuis diebus dormitionis ejus. *Et in Exhortat. ad Caſtitatem Cap.* 11. *Maritum, qui duabus fuerat copulatus uxoribus, ſic alloquitur*: Et offeres pro duabus, & commemorabis per Sacerdotem. *Quinimmo apud Tertull. ipſum vox etiam* Sacrificium, *quæ magis videtur Euchariſticæ conſecrationi ſignificandæ addicta, haud ſemel eadem notione uſurpata occurrit: Lib. de Orat.* Quale ſacrificium, a quo ſine pace receditur. *Lib. ad Uxorem*: Sacrificia ſine ſcrupulo. *Et in Exhortat. ad Caſtitatem*: Aſcendet ſacrificium tuum libera fronte. *Cyprianus Lib. de Oper. & Eleemoſ.* Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis . . . . qua in Dominicum ſine ſacrificio venis. *Tum Concilium Ancyranum Can. XV.* Quinquennio in hac communione perdurantes, tum demum oblationis ſacramenta contingant.

Adhæc non modo panis, & vinum, & peculiares quædam primitiarum ſpecies Altari offerri permiſſa, verum & res aliæ ad Clericorum, pauperumque ſuſtentationem neceſſariæ, uti mel, lac, ſicera, confecta, volatilia, animalia, legumina, & nonnunquam pecuniæ, quæ a Fidelibus in Eccleſiam deferebantur in domum Epiſcopi aſportandæ. Porro eadem Oblationum *etiam nomine indigitari conſueviſſe indicant Canon IV. Apoſt.* Offerri non liceat ad altare præter novas ſpicas, uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama. *Concilium Gangrenſe Can. VIII.* Si quis dat, vel accipit fructus oblatos præter Epiſcopum. *Naz. Epiſt.* 80. Areæ, & torcularis primitias Deo conſecrare juſtum, & pium eſt. *Haud ſecus ac vocabulum hebraicum* חרם Cherem, *græcum* ἀνάθημα *in Sacris Litteris non de iis tantummodo dici conſuevit, quæ Deo offerebantur igne conſumenda, ſed de iis etiam, quæ integra, & intacta in Sacerdotum, Levitarumque alimoniam reſervabantur.*

taxat, aut tertio ſenſu, vel utroque plura demonſtrant.

XX. Ac primo fideles ad oblationes primi generis vel altari exhibendas, vel in Epiſcopi domum deferendas antiquiſſima ſaltem eccleſiaſtica conſuetudine fuiſſe adactos ex modo productis monumentis perquam manifeſtum eſt. At tempore perſecutionis ejuſmodi fidelium officium tantum abeſt, ut ceſſarit, ut potius ob graviores clericorum, pauperum, martyrumque indigentias magis magiſque a fidelibus frequentari oportuerit. Quum vero huic muneri publice in Eccleſia facere ſatis nequirent, veriſimile oppido eſt, privatim in ſuis domibus ab ejuſdem familiæ fidelibus ſimul congregatis peculiaribus quibuſdam precibus, & cæremoniis dona illa fuiſſe Deo oblata, quæ poſt in indigentium perſonarum ſubſidium converterentur. Unde *Sacrificia ſine ſcrupulo in anguſtiis, in refrigeriis* ab Tertull. *Lib. ad Uxor. Cap.* 2. commemorata de ejuſmodi oblationibus interpretatur *ibid.* Albaſpinæus.

XXI. De tertio quoque Oblationis genere intelligendus Tertullianus; nimirum de Euchariſtia, quam perſecutionis tempore fideles ſecum jam a Sacerdote conſecratam, vel in cryptas latebraſque, vel ſuas privatas in domos deferebant, ut eam, adhibitis precibus, quas in publicis Synaxibus audire conſueverant, aut major natu reliquis diſtribueret familiaribus, aut manibus ſuis acciperet unuſquiſque. Idque ſacrificii, oblationis, ac publicæ, & legitimæ λειτουργίας ſpeciem præſeferebat, quæ maximo ipſis erat ſolatio, quum Sacerdotum copiam nullam haberent. Unde Tertullianus: *Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus*. Quum igitur Tertullianus non peculiarem quandam ſuam proferat ſententiam, ſed de praxi loquatur ſua ætate apud fideles uſitata; hinc liquet quod fidelibus laicis τὸ *offerre* priori duntaxat, ac tertia notione acceptum tribuerit: haud vero eo ſenſu, quo conſecrationem deſignat: quam ſi intellexiſſet, profecto ſententiam non ex doctrina, ac praxi Catholicorum hauſtam, ſed ſuum, vel Montaniſtarum opinamentum protuliſſe dicendus eſſet: quod vetat ipſe Tertullianeæ auctoritatis contextus. Nanque ex eo, quod laici aliquando offerant, & tinguant, ſcilicet in neceſſitatibus ut *ibid.* ſcribit, inde adverſus Catholicos colligit Laicis vetitam digamiam. Integrum Tertulliani locum inſerne habes (8).

XXII. Adhæc Tertullianum laicis Euchariſtiæ conſecrationem nunquam prorſus adſcripſiſſe plura evincunt. 1. Tertullianus *Lib. de Virg. veland. Cap.* 1. diſerte diſtinguit inter munia ſacra virilia mulieribus interdicta, ſcilicet loqui in Eccleſia, docere, tingnere, offerre; & ſacerdotalia viris ipſis prohibita (9). Quanam vero ratione inter virilia munia, & ſacerdotalia diſtinguere Tertullianus quiverit, ſi Euchariſticam conſecrationem Laicis adſcripſiſſet, profecto nullus video. Iſtæc enim, ceu præcipuum veri Sacerdotii munus, Presbyteris per Epiſcopi χειροτονίαν *manuum impoſitionem* Divino miniſterio ſpecialiter dicatis tanquam reſervatum peculium ſemper in Eccleſia habitum eſt.

2. Si Laicis veri nominis Sacerdotium Tertullianus tribuiſſet, profecto ſaltem aliquando in ſuis Operibus laicis in caſu duntaxat neceſſitatis exercendam conceſſiſſet poteſtatem Epiſcopalem, vel Presbyteralem

(8) Differentiam inter Ordinem, & Plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed & ubi tres, Eccleſia eſt, licet Laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit: nec eſt perſonatum acceptio apud Deum: quoniam non auditores legis juſtificabuntur a Deo, ſed factores; ſecundum quod & Apoſtolus dicit. Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas etiam diſciplinam Sacerdotis, ubi neceſſe eſt habere jus Sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers? Quanto magis laico Digamo capitale eſt agere pro Sacerdote, quum ipſi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Sed neceſſitati, inquis, indulgetur. Nulla neceſſitas excuſatur, quæ poteſt non eſſe. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in neceſſitatem adminiſtrandi, quod non licet Digamo.

(9) Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis Officii, ſortem ſibi vindicare.

teralem conſecrandi, ordinandi, abſolvendi &c. Quod nunquam præſtitit; licet haud raro Sacerdotium laxiori notione acceptum, ſive quandam Sacerdotalium munerum portionem Laicis adſignet.

3. Ætate Tertulliani perſecutione fervente Fideles valde ſolliciti erant, ut vivificum panem in latebras, cryptas, vel privatas domos, ubi deliteſcerent, ſecum adſportarent, quem poſſent quotidie ſumere. At quorſum tanta ſollicitudo, ſi Euchariſtiam pro lubito conſecrare poſſent? Inquies autem, quod perſecutio aliquando per plures menſes, atque adeo etiam annos perduraret: neque tam diuturno temporis decurſu ſpecies Euchariſticæ ſervari poſſent. At in promtu reſponſio eſt: ſcilicet Fideles potuiſſe quandoque nonnullos, de quibus nullam eſſe ſuſpicionem arbitrarentur, ad Epiſcopos, vel Presbyteros in cryptis deliteſcentes, aut in carceribus detentos, mittere, ut ſpecies Euchariſticas ab iiſdem clam conſecratas acciperent, eaſque ad ipſos adſportarent. Uti quoque Sacerdotes cum Diaconis Confeſſores in ergaſtulis detentos, vel in carceribus haud raro ſolebant adire, ut illic Euchariſtiam conſecrantes eandem ipſis diſtribuerent. Hujus rei præclariſſimum habemus monumentum apud Cyprianum, qui in *Epiſt.* 5. ubi in adeundis, viſitandiſque confeſſoribus cautione, ac prudentia uti præcepit: *Si fratres*, inquit, *pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conveniendum, & viſitandum confeſſores bonos, quos illuſtravit jam glorioſis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul junctam puto eſſe faciendum, ne ex ipſo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur. Conſulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit: ita ut presbyteri quoque, qui illic offerunt apud Confeſſores ſingulis Diaconis per vices alternent, quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.*

4. Tertullianus in ſuis Scriptis haud raro ex principiis ἐμφατικῶς, & non ſine exaggeratione ſtatutis falſas deducit illationes: ut in Libro *de Monogamia Cap.* 11. ex eo, quod in Lege *Levit. XX.* 21. cautum ſit, *ne quis ducat uxorem fratris ſui*, concludit Chriſtianæ feminæ interdictum denuo nubere, *quia non habet nubere niſi fratri: omnes enim nos fratres ſumus*. Tum ibid. *Quod Sacerdotes lex prohibet denuo nubere:* Lev. XXI. inde eruit Chriſtianis vetitum, ne denuo nubant: *Nos Jeſus Summus Sacerdos, & magnus Patris de ſuo veſtiens (quia qui in Chriſto tinguntur, Chriſtum induerunt) Sacerdotes Deo Patri ſuo facit* &c. *Monogamiæ debitores ex priſtina Dei lege ſumus*. Quiſnam vel luſcitioſus utriuſque ratiocinationis falſitatem non perſpicit? Nemo igitur miretur, ſi ex ſacerdotio latiori notione accepto Laicis etiam communi, impoſitam fidelibus monogamiam falſo deducat Tertullianus.

XXIII. Ceterum Tertullianum de veri nominis Sacerdotio intelligendum non eſſe, tum ex eo elucet, quod Sacerdotium laicis commune ex iis potiſſimum Scripturis inculcet, quas nonniſi de Sacerdotio laxioris ſententiæ licet interpretari: tum vero potiſſimum ex eo, quod inter utrumque Sacerdotium diſcrimen aperte conſtituat ibid. Cap. 2. ubi hæc habet: *Quum extollimur, & inflamur adverſus Clerum, tum unum omnes ſumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo, & Patri fecit. Quum ad peræquationem diſciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares ſumus.*

CA-

C A P U T XII.

De Episcoporum Origine, eorumque Honorificis Titulis, et Prærogativis.

§. I. *Epiſcopi jure divino Presbyteris Ordine, & Poteſtate præſtant.*

I. AC primo illud omnino animadvertendum nomina *Ordinis*, *Gradus*, *Officii* fuiſſe a veteribus promiſcue uſurpata ad ſignificandum diverſas in Eccleſiæ miniſterio Clericorum functiones. Hinc Hieron. contra Jovinianum Lib. II. *Alium* Ordinem *Pontifex tenet*, *alium Sacerdotes*, *& alium Levitæ*; & ibid. Lib. I. *Epiſcopus*, *Presbyter*, *& Diaconus non ſunt meritorum nomina*, *ſed* Officiorum. *Si Diaconus ſanctior Epiſcopo ſuo fuerit*, *non ex eo*, *quod inferior* gradu *eſt*, *apud Chriſtum deterior erit*. Et in Epiſt. ad Fabiolam: *Ipſos ſecundi* Ordinis *intelligimus Præceptores*, *Luca Evangeliſta teſtante*, *duodecim fuiſſe Apoſtolos*, *& ſeptuaginta diſcipulos minoris* gradus. Porro ſecutis temporibus vocabulum *Ordo* ſtrictiori quadam notione Officio Eccleſiaſtico deſignando addictum eſt, ad quod quis ritu myſtico inauguratur, vel potius exprimit illius exercendi jus, ſive poteſtatem: vocabulum *Gradus* locum Hierarchicum deſignare cœpit, quem quis ratione Ordinis conſequitur: tandem munia ſingulis Ordinibus adnexa *Officia* nuncupata ſunt.

§. II. *Epiſcopos jure divino Presbyteris ordine*, *& poteſtate præſtare Sacræ Litteræ aperte prædicant.*

II. Et ſane 1. In Veteri Teſtamento Aaron, ejuſque filii jure divino ad Summum Sacerdotium diſtincto conſecrationis ritu, diſtinctiſque cæremoniis inaugurati ſunt; peculiares, ac præcipue ipſis impartitæ prærogativæ, atque adeo ampliſſima ſupra reliquos Sacerdotes muniti ſunt poteſtate: *Exod. XXVIII. Lev. VIII.* Ergo in Novi Fœderis Sacerdotio, cujus umbra dubio procul fuit vetus, Epiſcopi, veluti Summi Sacerdotes, reliquis divino jure præſtant Sacerdotibus. Ad rem Clemens Rom. *Ep. I. ad Corinth. num.* 40. ubi petita ex antiquo fœdere comparatione ſic ſcribit: *Summo Sacerdoti ſua munera tributa ſunt*, *& Sacerdotibus locus proprius adſignatus eſt*, *& Levitis ſua miniſteria incumbunt*, *& homo laicus præceptis laicis conſtringitur*. Et dilucidius Hieron. contra Jovinian. Lib. II. *In veteri teſtamento*, *& in novo alium Ordinem Pontifex tenet*, *alium Sacerdotes*, *alium Levitæ*. Eadem habet *Ep.* 34. *ad Nepotian.* & *in Epitaphio Paulæ*.

2. Apoſt. *I. ad Timoth.* 3. in Epiſcopo exigit, ut ſit *Doctor*: & ad Titum Cap. 1. *Ut potens ſit exhortari in Doctrina ſana*, *& eos*, *qui contradicunt*, *arguere*. Iſtæc profecto de Epiſcopis, uti diſtinctis a Presbyteris, dicta ſunt, quippe quæ in iis ab Apoſtolo requiſita ſunt, qui per ſingulas civitates aliorum magiſtri, ac Præſides conſtituendi erant. Chryſoſt. *Hom. X. in Epiſt. I. ad Timoth.*

3. Tum in eadem ad Timoth. Epiſt. Cap. V. Timotheum admonet: *Seniorem ne increpaveris*, *ſed obſecra*, *ut Patrem*: quem locum S. Epiph. Hæreſ. LXXV. num. 6. adverſus Aerium ſic urget. *Quid attinebat Epiſcopo vetare*, *ne Presbyterum objurgaret*, *niſi majorem ſupra Presbyterum haberet auctoritatem?*

4. Eodem Cap. V. ſubnectit Apoſtolus: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere*, *niſi ſub duobus*, *vel tribus teſtibus*. Ergo Timotheus, quem fuiſſe Epiſcopum nemo unus ignorat, erat Presbyterorum Antiſtes, & Judex. Ex hoc item loco adverſus Aerium argumentum deſumit Epiph. *ibid.*

§. III. *Eadem Epiſcoporum ſupra Presbyteros jure divino conſtituta Poteſtas ex antiquiſſima Patrum Traditione manifeſto evincitur.*

III. Ac 1. Innumeræ huc facientes ex genuinis S. Ignatii Epiſtolis hic adferri poſſent auctoritates, ex quibus ſelectiores duntaxat inferne damus. (1) Speciminis loco ſit ſingulare ex Epiſt. ad Magneſianos num. 6. teſtimonium, ubi hortatur eos, *ut in concordia omnia agant Epiſcopo præſidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici, & Diaconis, quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti.*

2. Clemens Alex. Strom. Lib. VI. pag. 667. 793. ſcribit: *In Eccleſia Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum progreſſiones ſunt: imitationes gloriæ angelicæ.* Notandum hic 1. Προκοπὰς *Progreſſiones* profectus deſignare de uno in alium locum ſuperiorem. 2. Si Epiſcopi Presbyteris, & Presbyteri Diaconis non præſtarent, immerito Progreſſiones illæ dicerentur *Imitationes gloriæ angelicæ*; quum in cæleſtibus illis ſpiritibus diverſi æque dignitatis, ac officiorum ordines ſint conſtituti. Similia habet *Lib. III. Pædagogi Cap. 12.*

3. Origenes, quem Presbyterum fuiſſe omnes norunt, ſcribit *plus a ſe exigi, quam a Diaconis, ab his vero plus, quam a laicis, plus rurſus ab iis, quibus ſuper Diaconos, & ſuper Presbyteros commiſſum eſt regimen, & Principatus Eccleſiæ.* Hom. XI. in Jerem. Tum pluries in ſuis Operibus, uti obſervat doctiſſimus Pearſonius, de Epiſcopis loquitur, uti diſtinctis a Presbyteris.

4. Ejuſdem diſtinctionis crebro quoque meminit in ſuis Operibus Tertullianus; ac præcipue in Lib. de Baptiſmo, ubi ſic ſcribit: *Dandi quidem* baptiſmum *jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: Dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate.*

5. S. Cyprianus quoque præſertim in ſuis Epiſtolis haud ſemel docet 1. *Epiſcopo honorem ſacerdotii ſui, & Cathedræ* eſſe reſervatum: Epiſt. XI. 2. *Eccleſiam ſuper Epiſcopos conſtitutam:* Epiſt. XXVII. 3. *Epiſcopum Epiſcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate poteſtatem* habere animadvertendi in reliquos de Clero: *Epiſt. LXV.* 4. Dominum *Apoſtolos, ideſt Epiſcopos Eccleſiæ præpoſitos conſtituiſſe:* ibid. Et in Synodo Carthag. cui Cyprianus ipſe præfuit, quidam Epiſcopus ſic reliquos alloquitur Epiſcopos: *Apoſtolis nos ſucceſſimus eadem poteſtate Eccleſiam gubernantes.*

6. S. Irenæus loquens de Conventu a D. Paulo in Mileto indicto *Lib. III. Cap. 14.* ſcribit: *In Mileto convocatis Epiſcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheſo* &c. id quod indicat Irenæum in ea fuiſſe ſententia, Apoſtolica ætate Epiſcopos ab Presbyteris fuiſſe diſtinctos.

7. Tandem Tertullianus, Irenæus, Euſebius, Hieronymus, Optatus Millevitanus, aliique antiquiſſimi Patres, & Hiſtoriographi adcuratione quantamaxima ſucceſſiones exhibent Epiſcoporum, qui Eccleſias Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, aliaſque Orientis præcipuas ab primigenia Apoſtolica inſtitutione ad ſua uſque tempora adminiſtrarunt; quos etiam Tertullianus *Apoſtolici Seminis traduces* adpellat. Quo ſane indicatur Apoſtolos in ſingulis civitatibus nonniſi unum conſti-

(1) *Ep. ad Epheſ. num.* 3. Epiſcopi per terræ terminos definiti ex Jeſu Chriſti ſunt ſententia. *Ibidem num.* 4. Unde decet nos in Epiſcopi ſententia concurrere, quod & facitis. *Epiſt. ad Philad. num.* 4. Unus Epiſcopus cum Presbyterio, & Diaconis. *Ep. ad Smyrn. num.* 8. Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyteros, ut Apoſtolos. *Epiſt. ad Trall. num.* 12. Decet ſingulos veſtros, & præcipue Presbyteros refocillare Epiſcopum. *Ibid. num.* 13. Valete in Jeſu Chriſto, ſubjecti Epiſcopo, ut Dei mandato; & ſimiliter Presbyterio. *In reliquis Ignatii Epiſtolis crebræ occurrunt pro re, qua de agimus, ſimiles locutiones; hinc omnino conſulendæ. At omittendum non eſt præclariſſimum teſtimonium ex Actis Martyrii ejuſdem Ignatii apud Gramb. Tom. II. Spic. Sec.* II. *pag.* 12. Omnes Aſiæ Urbes, & Eccleſiæ ſalutaverunt S. Ignatium per Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. *Quæ quum ita ſint, mirari prorſus nobis datur recentiorum quorundam heterodoxorum impudentiam tantæ antiquitatis Epiſcoporum ſupra Presbyteros præſtantiam nonniſi Eccleſiaſticæ inſtitutioni adſcribentium.*

ſtituiſſe Epiſcopum reliquis gradu, & auctoritate Sacerdotibus præſtantiorem, iiſdemque præfectum. Cur autem tanta antiquis Patribus de Epiſcoporum ſucceſſionibus ſollicitudo, ex quibus etiam adverſus hæreticos argumenta deſumunt; atque adeo unde tanta Apoſtolis in Eccleſiis fundandis, & Epiſcopis conſtituendis τῆς πολιτείας *diſciplinæ* ſimilitudo, niſi ab ipſa primigenia Epiſcopatus inſtitutione Epiſcoporum ſupra Presbyteros poteſtas originem ſuam arceſſeret? Neque enim ſimilia unquam ſcripta reperies, aut tradita de Presbyteris. His addi poſſent innumeræ ex IV. & V. Seculi Patribus, & ex veterum Conciliorum Canonibus depromtæ auctoritates: verum prolixior de catholico hoc dogmate tractatio Theologis reſervata eſt: nobis tantummodo antiquiſſima in hoc caput Eccleſiaſtica monumenta protuliſſe ſat eſto: quibus quæ ſequenti capite dicemus majus robur adjicient.

§. IV. *De diverſis honorificis titulis, quibus in Primitiva Eccleſia Epiſcopi ornabantur.*

IV. Ac primo in vocis *Epiſcopi* ἔτυμον inquiramus. Ἐπίσκοπος igitur interpretatur *inſpector*: hinc Plutarchus Θεοὶ χρηστῶν ἐπίσκοποι καὶ πονηρῶν ἔργων, *Dii bonorum inſpectores, iniquorumque operum*. Item qui alicui negotio gerendo præfectus eſt: hinc idem Plutarchus in Pericle: πάντα διεῖπε, καὶ πάντων ἐπίσκοπος Φειδίας, *omnia adminiſtrabat, & curabat Phidias*. Exponitur etiam *Cuſtos*: ita Heſychius in voce Ἐπίσκοπος. Ἐπίσκοπος .... φύλαξ, Cuſtos.

V. Tum pluribus in Eccleſia honorificis titulis ornati ſunt. Ac 1. adpellati *Apoſtoli*, ut diſtinguerentur a Presbyteris: (2) Theodoretus in I. Timoth. Cap. 3. *Philippenſium Apoſtolus erat Epaphroditus; ita Cretenſium Titus, & Aſianorum Timotheus erant Apoſtoli*.

2. *Apoſtolorum ſucceſſores*; eorumque ſedes adpellatæ *Sedes Apoſtolicæ*: Cyprianus Epiſt. 69. al. 66. *Qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt*. Et Firmil. Ep. 75. apud Cypr. pag. 225. *Hoſtes unius Catholicæ Eccleſiæ, in qua nos ſumus, qui Apoſtolis ſucceſſimus*. Et Auguſt. Ep. 42. *Chriſtiana ſocietas per Sedes Apoſtolorum, & ſucceſſiones Epiſcoporum* &c.

3. *Principes populi*: Hieron. Comm. in Pſ. XLV. *Principes Populi, ideſt Epiſcopi*: & in illud Iſaiæ LX. 17. *Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos juſtitiam*; (quod ſecundum verſionem LXXviralem ſonat: *Dabo principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in juſtitia*: Δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ) hanc habet notam: *In quo Scripturæ ſanctæ admiranda majeſtas, quod* Principes *futuros Eccleſiæ Epiſcopos nominavit*. Adhæc nullus pæne eſt ex Græcis antiquis Scriptoribus, qui *Principum Eccleſiæ* nomine Epiſcopos non decorarit, & quidem ut ab Seculi Principibus diſtinguerentur.

4. Quo ſenſu dicti quoque ſunt *Præpoſiti*, ſive *Præſides Eccleſiæ*: Cyprianus Epiſt. 3. *Quod & vobis eſſet circa Præpoſiti memoriam glorioſum*: & Ep. 13. *Præpoſiti cum Clero convenientes*: & Tertull. de Cor. Militis Cap. 3. *Euchariſtiæ Sacramentum .... nec de aliorum manu, quam Præſidentum ſumimus*: & ab Euſebio, Juſtino M. & Gregor. Nyſſ.

5. Dicti ſunt προεστῶτας Antiſtites, & προέδρους Præſides; *Promulgatum eſt imperatoris Edictum, ut omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites* τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας &c. Euſebius Lib. VIII. cap. 6. & ibid. cap. 2. *Mandabatur, ut omnes ubicumque Eccleſiarum Antiſtites* τοὺς μὲν Ἐκκλησιῶν προέδρους πάντας. Juſtinus M. Apol. II. p. 97. *Ei, qui præeſt* προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν, *offertur panis, & poculum aquæ, & vini*. Greg. Nyſſ. Tom. III. pag. 306. τοὺς προεστῶτας *Præſides oportet fratrum curam habere*.

N 2 6. Ali-

(2) *Ævo Apoſtolico Epiſcoporum, & Presbyterorum nomina ex æquo Clericis primi, & ſecundi Ordinis tributum eſt: id monet Theodoretus ibid.* Eoſdem olim vocabant Presbyteros, & Epiſcopos: os autem, qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos nominabant. *Idem tradit Ambroſiaſter apud Amalarium de Officiis Eccleſ.* Lib. II. cap. 13.

6. Aliquando etiam dicti ſunt Ἔφοροι Inſpectores, & Epiſcopatus Ἐφορεία. Philoſtorg. Lib. III. n. 4. *Legatione ſuſcepta* Ἐφόρου Ephori *quoque dignitatem* &c. & ibid. num. 15. de Paulino ſcribit: *Qui ex* Ἐφορείας *Ephoria Tyri ad Antiochenam translatus fuerat*.

7. Quum Epiſcopi non populo modo, ſed reliquis etiam præeſſent Clericis; idcirco dicti ſunt *Summi Sacerdotes*, *Summi Pontifices*, aliiſque id genus nominibus deſignati ſunt. Hieron. Dial. contr. Lucif. pag. 139. *Eccleſiæ ſalus in Summi Sacerdotis dignitate pendet;* unde & pluries Epiſcopatum *Summum Sacerdotium* nuncupat. Epiſt. IC. ad Aſellam: *Omnium pæne judicio dignus Summo Sacerdotio decernebar*. Sidonius Apollin. loquens de Eccleſia Bituricenſi *Lib. VII. Ep.* 5. ſcribit: *Quæ nuper Summo viduata Pontifice*.

8. Quod vero Chriſtus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis vices ſuas in Eccleſiæ regimine commiſerit, hinc nuncupati interdum ſunt, *Vicarii Chriſti*, *Dii Terreni*, *Angeli Eccleſiæ*. Auguſt. Quæſt. Vet. & Nov. Teſt. cap. 127. *Antiſtitem Dei*, inquit, *puriorem ceteris eſſe oportet .... Eſt enim Vicarius ejus* Chriſti; & Auctor nomine Ambroſii, ſub quo Hilarium Eccleſiæ Romanæ diaconum deliteſcere eruditi ſuſpicantur Comm. in I. Cor. XI. 10. *Epiſcopus perſonam habet Chriſti ..... Vicarius Domini eſt*. Auctor Conſtit. Apoſtol. Lib. II. cap. 26. Epiſcopum vocat Ἐπίγειον Θεὸν Terrenum Deum: *Hic vobis* Ἐπίγειος Θεός Terrenus Deus, *cui honorem debetis præſtare;* ac demum Auguſt. Ep. 162. *Divina voce laudatur ſub Angeli nomine Præpoſitus Eccleſiæ*. Eodem nomine Epiſcopi donantur ab Ambroſiaſtro, Epiphanio, Socrate, aliiſque.

9. Quibuſdam etiam Epiſcopis vel ſingularium meritorum intuitu, vel propter Sedis eminentiam tributa quoque invenimus nomina *Patris Patrum*, *Epiſcopi Epiſcoporum*, & *Patriarchæ*. Sidonius Apollin. *Lib. VI. Epiſt.* 1. Lupum inſignem Galliæ Epiſcopum ſic adloquitur: *Tu Pater patrum*, & *Epiſcopus Epiſcoporum*, & *alter ſeculi tui Jacobus* (3). Patris Epiſcoporum nomine donantur ab Athanaſio *Epiſt. ad Solitar.* Hoſius, ab Hieronymo *Epiſt. LXI.* Epiphanius, ab Gregorio Nazianz. *Orat. XIX.* ſuus ipſius Pater, ab Synodo Nicæna II. *Act. VI.* Gregorius Nyſſenus, ab Theodoſio, teſte Nicephoro *Lib. XIV. cap.* 43. Chryſoſtomus &c. Ac demum Nazianzenus *ibid.* Patrem ſuum *Patriarcham* nominat, quamvis Nazianzi, quod Cappadociæ oppidulum eſt, fuerit Epiſcopus: & Nyſſenus *Orat. de funere Meletii*, quam in Concilio Conſtantinopolitano habuit, omnes in ea congregatos Epiſcopos Patriarchas nominat. *Videte*, inquit, *hos Patriarchas: omnes iſti filii noſtri Jacobi ſunt:* intelligens Meletium, quem ſeculi ſui Jacobum vocat. Atque adeo Epiſcopatus ipſe aliquando ἐμφατικῶς Patriarchatus dictus eſt. Nazianz. ipſe *Cygn. Carm. de Epiſcopis* T. II. p. 308. Epiſcopis in ſuæ ipſius Eccleſiæ functiones fraude ſeſe inſinuantibus in hunc modum valedicit: *Valete: inſolentes eſtote: Patriarchatus per ſortes inter vos diſtribuite. Magnus hic mundus vobis cedat. De locis aliis in alia migrate. Hos dejicite, illos adtollite*. Ergo ita Epiſcopi nuncupati ſunt ad illud uſque temporis, quo nomen Patriarchæ eminentiorum tantummodo Epiſcoporum cœpit eſſe proprium (4).

10. Poſtremo *Papæ* nomen prioribus Eccleſiæ ſeculis communis fuit Epiſcoporum titulus: Dionyſius Presbyter Alexandr. Heraclam ſuum Epiſcopum vocat *Beatiſſimum Papam* apud Euſebium *Lib. VII. cap.* 7. Eodem titulo ornantur ab Hie-

(3) *Fortaſſe hic Sidonius adluſit ad Epiſtolam Pſeudo-Clementis ad Jeroſolym. Epiſcopum Jacobum, quæ ſic inſcribitur*. Clemens Jacobo Domino Epiſcopo Epiſcoporum. *Cur Patres Patrum aliquando nuncuparentur Epiſcopi, veriſimilem adfert rationem Epiphan. Hæreſ. LXXV.* Epiſcoporum, *inquit*, Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Quum ex adverſo Presbyteri filios tantum Chriſto per baptizandi poteſtatem parturire poſſint.

(4) *Petrus de Marca* Diſſert. de Primatibus *contendit Athalarium, & reliquos Gothorum Reges in Italia omnes ſuæ ditionis Epiſcopos eodem nomine* Patriarchas *nuncupaſſe*.

Hieron. Athanaſius, Epiphanius, & Paulinus: *Epiſt. 61. ad Pammach.* Tum Paulinus Nolanus frequentes ad Auguſtinum mittens Epiſtolas, ſemper eas inſcribit, *Beatiſſimo Papæ Auguſtino:* Epiſt. 17. 18. 25. 30. Verum de *Papæ* nomine opportunior, ubi de R. Pontifice, ſermo redibit.

§. V. *De quibuſdam obſervantiæ indiciis, quibus Epiſcopi a Fidelibus colebantur.*

VI. Quamvis omnes ex æquo Clerici pluribus, iiſdemque ſingularibus fruerentur prærogativis, de quibus ſigillatim ſuo loco: erant tamen quædam veluti honoris, & ſubjectionis argumenta, quæ Epiſcopis tantummodo deferebantur. 1. Erat caput coram ipſis inclinare ad recipiendam eorum benedictionem. Ipſi etiam Imperatores ejuſmodi obſequio erga Epiſcopos ſeſe gerebant, uti ex Serm. Hilarii adverſ. Conſtantium liquet: *Oſculo Sacerdotes excipis ..... Caput benedictioni ſubmittis* (5).

2. Eorum manus exoſculari, quod priori cæremoniæ junctum autumo: utrumque enim ſimul nectit Ambroſius de Dignit. Sacerd. Cap. 2. *Quum videas Regum colla, & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dexteris, eorum orationibus credant ſe communiri.* Conſulendus Savaro Notis in Sidonium Apollin. *Lib. VIII. Ep.* 2. quibus Paulini, Chryſoſtomi, Ennodii, aliorumque veterum teſtimonia in hanc rem profert (6).

3. Uti olim multitudo Chriſto urbem Jeroſolymorum ingredienti τὸ Hoſanna adclamavit, id quoque Epiſcopis ſuis aliquando fideles præſtitiſſe teſtatur *Hieron. in Matth. XXI.* (7).

4. Interdum ubi quis Epiſcopum adloqueretur, ſermonem plerumque ſuum hoc titulo inchoabat: *Precor coronam*, vel *per coronam veſtram:* cujus ſane cæremoniæ origo viris doctis adhuc obſcura.

5. Titulis quoque *Deo Amantiſſimi*, *Sanctiſſimi*, aut *Beatiſſimi* haud raro inſigniri conſueverunt. Juſtinianus Novell. XL. *Imperator Petro* τῷ Ὁσιωτάτῳ Sanctiſſimo, & Μακαριωτάτῳ Beatiſſimo *Archi-epiſcopo Jeroſolymorum*. Item Novell. XLII. LXVII. LXXXVI. &c. Conc. Chalcedon. Act. X. *Deprecatio* Θεοφιλεστάτοις Deo amantiſſimis, & *ſanctiſſimis Epiſcopis.* Tum plures Hieronymi ad Auguſtinum Epiſtolæ hanc habent ἐπιγραφήν. Do-

(5) *Iſtuc reſpexiſſe videtur Valentinianus Imp. ubi Epiſcopos ad Præſulem Mediolanenſem eligendum congregatos admonens, ut nonniſi talem in Epiſcopali Cathedra collocarent, quem omni virtutum genere exornatum noſſent, ſubnectit:* Ut ipſi, qui regunt imperia, ſincera voluntate illi capita ſua inclinent. *Adiſis Valeſium, qui* in Notis ad Theodor. Lib. IV. cap. 1. *plura hujuſce praxeos exempla ex antiquis auctoribus colligit.*

(6) *Chryſoſtomus* Hom. XLV. in Meletium *ſcribit ejuſmodi obſequii indicium plerumque a populo Meletio fuiſſe exhibitum:* Ubi, *inquit*, ad Antiochenos venerit, univerſam civitatem ei obviam iviſſe, alios quidem, qui prope acceſſerint, & pedes ejus prehenſantes, & manus ejus oſculantes *&c.*

Huc facit, ac notandum prorſus duco, quod de S. Ambroſio ſcribit Paulinus in ejus vita: Quum adoleviſſet, *inquit*, & eſſet in urbe Roma conſtitutus cum matre vidua, & ſorore, quæ virginitatem jam fuerat profeſſa, comite alia virgine.....quum videret *Sacerdotis* a domeſtica Sorore, vel matre *manus exoſculari*, ipſe ludens offerebat *dexteram*, dicens *& ſibi id ab eis fieri oportere, ſiquidem ſe Epiſcopum futurum eſſe* memorabat.

(7) *Ejuſmodi conſuetudinem Hieron. damnare potius videtur, tanquam plus juſto honoris homini adhuc mortali tribuentem: de ea enim ſic ſcribit:* Videant ergo Epiſcopi, & quantumlibet ſancti homines, cum quanto periculo diei iſta ſibi patiantur; ſi Domino, cui vere hoc dicebatur (quia necdum erat ſolida credentium fides) pro crimine impingitur.

Tum Itinerarium *Antonini Monachi citatum a Valeſio* Not. in Euſebium Lib. II. cap. 23. *ejuſmodi habet ſalutationem Epiſcopis exhibitam.* Benedicti vos ſi Domino, benedictuſque adventus veſter: Hoſanna in excelſis. *Eundem honorem a chriſtianis Jacobum Ieroſolym. Epiſcopum accepiſſe Auctor eſt Hegeſip. apud Euſebium* Lib. II. cap. 23. *Quod tamen potius ejus ſanctitati tributum videtur, quam Epiſcopatui. Eodem hoc ſenſu intelligendum quoque videtur, quod de eodem ſanctiſſimo Viro ſcribit Hieronym.* Com. in Gal. cap. 1. *ſcilicet fuiſſe eum* virum tantæ ſanctitatis, & rumoris in populo, ut fimbriam veſtimenti ejus certatim cuperent attingere.

Domino vere ſancto, *& Beatiſſimo Papæ Auguſtino* (8).

6. Epiſcopis in Eccleſia præ reliquis Presbyterorum ſedibus ſemper eminentior quidam, & celſior deſignatus veluti Thronus eſt. Unde Sedes Epiſcoporum Alexandrini, & Jeroſolymitani *Throni* vocati ſunt *Apoſtolici*. Euſebius *Lib. VII. cap.* 19. 32. Naz. *Orat. XXI.* & ab eodem Nazianz. aliiſque nonnunquam Sedes Epiſcopalis *Thronus* nuncupatur *Altus*, *Excelſus*, *Sublimis*, comparate duntaxat ad Sedes Presbyterorum, quæ ad latus poſitæ *Throni ſecundi* dicebantur. Porro Epiſcopis in ſuis ſedibus nimia prorſus vitanda erat ſublimitas, & magnificentia, qua potius invidiam ſubirent, & ab Eccleſiæ hoſtibus contemtum nanciſcerentur, quam decori ipſorum, & venerationi conſultum iretur. Unde Paulo Samoſatenſi in Conc. Antiocheno vitio tributum eſt, quod *tribunal*, *& ſublimem thronum*, *non ut Chriſti diſcipulus*, *ſed ut quidam hujus mundi princeps ſibi in Eccleſia conſtruxerit*.

§. VI. *Singulis Civitatibus nonniſi ſinguli præficiendi Epiſcopi*.

VII. Quamvis in unaquaque Eccleſia plures eſſe poſſent presbyteri, qui presbyterium, Eccleſiaſticumque ſenatum conſtituerent; ſemper tamen ab ævo uſque Apoſtolico ea viguit univerſalis Eccleſiæ lex, ut unus tantum in ſingulis civitatibus ordinaretur Epiſcopus. Cyprianus Epiſt. 55. *al.* 59. *Unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos*, *& ad tempus judex vice Chriſti*. Hac de cauſſa Novatianus contra Cornelium Epiſcopus Romæ ordinatus ab omnibus univerſim Catholicis Epiſcopis, ceu Legis Eccleſiaſticæ violator, damnatus eſt. Quinimmo Cyprianus ipſe *Ep.* 52. *al.* 55. eundem adulterum vocat, & extraneum; tum *Ep.* 44. *al.* 46. communicatorias ejuſdem litteras ab Synodo Africana fuiſſe rejectas ſcribit, quippe qui *profanum erigere altare*, *& adulteram cathedram collocare*, *& ſacrilega contra verum ſacerdotium ſacrificia offerre tentaverit*. Non abſimili ratione quum Conſtantius Imperator Populo Romano ſignificaſſet velle ſe Liberium, & Felicem Epiſcopalis Romanæ Sedis eſſe ſocios, refert Theodoretus *Lib. II. cap.* 14. una voce omnes pariter exclamaſſe: *Unus Deus*, *Unus Chriſtus*, *Unus Epiſcopus*.

VIII. Et ſane 1. Ignatius quamſæpiſſime in ſuis Epiſtolis in una Eccleſia nonniſi unum cum ſuo presbyterio exhibet præſidentem Epiſcopum. Quem ſcribendi morem 2. ab omnibus, qui deinceps floruere, Patribus ſervatum offendes. 3. Conc. Nicæn. *Can. VIII.* de Epiſcopis Novatianis ad Eccleſiam revertentibus decernit ipſis *Chorepiſcopi*, *vel Presbyteri locum* adſignandum, *ut omnino eſſe in Clero videantur*, *& in una urbe non ſint duo Epiſcopi*. Origenes quidem Hom. XIII. in Lucam duos videtur in ſingulis eccleſiis Epiſcopos conſtituere: *Per ſingulas Eccleſias bini ſunt Epiſcopi*. At vero ſtatim mentem ſuam aperit, ſcilicet de Epiſcopo viſibili, & inviſibili, homine, & angelo; ſubnectit enim: *Alius viſibilis*, *alius inviſibilis*.... *Ego puto inveniri ſimul poſſe & Angelum*, *& hominem*, *binos ſimul Epiſcopos*.

IX. Illud hic omnino animadvertendum, haud ſemel ad diuturnum aliquod, & inveteratum Schiſma finiendum duos aliquando Epiſcopos in una eademque Eccle-

(8) *Savaro* Notis in Sidon. Lib. VI. Epiſt. 3. *cenſet ejuſmodi loquendi formulam ad tonſuræ Epiſcopalis figuram reſpexiſſe. Alii ab ornamento eam deducunt, quod in capite ſuo geſtaverit Epiſcopus, quodque mitram, vel coronam fuiſſe volunt; & ſane de Jo. Apoſtolo ſcribit Polycrates apud Euſebium* Lib. V. cap. 24. Sacerdos fuit, & *πέταλον laminam portavit; & de Jacobo Jeroſ. Epiſcopo Epiphan. Hæreſ. XXIX. num.* 4. Jacobus *πέταλον laminam*, ſive *bracteam* in capite geſſit, *& quidem Sacerdotum Judaicorum inſtar, qui eandem in capite geſtare conſueverunt. Bingamus* Lib. II. cap. 9. n. 5. *metaphoricum autumat fuiſſe loquendi morem, quo Epiſcopalis Ordinis dignitas, & regale Chriſti Sacerdotium, in ipſis ſingulari gloria præfulgens, ſignificaretur. Clariſſimus Dominicus Cavallarius in ſuis Inſtitutionibus Juris Canonici* Part. I. Cap. XXXII. §. VIII. *novam hac de re adfert interpretationem, nimirum* ejus locutionis genus ex forma presbyterii dimanaſſe. *Ejuſmodi autem ſententiam pluribus* ibidem *adſtruit, ut ipſam vero oppido ſimilem reddidiſſe merito ſibi gratulari poſſit*.

Eccleſia ſediſſe, & utramque dignitatem poteſtatemque epiſcopalem ex æquo exercuiſſe. Iſtiuſmodi conditionem Meletius Epiſcopus Antiochenus Paulino adverſario ſuo Eccleſiam ab ipſo ſeparatam habenti benigne obtulit, cui tamen, referente Theodoreto (9), Paulinus non adquievit; auream Meletii Paulinum adloquentis orationem refert Theodoretus, quam vide inferne. Eadem conditio Donatiſtis quoque in Africa ab Catholicis oblata eſt, ut libentius, & facilius ad Eccleſiæ Catholicæ communionem redirent, ac ſimul diuturna Africanarum Eccleſiarum diviſio auferretur. Collatio Carthag. I. cap. 16. *nobiſcum teneant unitatem, ut non ſolum viam ſalutis inveniat, ſed nec honorem Epiſcopatus amittant*. Quæ ſane pactio in iis, qui ad Eccleſiæ redierunt unitatem, adcurate ſervata eſt; *ibid.* enim additur. *Nam hoc ab ipſius ſeparationis exordio in eis, qui damnato nefariæ diſceſſionis errore, unitatis dulcedinem vel ſero ſapuerunt, catholica dilectio cuſtodivit*.

X. Aliud etiam in cauſſa eſſe poterat, ſaltem ex ſententia Hammondi, & Pearſonii, ut duo in eadem civitate eſſent Epiſcopi: nimirum ubi in eadem civitate Judæi eſſent, & Gentiles ad fidem converſi; ita ut alter Judæorum eſſet Epiſcopus, alter Gentilium. Ejuſmodi morem Antiochiæ ſervatum cenſent, ubi Evodius, & Ignatius Epiſcopi, ab Apoſtolis ordinati dicuntur: uti quoque Linus, & Clemens Romæ; & alter quidem a Petro Judæorum Epiſcopus, alter a Paulo Epiſcopus Gentilium. Verum ejuſmodi opinio aliis viris doctis (10) non probatur; atque adeo Pearſonius ipſe ab ea receſſit *Diſſert. II. de ſucceſſ. Rom. Pontif. cap. 3.*

XI. Porro negandum non eſt, Regulæ generalis de unico in ſingulis civitatibus Epiſcopo legitimam illam fuiſſe exceptionem; nimirum quum Epiſcopis vel grandævis, vel infirmis Coadjutores dabantur, qui, Epiſcopo adhuc vivente, ordinati, iiſdem poſtea in Epiſcopatu ſuccederent. Sic Narciſſus Jeroſolymitanus Epiſcopus ob longius productum ſenium (annos enim agebat centum, & viginti) Alexandrum ſibi Coadjutorem in Epiſcopatu adſcivit. Quod ex divina revelatione factum ſcribit Euſebius (11).

XII. Atque hoc primum exemplum occurrit Coadjutorum Epiſcoporum, uti recte obſervavit Valeſius Notis ad Euſebium *Lib. VI. cap.* 2. At ſecutis temporibus ſimiles deinceps occurrunt Coadjutorum electiones. Sic Theotecnus Epiſcopus Cæſarienſis Anatolium ſibi Coadjutorem adjunxit ea conditione, ut *ambo eandem Eccleſiam gubernarent:* ut ſcribit Euſebius *Lib. VII. cap.* 32. Maximus Jeroſolymitanus Epiſcopus *una cum Macario Epiſcopali munere functus eſt* ex Sozomeno *Lib. II. cap.* 20. Orion Epiſcopus Palæbi-

(9) *Theod. Lib. V. cap.* 3. Meletius mortalium omnium mitiſſimus amanter, & benigne compellans Paulinum: Quoniam, inquit, & mihi ovium iſtarum curam Dominus commiſit, & tu alias oves curandas ſuſcepiſti, oveſque inter ſe conſentiunt, greges noſtros, amice, conjungamus, & contentionem de præfectura dirimamus, oveſque in commune paſcentes, communem illis curam impendamus. Quod ſi de media ſede eſt controverſia, ego hanc etiam conabor removere. Ponatur enim in ea, quæſo, ſacrum Euangelium, & ex utraque parte nos ſedeamus: & ſi quidem prior ego e vita exceſſero, tu ſolus, amice, gregem reges: ſin autem tibi prius id contigerit, ego rurſus ovium pro viribus curam geram. Quæ quum benigne, amanterque a divino Meletio proferrentur, Paulinus tamen non adquievit.

(10) *Cotelerius Not. in Conſtit. Apoſt. Lib. VII. cap.* 46. Ex Apoſtolici, *inquit*, Conſtitutoris verbis concludunt viri docti, Evodium, & Ignatium ſimul fuiſſe Antiochiæ Epiſcopos, illum gentibus datum, hunc Judæis.... Subtiliter profecto, & ingenioſe hæc, ac, ſi vis etiam, veriſimiliter: mihi tamen res non perſuadetur facile. Quia, quod volunt, non dicit aperte Conſtitutio: immo magis videtur exponenda per communem ſucceſſionis morem.

(11) *Euſebius Lib. VI. cap. II.* Verum quum propter extremam ſenectutem miniſterium ſuum obire amplius non poſſet, ſupradictum Alexandrum alterius Eccleſiæ Epiſcopum *divina diſpenſatione per revelationem* quandam, quæ illi in ſomnis adparuerat, ad participandum cum Narciſſo *Sacerdotis officium* vocavit. *Profecto Narciſſo divina revelatione opus fuit, non ut ſibi coadjutorem adjungeret, ſed ut jam alterius Eccleſiæ Epiſcopum ad id muneris evocaret. Nam alias Coadjutoris electio communi Epiſcoporum ſuffragio firmata legitima habebatur.*

læbiſcenſis ex Syneſio Ep. 67. *beatæ memoriæ Siderium elegit*. Joannes Epiſcopus Apameæ ex Theodor. Lib. V. cap. 4. *dum tempeſtas ſæviret, adjutorem operis* epiſcopalis *habuit Stephanum*. Gregorius Nazianzenus ſimul cum parente ſuo ſene Nazianzum rexit, quod non modo Hieron. Socrates, aliique veteres teſtati ſunt, verum & ipſe Gregorius Orat. VIII. ad Patrem. *Proinde*, inquit, *nunc quidem cum præclaro Parente meo curam hanc ſuſcipere non recuſo, velut magnæ aquilæ, & altiſſime volantis pullus non incommodus e propinquo*. Poſtremo Auguſtinus Hipponenſium Epiſcopus vivo adhuc Valerio ordinatus una cum ipſo ad aliquod tempus cathedram Epiſcopalem tenuit.

XIII. Jam vero hæc, aliaque ejuſmodi exempla occurrunt etiam poſt Synodum Nicænam, cujus Canone VIII. ſancitum eſt: *Ne in una Civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*. Qua de re ubi Auguſtinus Eradium, quem Eccleſia conſentiente ſuum nominavit ſucceſſorem, ordinare recuſavit, ſtrictiori quadam notione Canonem Nicænum interpretatus eſt; quum contra alii duos in una civitate Epiſcopos Canone Nicæno duntaxat vetari ſentiebant, ubi juſta deficeret cauſſa, nec Eccleſiæ conditio id neceſſario expoſtularet. Profecto quando *Auguſtinus ipſe Valerio conſacerdos acceſſit*, ut ſcribit Poſſidius *Vit. Auguſt. cap.* 8. ſcrupulus ea de re ei ſubnatus eſt; at tandem ordinari ſe paſſus eſt, edoctus ejuſmodi morem æque in Africana, ac in tranſmarinis Eccleſiis receptum eſſe.

§. VII. *Epiſcopi in parvis Oppidis haud ordinandi.*

XIV. Hæc lex in Synodo Sardicenſi primum ſancita occurrit, cujus *Canon* VI. ſic habet: *Non licet ſimpliciter Epiſcopum conſtituere in aliquo pago, vel parva civitate, cui vel unus Presbyter ſufficit*; tum Legis ratio ſubnectitur: *ne Epiſcopi nomen, & auctoritas vilipendatur*: quinimmo Athanaſius Apolog. II. tradit *præter majorum traditionem eſſe* in pagis Epiſcopos ordinari.

XV. Verum hæc lex non ubique obtinuit: nanque cum ante, tum poſt Concilium Sardicenſe Epiſcopi in parvis civitatibus, & vicis conſtituti occurrunt. Nazianzus a Socrate *Urbs exigua* dicitur; & Gregorius Nazianz. Patrem ſuum iſtius urbis Epiſcopum *Exiguæ Urbis Epiſcopum* nominat: *Orat. XIX. de Laud. Patr.* Tum nonniſi parva Oppida erant *Geras* prope Peluſium, *Dolicha*, & *Cucuſus*, in Armenia. Vicos quoque duntaxat fuiſſe conſtat *Olbiam*, *Hydracem*, & *Palæbiſcam*; attamen omnia iſtæc loca ſuum quæque Epiſcopum habuiſſe teſtantur Sozomenus *Lib. VIII. cap.* 19. Chryſoſtomus *Epiſt.* 125. Theodoretus *Lib. II. cap.* 5. & *Lib. V. cap.* 4. Syneſius *Epiſt.* 76. & Sozomeno *Lib. VII. cap.* 19. adteſtante *in aliis provinciis interdum etiam vici conſecratos habebant Epiſcopos, ſicut in Arabia, & in Inſula Cypro*. Idem dicas de Africanis, & Romanis Provinciis, in quibus frequentiſſimi vel in oppidulis Epiſcopatus: uti patet ex ſubſcriptionibus Conciliorum. Vide *Diſſert. de Eccleſ. Setin. Cl. Viri Georgii*.

XVI. Cur vero Epiſcopatus in exiguis quoque locis nonnunquam erigerentur, illud potiſſimum in cauſſa fuiſſe videtur, quod quum unuſquiſque Epiſcopus, Concilio Provinciali adprobante, Diœceſim ſuam dividendi, novoſque conſtituendi Epiſcopatus haberet facultatem, nonnunquam iſtoc utebatur jure, præſertim ubi loca quædam nimium ab Epiſcopali Sede diſtarent, & ibi converſorum multitudo augeſceret, ac ſimul plures adhuc reliqui eſſent, qui ad Catholicam Eccleſiam reduci poſſent. Iſtæc ratio Auguſtinum movit, ut in ſuæ Diœceſeos Oppido Fuſſala novum Epiſcopatum erigeret (12). Et Baſilius, Cappadocia in duas partita provin-

(12) *Auguſtinus Epiſt.* 161. *ad Caleſt.* Quæ ab Hippone memoratum caſtellum millibus quadraginta ſejungitur, quum in eis regendis, & eorum reliquiis licet exiguis colligendis me viderem latius, quam oportebat, extendi, nec adhibendæ ſufficerem diligentiæ, quam certiſſima ratione adhiberi debere cernebam, Epiſcopum ibi ordinandum, & conſtituendum curavi.

Digitized by Google

vincias, Antimo Tyanæ Epiſcopo metropoliticum jus in una ſibi vindicanti provincia libenter ceſſit, at ſimul ſuæ juriſdictionis jacturam compenſare ſtuduit, novos in ſua provincia Epiſcopatus erigens, uti Saſimæ, aliiſque quibuſdam ejuſmodi obſcuris oppidis; in quo ſane Baſilii pietatem, & prudentiam maximopere commendat Nazianz. quod iſtoc remedio & fidelium creverit numerus, & bellum *inter duos Metropolitanos fuerit ſapienter compreſſum:* adeo ſemper Eccleſiæ emolumentum, & animarum ſalutem ſanctiſſimi illi Epiſcopi intendebant. Nazianzenus Orat. XX. de laudibus Baſilii: *Hoc remedium erat hujus mali magnum, & admirandum, & illius anima dignum. Etenim diſſidium hoc in Eccleſiæ commodum, & incrementum convertit, atque hanc calamitatem quam pulcherrime conſtituit patria nimirum pluribus Epiſcopis communita.*

C A P U T XIII.

De Episcopatus, eidemque adnexæ Potestatis origine.

I. Progredimur ad divinam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ inſtitutionem, in qua principem locum obtinent Epiſcopi. Jam vidimus ſuperiori Capite honorificentiores quoſdam titulos, & ſummæ præcellentiæ nomina olim Epiſcopis tribui uſitatiſſimum fuiſſe, quibus ſane non indicari modo, verum & ſatis efferri illud videtur; nimirum non Ordinem tantum, ſed Juriſdictionem etiam, & Imperium jure divino niti, & ab ipſa proficiſci Chriſti inſtitutione. Attamen haud pigebit in tam pulchrum, tamque copioſum argumentum exquiſitius inquirere, atque Epiſcopalis Poteſtatis tum originem, tum incrementa, tum denique viciſſitudines *βραχέως breviter* quidem, at vero ex ordine diſtincte exponere.

§. I. *Epiſcopi a Chriſto Domino ἀμέσως* immediate *plenitudinem Sacerdotii, ſupremamque in Eccleſiæ regimine poteſtatem accipiunt.*

II. Apoſtoli *ἀμέσως immediate* a Chriſto Domino æque Apoſtolatum, ac Epiſcopatum acceperunt. Et ſane ubi Chriſtus Apoſtolos ſui vicarios conſtituit, eoſdemque Apoſtolos ſimul, Epiſcopos, & Sacerdotes inſtituit, ita *Jo. XX.* eſt adlocutus: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos .... Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. & Matth. XVIII. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra: Euntes igitur docete omnes gentes* &c. Atqui Apoſtoli quam poteſtatem a Chriſto Domino pro perpetuo Eccleſiæ regimine acceperunt (1), eandem in ſuos ſucceſſores transfuderunt. Ad rem Clarus a Maſculo apud Auguſtinum Lib. VII. de Baptiſmo contr. Donatiſt. cap. 43. *Manifeſta eſt ſententia Domini noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem a Patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.* Et Auguſtinus ipſe in illud Pſalmi: *Pro Patribus nati ſunt tibi filii,* ſic ediſſerit: *Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro* Apoſtolis *filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt* Epiſcopi. *Hodie enim* Epiſcopi, *qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia* Patres *illos adpellat, ipſas illos genuit, ipſa illos conſtituit in* Sedibus Patrum.

III. S. Paulus *Actor. XX.* excitando ſtudio, & caritati Epiſcoporum erga ſuas Eccleſias eo utitur argumento, quod a Spiritu Sancto ad illam regendam poſiti ſint: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo* vos

(1) *Duplex a Chriſto poteſtas Apoſtolis concredita eſt: nimirum Apoſtolatus, & Epiſcopatus. Prior Apoſtolos conſtituit teſtes vitæ, doctrinæ, & reſurrectionis Jeſu Chriſti, unde plurima ipſis dona impertitus eſt:* copia Spiritus S., Doctrinæ infallibilitas, Plenitudo ſcientiæ, Gratia curationum &c. *Poſterior Apoſtolis perpetuum Eccleſiæ regimen concredidit. Porro in hanc, haud vero in illam Epiſcopi Apoſtolis ſuccedunt.*

vos ἰδίως poſuit, deſignavit, conſtituit *Spiritus S. regere Eccleſiam Dei*. Hic ſane docet Apoſtolus Epiſcopos paſcendas oves, & in eaſdem poteſtatem ἀμέσως *immediate* a Spiritu S. accepiſſe: ita Gregorius M. *in Paſtorali*, & Chryſoſtomus *Lib. III.* & *VI. de Sacerdotio*.

IV. Ex concordi antiquorum Patrum ſententia tria conſtant. 1. Plenitudinem Sacerdotii in Epiſcopatu conſtituendam.

2. Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, iiſdemque *Vicaria ordinatione* ſuccedere.

3. Uni, eidemque Epiſcopatui omnes Eccleſiæ Epiſcopos ex æquo participare. Quæ ſane indicant quam evidenter Epiſcopos recta a Chriſto ſuam accipere poteſtatem.

V. Et ſane 1. Hier. adverſus Lucifer. docet, *Eccleſiæ ſalutem a Summi Sacerdotis dignitate pendere, cui ſi non exors, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes*. Unde *Canonibus Apoſt. XL.* & *Antioch. XVI.* mox producendis Epiſcopo Populi, & animarum, quæ in Eccleſia congregantur, cura adſeritur, pro quibus etiam rationem ſit redditurus; &, uti nuper obſervavimus, *Summi Sacerdotes*, *Summi Pontifices*, *Principes Sacerdotum* nuncupari Epiſcopi, aliiſque ejuſmodi titulis inſigniri conſuevere.

2. Conſtans eſt veterum Patrum ſententia Apoſtolis in Eccleſiæ regimine Epiſcopos ſuccedere. Audiendi duntaxat Cyprianus, & Hieron. Cyprianus Lib. IV. Ep. 9. *Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ut per hos ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt*: *Qui vos audit* &c. Hieron. Ep. 85. ad Evagrium: *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Regii, ... omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt* (2). His addemodo productam Clari a Maſculo auctoritatem.

3. Cypr. de unit. Eccleſ. *Epiſcopatus unus eſt, cujus ſinguli in ſolidum partem tenent*: & in *Ep. 78. al. 67.* ſcribit, Epiſcoporum corpus, ſive collegium ita eſſe concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut, ſi quis ex ipſo collegio hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare, & vaſtare tentaverit, ſubveniant ceteri: cujus doctrinæ hanc adfert rationem: *Nam etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus*. Tum pluries, præſertim in ſuis Epiſtolis, unitatem Epiſcopatus memorat, & concordem Epiſcoporum ſibi invicem Sacerdotii glutine cohærentium univerſitatem. Neque omittendus Auguſtinus Epiſt. ad Bonifacium Rom. Pontificem: *Communis eſt*, inquit, *nobis omnibus, qui fungimur Epiſcopatus officio (quamvis ipſe in eo celſiore faſtigio præeminens) ſpecula paſtoralis*. Quum igitur ipſemet Eccleſiæ auctor Chriſtus Dominus plenitudinem Sacerdotii per Epiſcopatum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis ἀμέσως *immediate* impertierit, quiſnam non fatebitur Epiſcopos ſupremam in Eccleſiæ regimine poteſtatem recta a Chriſto Domino accipere?

§. II. *Epiſcopalis poteſtas nullis perſonarum, aut locorum finibus divinitus circumſcripta eſt.*

VI. Jam vero Epiſcopalis poteſtas non modo Chriſtum Dominum ſui proximum in Epiſcopis agnoſcit auctorem, ac veluti largitorem; verum & primæva ſui origine nullis locorum, aut perſonarum limitibus divinitus eſt circumſcripta. Namque Diœceſeon, ſive Parœciarum diſtinctio, ſive partitio nonniſi jure poſitivo primum inducta eſt: id quod pluribus conſtat. Et quidem 1. Apoſtoli, quibus Epiſcopi ſuccedunt, in univerſum mundum ad prædicandum Evangelium a Chriſto Domino miſſi ſunt: qua de re licet ex communi, mutuoque conſilio, ut Evangelium facilius, feliciuſve diſſeminari poſſet, totum orbem veluti in quaſdam Diœceſes diviſerint, quarum ſingulas ſinguli erudiendas ſuſce-

(2) *Eadem habent Cyprianus ipſe* Lib. II. Epiſt. 10. Lib. III. Epiſt. 9. Lib. I. de Unitate Eccleſiæ, & *Origenes* Tract. I. in Matth. *Pacianus* Epiſt. 3. *aliique apud Thomaſſ.* Parte I. Lib. II. Cap. 50. & 51.

Digitized by Google

ſuſceperunt; non vetabantur tamen, quocunque perveniſſent, populos docere, Eccleſias fundare, iiſdemque Epiſcopos conſtituere. Unde S. Petrus, cui Occidentales obtigere inſtituendæ regiones, Orientalium quoque curam geſſit, & S. Jacobo Jeroſolym. Epiſcopo non modo *Eccleſiæ in Jeroſolymis, verum & omnium, quæ ubique Dei providentia fundatæ ſunt, Eccleſiarum* regimen tribuit Pſeudo-Clemens *Ep. ad Jacobum*.

2. Apoſtoli aliquando diſcipulos a ſe rite inſtitutos, & ordinatos ad amplas etiam Diœceſes, quo ipſi pertingere non poterant, ablegare conſueverunt; & quidem cum poteſtate alios conſtituendi, & ordinandi, cujus rei exemplum habemus in D. Paulo, qui Titum reliquit Cretæ, *ut ea*, ait, *quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Tum Chryſoſt. Hom. VI. adv. Jud. de Timoth. ſcribit: *Ille juſtus, ille ſanctus, ille, qui orbis præfecturam ſuſcepit*.

3. Idem mire adſtruitur ex ipſa Epiſcopatus eſſentia, qui, uti modo obſervavimus, natura ſua unus eſt Epiſcoporum multorum concordi univerſitate diffuſus: haud ſecus ac ipſa Chriſti Eccleſia, cujus præcipuus character *Unitas* eſt, licet per varias, diverſaſque orbis regiones diffundatur. Inſtitutione divina nimirum ita conſtitutus Epiſcopatus, ut & poteſtas eſſet ampliſſima, & locus non eſſet circumſeptus; circumſcribi tamen poſſet communi conſilio, ac ſuprema Eccleſiæ poteſtate. Qua de re quum id præſtitit Eccleſia, non poteſtatem, ſed poteſtati locum circumſcripſit.

VII. Porro licet antiquiſſimo jure, atque adeo etiam inſtitutione apoſtolica Epiſcoporum poteſtas, ne confuſio in Chriſti corpus induceretur, certis incluſa fuerit locorum limitibus; unde *Lib. de Unit. Eccleſ.* ſcribit Cyprianus: *Singulis paſtoribus portio gregis fuit adſcripta, quam regat unuſquiſque, & gubernet*: attamen non defuerunt Sanctiſſimi, iidemque ſapientiſſimi Epiſcopi, qui ultra ſtatutos limites, proprias ſcilicet Parœcias, Epiſcopalem exercerent juriſdictionem, ſi quidem neceſſitas, aut ſalus populi, deficientibus, corruentibus, abſciſſis paſtoribus, id poſtularet: eo forte principio, quod Epiſcopatus unus ſit, cujus in ſolidum pars tenetur a ſingulis, adeo ut in ſolidum obligati ad gregis ſalutem præſto eſſent, ubi deficerent, corruerent, abſcinderentur alii, quorum & locum, & onus ex caritate ſubibant. Unde Cyprianus nuper laudatus: *Si quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare, & vaſtare tentaverit, ſubveniant ceteri ..... Nam etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus, & oves univerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo, & paſſione quæſivit, colligere, & fovere debemus*. At nulla neceſſitate urgente ſuo cuique Epiſcopo pars gregis, circumſcripto territorio, adſignata eſt, extra quam aliquid moliri vetitum, & quidem ex Apoſtolica diſciplina.

VIII. Atque hinc de S. Cypriano ſcribit Nazianzenus, quod non Eccleſiæ ſolum Carthaginienſis, ac totius Africæ: verum & aliarum Eccleſiarum etiam per Orientem curam egerit. (3) Huc quoque faciunt exempla Athanaſii, & Euſebii Samoſatenſis. Ille namque, teſte Socrate, (4) ex exſilio redux in quibuſdam Civitatibus ad ſuam Eccleſiam non pertinentibus plures fecit ordinationes; hic vero ex Theodoreto (5) per Syriam, Phœniciam, Palæſtinam, aliaſque Pro-

(3) *Naz. Orat.* 19. Epiſcopus univerſalis fuit, quod non Carthaginienſi tantum Eccleſiæ, nec Africæ, verum & occiduis omnibus regionibus, ac prope etiam orientali omni, atque auſtrali, & ſeptentrionali oræ præfectus fuerit. *Eadem de Cypriano ſcribit etiam Baſilius Orat.* 23.

(4) *Socrat. Lib. II. c.* 24. Athanaſius per Peluſium iter faciens Alexandriam ..... in quibuſdam Eccleſiis ordinationes fecit.

(5) *Theodor. Lib. IV. cap.* 12. Qui quum multas Eccleſias Paſtoribus carere didiciſſet, militari habitu indutus, & tiara capiti impoſita, Syriam, Phœniciam, & Palæſtinam peragravit, Presbyteros ordinans, & Diaconos, alioſque ſufficiens ordines Eccleſiaſticos. Quod ſi quando doctrina conſentientes Epiſcopos inveniſſet, etiam Pontifices carentibus Eccleſiis præficiebat. *Lib. V. cap.* 4. Magnus Euſebius

vincias militari habitu indutus Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos ordinavit. Epiphanius quoque Paulinianum Hieronymi fratrem in monaſterio extra ſuam Diœceſim ſito primum Diaconum, dein & Presbyterum ordinavit (6). Profectò hi, aliique (7) SS. Epiſcopi, quum de fidei Chriſtianæ veritate adverſus gliſcentes hæreſes ageretur, neceſſitate compulſi, ſuarum partium eſſe duxerunt manum admovere, & pro quibuſvis aliis non minus, quam pro ſuis ipſorum Diœceſibus laborare: quod nunquam præſtitiſſent, ſi jure Divino Diœceſeωn partitio inſtituta fuiſſet (8).

§. III. *Epiſcopis antiquitus in omnes prorſus ſuarum Diœceſeωn fideles poteſtatem exercere jus erat.*

IX. Quum igitur Diœceſeωn, ſive Parœciarum partitio nonniſi jure poſitivo primum inducta ſit; potiori ratione nonniſi juri humano tribuendum eſt, ut aliquis hominum cœtus ab proprii Epiſcopi poteſtate ſit exemtus. Et ſane antiquitus omnes prorſus hominum ordines in Diœceſi Epiſcopis ſubjecti erant. Unde Cyprianus Ep. 69. al. 66. Eccleſiæ *ὑσίαν eſſentiam* in eo eſſe docet, ut ſit *plebs Sacerdoti unita, & paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe*. Et S. Ignatius Ep. ad Smyrn. ſcribit: *Is, qui clam Epiſcopo, & contra ipſius voluntatem quidquam facit, Diabolo ſervit*. Ergo non modo omnes prorſus fideles laici, & clerici, verum & Monachi, ac ipſi magiſtratus antiquiſſimo jure æque Eccleſiaſtico, ac Imperiali Epiſcoporum ſubjiciebantur poteſtati. De Monachis alibi redibit ſermo: de Magiſtratibus hic pauca.

X. Et ſane de Præſidibus, & civitatum Præfectis Concilio Arelat. I. ſancitum occurrit, ut Eccleſiaſticas acciperent communicatorias litteras, quas ad Epiſcopum loci, quo mittebantur, deferrent, cujus curæ, in rebus ad ſpiritualem poteſtatem pertinentibus, quandiu illuc munere ſuo fungerentur, ſubeſſent; a quo etiam cenſuris illigari poſſent Eccleſiaſticis, ſi quid *contra diſciplinam publicam* agere auderent (9). Canonem Arelatenſem ratum habuit Conſtantinus Imperator, ac ſanctionis imperialis vim habere juſſit. Ea poteſtate interdum Epiſcopi uſi ſunt. Sic Syneſius Ptolemaidis in Ægypto Epiſcopus Andronicum Præfectum ob nimiam ſuam crudelitatem, & contumelioſa in res divinas dicta ſemel atque iterum

ſebius ab exſilio reverſus Acacium Berœæ ordinavit Epiſcopum, Chalcidis porro Euſebium, & Cyri noſtræ Iſidorum.... ſed & Eulogium ab eo ferunt Edeſſæ Paſtorem fuiſſe ordinatum .... Poſtremum omnium Marim Divinus Euſebius Dolichiæ creavit Epiſcopum.

(6) *Joannes Jeroſolymorum Epiſcopus graviter de Epiphanio conqueſtus eſt, quod in monaſterio ſuæ Diœceſeos ordinationes facere præſumſiſſet: at Epiphanius gravem pro ſe ſcripſit apologiam; & ex eo poſiſſimum principio ſeſe defendit, quod, poſtulante neceſſitate, caritati, quæ omnibus præponenda eſt, ſit indulgendum*. Nam etſi, *inquit in Ep. ad Joan. Jeroſ.* ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur, tamen præponitur omnibus caritas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt, nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quare factum ſit.

(7) *Amphilochius, licet eſſet membrum Diœceſeos Aſianæ,* Iſauticæ *tamen* Eccleſiæ, *quæ ad Orientalem pertinebat Diœceſim, curam geſſit: quo nomine laudatur etiam* a Baſilio: *uti Baſilius ipſe* Eccleſias Armeniæ *aliquando curavit:* Epiſt. 183. 296., *& alibi. Tum Theodoretus* Lib. V. cap. 4. *de Hilario Pictavienſi, & Euſebio Vercellenſi ſcribit*: Iſti viri, velut magnifica quædam lumina Illyricum, & Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore radiarunt.

(8) *Jam vero illud hic πάρεργως animadvertendum, quod licet aliquando ad fidem tuendam caritate urgente in alienis Diœceſibus quid egerint: attamen Univerſalis totius Eccleſiæ providentia præcipue ad R. Pontificum pertinet, quippe qui divino jure conſtitutus Caput, & Primas univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ: verum de iſtoc Capite alias erit dicendi locus.*

(9) *Concilium Arelat. I. Can. VII.* De Præſidibus.... ita placuit, ut quum promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias. Ita tamen, ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur; ut quum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur.

Digitized by Google

rum admonitum, tandem a fidelium communione ſegregavit (10). Cyrillum quoque Alexandrinum Oreſtis Præfecti in Ægypto Auguſtalis coram geſſiſſe, *ejuſdemque actus exploraſſe*, quod tamen ipſe graviter ferebat, ſcribit Socrates *Lib. VII. Cap.* 13.

XI. Porro Epiſcoporum in ſuos Parœcianos auctoritas in eo potiſſimum elucebat, quod nulli iter aliquod aggredi jus eſſet ſine litteris formatis, ut vocabant, quas ab Epiſcopo ſuo acceptas, ſi ſecum non ferrent, nullibi in communionem recipi poterant. Hæ pro diverſa vel occaſione, vel hominum, qui eas accipiebant, conditione, diverſi erant generis; ſcilicet vel *Commendatoriæ*, vel *Communicatoriæ*, vel *Dimiſſoriæ*. *Commendatoriæ* illæ erant, quæ vel nobili loco natis hominibus dabantur, vel iis, quorum exiſtimatio aliquando in quæſtionem fuerat vocata, vel demum Clericis, quibus in exteras regiones proficiſcendum eſſet. *Communicatoriæ* dicebantur illæ, quibus ſignificabatur fidelem eas deferentem in communione eſſe Eccleſiæ: ac propterea cuicui licere cum ipſo communicare. Qua de re *Pacificæ* etiam, *Eccleſiaſticæ*, & *Canonicæ* dictæ ſunt. *Dimiſſoriæ*, quæ & ipſæ aliquando *Pacificæ* adpellatæ, ſolis iis clericis dabantur, quibus ex una Diœceſi in aliam domicilii illic figendi cauſſa concedendum eſſet. Univerſæ hæ Epiſtolæ ex æquo *Formatæ* nuncupabantur, quod peculiari forma, certiſque determinatis characteribus conſcriberentur, ut a ſuppoſititiis diſcerni poſſent.

XII. Ejuſmodi litteras dare proprium Epiſcopi jus erat. Unde Conc. Carthag. I. Can. VII. decernit: *Clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe ſine litteris Epiſcopi ſui*. Idem conſtituunt Conc. Agath. *Can. LII.* Epaonenſe *Can. VI.* Milevitanum *Can. XX.* & Concilium Antioch. poſtquam *Can. VII.* præſcripſit *Nullum peregrinorum ſine pacificis*, ideſt commendatitiis, *ſuſcipiendum Epiſtolis*, *Can. VIII.* Presbyteris vicanis ſive Parochis interdicit ejuſmodi pacificas, ſive canonicas dare Epiſtolas: ſed tantummodo id juris concedit Chorepiſcopis, qui ſunt irreprehenſibiles: ad vicinos tamen Epiſcopos litteras dare Presbyteris non denegat (11), quibus Clerici alicujus ordinationem, ac fidem, & opinionem eorum notam faciant, ut hic exponit Ariſtenus. Tempore perſecutionis quidam Confeſſores Canonicas Epiſtolas dandi ſibi facultatem ſumſerunt. At Concilia Illiberitanum (12), & Arelatenſe I. (13) id ipſis graviter interdixerunt, adjecto mandato, ut qui ejuſmodi litteras haberent, novas ab ſuo Epiſcopo communicatorias acciperent. Uti quoque eadem Illiberitana Synodus aliam huc ſpectantem pravam voluit abolitam conſuetudinem, qua feminæ quædam famæ celebritate in Eccleſia conſpicuæ, uti mulieres Clericorum, vel potius Epiſcoporum, illas dare litteras, vel accipere ſibi tribuebant (14).

XIII.

(10) *Syneſius Epiſt.* 52. *ad Epiſcopos*: In hanc ille *Andronicus* vocem imperita mente, ac linguæ ter erupit, ſecundum quam nihil eſt, quod amplius moneamus hominem, ſed veluti membrum inſanabile a nobis eſt ſegregandus, ne illius contagione, quod ſincerum eſt, corrumpatur.

(11) *Antiochenum an.* 341. *Can. VIII.* Presbyteri, qui ſunt in agris, Canonicas Epiſtolas dare non poſſunt: ad ſolos tantum vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt. Chorepiſcopi autem, qui ſunt irreprehenſibiles, dare poſſunt pacificas, ideſt generales Epiſtolas.

(12) *Conc. Illiber. Can. XXV.* Omnis, qui adtulerit litteras confeſſionis, ſublato nomine confeſſoris.... communicatoriæ ei dandæ ſunt litteræ.

(13) *Conc. Arelat. I. Can. IX.* De his, qui Confeſſionum litteras offerunt, placuit, ut ſublatis eis litteris alias accipiant communicatorias.

(14) *Conc. Illib. Can. LXXXI.* Ne feminæ ſuo potius, abſque maritorum nominibus, laicis ſcribere audeant: quæ fideles ſunt, vel litteras alicujus pacificas ad ſuum ſolum nomen ſcriptas accipiant.

Baronius, Garſias, Loayſa, aliique Canones Illiber. & Arelatenſem de iis explicant epiſtolis, quas lapſi ad jus communionis recuperandum ab martyribus exturquebant. At contra de Litteris formatis omnino intelligendos cenſet eruditus Albaſpinæus.

1. *Quia*

XIII. Poſtremo in redituum Eccleſiaſticorum adminiſtratione non minor elucebat Epiſcopi poteſtas, cujus erat providere, ut recte, & utiliter adminiſtrarentur. Atqui de iſtoc capite alibi redibit ſermo.

§. IV. *De Epiſcoporum Poteſtate in Cauſſarum Secularium Cognitione.*

XIV. Antiquis illis Eccleſiæ temporibus tam bene ſancteque Epiſcopi audiebant, ac tantæ erant apud omnes exiſtimationis, ut interdum non modo fideles, verum & cujuſvis ſectæ homines in obortis diſſidiis ad eos, ceu ad optimos diſſidentium arbitros, ac judices adpellarent, ipſorum integritati, & juſtitiæ tuto fidentes: hujuſce praxeos ſæpius meminit Sidonius Apollinaris, præſertim *Lib. VI. Epiſt.* 2. & 4. & Syneſius id ipſum Epiſcopalis ſui officii partem eſſe ſcribit *Ep.* 105. Tum de Ambroſio narrat Auguſt. *Confeſſ. Lib. VI. cap.* 3. ipſum tanquam dilectum Arbitrum adire conſueviſſe *catervas negotioſorum hominum, quorum infirmitatibus ſerviebat* (15). Et Auguſtinus ipſe *Epiſt.* 110. & 149. de oneribus ſibi hac de cauſſa incumbentibus graviter conqueritur: quippe qui non a Catholicis modo, verum & ab cujuſvis ſectæ hominibus quam frequenter interpellabatur; *quorum cauſſas*, uti narrat Poſſidius Vit. Aug. Cap. 19. *audiebat diligenter, ac pie*: ut eas aliquando uſque ad horas refectionis, aliquando autem tota die jejunans, ſemper tamen noſceret, & dirimeret. Sapientiſſimus tamen, & Sanctiſſimus Epiſcopus ejuſmodi onera libenter ſubibat, ut inde Chriſtianæ Religioni incrementa accederent: etenim, ut *ibid.* ſcribit Poſſidius, compertis rerum opportunitatibus divinę legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat, & eas, quo adipiſcerentur vitam ęternam, edocebat, & admonebat. Quidnam juris hiſce Epiſcoporum arbitriis detulerint Imperatores mox videbimus.

XV. Porro in hujuſce Epiſcopalis muneris originem inquirere ſi velimus, illud profecto ex Auguſtini ſententia fidelibus videtur injunxiſſe Apoſtolus, ubi *I. ad Corinth. 6.* veluti crimini vertens Corinthiis, quod ſuas cauſſas Ethnicorum foris dijudicandas deferrent, *Audet aliquis veſtrum*, inquit, *habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? an neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis. Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis ſecularia. Secularia quidem judicia ſi habueritis, contemtibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Pręterea hoc paſſim repetitum in veteribus ſanctionibus occurrit. Sic Auctor Conſt. Apoſt. *Lib. II. cap.* 45. *Et ne adeant ad judicium gentilium: imo ne patiamini, ut ſeculares magiſtratus de cauſſis veſtris judicent.* Et *ibid.* cap. ſeq. *Ne igitur diſceptationes veſtras gentiles cognoſcant.*

XVI. Profecto nobis colligere datur, non alia de cauſſa ab Apoſtolo primum, dein & ab aliis Epiſcopis interdictum fidelibus ſuas lites ad Ethnicorum fora definiendas deferre, niſi quod hoc ſanctiſſimis illis Religionis Chriſtianę anteſignanis in Eccle-

1. *Quia antequam ea Concilia habita eſſent, jam abuſio de Confeſſorum, ſive Martyrum litteris ſublata erat, uti Cyprianus pluries indicat, ac præſertim* Lib. II. Ep. 7.

2. *Quia ea Concilia, ac ſaltem Arelatenſe, ſub Conſtantino celebrata ſunt, quo tempore vix pauci religionis cauſſa in carceribus, fodinis, arenariis detinebantur.*

3. *Nullibi legimus Lapſos Confeſſorum Epiſtolas ad Epiſcopos deferentes, iis rejectis, novas ab ipſis Communicatorias accepiſſe.*

4. *Tandem Martyrum Litteræ de Lapſis reſtituendis nullum apud Epiſcopos pondus, niſi poſt eorum mortem habebant. At reddita ſub Conſtantino Eccleſiæ pace, quum nullus pro fide morte mulctaretur, quiſnam litteras ſibi non profuturas, commendationemque efflagitaſſet, quam certo ſciret nullo ſibi uſui futuram?*

(15) *Ambroſius Lib. VI.* Epiſt. XXIV. *al.* XLIX. *ad Marcellum*: Petierunt cauſſæ patroni prorogari paucorum dierum tempora, ut ego reſiderem cognitor. Tantus ardor erat Chriſtianis, ne Præfectus &c.

Eccleſiæ dedecus redundare videretur. Adhæc non optime factum cenſebant, ſi præberetur Ethnicis occaſio deſpicatui habendi Chriſtianos, quum inter eos quotidie lites exoriri conſpicerent, qui ſe caritatis, & fraternitatis lege conſtringi palam prædicarent. Fideles igitur, ubi inter ſe lites emergebant, ex ſuorum numero, quos aptiores putabant, Epiſcopos ut plurimum, Arbitros unanimi conſenſione conſtituebant, quorum ſententia, lite dijudicata, & compoſita, remotis jurgiis, contentionibus, conviciis, pacati diſcedebant. Vere aurea Chriſtianæ Religionis Epocha!

XVII. Apage tamen credas Apoſtolum per vocem *contemtibiles* revera ineptos, ac vilis farinæ homines litium arbitros velle (16); at magis vocem illam comparative uſurpaſſe dicendus eſt: docens ſcilicet eos, qui minimi in Eccleſia habentur, & ad majora ejuſdem miniſteria inepti reputantur, aptiores longe eſſe Ethnicis ad fidelium diſſidia componenda.

XVIII. Verum quod Epiſcopos ſupra omnes Apoſtolus ſpectarit, vel ex ipſius verbis colligere par eſt. Quid enim ſibi volunt verba illa: *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia?* Ex quibus Auguſt. infert Serm. XXIV. in Pſ. 118. *Conſtituit talibus cauſſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens jurgare Chriſtianos.* Et in Lib. de Oper. Monach. cap. 29. *Quibus nos moleſtiis adflixit Apoſtolus non utique ſuo, ſed ejus, qui in ipſo loquebatur, arbitrio, quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus.*

XIX. Jam vero hanc Epiſcoporum poteſtatem tam longe abeſt, ut Chriſtiani Imperatores imminuerint, ut potius perſpicientes maximum, quod inde in imperium derivabatur emolumentum, ſuis legibus illam firmatam, imo & auctam voluerint. Quod patet ex Euſebio (17), & ex Sozomeno (18) qui narrant Conſtantinum M. Imp. 1. libenter contendentibus conceſſiſſe ad Epiſcoporum arbitrium ſe referre, quum civilium Magiſtratuum judicio ſtare nollent: 2. ſanxiſſe Epiſcoporum ſententias æque ratas, & ineluctabiles eſſe, ac ſi ab ipſo proferrentur Imperatore: 3. Provinciarum Præſidibus, aliiſque miniſtris demandaſſe, ut quam citius Epiſcoporum ſententias exſequerentur.

XX. Porro hoc ex Leg. Arcadii, & Honorii Cod. Juſtin. *Lib. I. Tit. IV. leg.* 7. & 8. ita intelligas: 1. ſi uterque litigantium libenti animo Epiſcoporum judicio ſtare non diſſentiret: 2. quum eſſent cauſſæ mere civiles, non vero criminales: in his enim non per leges modo imperatorias, verum & per Eccleſiæ canones Epiſcopi vetabantur, quo minus judicum loco ſeligi poſſent (19).

XXI.

(16) *Lightfootus* τὸ contemtibiles ἐξουθενημένους *obſervat interpretari quoque poſſe homines ſummæ exiſtimationis, qui quum judicandi munere non fruerentur, ab ipſis diſſidentibus, ceu judices, & arbitri, eligi poſſent: adeo ut vox græca dumtaxat Judices non* Authenticos, *ſive publicos, ſed* privatos *deſignet, cujuſmodi inter Judæos fuere, qui vocabantur* Ἰδιῶται: *non quod de infima eſſent multitudine, ſed quod perpetuum, & auctoriſſatum forum non habentes ab ipſis diſſidentibus cauſſarum ſuarum Cognitores deligerentur. Et ſane Judæi præter quatuor ſtata, & ſolemnia tribunalia, ſcilicet* M. Sanhedrium, Conſilium vigintitrium, Conſilium trium, & Conſilium authenticum, *noverant & quintum* non Authenticum, *quod proprie conſtituebatur ex arbitris ſponte, & ex conſenſu partium electis.* Lightfootus Hor. Talm.

Verum hæc Lightfooti conjectura præterquam quod nulli firmo videtur innixa momento (vox enim ἐξουθενημένος *proprie* nihili habitum, contemtibilem *deſignat: & nullo exemplo ad* hominem ſummæ exiſtimationis *deſignandum trahitur) Apoſtoli ſcribentis* σκοπῷ *parum convenit; at ex adverſo Vulgatæ ſententia maxime omnium proclivis eſt. Et ſane* ibid. *ſtatim ſubnectit Apoſt.* Ad verecundiam veſtram dico: ſic non eſt inter vos Sapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?

(17) *Euſeb. de Vita Conſt. Lib. IV. cap.* 27. Provinciarum Rectoribus non licuerit Epiſcoporum decreta reſcindere: Cuivis enim judici præferendos eſſe ſacerdotes Dei.

(18) *Sozomenus Lib. I. cap.* 9. Litigantibus permiſiſſe, ut ad Epiſcoporum judicium provocarent, ſi magiſtratus civiles rejicere vellent: eorum autem ſententia rata eſſet, aliorumque judicum ſententiis prævaleret, perinde ac ſi ab ipſo Imperatore data fuiſſet: utque res ab Epiſcopis judicatas rectores provinciarum, eorumque officiales executioni mandarent.

(19) *Codex Juſtinian. Lib. I. Tit. IV. Leg.* 7. Si qui ex conſenſu apud ſacræ Legis Antiſtitem litiga-

XXI. Jam vero aliquando Epiſcopi eo munere defungebantur ope alicujus Presbyteri, Diaconi, vel etiam laici, cujus integritas, ac prudentia ſatis ipſis perſpecta eſſet: præſertim quum nimium negotiis ejuſmodi diſtinerentur. Profecto Auguſtinus, cujus mirabilis prorſus, ac pæne divina hac in re caritas fuit, in eo munere comitem ſibi conſtituit Eradium (20). Et Concilium Tarraconenſe de Presbyteris loquitur, Clericiſque judicandis cauſſarum negotiis præpoſitis (21). Ac tandem Sylvanum Troadis Epiſcopum hanc facultatem clericis ſuis eripuiſſe, ac *uni ex laicis, quem æquitatis ſtudioſum noſſet, committere* conſueviſſe, auctor eſt Socrates *Lib. VII. cap.* 37.

XXII. Jam porro quum Epiſcoporum in hiſce caritatis officiis exercendis ſumma fides, atque eximia probitas, & prudentia eluceret, ac propterea ſummo in pretio apud Imperatores eſſent; hinc factum eſt, ut plurima civilia negotia ipſis pertractanda iidem Imperatores crediderint: uti e. g. in curatoribus furioſo dandis, in exceptione non numeratæ pecuniæ creditori abſenti manifeſtanda, in carceribus viſendis, in tuendis expoſitis infantibus, aliiſque perſonis egenis, in aleatoribus coercendis, in ſcenicarum mulierum libidine cohibenda, atque id genus alia: *Lib. I. Cod. Juſt. Tit. IV.* Quum tamen ita hæc omnia peragerent, ut potius ad pietatis ſanctimoniam, morumque integritatem ſuæ curæ commiſſos reſtituerent, quam ut phyſicam coactionem exercerent, eam ob rem eorum in hiſce cauſſis poteſtas *Audientia Epiſcopalis* dicta fuit: Gothofr. *in Cod. Theod. Tit. de Epiſc.*

XXIII. Quod vero ad cauſſas capitales, ſeu criminales attinet, tanquam Epiſcopi munus habebatur deprecatoris vicem apud civilem Magiſtratum ſuſcipere pro iis, qui capite erant damnati, & illis veniam impetrare. Hoc munere non ſemel Ambroſius, & Auguſtinus functi ſunt. Paulinus *in Vit. Ambroſ.* (22). Auguſtinus *Ep.* 159. (23). Syn. *Sardicenſis Can. VII.* (24). Atque ejuſmodi mos adeo invaluit, ut cujuſdam Epiſcopi electioni populus aliquando ſeſe oppoſuerit eo nomine, quod quum monachus fuiſſet, vitamque egiſſet ſolitariam, Abbas potius, quam Epiſcopus eſſe poſſet. *Hic, qui nominatur*, inquiebant, *non Epiſcopi, ſed potius Abbatis complet officium, & intercedere magis pro animabus apud cæleſtem, quam pro corporibus apud terrenum judicem poteſt:* Sidonius Apollin. *Lib. VII. Epiſt.* 9. Non abſimili ratione nonnulli apud Hieronymum clericos magiſtratus civiles ſplendidiſſime accipere oportere conſuluerunt, ut in ſuas eos partes hoc modo traherent. Porro iſtuc merito reprehendit Hieronymus; *Quod ſi*, inquiens, *obtenderis te facere hæc, ut roges pro miſeris, atque*

tigare voluerint, non vetabuntur. Sed experientur illius *in civili* duntaxat *negotio*, more arbitri ſponte reſidentis, judicium. *Ibidem Leg.* 8. Epiſcopale judicium ratum ſit omnibus, qui ſe audiri a ſacerdotibus elegerint; eamque eorum judicationi adhibendam eſſe reverentiam jubemus, quam veſtris deferre neceſſe eſt poteſtatibus, a quibus non licet provocare. *Et Concilium Tarraconenſe Can. IV.* Habeant licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis.

(20) *Auguſtinus Epiſt. CX.* Obſecro vos, & obſtringo per Chriſtum, ut huic juveni, huic presbytero Eradio, quem hodie in nomine Chriſti deſigno Epiſcopum ſucceſſorem mihi, pariamini me refundera onera occupationum mearum.

(21) *Concilium Tarrac. Can. IV.* Nullus Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Clericorum die Dominico propoſitum cujuſcunque cauſſæ negotium audeat judicare.

(22) *Paulinus Vit. Ambroſii p.* 10. Temporibus Gratiani quum ad Prætorium Macedonii tum Magiſtri officiorum pro quodam intercedendum perrexiſſet. *Ibidem p.* 12. Homines qui decepti fuerant interventu Sacerdotis Ambroſii dimiſit Stilico.

(23) *Auguſtinus pro Circumcellionibus de cæde quorumdam Catholicorum clericorum convictis binas ad Marcellinum Comitem, & Apringium Africanos magiſtratus, verbis adfectu plenis contextas Epiſtolas miſit, ut ipſis vitam impetraret.* Epiſt. 159. & 160.

(24) *Concilium Sardicenſe Can. VII.* Quia ſæpe contingit aliquos, qui egent miſericordia, ad Eccleſiam confugere, qui propter ſua peccata vel relegatione, vel in inſulam deportatione damnari, vel quavis alia ſententia addicti ſunt; iis non eſſe negandum auxilium, ſed ſine eunctatione, & dubitatione iis veniam eſſe petendam.

que ſubjectis , *Judex ſeculi plus deferet Clerico continenti* , *quam diviti* , *& magis ſanctitatem tuam venerabitur* , *quam opes* . Cave tamen putes Epiſcopos ea mente facinoroſorum hominum patrocinium ſuſcepiſſe, ut publicæ Juſtitiæ viam obſtruerent ; at vero duabus potiſſimum de cauſis : 1. ut delerent notam illam nimiæ crudelitatis , quam chriſtianis non pauci hæretici inurere ſtuduerant , omnibus ſignificantes Eccleſiam , utpote piam parentem , a ſanguine , & nece licet improborum abhorrere : 2. ut miſeri , & male conciliati illi , qui capite plectendi erant , mortem vitantes ſuum ævum producerent , & laborioſis pœnitentiæ operibus ſua crimina poſſent expiare (25).

XXIV. Sed hic animadvertere abs re non erit ex Ambroſio *de Officiis Lib. III. cap.* 9. Epiſcopos in cauſſis civilibus , ac præſertim pecuniariis nunquam apud Judices precatores acceſſiſſe ; cujus rei ſatis idoneam profert rationem his verbis : *In cauſſis pecuniariis intervenire non eſt Sacerdotis* , *in quibus non poteſt fieri* , *quin frequenter lædatur alius* , *qui vincitur* , *quoniam interceſſoris beneficio ſe victum arbitratur* .

§. V. *Epiſcopis jus erat Presbyteros* , *alioſque inferiores clericos ad reddendam ſui miniſterii rationem adigere* .

XXV. Epiſcopi quoque erat Presbyteros, Diaconos, alioſque inferiores Clericos vocare, ut redderent Eccleſiaſtici ſui miniſterii rationem ; quum ex adverſo Presbyteris Epiſcoporum mandato, & juriſdictioni ſeſe opponere haud liceret . Hinc Feliciſſimus, & Augendus, quod excitato ſchiſmate in Eccleſia Carthaginienſi ſeſe Cypriano opponere auſi fuiſſent , fidelium communione privati ſunt : Cyprianus epiſt. 39. al. 42. *Abſtinuimus a communione Feliciſſimum* , *& Augendum* ; & Epiſt. 38. al. 41. de Feliciſſimo : *Accipiat* , inquit , *ſententiam* , *quam prior dixit* , *ut abſtentum ſe a nobis ſciat* . Tum idem Cyprianus *Ep.* 65. *al.* 3. ad Rogatianum Epiſcopum , qui cum ipſo Cypriano de contentioſo quodam Diacono conqueſtus fuerat , ſcribit : *Tu quidem pro ſolita tua humilitate feciſti* , *ut malles de eo nobis conqueri* , *quum pro Epiſcopatus vigore* , *& Cathedræ auctoritate haberes poteſtatem* , *qua poſſes de illo ſtatim vindicari* . Poſtremo Canones illi , quibus ſancitur ne quis Presbyter , vel Diaconus a ſuo ipſius Epiſcopo excluſus ab aliis recipiatur, profecto ſupponunt , omnibus ex æquo Epiſcopis in Clericos ſuæ Diœceſeos cenſura Eccleſiaſtica animadvertendi jus fuiſſe. Ejuſmodi ſunt Canon Apoſt. XXXI. Nicænus V. Sardicenſis XIII. aliique . At de hoc capite opportunius *Lib. IV.*

XXVI. Tria hic omnino obſervanda ſuperſunt : 1. Epiſcopos perraro hujuſmodi poteſtate fuiſſe uſos ſine Presbyterorum ſuorum conſenſu : quippe qui veluti Senatum Eccleſiaſticum conſtituerent : de qua re jam diximus in noſtris Inſtitutionibus Canonicis *Lib. I. Tit. III.* & plura dabimus *alibi* .

2. Igitur Epiſcopalis illa poteſtas arbitraria non erat , ſed Epiſcopi ad Canonum normam illam exigere omnino adſtringebantur. Qua de re Clericis, qui ſe Epiſcopi ſui ſententia læſos exiſtimabant , jus erat

(25) *Utramque hanc rationem perbelle complectitur Magnus Auguſtinus Indicatis Epiſtolis* . *Epiſt.* 259. Pœna illorum , quamvis de tantis ſceleribus confeſſorum , rogo te , ut præter ſupplicium mortis ſit , & propter conſcientiam noſtram , & propter catholicam manſuetudinem commendandam . Ipſe enim fructus ad nos pervenit confeſſionis illorum , quia invenit Eccleſia Catholica , ubi ſuam erga atrociſſimos inimicos ſervet , atque exhibeat lenitatem . In tanta quippe crudelitate quæcunque præter ſanguinem vindicta proceſſerit , magna lenitas adparebit . *Et Epiſt.* 160. Nolumus paſſiones ſervorum Dei , quaſi vice talionis , paribus ſuppliciis vindicari . Non quo ſceleſtis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri , ſed hoc magis ſufficere volumus , ut vivi , & nulla corporis parte truncati , vel ab inquietudine inſana ad ſanitatis otium legum coercitione dirigantur , vel a malignis operibus alieni utili operi deputentur . Vocatur quidem & iſta damnatio . Sed quis non intelligat magis beneficium , quam ſupplicium nuncupandum , ubi nec ſævienti relaxatur audacia , nec pœnitenti medicina ſubtrahitur? Imple Chriſtiane judex pii patris officium , ſic ſuccenſe iniquitati , ut conſulere humanitati memineris *&c.*

Digitized by Google

vel ad Metropolitanum provocare, vel ad Synodum provinciæ. Iſtuc innumeri pæne antiqui Canones conſtituunt: ſatis ſint pro Eccleſia Orientali Can. Antioch. XII. *Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus . . . . . eum oportet ad majorem Synodum converti, & jus, quod ſe habere putat, ad plures Epiſcopos referre, eorumque examinationem, & judicium ſuſcipere.* Pro Eccleſia Africana Syn. Carthag. II. Can. VIII. *Si quis Presbyter a Præpoſito ſuo excommunicatus, vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Epiſcopos conqueri, ut ab ipſis ejus cauſſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari.* Idem & aliis Africanis Canonibus ſancitur; ac præcipue Concilii Carthaginienſis IV. Can. LXVI. *Clericus, qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem injuſtam putat, recurrat ad Synodum.* Demum pro reliquis Eccleſiis Occidentalibus Conc. Vaſenſ. II. Can. V. *Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non adquieſcit, recurrat ad Synodum:* & Venetic. Can. IX. *Si quis fortaſſe Epiſcopi ſui judicium cœperit habere ſuſpectum . . . . . aliorum Epiſcoporum audientiam, non ſecularium poteſtatem, debebit ambire.*

3. In Eccleſiis Africanis quædam in hac re peculiaris videtur obtinuiſſe conſuetudo. Canonibus enim cautum erat, ne Epiſcopus Presbyterum, vel Diaconum Eccleſiaſtica inureret cenſura, niſi adhibitis in ſententiæ exſequendæ ſocietatem vicinis aliquot Epiſcopis. Id præſcribunt Conc. Carthag. I. Can. 9. II. Can. 10. ac præcipue III. Can. 8. qui in hunc modum habet: *Si Presbyteri, vel Diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum ... in Preſbyteri nomine ſex, in Diaconi tribus, ipſorum cauſſas diſcutiant.* Verum eodem iſtoc Canone ſubjungitur: *Reliquorum Clericorum cauſſas ſolus Epiſcopus loci agnoſcat, & finiat.*

CAPUT XIV.

De Præcipuis Episcoporum muneribus in Ecclesiæ ministerio.

I. Inter Officia Epiſcopis ſive jure divino, ſive jure Eccleſiaſtico concredita quædam ita Epiſcopatui adhærent, ut nunquam in veteri Eccleſia Presbyteris commiſſa ſint, nec ipſis vi ordinis Preſbyteratus ulla ratione conveniant; uti *Sacramentorum Ordinis, & Confirmationis adminiſtratio, Olei catechumenorum, & infirmorum confectio, Ædium Eccleſiaſticarum, Virginum, & aliorum id genus Conſecratio, Pœnitentium reconciliatio* &c. Alia Epiſcopis æque ac Presbyteris vi ordinis communia ſunt, ita tamen ut ab Epiſcopis poteſtate omnis ſubjectionis immuni peragerentur; at ab Presbyteris nonniſi ex mandato, & facultate ab Epiſcopis impetrata; uti *Verbi Dei prædicatio, reliquorum Sacramentorum adminiſtratio, Sacrificii Euchariſtici oblatio, & id genus alia.* Prioris generis munia alias opportunius perſequemur; at poſterioris generis quæ ſunt, hic ſigillatim explicare Inſtituti noſtri ratio omnino poſtulat.

§. I. *Divini Verbi prædicatio Epiſcopis incumbit quam quod maxime.*

II. Quam cordi Epiſcopis Verbi Dei prædicatio eſſe debeat, ipſemet Epiſcoporum princeps Chriſtus Dominus edocuit, quum ſe delegatum a ſempiterno Patre in terras Apoſtolum adſeruit, veritatiſque Euangelicæ præconem: *Euangelizare pauperibus miſit me.* Tum Apoſtolos ad divinam per orbem univerſum diſſeminandam Religionem mittens ipſis prædicationem gravi mandato inculcavit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium.* Adhæc Apoſtoli idem ſat manifeſto declaraſſe videntur, dum menſarum, & viduarum ſervitium in Diaconos ea potiſſimum de cauſſa rejeciſſe palam profeſſi ſunt; nimirum, ut prædicationis munus liberius exſequi poſſent: Act. VI. *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo* &c. *Nos vero* ora-

orationi, *& miniſterio verbi inſtantes erimus*. Tum Apoſtolus Paulus non dubitavit adſerere, ſe non ad baptizandum, ſed ad prædicandum a Domino fuiſſe miſſum: *I. Corinth.* 1. Unde & Timotheum ad prædicandum tam gravi adjuratione eſt adhortatus: *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos per adventum ipſius, & regnum ejus: Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*.

III. Quamvis antiquiores qui ad nos pervenerint ſint Gregorii Nazianzeni Sermones; non inde tamen efficias per tria priora Eccleſiæ ſecula ab Epiſcopis prædicatum non fuiſſe (1). Et ſane 1. quid ſibi vult phraſis illa *tractante Epiſcopo* toties in Cypriani ſcriptis repetita, niſi *Epiſcopo concionem habente?* Sic Epiſt. 66. *Collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Epiſcopos audiat:* Et Epiſt. 52. *Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram* &c.

2. Ambroſius *de Divin. Offic. Lib.* I. *cap.* 1. graviter conqueritur, quod invitus licet, & imparatus ad Epiſcopatum fuerit veluti raptus, Epiſcopali tamen prædicationis muneri ſatis ſit ipſi faciendum: *Quum jam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis refugientibus impoſuit ſacerdotii neceſſitudo . . . . . Ego raptus de tribunalibus, atque adminiſtrationis infulis ad ſacerdotium, docere vos cœpi, quod ipſe non didici. Itaque factum eſt, ut prius docere inciperem, quam diſcere. Diſcendum eſt igitur mihi ſimul & docendum*. Iſtuc ſane indicat antiquiſſimum Eccleſiæ morem; ut ſcilicet Epiſcopus ipſe per ſe ſuam inſtitueret plebem, ac verbo vitæ paſceret, veluti Paſtor oves, juxta S. Petri præceptionem I. Petr. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei*.

3. In Africanis Eccleſiis adeo proprium Epiſcopi habebatur munus concionandi, ut, quum Valerius, quippe qui gente Græcus non ſatis expedite latino ſermone concionari poſſet, id muneris Auguſtino presbytero demandaverit, multi Epiſcopi ea re offenſi graviter ei detraxerint: licet poſtea in nonnullis etiam Africæ Eccleſiis idem mos fuerit paulatim inductus, ſcilicet *ut accepta ab Epiſcopis poteſtate preſbyteri coram ipſis Epiſcopis tractarent verbum Dei;* uti ſcribit Poſſidius Vit. Auguſt. *cap.* 5.

4. *Can. Apoſt. LVIII.* Excommunicationis pœna decernitur in Epiſcopum qui populi curam negligeret, & eum pietatem non doceret.

5. In Oriente quidem Presbyteri concionari, populumque docere conſueverant: at id nonniſi jubente Epiſcopo, ipſoque præſente. Unde Chryſoſtomus dicitur *egiſſe vices Epiſcopi in prædicatione verbi Dei*. Quinimmo poterant Epiſcopi facultatem illis Presbyteris circumſcribere, ac etiam interdicere: quod factum Alexandriæ perhibet Sozomenus Lib. VII. cap. 17. *ex quo Arius presbyter, de doctrina fidei differens, nova dogmata invexit*.

6. Quiſnam vel ſubdubitaverit, quos primum Apoſtoli conſtituerint Epiſcopos, eoſdem prædicationis munere diligenter fuiſſe functos? Vero enim oppido eſt ſimile Paulum uti Timotheo, ita & reliquis a ſe conſtitutis Epiſcopis prædicationis munus illa vehementi adjuratione inculcaſſe; quod & reliquos præſtitiſſe Apoſtolos neque dubitandum reor: præſertim

(1) *Prorſus rejicienda illorum opinio eſt, qui cenſent primum omnium Romæ prædicaſſe S. Leonem M. Profecto, uti ad rem obſervat Thomaſ. Part. II. Lib. III. cap.* 82. ad tempora uſque Leonis Romani Præſules contenti fuiſſe dubio procul dicendi ſunt familiaribus ſermonibus, vel potius præceptionibus, ut ſævientibus fiebat perſecutionibus, ſine adparatu, ſine pompa, plana, & humili, non ſplendida oratione. Et ſane nulli prorſus ſuperſtites ſunt ſermones non Pontificum modo Leone anteriorum, ſed Epiſcoporum quorumlibet, qui prioribus talibus ſeculis, vel medio etiam Seculo IV. floruerunt. *Profecto ambigendum non eſt Liberium Papam ſermonem Romæ habuiſſe in Eccleſia S. Petri, quum ſanctiſſimam Virginem Marcellinam S. Ambroſii ſororem velo conſecrationis donavit: attamen ſermonem ejuſmodi S. Ambroſius vocat:* Beatæ memoriæ Liberii Præcepta. *Igitur, quum Sozomenus* Lib. VII. cap. 19. *ſcribit:* In eadem *Romana* urbe nec Epiſcopus, nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet; *nonniſi de veris concionibus intelligendus eſt; cujuſmodi ſua præſertim ætate in Oriente haberi conſueverant*.

quum ex doctrina Apoſtolica in ſeligendo Epiſcopo requiratur, ut ſit *Doctor*, *& ut potens ſit exhortari in doctrina ſana*, *& eos*, *qui contradicunt*, *arguere*. In quæ verba Hilarius *Lib. VIII. de Trin.* ſic commentatur: *Quum & innocens ſibi tantum proficiat*, *niſi doctus ſit*: *& doctus ſine doctrinæ ſit auctoritate*, *niſi innocens ſit*. Qua de re, ut *ibidem* ſcribit Hilarius, oportet omnino in Epiſcopo, ut & doctrina virtutibus, & virtutes doctrina ornentur: *Perfectum Eccleſiæ Principem perfectis maximarum virtutum bonis inſtituit*, *ut & vita ejus ornetur docendo*, *& doctrina vivendo*. Verum de iſtoc capite alias redibit ſermo.

7. Tandem per quinque Eccleſiæ ſecula tanta diligentia hanc Epiſcopi ornarunt ſpartam, ut nulla celebraretur miſſa ſine ſcripturarum prælectione, eamque conſequente Antiſtitis prædicatione, quam aliquando etiam in veſpertinis precibus repetebant ferventiores quidam Epiſcopi: ut *alibi*, quum de Liturgiis egemus, videbimus. Qua de re per ea tempora nullum fere invenies Synodicum Canonem, quo Prædicatio Epiſcopis inculcaretur. At contra poſt ſeculum VI. quum refriguit Epiſcoporum in eo obeundo munere fervor, nullum pæne celebratum Concilium eſt, in quo de concionibus ad populum habendis tractatum non ſit.

IV. Igitur quod antiquiorum Præſulum conciones ad nos trajectæ non fuerint, id potiſſimum in cauſſa fuiſſe cenſet Thomaſſinus *P. II. Lib. III. cap.* 83. ſcilicet, quod ſicuti Apoſtoli, quorum prædicationes neque ſcriptis mandatæ ſunt & poſteris transfuſæ, ita & Epiſcopi, qui prioribus illis ſeculis concionabantur, ſermones effuderint extemporaneos, quos moris non eſt chartis illini, aut evulgari. Si enim vetuerat Chriſtus, ne quid meditatum adferrent, ut vel tyrannos refellerent, vel fidei cæleſtia eis dogmata explanarent: fore enim pollicitus erat, ut non ipſi, ſed eorum ore Spiritus ipſe veritatis loqueretur: eundem profecto veritatis Spiritum ſibi etiam adſuturum augurabantur, dum, ut ſibi impoſitum obirent munus, ſermonem illi vel ad infideles haberent, vel ad fideles.

V. Jam vero ex hactenus dictis plura conſtant. Primum: Prioribus Eccleſiæ ſeculis Epiſcopos prædicationis onus Epiſcopatui adnexum crediſſe, illudque diligentia quanta maxima ipſos per ſe ſubire non dubitaſſe. Quod tamen adcuratius in Occidentali, quam in Orientali Eccleſia ſervatum hiſtorica teſtantur monumenta. In Occidente enim primus, qui adhuc presbyter concionatus occurrit, eſt Auguſtinus; at in Oriente ex more antiquiſſimo Presbyteros Scripturas interpretari, divinumque verbum adnuntiare conſueviſſe tradunt Sacerdotes, & Sozomenus (2), & indicant Origenis homiliæ. Adhæc narrat Poſſidius *Vit. Aug. cap.* 5. Valerium Auguſtino prædicationem demandaſſe; quippe in Orientalibus Eccleſiis id ex more fieri ſciebat. Quinimmo Origenes adhuc laicus ab nonnullis præſertim Palæſtinæ Epiſcopis ad conciones habendas, ſacraſque litteras in publico fidelium conventu explicandas invitatus eſt. Quod quum crimini vertiſſet Demetrius Alexandriæ Epiſcopus, Alexander Jeroſolymitanus, & Theoctiſtus Cæſareenſis gravem ea de re apologeticam ſcripſerunt Epiſtolam.

VI. Alterum: Veteres ſive Epiſcopos, ſive Presbyteros Verbi Dei miniſtros nec ipſos ſcriptis conſignare ſuas conciones conſueviſſe, nec fideles eas adnotare curaſſe: ea quidem de cauſſa, quod familiaria potius, & extemporanea viderentur

eſſe

(2) *Socrates Lib. V. cap.* 21. Alexandriæ non concionatur Presbyter, qui mos eo tempore initium habuit. *Sozom. Lib. VII. cap.* 17. Alexandriæ ſolus Epiſcopus concionatur. Quam conſuetudinem, quum antea non fuiſſet, introductam eſſe ferunt, ex quo Arius Presbyter de doctrina fidei diſſerens, nova dogmata invexit. *Verum nonniſi Alexandriæ*, *& fortaſſe in univerſo etiam Ægypto*, *ubi Arii hæreſis primum perſtrepuit*, *ejuſmodi factam Presbyteris interdictionem fuiſſe*, *tum modo producta ex Poſſidio Valerii indicat auctoritas*, *tum ex eodem Socrate evincitur*, *qui Lib. VII. cap.* 19. *ſcribit:* Cæſareæ Cappadociæ, & in Cypro die Sabbati, & Dominico ſemper ſub veſperum accenſis lucernis Presbyteri, & Epiſcopi ſcripturas interpretantur.

eſſe colloquia, quam meditatæ, & operoſæ, quæ prius ab ſuis conſcriberentur auctoribus orationes. Solæ excipiendæ videntur Origenis Homiliæ, quarum aliquot adhuc ſuperſunt ſacra refertæ eruditione, quas ſat probabile eſt, aut fuiſſe ab Auctore conſcriptas, antequam in publico fidelium pronuntiarentur conventu, aut notis fuiſſe ab auditoribus exceptas. Qui eloquentiæ ornamenta homiliis ſuis addere ſategerint, primus in Oriente, vel certe inter primos videtur fuiſſe Gregorius Nazianzenus (3); quem poſtea imitati ſunt Chryſoſtomus (4), Atticus Conſtantinopolitanus (5), Antiochus, & Severianus Aſiæ Epiſcopi; qui eo nomine ſuum commendant inſtitutum (6); ſcilicet quod quum non poſſint Apoſtolicas miraculis æmulari conciones, vi ſaltem æmularentur eloquentiæ: quinimmo de iis conquerebantur Epiſcopis, qui quum miracula patrare in poteſtate non haberent, ne cogitarent quidem de parando ſibi eloquentiæ ſubſidio: *quum Paulum conſtet tum ante miraculorum editionem, tum in mediis ipſis miraculis magnam adhibuiſſe eloquentiam:* uti ad rem Chryſoſt. *de Sacerd. Lib. IV. cap.* 7.

VII. Eamdem viam in Occidente adgreſſi ſunt S. Leo in urbe Roma, S. Ambroſius Mediolani, S. Auguſtinus in Africa, S. Hilarius Arelatenſis in Galliis, aliique: ac præcipue de Auguſtino ſcribit Poſſidius in ejus Vita cap. 7. *Libros ejuſdem, ſive Tractatus mirabili Dei gratia procedentes, ac profluentes, inſtructos omni rationis copia, atque auctoritate ſanctarum Scripturarum, ipſi quoque heretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant, & quiſquis ut potuit & voluit, Notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur, excerpta deſcripſit.*

VIII. Atque hinc intelligere quoque nobis datur, veteres illos ſanctiſſimos Epiſcopos ſuis concionibus integros dediſſe de præcipuis quibuſdam Chriſtianæ Religionis capitibus Tractatus, ſive Libros, vel etiam perpetua quorundam ſacrorum Librorum commentaria: id quoque & ipſe non Auguſtini modo, verum & Ambroſii, Gregorii M. aliorumque veterum opera apertius indicant, quam ut demonſtratione opus ſit.

IX. Igitur primis Eccleſiæ ſeculis non idem videtur ab Epiſcopis in ſuis concionibus ſervatum inſtitutum. Quidam eloquentiæ indulgebant, ad quam vel ab natura, vel ab privatis ante Epiſcopatum confectis ſtudiis ferebantur: alii contra ex intima potius, quæ in ſuis cordibus fervebat, caritate ſuas plebes adloqui amabant: neutrum tamen contemnendum; immo & utrumque probandum; modo & in priori nimia, & adfectata vitentur eloquentiæ pigmenta, quæ curioſitati magis ſatis faciant concurrentium hominum, & libidini, quam cordis inflamment adfectus; & in poſteriori non omnis excludatur dicendi

(3) *Quamvis Nazianzenus indicet fuiſſe qui palam qui clam calamo linguam ejus, notiſque adſequi conarentur: unde Orat.* 32. Valete, *inquit*, Sermonum meorum amatores, & calami tam perſpicui, quam occulti; *attamen dubitandum haud eſt fuiſſe Homilias ab ipſo, antequam pronuntiarentur, meditate, & operoſe ſcriptitatas. Nec ipſe enim diſſimulat ſtudere ſe eloquentiæ inter concionandum, ut quo poſſet cumque modo, æmularetur Apoſtolicas conciones non verbis, ſed factis, & miraculis cæleſtem quandam vim & eloquentiam oſtentantes. Confer Thomaſſ.* Part. II. Lib. III. cap. 82.

(4) *De Chryſoſtomo ſcribit Socrates Lib. VI. cap.* 4. Conciones tum ab eo in lucem editæ, tum a Notariis exceptæ, illo e ſuggeſtu recitante, in omnium manibus ſunt.

(5) *De Attico Conſtantinopolitano hæc habet Socrates Lib. VII. cap.* 2. Primum quum Presbyteri gradum obtinuiſſet, conciones, quas ſummo ſtudio confecerat, ad verbum ediſcens, in Eccleſia recitavit. Poſtea crebro uſu, & diligentia majorem audaciam adeptus, ex tempore concionari cœpit, rationemque docendi magis popularem ſecutus eſt.

(6) *De Severiano Aſiæ Epiſcopo ſcribit Socrates Lib. VI. cap.* 10. Quum ſe ſedulo exercuiſſet, & multas contexiſſet conciones Severianus, Conſtantinopolim contendit, poſtquam audierat Antiochum Conſtantinopoli in Eccleſiis docendo magnam pecuniæ vim collegiſſe. *Ex quo duo licet colligere: 1. In majoribus civitatibus, ac in urbe præcipue regia, conſuevisse antiquitus minorum civitatum Epiſcopos concionari. 2. Jam tum morem viguiſſe, ut ſtipendii aliquid concionatoribus exſolveretur.*

di ars, ne Dei verbum nimia humilitate vileſcat: adhæc in utroque utilis tractanda ſeligatur materia, fidem ſcilicet, vel Chriſtianam ſpectans Ethicem, & in iis præcipue capitibus, quæ tempori, loco, & auditoribus magis congruere videantur; id quod in dicendi quoque genere ſervandum; ut adeo concionator omnibus omnia fieri ſatagat. Quod de Magno Auguſtino teſtatur Poſſidius, atque ejuſdem ſermones perſpicue præſeferunt. Iiſdem veſtigiis inſtitiſſe S. Hilarium Epiſcopum Arelatenſem ſcribit Auctor ejus vitæ (6): tandem eodem nomine Athanaſium ſummopere commendat Nazianz. *Orat. XXI.*

§. II. *Epiſcopi quoque proprium munus eſt Sacramentorum adminiſtratio.*

X. Et quidem præter Sacramenta Ordinis, & Confirmationis, quæ niſi ab Epiſcopis conferantur, nullius omnino ſunt roboris, reliquorum etiam Sacramentorum adminiſtratio ad Epiſcopum præcipue ſpectat. Hanc provinciam olim per ſe Epiſcopi procurabant, nec Presbyteris, niſi ſpeciali Epiſcopi mandato, illam adgredi licebat. Unde S. Ignatius Epiſt. ad Smyr. num. 8. *Non licet ſine Epiſcopo neque baptizare, neque agapen facere:* & Tertull. de Baptiſmo c. 17. *Dandi baptiſmum jus quidem habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate.* Verum de iſtoc capite redibit ſermo *Lib. III.* ubi de Sacramentis.

§. III. *Tum & Oratio pro populo æque privata, ac publica.*

XI. Inter præcipua quoque Epiſcopi munia locum ſibi vindicat *Oratio;* quæ Apoſtolis adeo cordi erat, ut viduarum, & menſarum cura in Diaconos abjecta, illam æque ac prædicationem ſibi reſervarent. Orationis vero nomine publica indicatur Liturgia, atque ea Liturgiæ pars potiſſimum, qua reale incruentum Chriſti Domini Sacrificium Deo Patri offertur. Epiſcopi enim indeſinenter quidem, præſertim vero dum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium peragunt, pro concredita ſibi plebe ferventes Deo preces fundere ex animo debent. Profecto in hoc perpetuæ orationis adimplendo munere perfectiſſimum habent exemplar tum ipſum divinum animarum noſtrarum Epiſcopum, cui mos erat in oratione Dei pernoctare, tum Apoſtolos, ac præcipue Paulum, qui pluries in ſuis Epiſtolis, ac potiſſimum *ad Coloſſ. I.* palam fatetur, ſe pro filiis, quos Chriſto pepererat, *perennes* Deo fundere preces, ac poſtulationes. Et in *Epiſt. ad Hebr. V.* Epiſcopis id muneris diſertiſſime in hunc modum inculcat: *Omnis Pontifex ex hominibus adſumtus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis ... propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre.*

XII. Hac de cauſſa Epiſcopi antiquitus æque munus, ac jus erat, Eccleſiaſticam Liturgiam præſcribere, pro Eccleſiæ neceſſitatibus publicas preces indicere, oratio-

(6) *Auctor vitæ S. Hilarii Ep. Arelat. ipſi σύγχρονος* coævus *de ejus Sermonibus hæc habet.* Temporalis vero ejus prædicatio, quantum flumen eloquentiæ habuerit, quas ſententiarum gemmas ſculpſerit, aurum ſupernorum ſenſuum repererit, argentum ſplendentis eloquii abundaverit, deſcriptionum varias picturas, & rhetoricos colores expreſſerit, ferrum ſpiritalis gladii, acumen in truncandis hæreticorum venenatis erroribus exercuerit, non dicam dicere, ſed ne cogitare me poſſe proteſtor; ſedibus præparatis in jejunio ab hora diei ſeptima uſque in ejus decimam epulis plebem ſpiritualibus ſaginabat, paſcendo eſurire cogebat, eſurientes nequaquam paſcere deſiſtebat. Si peritorum turba defuiſſet, ſimplici ſermone ruſticorum corda nutriebat; at ubi inſtructos ſuperveniſſe vidiſſet, ſermone, vultu pariter, in quadam gratia inſolita excitabatur, ſeipſo celſior adparebat: ut ejuſdem præclari Doctores temporis, qui ſuis ſcriptis meriti ſummi claruere, Silvius, Euſebius, Domnolus admiratione ſuccenſi, in hæc verba proruperint: *Non doctrinam, non eloquentiam, ſed neſcio quid ſuper homines conſecutum. Ex hoc ſane teſtimonio colligitur jejunio dicatos dies, eoſdem & concionibus ſacratos fuiſſe. Verum de hoc capite redibit ſermo Lib. II. ubi* de Liturgiis.

rationum formulas concipere, minus pietati congruas abolere, aliaque hujuſcemodi. Et ſane 1. Eccleſiæ Cæſarienſis, Neocæſarienſis, Conſtantinopolitana, aliæque Orientales, tum & Africana, Hiſpanienſis, Gallicana, Mediolanenſis, aliæque Occidentales proprias habebant Liturgias, quarum ſpecimina loco ſuo exhibebimus: ubi etiam demonſtrabimus illum morem deinde fuiſſe inductum, quem & Eccleſiaſtici Canones ſanxere; ſcilicet ut totius cujuſque provinciæ Eccleſiæ ea liturgia uterentur, quæ in Eccleſia Metropolitana ſervaretur.

2. Pro publicis calamitatibus primum ab Gregorio Magno Romæ Litaniæ cum Proceſſionibus conſtitutæ ſunt: *Lib. XI. Ep.* 2. & in Gallias Rogationes tribus ante Chriſti Domini adſcenſionem diebus a Mamerto Epiſcopo Viennenſi invectæ, quas in Eccleſiis Africanis jam inde ab ævo Auguſtini in uſu fuiſſe colligit Savaro ex *Homilia* Auguſtini *CLXXIII.* Chryſoſtomus quoque, ut obviam iret Arianis nocturnas Conſtantinopoli ſupplicationes agentibus, & ipſe ſimiles Catholicorum inſtituit, veluti Proceſſiones, in quibus prima anteibat crux, ceu publicæ Chriſtianæ profeſſionis teſſera. Palladius *Vit. Chryſoſt. cap.* 15. Socrates *Lib. VI. cap.* 8. & *Lib. VIII. cap.* 8. Tum & alibi ab aliis Epiſcopis, prout ferebat occaſio, publicæ indictæ precationes. Illud hic tantummodo juvat obſervare, in publicis hiſce indicendis precibus Epiſcopi auctoritatem omnino intervenire oportuiſſe; quod & Imperatoriæ edicunt Sanctiones (7).

3. Certos etiam ſacri jejunii dies in Eccleſia ſua indicere Epiſcopis jus erat. Iſtuc tum ex pluribus patet, tum vel maxime ex Tertull. de jejun. Cap. 13. *Bene autem quod & Epiſcopi univerſæ plebi mandare jejunia ſolent*; & ex Auguſtino, qui in *Epiſt. ad Caſulanum*, a quo de jejunio Sabbati, quod in quibuſdam, haud vero in omnibus Africanis Eccleſiis ſervabatur, conſultus fuerat, in hunc modum reſpondet: *Epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere, & quod facit ipſe, ſine ullo ſcrupulo, vel diſceptatione ſectare.*

4. De cultu quoque Sanctorum judicium ferre, ac eorundem probare reliquias præcipuæ Epiſcoporum partes ſunt. Sin. Laodicena *Can. IX.* & *XXXIV.* gravi inflicta pœna fidelibus interdicit Hæreticorum cœmeteria, & martyria adire, aut ad martyres ab Eccleſia non probatos accedere. Tum Lucilla famoſiſſima Donatiſtarum patrona a Cæciliano Archidiacono graviter eo nomine objurgata eſt, quod os neſcio cujus hominis mortui, ſive martyris, nondum tamen vindicati, ori admoveret. Quod vero Epiſcopi, ac etiam Primatis auctoritas intercedere deberet, ut dignoſceretur, quibuſnam cultus exhibendus eſt, recte colligi etiam poſſe videtur ex Auguſtino, qui in *Brevic. Coll. die II. cap.* 13. de Actis Martyrum meminit ad Menſurium Epiſcopum Carthaginienſem delatis. Poſtremo de S. Martino Turon. Epiſc. narrat Severus Sulpit. in ejus vita, quod de cujuſdam Martyris cultu quum diu anceps fuiſſet, tandem adcurato inſtituto examine non ſine Dei admonitu, novit latronem ibi ceu Martyrem vulgi errore celebrari; quare ex eo loco altare ſubmoveri, reliquiaſque projici juſſit.

§. IV. *Miſerabilium quoque perſonarum cura gerenda Epiſcopo eſt.*

XIII. Quantum Apoſtolis cordi fuerit Vi-

(7) *Juſtinianus Novella CXXIII. cap.* 32. Omnibus laicis interdicimus litanias facere ſine Sanctis Epiſcopis, & qui ſub eis ſunt Reverendiſſimis Clericis. Qualis enim eſt Litania, in qua Sacerdotes non inveniuntur, & ſolemnes orationes faciunt? Sed & ipſas honorandas cruces (cum quibus & in litaniis ingrediuntur) non alibi, niſi in venerabilibus locis reponi: & ſi quando opus vocaverit ad litanias celebrandas, tunc ſolum ipſas Sanctas Cruces accipere eos, qui conſueti eas portare ſolent, & cum Epiſcopo, & Clericis litanias celebrare: hoc cuſtodientibus ſanctiſſimis locorum Epiſcopis, aut etiam eorum Clericis, & per loca judicibus. Si quis autem in hoc capitulo præſentis noſtræ Legis virtutem aut tranſcenderit, aut non vindicaverit, prædictas pœnas patietur, Monaſteriorum, & Reverendiſſimorum Monachorum diſpoſitione,

Viduas, Pupillos, alioſque calamitoſos homines tueri, quibus vel neceſſaria vitæ ſubſidia præberent, vel ab Magnatum impotentia vindicarent, neminem latere arbitror, qui Sacras novi Teſtamenti Litteras vel leviter percurrerit. Sic Apoſtoli *Actor. VI.* viros ex omni multitudine Spiritu S. plenos, & ſapientia ſeligendos duxerunt, qui viduarum, & pauperum in miniſterio quotidiano curam agerent. Tum S. Paulum pauperum Jeruſalem peculiarem quandam curam geſſiſſe omnes fere ejus Epiſtolæ indicant; adhæc pro Oneſimo prorſus divinam ad Philemonem Dominum ſuum ſcripſit Epiſtolam, ut ipſi eum conciliaret.

XIV. Veteres illi SS. Epiſcopi, qui Eccleſiam prioribus rexerunt ſeculis, mirum quanta fidelitate Apoſtolica iſtæc veſtigia ſunt perſecuti. Redituum Eccleſiaſticorum adminiſtratio ab Epiſcopi pendebat poteſtate ea potiſſimum de cauſſa, ne quid pauperibus deeſſet. Sic Concilium Antioch. Can. XXV. *Epiſcopus habeat rerum Eccleſiæ poteſtatem, ut eas in omnes egentes diſpenſet cum multa cautione, & timore Dei*. Et Juſtinus M. *Apolog. II. pag.* 98. 99. conſuetudinem ſua ætate hac de re in Eccleſia vigentem in hunc modum deſcribit. *Qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt, contribuunt, & quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur: atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam cauſſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus, & ut ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt*. Eadem habent Can. Apoſt. *Canon XXXI. & XXXVII.* Conſt. Apoſt. *Lib. II. cap.* 25. Tum pro pauperum alimonia, vel pro captivis redimendis vaſa aliquando Eccleſiæ Epiſcopos confregiſſe teſtes ſunt luculentiſſimi Ambroſius, Socrates, Theodoretus, Poſſidius in Vita Auguſtini, aliique veteres: id quod infra fuſiori calamo explicabimus; ubi de redituum Eccleſiaſticorum adminiſtratione ſermo redibit.

XV. In tuendis quoque calamitoſis hominibus ab divitum, vel Magnatum impotentia mire effulſit veterum Epiſcoporum caritas. De S. Baſilio refert Naz. Or. XX. ipſum maxima libertate *tum Præſides, tum & potentiſſimos civitatis adire conſueviſſe egentium patrocinia ſuſcipientem; plura quidem ſpiritualia, ſed tamen corporea non pauca; nam id ſæpenumero ad animam tendit*. Auguſtinus non modo ejuſmodi functus eſt munere caritate plane mirabili, verum & *Epiſt.* 226. in hanc rem ſic habet: *Novit religio tua quam curam tuendis cum omnibus hominibus, tum maxime pupillis Eccleſiæ vel Epiſcopi debeant*. Theodoretus Cyri Epiſcopus haud ſemel tum ad Imperatores, tum ad Provinciarum Præſides ſcripſit Epiſtolas, ut inopum anguſtiis opitularetur: *Ep.* 42. 43. &c. neque tandem omittendus Ambroſius, qui tum gravi oratione ſuos hortatur Clericos ad viduas, earumque res tuendas adverſus vim, & contumelias magiſtratuum, tum & plurie pro viduis, orphanis, aliiſque miſerabilibus hominibus ſe adverſus Imperatores ipſos decertaſſe ſcribit *Officiorum Lib. II. cap.* 29. ubi inter cetera Clericos ſuos ſic adloquitur: *Egregium veſtrum eniteſcit miniſterium, ſi ſuſcepta impreſſio potentis, quam vel vidua, vel orphani tolerare non queant, Eccleſiæ miniſterio cohibeatur . . . Meminiſtis ipſi quoties adverſus regales impetus pro viduarum, imo omnium depoſitis certamen ſubierimus: commune hoc vobiſcum mihi*.

§. V. *Fidei depoſitum ab Epiſcopo fideliter cuſtodiendum.*

XVI. Epiſcoporum providentia in eo quoque verſetur neceſſum eſt; ſcilicet, ut fidei, & doctrinæ Evangelicæ depoſitum fidelitate quanta maxima tueantur. Apoſtolus ſemel, atque iterum Timotheum fidei depoſitum ab profanis novitatibus ſartum tectum ſervare jubet. *Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*: Timoth. I. cap. 6. Et II. cap. 1. *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum S. qui habitat in*

in nobis. Et Jo. in ſua *Apocal.* Aſiæ Angelos, ſive Epiſcopos ſicut eo nomine laudat, quod ſervarent verbum Chriſti, ac ejus nomen non negarent, ita eo nomine reprehendit, quod in inſectandis fidei hoſtibus ſint remiſſiores. Ex veterum Ἱστοριογράφων *hiſtoricorum* monumentis apud Euſebium colligere licet quanta cautione, ac providentia ſe geſſerint Aſiæ Epiſcopi in dijudicandis, rejiciendiſque falſis Montani, ejuſdemque pſeudo-propheтiſſarum Maximillæ, & Priſcillæ erroribus, ac deliramentis; quod & reliquos adverſus alias identidem exorientes hæreſes Epiſcopos præſtitiſſe, antiqua Eccleſiaſtica monumenta apertius teſtantur, quam ut hac in re diutius immorari neceſſum ſit.

XVII. Non fidei modo Dogmata, verum & Ethices Chriſtianæ Præcepta fidelibus ab Epiſcopis ſunt quam frequentiſſime inculcanda; ſcilicet ut jam inductæ aboleantur in morum diſciplina pravæ abuſiones, ac illibata in concreditæ ſibi plebis actibus ſervetur puritas. Neque alius plerumque Epiſcopalium concionum σκοπὸς videtur fuiſſe. Unde Auguſtinus in hac re veluti Dux, & Magiſter de Doctr. Chriſt. *Lib. IV. cap.* 4. ſic concionatorem inſtituit. *Debet divinarum Scripturarum tractator, & doctor bona docere, mala dedocere, atque in hoc opere ſermonis conciliare averſos, remiſſos erigere, neſcientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare.* Et Serm. V. de verbis Domini. *Ille novit ſub cujus oculis loquor, immo ſub cujus oculis cogito, non me tantum delectari laudibus popularibus, quam ſtimulari, & angi, quomodo vivant, qui me laudant.* Qua de re quum apud Cæſaream Mauritaniæ quandam veluti civilem pugnam, turbulentam, ac maxime periculoſam a civibus ſtatis temporibus frequentari noviſſet, ab aſſiduis concionibus illic non deſtitit, quam ubi de abolita prava abuſione ſecurus videri poſſet. Graphicam Auguſtini hujuſce hiſtoriæ narrationem inferne invenies (8). Neque demum omittendus Chryſoſtomus, qui *Hom. IV.* in Acta Apoſt. ſuam plebem ſic adloquitur. *Nam quæ ſpes nobis, ſi vos non proficiatis? Rurſus geſtire mihi videor, quum boni quidpiam audio de vobis. Imple te meum gaudium. Quod adverſus omnes decerto, hoc eſt quoniam diligo, quoniam conglutinatus ſum, quoniam omnia mihi vos eſtis, & pater, & mater, & fratres, & liberi.*

§. VI. *Propriæ Parœciæ, ſive Diœceſeos viſitatio Epiſcopo incumbit.*

XVIII. Porro ſatis non eſt, ut Epiſcopus fidei depoſitum cuſtodiat, & plebis mores in urbe duntaxat Epiſcopali moderetur, niſi Parœciæ ſuæ, ſive Diœceſeos oppida, & vicos frequenter inviſat, perſpiciatque, num recte ibi ſe habeant Religionis negotia. Chryſoſtomus inter præcipua Epiſcopi munia Eccleſiarum receнſet viſitationem. Namque *Hom. I. in Epiſt. ad Titum*, docet Epiſcopis valetudini ſerviendum, ut bene valentes ſuas poſſint inviſere Eccleſias. *Si lectulo decumbat, quid proficere poterit, quam ſubire viſitationem, quo pacto viſitate Eccleſias?* Quinimmo de Sacerdotio *Lib. III. cap.* 18. æque opulentos, præpotenteſque, ac mediæ ſortis viros eſſe privatim ceu filios paterna caritate inviſendos, ut vel renitentes im-

(8) *Auguſtinus de Doctrin. Chriſt. Lib. IV. cap.* 24. Quum, *inquit*, apud Cæſaream Mauritaniæ populo diſſuaderem pugnam civilem, vel potius pluſquam civilem, quam *Catervam* vocabant: neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, poſtremo parentes, ac filii lapidibus inter ſe in duas partes diviſi per aliquot dies continuos, & certo tempore anni ſolemniter dimicabant, & quiſque ut quemque poterat, occidebat. Egi quidem granditer, ut tam crudele, atque inveteratum malum de cordibus, & moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo. Non tamen egiſſe aliquid me putavi, quum eos audirem adclamantes, ſed quum flentes viderem. Adclamationibus quippe ſe doceri, & delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi adſpexi inanem illam conſuetudinem a patribus, & avis longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hoſtiliter obſidebat, vel potius poſſidebat, devictam, antequam reipſa id oſtenderent, eredidi. Moxque ſermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo, vel amplius anni, propitio Chriſto, ex quo illic nihil tale tentatum eſt.

pellerent, quo ſe a vitiis abducerent, ad virtutem incitarent. Auguſtinus in Fuſſalenſi Caſtro, cujus cives a Donatiſtarum ſchiſmate ad Eccleſiam Catholicam traduxerat, Epiſcopum conſtitutum voluit, quod quum is locus longius ab Hippone diſtaret, eum frequenter inviſere non poſſet. *Ep.* 261. Tum *Ep.* 257. idem Epiſcopale munus perſpicue indicat ſcribens: *Quoniam viſitandarum Eccleſiarum ad meam curam pertinentium neceſſitate profectus ſum*. Denique Martinum ſanctiſſimum illum Turonenſem Epiſcopum *aſello impoſitum in veſte hiſpida nigro pendulo pallio circumtectum* ſuas Parochias viſitantem, & ubique in vicis idololatriæ reliquias debellantem deſcribit Severus Sulpitius *Dial. II.* (9). Poſtremo ea quoque de cauſſa Epiſcopis viſitationis onus incumbere Veteres Patres docuere, ut ſcilicet tinctos ſacro fonte a Presbyteris ipſi Confirmationis Sacramento communirent: Hieronymus Dialog. contra Lucif. *Non abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impoſiturus excurrat*.

XIX. Non negaverim quidem in quibuſdam Orientalibus Eccleſiis morem viguiſſe, ut Epiſcopi per Περιοδευτὰς *Circuitores* ſive Viſitatores, vel per Chorepiſcopos ſuas Parochias viſitarent. Verum quum & Periodeutæ & Chorepiſcopi nec ubique, nec diu viguerint, hinc nonniſi Epiſcoporum præcipua ac primaria viſitandarum ſuarum Diœceſeon videtur fuiſſe & cura & poteſtas.

(9) *In antiquis Eccleſiæ monumentis occurrunt quoque exempla* Patriarcharum, *qui ſuas* Diœceſes, & Metropolitarum, *qui ſuas* Provincias *circumluſtrarunt: uti inferius obſervabimus, quum de Patriarcharum, & Metropolitarum juribus agendum nobis erit.*

C A P U T XV.

De Chorepiscopis.

§. I. *De Chorepiſcoporum Origine.*

I. Blondellus *Apolog. S. Hieron. Sect.* V. in Chorepiſcoporum originem inquirens eos a prima uſque Eccleſiæ infantia arceſſere conatur. Cenſet enim Apoſtolos in ſingulis quibuſcunque oppidis, & pagis Epiſcopos ἀδιαφόρως conſtituiſſe, æque ac in celebrioribus urbibus: at ætate progrediente, quum ſenſim factum eſſet, ut oppidani Epiſcopi ſuorum Presbyterorum (quos nonniſi τῇ πρωτοκαθεδρίᾳ, καὶ πρωτοχειροτονίᾳ *antiquitate cathedræ, & ordinationis* anteiſſe effutit) decurtare inciperent poteſtatem, horum exemplum imitatos celebriorum urbium Epiſcopos, oppidorum, & pagorum ſuæ ditioni Epiſcopos ſubjeciſſe, qui poſtea hoc intuitu, ſcilicet, quod imminuta ipſorum fuerit & dignitas, & poteſtas, Chorepiſcopi fuerint adpellati.

II. Futile quidem Syſtema, quod quum nullo neque Sacrarum Litterarum, neque Eccleſiaſticæ antiquitatis monumento fulciatur, profecto mole ſua ruit, & quidem manifeſtius, quam ut in eo everrendo diutius immoremur neceſſum ſit. Quis enim, quem vel fugientibus oculis apoſtolica acta perluſtrare non piguit, in diſſeminandæ Evangelicæ fidei veritate ita ſe geſſiſſe Apoſtolos ignorat, ut nonniſi in Metropolibus, aut in civitatibus, quæ ob emporia hominum frequentia celebrabantur, verbum Domini, quod inde in adjacentes civitates facile diffunderetur, adnuntiaverint? Porro de iſtoc Capite mox redibit ſermo, quum de Patriarchis agendum nobis erit. Ergo quum in frequentioribus oppidis, ubi a deplorandis idololatriæ tenebris ad fidei lucem jam homines evocabantur, presbyteri, qui ſacra illic obirent munia, conſtituerentur (quos pro-

propterea ἐπιχωρίους πρεσβυτέρους *vicanos Presbyteros* Synodus Neocæſ. adpellat *Can. XIII.*) hinc factum eſt, ut quibus harum Eccleſiarum curam committeret civitatis Epiſcopus, quique vicanis his præeſſent presbyteris, Chorepiſcopi adpellarentur.

III. Atque hinc perſpicere datur Chorepiſcoporum originem non aliunde profluxiſſe, quam quod Epiſcopi, quum urbanæ plebi regendæ intenti, in agros excurrere, ut ruſticanis hominibus Eccleſiaſtica impenderent munia, minus poſſent, Chorepiſcopos, qui tanquam Vicarii ſuas illic partes agerent, eodem adlegaverint. Id quod & ipſa nominis notio ſuadet. Sive enim τὸν Χωρεπίσκοπον ita ἐτυμολογίζειν velimus, ut a χώρᾳ *vice*, *loco* deſcendat, idem erit, ac *Epiſcopi Vicarius:* cujuſmodi vocatur a Ferrando Diacono in Breviario Canonum, *Can. LXXIX.* & ab Auctore antiquæ verſionis S. Iſidoro adſcriptæ. Sive potius a χώρα *pagus* arceſſere libeat, ille *Vicanus Epiſcopus* erit nobis ſalutandus: cui etymologiæ favet Conc. Antiochenum *Can. X.* ubi ipſos adpellat τοὺς ἐν κώμαις, ἢ ταῖς χώραις τοὺς καλουμένους Χωρεπισκόπους: *Qui in vicis, & regionibus Chorepiſcopi nominantur*. Igitur horum uſum jam inde ab Apoſtolica ætate repetere a vero plurimum abludit. Tunc autem vero ſimilius ortum ſuum habere inceperunt, quum nimirum Chriſti religio, quam majores jam amplexatæ fuerant civitates, ex urbibus ad pagos, ubi idolorum cultus plerumque altiores radices agebat, diffuſa eſt: ex quo ſane idololatris *paganorum* nomen impoſitum eruditi vulgo arbitrantur.

IV. Jam vero ſicuti Chorepiſcoporum originem ab ævo Apoſtolico deducere veriſimile non putamus, ita contra III. Eccleſiæ ſeculo ipſos jam in Eccleſia obtinuiſſe ſtatuimus: his præcipue ducti rationibus, primum quod Synodus Ancyrana ineunte IV. Seculo, quæ omnium prima de Chorepiſcopis meminit, ita de iis loquitur, ut de Eccleſiaſtico munere, quod jam invaluerit, verba facere videatur (1), tum vero præcipue, quod inter Novatianos nonnulli Chorepiſcoporum nomine inſigniti occurrant: neque ſuſpicari fas eſt Eccleſiam hac in re Novatianos imitari voluiſſe: prius igitur, quam ſeſe ab Eccleſiæ divellerent unitate, Chorepiſcoporum uſus jam vigebat (2).

V. Illud autem hic παρέργως licet obſervare, ſerius in Occidente, quam in Oriente Chorepiſcoporum uſum obtinuiſſe, quum in Occidente nonniſi V. Seculo Chorepiſcoporum mentio facta occurrat; ſcilicet in Syn. Regienſi (3) ann. 439. in Gallia celebrata (4).

§. II. *Chorepiſcopi veri nominis Epiſcopi non fuere.*

VI. Non levis inter eruditos de Chorepiſcopis agitatur quæſtio, nimirum Epiſcopi ne fuerint, an vero tantummodo Presbyteri? Chorepiſcopatum gradum fuiſſe Eccleſiaſticum Ordini Presbyteratus, non ſecus ac Archipresbyteratus, adjun-

(1) *Concilium Ancyranum Can. XII.* Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris civitatis ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris in unaquaque Parochia. *Ita vulgo hic Canon proſtat in Conciliorum Collectione; at veram ejus lectionem mox reſtituemus.*

(2) *Actione I. Concilii Chalced. inter hæreticos Novatianos, qui falſato Symbolo ſubſcripſere, recenſentur* duo Chorepiſcopi: *nimirum* Eutychius Chorepiſcopus de vico Aulacis; Zenon Chorepiſcopus Quartodecimanorum. *Socrates* Lib. V. cap. 21. *ſcribit Novatianos in Paſchatis celebratione in plures factiones fuiſſe diviſos: at vero ipſorum pleroſque, præſertim Aſianos* Quartodecimanos *fuiſſe*. Ex his erant, qui *falſato Symbolo* ſubſcripſere.

(3) *Syn. Regienſis Cap.* 4. Liceat ei in unam parochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua, aut *Chorepiſcopi* nomine, ut idem Canon *Nicænus* loquitur, aut peregrina, ut ajunt, communione foveatur.

(4) *In Epiſtola quidem Damaſi P. ad Afros* Chorepiſcopi *memorantur: at Epiſtola hæc una eſt ex putidis Iſidori mercibus; quam haud* γνησίαν genuinam *eſſe inter cetera illud demonſtrat, ſcilicet, quod in Africa* Chorepiſcopi *gradus nunquam obtinuerit. Uti quoque eruditorum ſententia ſpuria eſt S. Leonis Papæ de Chorepiſcopis Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ.*

ctum plerique cenſent Canoniſtæ (5): contra alii cenſet Chorepiſcopos omnes antiquis memoratos Canonibus veri nominis Epiſcopos fuiſſe (6). At vero ſimilior Cabaſſutii, Bellarmini, Thomaſſini (7), aliorumque videtur opinio: nimirum Chorepiſcopos propria ipſorum inſpecta natura, nonniſi presbyteros fuiſſe, presbyteris tamen ἐξουσίᾳ *poteſtate*, & gradu Eccleſiaſtico longe præſtantes; etſi aliquando contigerit, ut Epiſcopi eſſent, eo quod Epiſcopi ordinati fuiſſent, antequam Chorepiſcopi conſtituerentur.

VII. Et ſane 1. Syn. Neocæſareenſis Can. XIV. *in locum ſeptuaginta diſcipulorum inſtitutos Chorepiſcopos* tradit: atqui ex veterum ſententia (8) Presbyteri diſcipulos, Apoſtolos Epiſcopi repræſentant.

2. Syn. Laodicena *Can. LVII.* in hunc modum decernit: *Non oportet in villulis, vel in agris conſtituere Epiſcopos, ſed Chorepiſcopos* Περιοδεύτας (9). *Hos autem, qui antehac ordinati eſſent, nihil agere ſine* conſcientia ἄνευ γνώμης *Epiſcopi civitatis*. Ex hoc ſane Canone colligitur tum Chorepiſcopos ex Epiſcoporum collegio eſſe expungendos, tum eorum nonnullos Epiſcopali charactere jam antea fuiſſe inſignitos, ſed qui quum Canonico judicio in inferiorem, ſcilicet in Chorepiſcoporum ordinem eſſent extruſi, Epiſcopi poteſtati oportere eſſe ſubjectos.

3. Synodus quoque Nicæna *Can. VIII.* de Catharis, ſive Novatianis diſerte ſancivit, ut ſi quis ex ipſorum ſecta Epiſcopus Eccleſiæ ſe Catholicæ recolligeret, is *Presbyteri honorem habebit: niſi utique Epiſcopo placeat ipſum nominis honorem impartire. Si autem hoc illi non placeat, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorſus eſſe videatur, nec in una civitate duo Epiſcopi probentur exſiſtere*. Quis hic non perſentiſcit Nicænos Patres Chorepiſcopos Epiſcopis longe inferiores agnoviſſe? Et ſane Patres Nicæni Epiſcopis Novatianis Chorepiſcopi locum concedi quidem poſſe decernunt, ita tamen ut omnino in Cleri ordinem adſciti videantur, ne duo in eadem civitate ſint Epiſcopi. Quæ ſane ſententia qui ſtare poſſet, ſi Chorepiſcopi veri fuiſſent Epiſcopi, profecto non video.

4. His autem & illud accedat, quod Chorepiſcoporum inauguratio ab Epiſcoporum conſecratione plurimum diſtabat. Enimvero quis ignorat juxta veterum Canonum Statuta neminem unum, niſi a tribus ſaltem Epiſcopis poſſe Epiſcopum initiari? Quum igitur Chorepiſcopos unus duntaxat Epiſcopus ordinaret ex Conc. Antioch. *Can. X.* (10); quiſnam eis Epiſcopalem quiverit characterem adſcribere? Porro eodem iſtoc Canone ſancitur, ut *qui in vicis, & poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis Epiſcopi ordinationem, manuumve impoſitionem acceperint, &*

(5) *Turrianus* Not. in Can. LIV. Conc. Nic. Arab. *Eſtius* in IV. Sent. Diſt. XXIV. p. 3. *Antonius Auguſt. Epitom. Juris Canon.* Lib. VI. Tit. 2. Cap. 8. 11. & 13. *Forbeſius* Iren. Lib. II. cap. 11. &c.

(6) *Hammendus* Diſſert. III. contr. Blondell. *Beveregius* Pand. Tom. II. Not. in Conc. Ancyr. Can. XIII. *Caveus* Prim. Chriſt. P. I. cap. 8. *Binghamus* Lib. II. cap. 14. §. 4. *Eſpenius* Schol. in Can. Antioch. X.

(7) *Cabaſſutius* Not. Conc. Cap. 8. *de Marca* Conc. Lib. II. cap. 13. *Bellarminus* de Clericis Lib. I. cap. 17.

(8) *Hier. Ep. ad Fabiolam:* Nec dubium, quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius mundi ſiccitatem rigant. Juxta has aquas ſeptuaginta creverunt palmæ, quas & ipſos ſecundi ordinis intelligimus Præceptores, Luca Evangeliſta teſtante, duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos minoris gradus, quos & binos ante ſe Dominus præmittebat.

(9) *Periodeutas, de quibus in producto Laodic. Can.* mentio injicitur, *ab Chorepiſcopis diverſos eſſe cenſent Binghamus, aliique. At contra eoſdem eſſe, ac Chorepiſcopos docet Thomaſſinus, & pluribus demonſtrat Duguetius* Diſſert. XLI. in Can. XVII. Ancyranum, *ac præcipue ex Collatione* Canonum Laodiceni, & Antiocheni, *quorum ſententia tanta conſenſione inter ſe conſonant, ut de uno, eodemque Chorepiſcoporum ordine utrumque egiſſe omnino dicendum ſit.*

(10) Conc. Antioch. Can. X. *Chorepiſcopum Epiſcopus Civitatis ordinet, cui ille ſubjectus eſt.*

& ut Epiſcopi conſecrati ſint : tamen S. Synodo placuit , ut modum proprium recognoſcant ; ut gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias , earumque moderatione , curaque contenti ſint . Ordinent etiam Lectores , & Subdiaconos , atque Exorciſtas , quibus promotiones iſtæ ſufficiant . Nec Presbyterum vero , nec Diaconum audeant ordinare præter Civitatis Epiſcopum , cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt .

5. Tandem Patres Conc. Hiſpalenſis an. 620. ſevere increparunt Agapium quendam Cordubenſem Epiſcopum , eo quod Chorepiſcopos ad Epiſcopalia munia exercenda delegarit ; & rationem ſubdunt ; *quia Chorepiſcopi , & Presbyteri juxta Canones unum ſunt* . Ergo Chorepiſcopi, inſpecta propria chorepiſcopatus indole, Epiſcopis erant inferiores , nec ſolemne χειροτονίας jus unquam habuere , licet aliquando contigerit , ut Epiſcopi eſſent , quod jam antea Epiſcopali charactere fuerint inſigniti . Qua de re miramur Joannem Morinum virum ceteroquin in antiquitate verſatiſſimum in ea fuiſſe ſententia, ut dum Chorepiſcopis epiſcopalem adimit characterem , ipſis tamen jus Presbyteros , Diaconoſque ordinandi elargiatur . Morino hac in re prora, ac puppi eſt mutilus , ac mendoſus Synodi Ancyranæ *Canon XIII*. Præſtat igitur hic Canonis verba proferre , expendere , eorumque genuinum ſenſum aperire .

VIII. Canon, uti in Conciliorum Collectione proſtat , in hunc modum ſe habet . *Chorepiſcopis non licere Presbyteros , aut Diaconos ordinare . Sed neque Presbyteris civitatis , niſi eis permittatur ab Epiſcopo per litteras in aliena parochia* . Profecto ſi recitata verba eodem quo jacent ordine accipere velimus , ineptus inde ſane editur ſenſus . Qui enim Presbyteris presbyteros ordinandi data eſſet poteſtas , quæ Epiſcoporum maxime propria eſt , & in cujus conſortium vocari nullus præterea poteſt ? Aut ſi legere velimus ; *Sed neque Presbyteros urbis* , ita ut Chorepiſcopis veritum fuerit urbicos presbyteros ordinare ; quis ſermonis hujus ταυτολογίαν feret ? Nam ſi omnino presbyteros , & diaconos ordinare Canon Chorepiſcopis interdicit , quorſum pertinuit de urbanis presbyteris, qui ruralibus longe præerant , ſigillatim meminiſſe ? Poſtrema tandem verba Canonis obſcuriores offundunt tenebras ; iis enim non ſolum Chorepiſcopis jus ordinandi in propria Parœcia impertiri videtur , verum & *in aliena* ἐν ἑτέρᾳ , Epiſcopi tamen venia , quod nec ipſi quidem facere poſſunt Epiſcopi . Græcus ergo textus hodiernus ex antiquis latinis verſionibus eſt emendandus .

IX. Ac primo Dionyſii Exigui verſio ſic habet : *Sed nec Presbyteris civitatis ſine præcepto Epiſcopi , vel litteris in unaquaque parœcia* . Ex quo patet in primigenio textu pro ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ lectum fuiſſe ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ . Tum addenda hæc verba , μηδὲν πράττειν *aliquid agere* .

X. Et quidem 1. ex veteri Eccleſiæ Romanæ Codice a Queſnellio primum evulgato ; 2. ex Ferrandi Diaconi Breviario *Can. LXXIX.* & *XCII.* 3. ex Epitome Canonum Hadriani I. Papæ ; 4. ex Iſidori Verſione ; & 5. demum ex Capitulari Aquiſgranenſi Caroli M. In omnibus his verſionibus Græci hodierni textus lacuna ſuppletur verbis illis *aliquid agant* . Canone Ancyrano primigeniæ lectioni ſic reſtituto omne prorſus corruit Morinianæ opinionis fundamentum .

XI. Jam vero Chorepiſcoporum non exigua erat poteſtas : Nam 1. Hypodiaconos , Lectores , Exorciſtas , alioſque inferiores Clericos ordinabant : ita Syn. Antiochena *Can. X. nuper producto* , & S. Baſilius *Epiſt. CLXXXI.* ex qua etiam datur intelligi Baſilium ab ſuis Chorepiſcopis requiſiviſſe , ut neminem ad quempiam inferiorem ordinem promoverent , niſi prius de ejus ἱκανότητι *idoneitate* ad Epiſcopum referrent (11) : quam conditionem Synodus Antiochena Chorepiſcopis videtur remittere : *Can. X.* nuper producto .

2. Po-

(11) *S. Baſilius Epiſt. CLXXXI.* Hæc quidem examinabant Presbyteri , & Diaconi , qui cum eis verſabantur . Referebant autem ad Chorepiſcopos , qui a vere teſtificantibus ſuſceptis ſuffragiis , & eorum admonitis Epiſcopis , ita miniſtrum &c.

2. Poteſtatem habebant dandi Clericis Epiſtolas dimiſſorias: Concilium Antiochenum *Can. VIII.* (12). Confer *Caput XIII. num. 9.*

3. In Eccleſia oppidana ſacris operabantur, etiam præſentibus Epiſcopo, & Preſbyteris Urbis; quod ſane Presbyteris ruralibus non licebat: ita Concilium Neocæſareenſe *Can. XIII.* & *XIV.* (13).

4. Præerant Agrorum Presbyteris, & Eccleſiis, quas, uti ſuperiori Capite vidimus, tanquam Epiſcopi vicarii in credita ſibi regione viſitabant: ita Conc. Antioch. & Iſidorus Hiſpalenſis (14).

5. Prærogativa fruebantur ſedendi in Conciliis, & cum Epiſcopis ſuffragia ferendi. Et ſane definitionibus Conciliorum Nicæni, Epheſini, Neocæſareenſis, aliorumque plures ſubſcripſiſſe Chorepiſcopos eorundem Acta probant. Profecto Concilio Nicæno I. *Palladius*, & *Seleucius* ſubſcripſerunt, tanquam *Chorepiſcopi* Provinciæ Cæleſyriæ: *Gorgonius*, *Stephanus*, *Euphronius*, *Rhodon*, *Theophanes*, ut *Chorepiſcopi* Provinciæ Cappadociæ, aliique aliarum provinciarum Chorepiſcopi. Conciliis quoque Neocæſareenſi, Epheſino, & Chalcedonenſi *Chorepiſcopi* ſubſcripſerunt.

6. Poteſtatem habebant confirmandi Neophytos; eos ſcilicet, qui in Vicis, & pagis recens baptizati erant. Syn. Regienſis *Cap.* 3. (15). Quidnam vero iſtæc Confirmatio fuerit, videbimus, quum de Sacramento Confirmationis agemus.

7. Denique ex Conc. Chalcedonenſis *Can. II.* Chorepiſcopatus per peculiarem conferebatur *χειροτονίαν manuum impoſitionem* (16); quod Chorepiſcopis, uti obſervat Thomaſſinus *P. I. L. II. Cap.* 1. *num.* 9. non exterior quædam, & temporalis duntaxat committeretur juriſdictio, ſed ſpiritualia ipſis concrederentur munia; & licet novum ordinem non acciperent, poteſtatem tamen accipiebant, ea quidem, qua fruuntur Epiſcopi, inferiorem, ea tamen, qua Presbyteri, ſuperiorem. Profecto indicato Can. Chalced. *Sacri ordines* ab *Officiis* ſatis aperte ſegregantur. Ordines primo recenſentur: *Si quis ordinaverit per pecunias Epiſcopum*, *Chorepiſcopum*, *Presbyterum* &c. deinde ad Officia venitur: *Aut promoverit per pecunias Œconomum*, *Defenſorem*. Adnumeratur ergo ſacros inter ordines *Chorepiſcopatus*, eique tribuitur ordinatio *χειροτονία manuum impoſitio:* At Œconomo, Defenſori &c. tantummodo *promotio προβάλλοιτο*. Nequaquam igitur probanda illorum ſententia videtur, qui quam maxime poſſunt Chorepiſcoporum dignitatem elevantes, eos Vicariis, quos dicimus *Foraneos*, æquiparare adſolent; quum his hactenus explicata Chorepiſcoporum munia numquam fuiſſe tributa nullus eſt, qui ignoret. Illud hic tantummodo juvat obſervare in una, eademque Diœceſi plures aliquando fuiſſe Chorepiſcopos. Profecto S. Gregorius Naz. in eo, quod de *ſua* ipſius *vita* conſcripſit *Poemate*, teſtatur Baſi-

(12) Conc. Antioch. Can. VIII. *Chorepiſcopi nulli reprehenſioni adfines dent pacificas.*

(13) *Conc. Neocæſar. Can. XIII. & XIV.* Vicani Presbyteri non poſſunt in Dominico offerre præſente Epiſcopo, vel Urbis presbytero: neque panem dare precationis, neque calicem: Chorepiſcopi autem ſunt quidem in figura ſeptuaginta: ut autem comminiſtri propter ſtudium in pauperes offerunt honorati.

(14) *Conc. Antiochen. nuper* producto Canone, *& Iſidorus Hiſpal. de Offic. Eccleſ. Lib. II. cap.* 3. Chorepiſcopi in villis, & vicis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias.

(15) *In Synodo Regienſi habita anno* 439. *Armentarius, quod ſine conſenſu Metropolitani a duobus tantum Epiſcopis ordinatus eſſet, ea conditione Epiſcopatum dimittere cogitur, ut Chorepiſcopus eſſe poſſit*: Cap. 4. producto num. 3. *Ipſi autem nonniſi ruralis Parochiæ cura adſignatur, etiam minuſculorum Clericorum ordinatione interdicta; tribuitur tamen poteſtas confirmandi Neophytos, de quo ſilent Canones Græci, qui de Chorepiſcopis agunt.* Nec ordinare vel ultimum clericorum præſumat. - - In Eccleſia, quam fuerit adeptus, ſolum Neophytos confirmare, & ante presbyteros offerre conceditur.

(16) *Conc. Chalced. Can. II.* Si quis Epiſcopus per pecuniam ordinaverit χειροτονήσει Epiſcopum, vel *Chorepiſcopum*, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero: aut promoverit per pecunias Diſpenſatorem, aut Defenſorem, vel quemquam &c.

Baſilium obnoxios ſibi habuiſſe Chorepiſcopos quinquaginta.

XII. Verum Chorepiſcopis grave vulnus inflictum eſt, ubi περιοδευταὶ *Circumcurſatores*, *Circuitores*, ſive *Viſitatores* conſtitui cœperunt. Horum prima occurrit mentio in Conciliis Chalcedonenſi *Act. IV.* & Conſtantinopolitano ſub Menna *Act. I.* ubi Presbyteri aliquot occurrunt τῶν περιοδευτῶν titulo condecorati (17). Horum munus videtur fuiſſe, ut tanquam *Vicarii Epiſcopi* Diœceſes circumluſtrarent. Verum inductis *Periodeutis* non ſtatim *Chorepiſcopatus* exſtinctus eſt: adhuc enim multis in locis conſervabatur: ejus enim non modo Baſilius loco producto n. 11., & Gregorius Nazianz. *Epiſt. LXXXVIII.* meminerunt, ſed etiam in Concilio Chalcedonenſi Chorepiſcopos ſediſſe legimus, qui Epiſcoporum, a quibus miſſi fuerant, nomine ſubſcripſerunt. Igitur Chorepiſcopatus Seculo V. adhuc vigebat, at Chorepiſcoporum poteſtas jam imminuta erat: in antegreſſis enim conciliis ſuo ipſorum nomine ſubſcripſerunt. Verum ſicuti in Occidente ſerius, quam in Oriente Chorepiſcopi inſtituti ſunt; ita quoque ſerius in Occidente eſſe deſierunt. Et ſane in Oriente ætate Balſamonis jam exoleverant, in Occidente vero nonniſi IX. exeunte Seculo, quando ex perperam intellectis Orientalibus quibuſdam Canonibus Epiſcopalia ſibi munia vindicare auſi ſunt, tum per Gallicanas Synodos, tum & per ipſos R. Pontifices omnino aboliti ſunt, quibus ſucceſſiſſe videntur Decani, ſive Archipresbyteri Rurales, de quibus in noſtris Inſtitutionibus Canonicis.

(17) *Concilium Chalcedonenſe Action. IV.* Reverendiſſimus Presbyter, & circuitor περιοδευτὴς Alexander. *Ibidem Act.* X. Valentinum ordinavit Presbyterum, & περιοδευτὴν Procuratorem. *Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna*: Sergius Presbyter, & Luſtrator περιοδευτής.

CAPUT XVI.

De Romano Pontifice.

I. Hactenus de Epiſcopis, eorumque origine, ac poteſtate generatim. Juvat modo de pluribus, iiſdemque variis Epiſcopatus gradibus ſermonem inſtituere. Atqui ſummum ſive Epiſcopatus, ſive Eccleſiaſticæ Hierarchiæ culmen, ac faſtigium in Apoſtolica S. Petri Cathedra & quidem ex Chriſti inſtitutione, ſemper novit antiquitas. Tum R. Pontifici, qui eam tenet Cathedram, tanquam ejuſdem Principis Apoſtolorum ſucceſſori, Primatus in univerſa Eccleſia non dignitatis modo, & honoris, verum & poteſtatis, ac juriſdictionis non humano, at divino jure nunquam tributus non eſt. De S. Petri in urbem adventu, Romano Epiſcopatu, certamine cum Simone Mago, ac demum Martyrio, ſuique Corpuſculi depoſito jam ſatis Cap. III. Tum S. Petri, ejuſque Succeſſorem in Eccleſia univerſali Primatum ex divino Novi Fœderis Codice ſat abunde demonſtrant Theologi. Illud igitur duntaxat nobis reſervatum peculium eſt; nimirum ut eundem R. Pontificum primatum ex antiquis adſtruamus Eccleſiaſticis monumentis. Age porro rem adgrediamur.

§. I. *De Honorificis quibuſdam Nominibus, quibus R. Pontifex antiquitus decorari, ac diſtingui conſuevit.*

II. Profecto uti Chriſtus ad indicandam S. Petro elargitam ſupra reliquos Apoſtolos præcellentem dignitatem ipſi Simonis nomen mutatum voluit; atque adeo juſſit, ut deinceps Syriace ܟܐܦܐ *Chipho* nuncuparetur, græce Πέτρος, latine *Petra*, ſive *Petrus*; ita quoque ejuſdem Succeſſor R. Pontifex pluribus, iiſdemque honorificentioribus præ reliquis Orbis Chriſtiani Epiſcopis nominibus ſemper in Eccleſia decorari, ac diſtingui conſuevit, qui-

quibus haud obſcure ejuſdem in univerſa Catholica Eccleſia Primatus indicaretur.

III. Ac 1. dictus eſt *Pontifex Maximus*, & *Epiſcopus Epiſcoporum:* Tertull. Lib. de Pudic. cap. 1. in Zephirinum ſtylum procaciter acuens ajebat; *Pontifex Maximus*, *Epiſcopus Epiſcoporum dicit:* &c. Quamvis autem his eum nominibus per ſarcaſmum nominet, indicat tamen ita jam a Catholicis nuncupari conſueviſſe.

2. *Pater Patrum*, & *Apoſtolico culmine ſublimatus:* Stephanus Epiſc. Carthag. in Epiſt. ad Damaſum Papam nomine trium Conciliorum Africæ ſcripta: *Beatiſſimo Domino*, & *Apoſtolico culmine ſublimato Sancto Patri Patrum Damaſo Papæ*.

3. *Summus omnium Præſidum Pontifex:* ibid. *Et Summo omnium Præſidum Pontifici*.

4. *Pontifex Chriſtianorum:* Euſebius in Chronico ad an. 44.

5. *Eccleſiæ Petra*, ſive *Fundamentum:* Hieronymus Epiſt. ad Damaſum: *Super hanc Petram ædificatam Eccleſiam ſcio*.

6. *Chriſti ovilis Paſtor*, & *Cuſtos:* Ambroſius Epiſt. 81. ad Siricium: *Recognovimus litteris tuis boni Paſtoris excubias, quam fideliter tibi commiſſam januam ſerves*, & *pia ſollicitudine Chriſti ovile cuſtodias*.

7. *Domus Dei*, ſive *Eccleſiæ Rector:* idem Ambroſius in I. Timoth. 3. *Domus Dei eſt Eccleſia, cujus hodie Rector eſt Damaſus*.

8. *Apoſtolicæ Sedis Præſul*, ſive *Antiſtes:* Hilarus Papa Epiſt. XI. ad Epiſcopos Galliarum: *Ut quidquid Eccleſiis in auferendis confuſionibus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes ſuo pronuntiaſſet examine* &c. & Valentinianus III. in Novell. Conſt. ad calcem Cod. Theodoſ. *Pro lege ſit quidquid ſanxit, vel ſanxerit Sedis Apoſtolicæ Auctoritas* (1).

9. *Ad Principatum Sacerdotii ſuper omnes evectus:* Valentinianus in Epiſt. ad Theodoſ. in Collect. Conciliorum Chalced. Concilii Actis præpoſita: *Beatiſſimus Romanæ Urbis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit*.

10. *Caput omnium Epiſcoporum:* Legati Sedis Apoſtolicæ in Syn. Epheſina Act. II. *Gratias agimus Sanctæ, venerandæque Synodo, quod litteris Sancti, Beatique Papæ noſtri ...... Capiti veſtro ſanctos cantus ſanctis etiam adclamationibus exhibueritis*.

11. *Caput Univerſalis Eccleſiæ:* Legati Sedis Apoſtolicæ in Syn. Chalced. *Unde Sanctus*, & *Beatiſſimus Papa Caput univerſalis Eccleſiæ* &c.

12. *Beatiſſimus*, & *Apoſtolicus Vir:* Syn. Chalced. Act. XVI. *Beatiſſimus*, & *Apoſtolicus Vir Papa hoc nobis præcepit*.

13. *Chriſti Vineæ Cuſtos:* Eadem Synodus in Epiſt. ad Leonem: *Cui Vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt*.

14. *Univerſalis Archiepiſcopus*, & *Patriarcha:* ibid. Act. III. ubi tres ad Leonem inſcriptæ habentur epiſtolæ cum hac ἐπιγραφῇ: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Univerſali Archiepiſcopo*, & *Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni*.

15. *Princeps Sacerdotalis Coronæ:* Valentinianus III. Novell. ad calcem Cod. Theodoſiani: *Sedis Apoſtolicæ Primatum S. Petri meritum, qui Princeps eſt Sacerdotalis Coronæ* &c.

16. *Præfectus totius orbis*, & *caput familiæ*

(1) Haud negaverim Epiſcopos Antiochenum, Epheſinum, Jeroſolymitanum &c. eodem aliquando titulo fuiſſe donatos: verum ipſis R. Pontificem triplici potiſſimum intuitu præſtitiſſe contendit Bellar. *de R. Pontifice Lib. II. cap.* 3. nimirum 1. quod Sedes Romana κατ' ἐξοχὴν *Sedes Apoſtolica* dicta ſit: quum reliquæ ab aliis Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ Apoſtolicæ dictæ non ſint, niſi cum addito: *Epheſina*, *Antiochena* &c. 2. quod R. Pontifex non Sedem duntaxat Apoſtolicam, verum & Sedis Apoſtolicæ Principatum tenere dictus ſit: Auguſt. Epiſt. 162. al. 43. *Eccleſiæ Romanæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*; 3. demum quod R. Pontifici haud ſemel Apoſtolatus abſolute tributus ſit: Conc. Chalced. Act. I. *Præcipere dignatus eſt ejus* Leonis *Apoſtolatus, ut Dioſcorus non ſedeat in Concilio*: & Honorius Imp. in Epiſt. ad Boniſacium: *Quotidianis orationibus* Apoſtolatus *tuus ſtudium, ac votum ſuum circa ſalutem, atque imperium noſtrum dignetur intendere*.

militiæ Chriſti : Chryſoſtomus Tom. VI. pag. 282.

17. *Paſtoralis principatus dignitate illuſtris*: Theodorus Studita Lib. I. Epiſt. 33. ad Leonem Papam.

18. *Profanarum hæreſeun depoſitor*, *Princeps*, & *Doctor orthodoxæ*, & *immaculatæ fidei*: Sergius Cyprienſis Epiſcopus Epiſt. ad Theodorum Pontificem.

19. *Sacerdos potiſſimus*: Hilarus in Syn. Romana an. 467. *Nos qui potiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia*.

20. *Eccleſiæ Præſidens*: Auguſt. Lib. 1. contra Julianum Cap. 6.

21. *Spiritualis Pater omnium*, *Summus Pontifex*, & *Venerabilis Univerſalis Papa*: Hincmarus Remenſis in Conc. Pontig. Can. I. *Ut honor Domino*, & *Spiritali Patri noſtro Joanni Summo Pontifici*, & *venerabili univerſali Papæ ab omnibus conſervetur*.

22. *Summus Pontifex*, *Vicarius Chriſti*, *omnium Chriſtianorum Paſtor*, & *Magiſter*: Græci in Synodo Florentina ſuam de R. Pontificis Primatu ſententiam in hunc modum edidere: *Confitemur Papam eſſe ſummum Pontificem*, *Vicarium Chriſti*, *omnium Chriſtianorum Paſtorem*, & *Magiſtrum cum jure adminiſtrandæ Eccleſiæ Dei*. Huc quoque facit inſignis S. Bernardi locus, quem vide inferne (2).

23. De nomine *Papæ*, ejuſque etymo, & uſu in veteri Eccleſia jam ſatis in noſtris Inſtitutionibus: illud hic tantummodo obſervandum ex Bellarmino de R. Pontif. *Lib. II. cap.* 31. Papæ nomen, licet ad VI. uſque Seculum non Epiſcopis modo, verum & Abbatibus, Clericiſque commune, peculiari tamen quadam ratione R. Pontifici fuiſſe tributum: & quidem tum quod ipſe ſolus *Univerſalis Eccleſiæ Papa* diceretur, uti ex Conc. Chalcedon. modo obſervavimus, tum quod *Papa* abſolute nominato R. Pontifex ſemper intelligeretur; unde, ubi reliquis tribuebatur Epiſcopis, eorundem nomen adjiciebatur: quod pluribus exemplis demonſtravimus ſupra Cap. XII. n. 10. Contra vero R. Pontifex κατ' ἀντονομασίαν Papa dici conſuevit: Unde in Syn. Chalced. Act. XVI. Legati Sedis Apoſtolicæ: *Beatiſſimus*, inquiunt, & *Apoſtolicus Vir Papa hoc nobis præcepit*. Hactenus recenſitis honorificis titulis & aliis reliqui etiam Epiſcopi aucti ſunt, at nonniſi peculiaribus quibuſdam nominibus; verum ea ratione, qua divinus in univerſam Eccleſiam Primatus effertur, Romano duntaxat Pontifici tributi ſunt.

§. II. *Romana quoque Eccleſia præ reliquis honorificentioribus quibuſdam nominibus donata eſt*.

IV. Ac 1. dicta eſt *Eccleſia Principalis*, *unde unitas ſacerdotalis exorta eſt*: Cypr. Epiſt. 55. ad Cornelium: *Navigare audent*, & *ad Eccleſiam principalem*, *unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*.

2. *Eccleſia reliquarum Matrix*, & *Radix*: Cypr. Ep. 42. ad eundem Cornelium de Schiſmaticis ſic ſcribit: *Diverſæ partis obſtinata pertinacia non tantum Radicis*, & *Matricis complexum recuſavit*; *ſed etiam contra Sacramentum ſemel traditum divinæ diſpoſitionis*, & *Catholicæ unitatis* &c.

3. *Unitatis Centrum*: Irenæus adverſus hæreſes Lib. III. cap. 3. *Ad hanc enim Eccleſiam propter principaliorem poteſtatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*.

4. *Prima de dotibus*: Optatus Milev. Lib. II. contra Parmen. *Cathedra unica eſt*, *quæ eſt Prima de dotibus . . . Sedit prior Petrus* &c.

(2) S. *Bernardus* Lib. II. de Conſid. cap. 8. *Eugenium Rom. Pontificem ſic adloquitur*. Age indagemus adhuc diligentius quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum: tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt.... Nec modo ovium, ſed & Paſtorum omnium tu unus Paſtor.... Alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt.

5. *Eccleſia, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus*: Auguſt. Epiſt. 165.

6. *Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*: Auguſt. Lib. II. contr. Donatiſt. cap. 65.

7. *Eccleſia, unde per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manent fidei Sacramenta ſalutis*: Epiſt. Africæ Epiſcoporum ex tribus Conciliis ad Theodorum R. Pontificem.

8. *Eccleſia, in qua B. Petrus vivit, & præſidet, præſtatque quærentibus fidei veritatem*: S. Fulgentius Epiſt. ad Eutychetem: Conc. Chalced. *Part. I. n.* 15.

9. *Mundi Cacumen*. S. Fulgentius *de Incarnatione Cap.* 2. loquens de fide Eccleſiarum Africæ circa Incarnationis Myſterium ſcribit: *Quod* Myſterium *Romana, quæ Mundi Cacumen eſt, tenet & docet Eccleſia*,

10. *Caput omnium Eccleſiarum*: Eugenius Epiſc. Carthag. apud Victorem Uticenſem de Perſec. Vandalic. Lib. II. *Et præcipue Eccleſia Romana, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum*: Et Juſtinianus Senior in Epiſt. ad Joannem II. *Veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum*.

11. *Sedes Romæ Petri, quæ paſtoralis honoris Facta Caput mundi quidquid non poſſidet armis, Religione tenet*: S. Proſper in Carmine de Ingratis. Et in Lib. II. de vocatione Gentium Cap. 6. *Roma per Sacerdotii principatum amplior facta eſt arce religionis, quam ſolio poteſtatis*.

12. *Sedes B. Petri, quæ in univerſali Eccleſia adſignatum ſibi a Domino tenet principatum*: Anaſtaſius II. Epiſt. ad Anaſtaſium Imper.

13. *Sedes Apoſtolica, unde omnis Eccleſia totius religionis ſumſit exordium*: Felix IV. Epiſt. ad varios Epiſc.

14. *Sedes Apoſtolica, ubi Orthodoxorum Dogmatum fundamenta exſiſtunt*: Sophronius in Conc. Later. ſub Martino I.

V. Iſtæc ſane honorifica nomina, quibus Romanus Pontifex, ejuſque Cathedra tum ab Græcis Latiniſque Patribus, tum ab ipſis etiam Imperatoribus ſemper in Eccleſia perpetua traditione donata, ac diſtincta eſt; adhæc & rationes, cur tot, tantis, tamque ſplendidis decoratam titulis voluit antiquitas, profecto ejuſdem in univerſali Eccleſia Primatum haud obſcure indicant.

VI. Jam vero ad adſtruendum divinum R. Pontificis in univerſa Eccleſia primatum, nullum efficacius produci poſſe videtur argumentum, quam quod jam inde ab ævo Apoſtolico poteſtatem in univerſa Eccleſia exercuerit.

Ac 1. quidem ſeſe divinus Primatus exeruit Canones condendo, Canones exſequendo, ad Canones cogendo reliquos in Epiſcopatu fratres.

2. Seſe latius explicuit nutantes in fide confirmando, devios ad fidem revocando, pertinaces a fidei communione ſegregando.

3. Seſe luculentius protulit unitatem commendando, ad unitatem cogendo, unitatem vindicando. Unitatis enim, uti centrum eſt R. Sedes, ita tutor, & vindex eſt R. Pontifex.

VII. Tria iſtæc Capita in noſtris Juris Canonici Inſtitutionibus vix indicata, hic præcipuis ex ima antiquitate petitis monumentis explicare, & adſtruere pro Inſtituti noſtri ratione ſatagemus.

§. III. *R. Pontifex Jure ſuo Canones condit, & ad Canonum obſervationem tum mandatis, tum exemplis reliquos cogit in Epiſcopatu fratres.*

VIII. Profecto quum R. Pontifex ex Chriſti inſtitutione Petra ſit Eccleſiæ fundamentalis, ipſi profecto leges Eccleſiaſticas, ſive Canones condendi poteſtas conveniat neceſſum eſt, quibus univerſa ædificii Eccleſiæ machina veluti ſuſtentetur. Atqui hanc poteſtatem jam inde ab primis ſeculis R. Pontifices exercuerunt.

Et quidem 1. quum nonnulli IV. exeunte Seculo in eo verſarentur errore, ut crederent baptizatos ab Arianis eſſe denuo ad baptiſmum ſuſcipiendum redigendos, hunc errorem Liberius Papa ſua auctoritate correxit, Decretaque generalia hac de re

de re edidit per provincias evulganda: Siricius *in Decretis Cap.* 1. (3).

2. Ipſe Siricius in Reſponſo ad conſultationem Himerii Tarraconenſis Epiſcopi plura conſtituit univerſalis Diſciplinæ capita, quibus non Hiſpanienſes modo, verum & omnes prorſus Catholici Orbis Eccleſiæ adſtringerentur. Profecto Caput VIII. quo cavetur ne inexploratæ vitæ homines ad Cleri dignitates promoverentur, in hunc modum claudit: *Quid ab univerſis poſt hac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum generali pronuntiatione decernimus*. Atque adeo *ibidem* Apoſtolicæ Sedis Decreta Canonibus exæquat: *Quamquam Statuta Sedis Apoſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli ignorare ſit licitum*.

3. Prima Eccleſiaſtica lex, qua Sacerdotibus, & Diaconis continentiæ fibula eſt impoſita, Decretum eſt ejuſdem Siricii *ibid. Cap.* 7. Conſuetudo quidem, ut alibi demonſtrabimus, jam inducta erat, ut tres Superiores Eccleſiaſtici gradus, vel cœlibatum profiterentur, vel ſaltem ab uſu conjugum, quas prius duxerunt, abſtinerent. Verum Eccleſiaſtica ſanctio, qua & id fuerit conſtitutum, & pœna adverſus contumaces inflicta, nulla occurrit Siriciana antiquior: quam ſane per omnes Occidentis provincias, etiam per Macedoniam, Theſſaliam, & Græciam obtinuiſſe pluribus demonſtrat Petrus de Marca *Lib. I. Cap.* 8.

4. Innocentius I. plura edidit Decreta non ad Occidentales modo Eccleſias, verum & ad Orientales ſpectantia; inter quæ digna eſt, quæ memoretur, Epiſtola ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, qua duplex diſciplinæ Eccleſiaſticæ Caput ſtatuitur. Primum: Patriarchæ Antiocheni jus eſſe æque Metropolitas, ac reliquos omnes Orientalis Diœceſeos Epiſcopos vel per ſe ordinare, ſi vicini ſint, vel, ſi diſſiti, per delegatos Epiſcopos. Alterum: Diviſis imperiali judicio provinciis, ut duæ fiant in civili politia Metropoles, non inde duos etiam Metropolitanos Epiſcopos eſſe conſtituendos. Qua de re Juvenalis Epiſcopus Jeroſolymitanus in Concilio Epheſino P. II. Act. IV. profeſſus eſt *ex apoſtolico ordine, & traditione maxime morem eſſe, ut Antiochena Sedes ab Romana dirigatur, & apud eandem judicetur*.

5. Ipſemet Innocentius Decretum quoddam edidit de Virginibus, quæ caſtitatem profeſſæ ſint: de quo Concilium Turonicum an. 567. *Can. II.* ſic loquitur: *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ a Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat?*

6. Cæleſtinus quoque datis litteris ad Epiſcopos per provincias Viennenſem, & Narbonenſem, tum ſpiritualem ſuam curam circa quamvis longinqua loca non deficere prædicat, ſed ſe per omnia, qua nomen Dei adnuntiatur, extendere; tum ſui muneris eſſe docet, *& quæ coercenda ſunt reſecare, & quæ obſervanda ſunt ſancire*.

7. Poſtremo omittendum non eſt illuſtre Concilii totius Galliæ plenarii ſub Carolo Calvo Pontigone celebrati teſtimonium, ubi *Canone I.* de Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus Patres in hunc modum locuti ſunt: *Ut honor Domino, & ſpirituali Patri noſtro Joanni Summo Pontifici, & venerabili univerſali Papæ ab omnibus conſervetur, &, quæ ſecundum ſacrum ſuum miniſterium auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur*.

8. Quid quod & ipſi Imperatores hanc in R. Pontificibus condendorum Canonum poteſtatem agnovere? Et ſane Valentinianus Imperator Novella, quæ exſtat ad calcem Cod. Theodoſ. *Tit. XXIV.* de R. Pontifice ſic decernit: *Ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate*

(3) *Siricius Epiſt. ad Himerium Tarracon.* Quod non licet, (*ſcilicet baptizatos ab Arianis denuo baptizare*) quum hoc fieri, & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium miſſa ad Provincias a veneranda memoriæ prædeceſſore meo generalia Decreta prohibeant.

auctoritate tentare. *Sed illis*, *omnibuſque pro lege ſit*, *quidquid ſanxit*, *vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas*.

9. Plures quoque huc facientes Conciliorum Canones adferri poſſent, quibus prærogativa illa Sedis Apoſtolicæ ubique agnita demonſtraretur: verum id inſtituti noſtri ratio non ſinit. Satis igitur eſto Concilii Aurelianenſis I. an. 501. *Can. I.* qui in hunc modum ſe habet: *De homicidis*, *adulteris*, *& furibus ſi ad Eccleſiam confugerint*, *id conſtituimus obſervandum*, *quod Eccleſiaſtici Canones decrevere*, *& lex Romana conſtituit*.

IX. Jam vero R. Sedis, uti maxima fuit cura ſuis Decretis Eccleſiaſticam Diſciplinam moderandi, ita non minor eluxit ſollicitudo, ut venerandi Eccleſiæ Canones ubique fideliter cuſtodirentur.

Et ſane 1. quidnam cauſſæ fuit, cur R. Pontifices, ac præſertim Anicetus, & Victor, adverſus Aſianos in quæſtione de Paſchate, & Stephanus in quæſtione de baptiſmate hæreticorum adverſus Africanos, ipſoſque Aſianos tam ſtrenue pugnarent, niſi ut Canones ab Apoſtolis Eccleſiis a ſe fundatis primum voce traditi, perpetua cura in Eccleſia ſarti, & tecti haberentur? Atque adeo Romanorum Pontificum in Apoſtolicarum traditionum cuſtodia tanta, tamque ſingularis diligentia extitit, ac ſedulitas, ut poſtea Patres Nicæni in utroque illo ſanciendo Capite eorundem ſententiam fuerint ſecuti (4).

2. Innocentius I. Epiſt. ad Victricium Rothomag. diſerte indicat ad ſuam ſpectare ſollicitudinem eos admonere, qui vel ignorantia, vel deſidia non tenent Eccleſiaſticam Diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt (5).

4. Atqui Liberius jam antea idem pæne dixerat, dum ad Conſtantium ſcribens ſic loquitur: *Nunquam mea ſtatuta*, *ſed Apoſtolica*, *ut eſſent ſemper firmata*, *& cuſtodita perfeci*. Adhæc, ut firma permanerent, quæ in Nicæna Synodo de voce Ὁμοουσίῳ conſtituta fuerant, Synodum Ariminenſem damnavit.

4. Idem Innocentius Acta Synodi ad Quercum, ubi Jo. Chryſoſtomus damnatus eſt, eo nomine reſcindenda cenſuit, quod contra Canonum præſcripta conſtituta eſſent (6). Neque vel tantulum Innocentium commovit interrupta inter Occidentis, & Orientis Eccleſias ea de cauſa communio.

5. Zoſimus R. Pontifex *Epiſt. VII. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis*, *& Narbonenſis* de Proculo Epiſcopo Narbonenſi, & de Simplicio Epiſcopo Viennenſi graviter conqueritur, quod multa contra veterem formam in Epiſcoporum ordinationibus molirentur, atque adeo in Concilio Taurinenſi ſubdola quadam obreptione ordinandorum Epiſcoporum ſibi feciſſent poteſtatem; unde ut in primigenium ſtatum cuncta redeant fortiter præcipit (7).

6. Ne-

(4) *Patres Nicæni in Epiſt. Synod. ad Eccleſ. Alex. apud Theodoret.* Lib. I. cap. 2. *in hunc modum ſcribunt*: Quod autem ad omnium conſenſum de ſacratiſſimo feſto Paſchatis celebrando attinet, ſcitote quod controverſia veſtris precibus de ea re ſuſcepta prudenter, & commode ſedata eſt: ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Judæorum conſuetudinem ante in eo feſto obſervando imitari ſolent, jam Romanos nos, & omnes vos ſint deinceps ſecuti. *Et Facundus Hermianenſis Lib. contra Mucianum*: Stephani potius, quam Cypriani ſententiam tenet Eccleſia, non ſolum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis.

(5) *Innocentius I. Epiſt. ad Victric.* Propter eos igitur, qui vel ignorantia, vel deſidia non tenent Eccleſiaſticam Diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt, recte poſtulaſti ... Non quod noſtra præcepta aliqua imperentur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus, quæ tamen Apoſtolica, & Patrum traditione conſtituta ſunt.

(6) *Innocentius I. Epiſt. 29. ad Clerum*, *& Populum Conſtantinopolitanum*: Hæc contra Canonum obſervationem ſunt. Canonibus porro obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti, quos ſolos conſectari decet Eccleſiam Catholicam.

(7) *Zoſimus Epiſt. VII. ad Viennenſes*, *& Narbonenſes Epiſcopos*: Multa contra veterem formam Proculus uſurpaſſe detectus eſt .... Indecens auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus, hoc ab Epiſcopis ob certas cauſſas Concilium agitantibus extorquere; quod contra ſtatuta Patrum ... concedere, vel mutare ne hujus quidem Sedis poſſit auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam. Et quia redire in ordinem ſuum intermiſſa præcipimus &c.

6. Neque aliunde, quam ex Canonum Nicænorum auctoritate R. Pontifices Zoſimus, Bonifacius, & Cæleſtinus jus recipiendi adpellationes ab ſententiis Conciliorum Africæ ſibi vindicandum crediderunt. Verum de hac re redibit ſermo, ubi de Adpellationibus agemus.

7. Quidnam cauſſæ fuit, cur R. Pontifices, ac præſertim Leo M. & Gregorius M. tanta, tamque mirabili conſtantia Canonem Chalcedonenſem. XXVIII. reprobare non deſiverint, quo Epiſcopo Conſtantinopolitano Primatus poſt R. Pontificem tribuebatur, niſi quia vetus Eccleſiaſtica Diſciplina Canonibus Nicænis primum firmata penitus convelli videbatur? Unde Leo M. Epiſt. ad Anatolium: *Tanquam*, inquit, *refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per S. vere Spiritum ordinata conditio in aliqua unquam ſit parte ſolubilis*. Verum de hoc capite redibit ſermo, ubi de Conſtantinopolitani Patriarchatus Origine, & Progreſſibus.

8. Poſtremo R. Pontifices in ſuis Decretalibus quam ſæpiſſime ad Canonum urgent obſervantiam; atque adeo Reſponſa ad conſultationes Epiſcoporum haud raro vel ex Canonibus hauriunt, vel Canonibus confirmant. Quin immo ubi accideret, ut Reſcriptum aliquod ederent, quod poſtea Canonibus contrarium noſcerent, illud reſcindere non dubitabant. Unde quum Auxanius Epiſcopus Reſcriptum quoddam ab Hilaro Papa impetraſſet, quo jura Abredunenſis Metropolitani lædebantur; ubi hoc novit Hilarus, continuo Epiſtola data ad Leontium, Veranum, & Victurium Epiſcopos, ipſis ejus rei cognitionem committens irrita, & nulla eſſe declarat, quæ obreptitie in præjudicium Ingenui Abredunenſis Metropolitæ Auxanius ab Apoſtolica Sede extorſerat: *Nihil adverſus Canones, nihil contra deceſſoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis eſſe conſtiterit*.

X. Igitur R. Pontifices ut reliquos in Epiſcopatu fratres ad Canonum obſervantiam facilius, ac felicius poſſent cogere, ipſi primum eoſdem ſibi ſervandos, ac perpetuo cuſtodiendos propoſuerunt. Et ſane, ut loquitur Gregorius M. Lib. V. Epiſt. 12. *Juſtitiæ, ac rationis ordo ſuadet, ut qui a Succeſſoribus deſiderat mandata ſervari, Deceſſoris ſui procul dubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiat*. Plura in id congerere animus non eſt; ſed minime prætereundus Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, ubi inter cætera hæc habet: *Quum nobis contra ſalutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & quum Sedes Apoſtolica ſuperior his omnibus favente Domino, quæ paternis ſunt Canonibus præfixa, pio devotoque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt, quemquam vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium hanc obſervantiam refutare, quam B. Petri ſedem & ſequi videat, & docere*. Quibus hæc non ſufficiunt antiqua Eccleſiaſtica monumenta, ii adeant Petrum de Marca *Lib. III. Cap.* 8.

§. IV. *Romanus Pontifex Unitatis Cuſtos, & Vindex*.

XI. At ſane, uti docent Hieronymus, & Optatus Milev. ea potiſſimum de cauſſa S. Petro a Chriſto Domino univerſalis Eccleſiæ Primatus concreditus eſt; licet *Bono unitatis*, & ut *Capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio* (8). Unde in Concilio Jeroſolymitano Petrus primus omnium locutus eſt, ac exortam de legalium obſervatione controverſiam ſuæ ſententiæ gladio compeſcuit, cui poſtea reliqui Apoſtoli ſuum calculum addidere.

XII. Hanc prærogativam in Romanis Pontificibus, tanquam S. Petri ſucceſſoribus, veteres Patres agnovere. Et ſane 1. S. Irenæus, qui Apoſtolica pæne vixit ætate, diſerte ſcribit ad R. Eccleſiam, tanquam ad unitatis centrum oportere reli-

(8) *S. Hieron. L. I. in Jovinianum*: Unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.

Optatus Milev. I. contra Parmenianum: Bono unitatis B. Petrus . . . præferri omnibus Apoſtolis meruit.

reliquas omnes convenire, quæ ſunt undique conſtitutæ, peculiares Eccleſias; atque adeo unius R. Eccleſiæ traditione, & adcuratione quanta maxima cuſtodita fidei regula omnes eos confundi, qui quoquo modo inde aberrant (9).

2. S. Cyprianus, qui medio ſeculo III. floruit, in *Epiſt. ad Cornelium*, quem ad R. Sedem canonice proveƈtum Novatiani agnoſcere detreƈtabant, diſertiſſime, uti R. Sedem centrum unitatis, ita & R. Pontificem unitatis Cuſtodem prædicat. Nam 1. Novatianos eo nomine accuſat, quod quum Cornelio, tanquam Sacerdoti Dei legitime eleƈto obtemperare renuerint, unitatem corporis Eccleſiæ, conflato ſchiſmate, violare, atque adeo ſcindere auſi ſint (10). 2. Iiſdem obſtinatam, atque inflexibilem exprobrat pertinaciam, qua ad Cornelii complexum, tanquam ad matricis, & radicis ſinum confugere, renuentes, ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem redire, ejuſdemque ſciſſi corporis membra componere neglexerint; Quin potius 3. adulterum, & contrarſum Caput fecerint (11). Tum 4. unitatem Cathedræ Apoſtolicæ ſupra Petrum fundatæ cum unitate Dei, cum unitate Chriſti, cum ipſius Eccleſiæ unitate comparat: *Deus unus eſt*, inquit, *& Chriſtus unus, & una Eccleſia ſupra Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare, & unum Sacerdotium non poteſt*. Ecquis hic non videt Cyprianum unitatis Eccleſiæ, unitatis Altaris, unitatis Sacerdotii uti Centrum R. Sedem, ita & Cuſtodem R. Pontificem agnoſcere? 5. Poſtremo Novatiani Legatos Carthaginem adventantes nulla ratione voluit recipere, immo nec audire, quod ejus eſſent factionis, quæ ab Cornelii communione, & obedientia diſceſſerat: *Epiſt.* 45. Quid plura? Scribens adverſus ſchiſmaticos æque Romanos, ac Africanos tunc temporis Eccleſiæ unitatem dilacerantes, haud ſemel Sedem Romanam *Eccleſiam principalem* adpellat, *Catholicæ Eccleſiæ Radicem, & Matricem*, aliſque ſimilibus nominibus, quæ profeƈto quam evidentiſſime Cypriani ſententiam produnt in R. Eccleſia unitatis Eccleſiaſticæ centrum, cuſtodiam, ac normam agnoſcentis.

3. Aurelianus Imperator licet Ethnicus ſententiam ferens adverſus Paulum Samoſatenum, qui Epiſcopatu Antiocheno Synodali ſententia depoſitus Domno in ejus locum canonice eleƈto Epiſcopalem domum tradere renuebat, decrevit, domum illi adjudicandam, cui *Chriſtiani Italiæ, & Urbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent*. Quinam id in mentem Ethnici Imperatoris cadere poterat, niſi pervagata tunc eſſet opinio, communionis Catholicæ teſſeram ab R. Sede petendam?

4. Optatus Milevitanus *Lib. II. contra Parmenianum* Catholicæ Eccleſiæ unitatem adverſus Donatiſtas eo potiſſimum adſtruit argumento, quod in Cathedra Romana, quæ *Unica eſt, & Prima de dotibus*, perpetua habeatur Epiſcoporum ſucceſſio, *cum quibus totus orbis commercio forma-*

(9) *S. Irenæus Lib. III. cap.* 3. Eccleſiæ a duobus Apoſtolis Romæ fundatæ traditionem indicantes confundimus eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſcientiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.

(10) *Cyprianus Epiſt. ad Cornelium Lib. I. Epiſt.* 3. Neque aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. *Neque dicas hic Cyprianum de ſingulis loqui particularium Eccleſiarum Epiſcopis. Σκοπὸς enim Cypriani adverſus Novatianos ſcribentis, qui contra Cornelium canonice eleƈtum Novatianum R. Epiſcopum inordinate conſtituerant, profeƈto ejus ſermonem ad Apoſtolicam duntaxat Sedem referendum haud obſcure prodit. Id quod & ex aliis ejuſdem Cypriani mox producendis auƈtoritatibus apertius efficitur.*

(11) *Cyprianus Ep. ad Cornelium Lib. II. Epiſt.* 10. Miſeramus nuper collegas noſtros, qui eniterentur, & quantum poſſent elaborarent, ut ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem ſciſſi corporis membra componerent, & Chriſtianæ caritatis vinculum copularent. Sed quoniam diverſæ partis obſtinata, & inflexibilis pertinacia non tantum radicis, & matricis ſinum, atque complexum recuſavit, ſed etiam Epiſcopum ſibi conſtituit, & contra Sacramentum ſemel traditum divinæ diſpoſitionis, & Catholicæ unitatis adulterum, & contrarium Caput extra Eccleſiam fecit &c.

formatarum in una communionis ſocietate concordat.

5. Idem quoque argumentum adverſus Hunnericum Regem Vandalorum urſit Eugenius Epiſcopus Carthaginienſis, teſte Victore Uticenſi de Perſecut. Vandal. Lib. II. *Si noſtram fidem, quæ una, & vera eſt, poteſtas Regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos. Scribam & ego Fratribus meis, ut veniant Coepiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem valeant demonſtrare, & præſertim Eccleſia Romana, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum* &c.

XIII. Jam vero R. Pontifex Unitatis Eccleſiaſticæ non Cuſtos modo eſt, verum & Vindex. Et ſane 1. in utraque illa de Paſchate, & de hæreticorum baptiſmo controverſia, nonne ut ad unitatem cogerent reliquos in Epiſcopatu fratres tam ſtrenue R. Pontifices concertarunt?

2. Quum Cæcilianus variorum delictorum nomine falſo a Donatiſtis accuſaretur, non alibi ejus innocentia plene adſerta eſt, quam Romæ Concilio habito ab Papa Melchiade, ubi ab ipſomet Melchiade ſententia pro Cæciliano in hunc modum prolata eſt: *Quum conſtiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt juxta profeſſionem ſuam non accuſari: nec a Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit, ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum merito eſſe cenſeo*. Tum *Donato ſolo*, ut loquitur Auguſt. Epiſt. 43. *quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos eſſe conſtaret... O virum optimum, o filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis!*

3. Liberius Papa videns in Syn. Mediolanenſi, S. Athanaſio præcipiti judicio Arianorum fraudibus damnato, unitatis Eccleſiaſticæ vinculum violatum, ac veluti diſciſſum, non modo Synodi Acta reſcidit, verum & Litteras dedit amoris plenas ad Euſebium Vercellenſem Epiſcopum, ad Luciferum Calaritanum, aliosque Catholicos Epiſcopos pro fide Nicæna exſilio, aliiſque calamitatibus adflictatos, quibus eorum animos ſimul & ſolatus eſt, & ad unitatis Eccleſiaſticæ vinculum ſuſtentandum cohortatus (12).

4. Quum in Ariana Antiochena Synodo Epiſcopi Ὀρθοδοξόταποι *magis orthodoxi* per vim damnati eſſent, atque adeo calamitatibus opprimerentur, non alio ſe conferendos putarunt, quam Romam: *Socrates Lib. III. cap.* 8.

5. Porro jus Romanæ Sedis unitatem Eccleſiæ vindicandi manifeſtius elucet in Julio I. qui medio Seculo IV. Eccleſia præſertim Orientali Arianorum æque erroribus, ac fraudibus exagitata, ſeſe tamquam murum æneum, & columnam ferream hæreticis oppoſuit, atque Athanaſium, aliosque Catholicos Epiſcopos in Synodo Tyria damnatos in communionem recipiens, unitatem Eccleſiæ pro virili reſtituere conatus eſt. Tum in Epiſtola, quam ad Orientales ſcripſit, eoſdem graviter objurgat, quod quum de Epiſcopis Eccleſiarum Apoſtolicarum ageretur, aliquid moliri auſi ſint inconſulta Sede Apoſtolica: tum conſuetudinem opponit, qua in gravioribus hiſce cauſſis Sedis Apoſtolicæ conſenſus exſpectandus eſſet, ut quod juſtum eſt, definiri poſſet (13). Et ſane quum Eccleſiarum Apoſtolicarum, ac præſertim Romanæ maxima ſemper in Eccleſia fuerit dignatio, ita ut cum iiſdem communi-

(12) *Inter Epiſcopos ob repudiatam Sirmienſem formulam exſilio adfectos haud poſtremo loco recenſendus S. Maximus Epiſcopus Neap., de quo Acta ſincera apud Sirmondum hæc habent*: Maximus quoque de Neapoli Campaniæ eo quod eſſet inhabili ſtomacho, & corpore delicatior, primum quidem ut caderet, diu adflictus injuriis; deinde, ubi ob animi conſtantiam, fideique virtutem, carnis infirmitate non vincitur, ductus eſt in exſilium, atque illic Martyr in Domini pace requievit.

(13) *Julius I. Epiſt. ad Orient.* piſcopi erant, & non vulgares Eccleſiæ, quæ iſta patiebantur, ſed quas ipſi Apoſtoli ſuamet opera ad fidem inſtruxerunt. Cur igitur, & in primis de Alexandrina Civitate, nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primum nobis ſcribatur, ut poſtea, quod juſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter ſi iſtic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.

Digitized by Google

municatio, ac præſertim cum Romana, uti haud ſemel obſervavimus, ſinceræ fidei profeſſionis teſſera per ea tempora haberetur; hinc in earundem Eccleſiarum Epiſcopos ſententiam dicere periculoſum oppido erat, ac unitati Eccleſiaſticæ ſcindendæ viam ſternebat, niſi R. Pontifex, qui præ illis eminebat, prius conſuleretur. In hoc ſane capite, quæ hic de Alexandrina Sede adnotamus, cum iis conſonant, quæ nuper de Eccleſia Antiochena ex Innocentio I. & ex Actis Concilii Epheſini obſervavimus.

6. Poſtremo, ut cetera omittam, eandem R. Pontificis prærogativam indicare videtur antiquiſſima ſemper in Eccleſia ſervata conſuetudo, ſcilicet ut Romani Pontifices etiam in diſſitis regionibus Epiſcoporum electionibus aliquando intercederent ad ſchiſmata vitanda, unitatemque Eccleſiaſticam ſartam tectam ſervandam: præſertim ubi Clerus, & plebs impacato diſſidio inter duos competitores fluctuarent, vel ubi Metropolita electionem a plebe, & Clero legitime peractam ob diverſa partium ſtudia confirmare renueret, vel ubi Epiſcopus legitime electus, quominus conſecraretur, inexpugnabiles quidam opponerentur obices, vel alias ob cauſſas, unde periculum eſſet, ne ſchiſma aliquod oboriretur. At de hoc capite ſermo redibit, ubi *de Electione*.

§. V. *R. Pontifex jure ſuo fidem tuetur, devios ad fidem revocat, pertinaces a Fidei communione ſegregat.*

XIV. Ac 1. Stephanus Papa, ut fidem, quam ab divina, & Apoſtolica traditione acceperat, tueretur, tanta, tamque mirabili fortitudine pro baptiſmate in hæreſi ſuſcepto pugnavit adverſus Cyprianum, ejuſque adſeclas, ut nihil ſupra. Unde Euſebius *Lib. VII. cap.* 3. ſummopere Stephanum commendat, quod *nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, graviſſime id tulit*. Et diſertius Vincentius Lirinenſis in Commonitorio Stephani ſapientiam, & fortitudinem in tuenda fide, quam a Patribus ſuſceperat, ſummis laudibus effert (14).

2. Stephani veſtigia ſecutus Liberius ejuſdem traditionis vindicem ſe præſtitit acerrimum, dum contra pravam a nonnullis inductam abuſionem, baptizatos ab Arianis haud denuo baptizandos edixit: *Siricius in Decretis cap.* 1.

3. Quum Pentapolitani Dionyſium Alexandrinum veluti læſæ fidei nomine apud Dionyſium Romanum Pontificem accuſaſſent: Euſ. *Lib. VII. cap.* 26. hic ſui muneris partes eſſe cenſuit, ſtatim Romæ Concilium cogere, ut ſic puritati *fidei*, quæ in Alexandrina Sede periclitari videbatur, conſuleret. Unde Synodicam miſit ad Dionyſium Alex. Epiſtolam, imperavitque ut ſuam de argumento, circa quod ipſi lis intentata fuerat, ſententiam aperiret. Scripſit iſte ad Dionyſium R. Apologiam, qua calumnias omnes ſibi a delatoribus impactas plene depulit.

4. Idem Dionyſius Alex. requiſitus de baptiſmate, quod apud hæreticos fidelis haud pravo animo acceperat, quum dubius hæreret, quodnam jus ea in quæſtione ipſi dicendum eſſet, nonniſi ad Sixtum R. Pontificem ſcribendum duxit epiſtola data, qua diſerte ſe animi pendentem fatetur, & ſuo oraculo indigentem: Euſ. Lib. VII. cap. 7. *Nam profecto opus habeo, Frater, conſilio tuo, & ſententiam tuam expeto, ne forte ipſe halluciner*. Tum altera ad eundem Pontificem data Epiſtola ipſum recens exortæ Sabellianæ hereſeos certiorem reddit, ut ſic ſuæ adverſus Sabellianos prolatæ ſententiæ ab Apoſtolica Sede robur accederet: Euſebius *Lib. VII. cap.* 5.

5. Medio Seculo III. quum perſecutio ſupra modum in Africa fureret, & Cyprianus in Carthaginienſe ſuburbanum ſeceſſiſ-

(14) *Vincentius Lirinenſis Commonit. Lib. I. cap.* 9. Intelligebat vir ſanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi omnia, quæ fide a Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, noſque Religionem, non quæ vellemus docere, ſed potius quæ illa docuerit ſequi oportere. Idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare.

ceſſiſſet, Sedes Apoſtolica per Clerum R. (extremum enim diem obierat Fabianus) datis Litteris ad ipſum Cyprianum, & ad Clericos Carthaginienſes eoſdem maximo rationum pondere hortatur ad fidem tuendam, ac plebem ſuo in munere continendam, ne ſuperſtitione fœdetur: *Apud Cypr. Ep.* 8.

6. S. Soter antiquum Rom. Pontificum morem non ſervavit modo, verum & adauxit: ſcilicet damnatis ad metalla fidelibus, vel in exſilium ejectis, neceſſaria uſibus humanis ſubmittendi, & per Epiſtolas in fide confirmandi: Dionyſ. Corint. Epiſt. ad Dionyſ. Rom. apud Euſeb. *Lib. IV. cap.* 23.

7. Lucius Rex Britannorum per Legatos ab Eleutero Rom. Pontifice viros Apoſtolicos petiit, qui Britannos Chriſti præceptis erudirent: Beda de Geſtis Anglorum *Lib. IV. cap.* 4. & in *Lib. de Sex Ætatibus*.

8. In gravi illa tempeſtate, qua Eccleſia in Synodo Ariminenſi jactata eſt, quiſnam fidei Catholicæ Nicænæ patrocinium ſuſcepit, niſi Liberius, qui non modo Ariminenſem damnavit perfidiam, verum & libenter mandato Imperatoris, Valente Epiſcopo Ariano agente, ab Eccleſia exturbatus, & Roma exire coactus in Cœmeteriis ſuburbanis ad Conſtantii uſque obitum latitavit? Ammianus Marcell. Lib. XV. cap. 12. *Id ille Athanaſio ſemper infeſtus licet ſciret impletum*, (Athanaſii damnationem) *tamen auctoritate quoque, qua potiuntur æternæ Urbis Epiſcopi, firmari, deſiderio nitebatur ardenti:* Sozomenus *Lib. IV. cap.* 18. Baronius *ad annum* 359.

9. Eccleſia Orientali in duas factiones diuturno ſchiſmate diviſa, aliis unam, aliis vero tres in divinis hypoſtaſes agnoſcendas contendentibus, S. Hier. ad R. Sedem confugiendum cenſuit, ut inde, quid eo in capite ſentiendum eſſet, ediſceret: quinimmo luculenter profitetur ſe non alium, quam R. Pontificem Petri ſucceſſorem agnoſcere, cum quo communione ſociatus in Eccleſiæ conſiſtere unitate tuto poſſet. Auream hac de re Hieronymi ſententiam lege inferne, ubi S. Doctor fidei Catholicæ tutelam R. Pontifici ſatis manifeſto adſerit, vindicatque (15).

10. Hæreſis Apollinariſtarum, ubi primum damnata eſt, niſi in Romana Synodo ab Papa Damaſo an. 374. celebrata? Unde Sozom. Lib. VI. cap. 25. ſic ſcribit: *Primus Damaſus Epiſcopus Urbis Romæ, & una cum illo Petrus Alexandrinus Antiſtes, quum hanc hæreſim latius ſerpere intellexiſſent, Concilio Romæ congregato, eam ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decreverunt*. Tum idem Damaſus, altero coacto Concilio, Macedonianos, aliaque Arianæ hæreſews mala germina ſuæ poteſtatis falce recidit: *Syn. VI. Act. XVIII.*

11. Jovinianus primum Romæ a Papa Siricio damnatus eſt: Siricius *Epiſt. II.* uti quoque adverſus Helvidium Joviniani præcurſorem libellum jam antea Damaſus ipſe conſcripſerat: Hier. *Epiſt.* 22. Idem Siricius, uti loquitur Auctor Pontificalis, *contra Manichæos, Priſcillianiſtas, imo & contra omnes hæreſes pugnavit*.

XV. Plura addi poſſent; verum hactenus producta ex quatuor prioribus ſeculis depromta monumenta ſatis videntur ad plene adſerendum, ac vindicandum R. Pontifici jus tuendi fidem. Verum non minor eluxit R. Pontificum cura in deviis ad fidem revocandis. Hujuſce curæ etiam in hactenus dictis emicant ſcintillæ; verum perpauca quædam evidentiora proferre monumenta abs re non erit.

XVI. Ac 1. Deciana Perſecutione fu-

(15) *S. Hier. Epiſt. ad Damaſum*. Cum Succeſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio .... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit .... Diſcernite, ſi placet, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis ..... Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri conjungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc unus adſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obteſtor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi ſalutem, per homouſian Trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeωn detur auctoritas.

rente, quum plures fideles æque clerici, ac laici lapſi in idololatriam eſſent, S. Cornelius Papa Concilium Romæ habuit, ubi tum Canones conſtituit ad eoſdem facilius ad fidem, & ad pœnitentiam juxta revocandos (16); tum & impiam Novatiani doctrinam damnavit, qui lapſos ab pœnitentia, & ab Eccleſiæ communione omnino, ac perpetuo arcendos contendebat. Adhæc quum nonnulli Novatiani ſectatores in Eccleſiæ communionem reditum cogitarent, cum his benigne agendum duxit, ac rigorem diſciplinæ tantiſper remittendum, ut reliqui inde ad redeundum in Eccleſiam incitarentur.

2. Liberius quoque plurimum laboravit, ut Epiſcopi, qui Arianorum fraudibus decepti, in Synodo Ariminenſi Nicænam fidem veluti prodiderant, in Eccleſiæ Catholicæ complexum redirent; quidquid contra obſtreperent Luciferiani. Unde in Epiſtola ad Orientales de eorundem in Eccleſiæ communionem reditu gloriatus: *Omnes*, inquit, *illi fere Epiſcopi, qui Arimini convenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulſi, a fide tum quidem deſciverant, nunc tamen ad ſanam mentem reverſi, fidei formulæ ab Epiſcopis Arimini convocatis editæ anathema denuntiaverunt, & fidei catholicæ, & Apoſtolicæ Nicææ confirmatæ ſubſcripſerunt, & nobiſcum jam una communicant.* Id quod Damaſus quoque curavit Concilio Romæ habito.

3. Siricius quoque Manichæorum in Eccleſiam reditum curavit; tum ex his multos ad Eccleſiam redeuntes, ne ſociorum converſatione denuo polluerentur, juſſit in monaſteria detrudi, ibique toto vitæ ſpatio pœnitentiam agere: Auctor Pontif. in *Siricio*.

XVII. Jam vero R. Pontifices, uti devios ad fidem revocandi, ita quoque pertinaces a fidei communione ſegregandi jus ſibi tribuerunt.

XVIII. Ita 1. Seculo II. S. Hyginus Papa ab Eccleſia ejecit Cerdonem erroris Marcionitarum auctorem: S. Irenæus *Lib. I. cap.* 22. & Cyprianus *Epiſt.* 74.

2. S. Pius I. Marcionem ab Patre ſuo Epiſcopo pulſum ex Eccleſia, ac Romam ſe conferentem, omni prorſus Eccleſiaſtica communione privavit: Epiph. *Hær. XLII.* §. 1.

3. Victor Papa Aſianos, Decreto a ſe promulgato de die celebrandi Paſcha obtemperare detrectantes, jam anathematizandi conſilium inierat; quod tamen hortatu, & ſuaſione Irenæi abjecit: Euſeb. *Lib. V. cap.* 24. Idem R. Pontifex habitis Romæ Conciliis Theodotum, Ebionem, & Artemonem, Sabellium quoque, & Noetum, tum & Valentinum abdicavit: Hier. *de Viris Illuſt. XXXIV.*

XIX. Seculo III. 1. Zephirinus P. Proclum pertinaciſſimum Montani ſectatorem a Cajo viro in primis diſerto, & pio diſceptationibus convictum damnavit: Euſeb. *Lib. V. cap.* 28. & *Lib. VI. cap.* 14. & 20.

2. Fabianus ſententiæ adverſus Privatum veterem hæreticum in Africano Concilio jam latæ Apoſtolicum addidit robur: Cypr. *Epiſt. IV.*

3. S. Cornelius tum Novatianum, ejuſque ſectatores, tum & Feliciſſimum anathemate perculit: Cyprian. *Epiſt. LV.*

XX. Seculo IV. 1. Damaſus Papa primum Urſacium, & Valentem excommunicavit, dein & Auxentium, ejuſque ſectatores depoſuit, Eccleſiaſticaque excommunicatione multavit: Synodi Rom. *ann.* 367. & *ann.* 372. apud Athanaſium *Epiſt. ad Africanos*, & apud Theodor. *Lib. II. cap.* 22. & apud Socratem *Lib. VI. cap.* 23.

2. Innocentius I. hæreſim Pelagianam primum ex Pontificibus Apoſtolico mucrone percuſſit; tum & Novatianos Romæ degentes perſecutus eſt, multaſque eis Eccleſias ademit: Socrates *Lib. VII. cap.* 9. Caſſiodorus *Hiſt. Tripart. Lib. XI. cap.* 9.

3. Anaſtaſius I. tum impia τῶν ἀρχῶν volu-

(16) *De Cornelio, ejuſque Succeſſore Lucio ſic ſcribit Cypr. Ep.* 67. Illi pleni Spiritu S. & in glorioſo martyrio conſtituti dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt, & pœnitentia acta, fructum communicationis, & pacis negandum non eſſe litteris ſuis ſignaverunt.

volumina proſcripſit, tum & eorundem auctorem Origenem anathematizavit: Hier. *Epiſt.* 130. *Lib. XVIII.* & *Epiſt.* 127. *Lib. XVI.*

4. Siricius Papa Jovinianum, alioſque damnavit hæreticos. Unde Ambroſius in Reſcripto ad Siricium: *Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem* &c. *quos Sanctitas tua damnavit, ſcias apud nos quoque ſecundum judicium tuum eſſe damnatos.*

XXI. Jam vero ex hactenus conſtitutis, explicatiſque Sedis Apoſtolicæ juribus, tanquam ex jactis fundamentis, tres præcipue ejuſdem Sedis oriuntur prærogativæ; nimirum 1. Ad R. Sedem oppreſſorum omnium ex univerſo Orbe perfugium, ac recurſus.

2. R. Sedis in dubiis ſive doctrinæ ſive diſciplinæ communis gravioribus conſultatio.

3. Ad R. Sedem graviorum Cauſſarum ſive poſt, ſive etiam ante inſtitutum in Provinciis judicium relatio: nihilque finitum in quaque Eccleſia unquam habitum, niſi calculus R. Pontificis acceſſiſſet.

§. VI. *Ad Romanam Sedem oppreſſorum omnium ex univerſo orbe perfugium, ac recurſus.*

XXII. Ac 1. ex univerſo Chriſtiano orbe ad Sedem R. confugere, qui ſe gravatos in provinciis putabant. Seculo II. Marcion ab Epiſcopo ſuo excommunicatus ad Pium I. Romam contendit, ut abſolutionem acciperet. Epiph. *Hæreſ. XLII.*

XXIII. Seculo III. 1. Fortunatus, & Felix a Cypriano communione privati ad Cornelium P. provocarunt: Cypr. *Lib. I. Ep.* 3.

2. Nec ita multo poſt Stephano Romanam Sedem habente Baſilides in Hiſpania depoſitus ad Stephanum ſupplex acceſſit: Cypr. *ibid. Ep. IV.*

3. S. Dionyſius Alex. hæreſeos nomine a Pentapolitanis falſo accuſatus ad Dionyſium R. Pontificem Apologeticam pro ſua doctrina dedit epiſtolam, a quo Catholicus declaratus eſt, & in communionem receptus: S. Athanaſius in Epiſt. *de ſent. Dionyſii:* Baronius *ad ann.* 261. *n.* 4.

XXIV. Seculo IV. 1. Athanaſius ab Orientalibus depoſitus ad Julium I. ſeſe recepit, ut reſtitueretur: Sozom. *Lib. III. cap.* 2. Paucis poſt annis Conc. Sardicenſe Epiſcopis permiſit, ut in Synodis provinciæ depoſiti, ad R. Sedem adpellare poſſent. *Can. V.*

2. Maximus Epiſc. Conſtantinopolitanus in Concilio Conſtantinopolitano depoſitus ad R. Sedem adpellavit, ut, Nectario reprobato, Conſtantinopolitanam Sedem retinere poſſet. Confer Valeſium *in Notis ad Sozom. pag.* 151.

3. Euſtathius Epiſcopus Sebaſtenus in Concilio Melitino ab Arianis depoſitus ad Liberium Papam contendit, a quo litteras obtinuit, quorum auctoritate in ſuam ſedem reſtitueretur. Unde, ut loquitur Baſilius Epiſt. LXXIV., *Liberii Epiſtolam adtulit, per quam reſtitueretur. Eam ubi Tyanenſi Synodo exhibuit, in ſuum locum reſtitutus eſt.*

4. Eutyches a Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano damnatus ad Leonem Papam confugit, a quo tamen ſuſceptus non eſt: S. Leo *Epiſt. ad Flavianum*. Unde Flavianus in Reſponſ. ad Leonem ſic loquitur: *Quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, & calliditate, dicens judicii tempore libellos ſe dediſſe adpellationis.*

5. Ad Leonem ipſum adpellavit Flavianus in Pſeudo-ſynodo Epheſina, tradito Legatis Sedis Apoſtolicæ libello: *Epiſt. Valentiniani ad Theodoſium*, & *Epiſt. Leonis ad Theodoſium*, ubi Leo ſic ſcribit. *Et noſtri* in Pſeudo ſynodo Epheſina *fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum adpellationis Flavianus Epiſcopus dedit.*

6. Theodoretus, quod Neſtorio favere videretur, in Concilio Epheſino damnatus, ad Leonem quoque adpellavit, a quo in communionem receptus eſt: unde Act. II. Conc. Chalced. *Ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit particeps Synodi, quia reſtituit ei*

Epiſcopatum SS. Archiepiſcopus Leo.

7. S. Jo. Chryſoſtomus ab Epiſcopis Ægyptiis exagitatus, immo & depoſitus, ad Innocentium I. confugit, qui & ſanctiſſimum Epiſcopum in communionem adſcivit, & litteras dedit ad Clerum, & Populum Conſtantinopolitanum, in quibus ſcribit indignum, & intolerabile prorſus videri facinus illud, ſcilicet dejectum per vim Epiſcopum non ſervato judicii ſpecimine, & adverſus Canones: *Epiſt. Innocentii ad Joannem Chryſoſt.*

8. Joannes Patriarcha Alex. ab Petro Moggo hæretico, urgente Imperatore Zenone, Epiſcopatu deturbatus ad Simplicium Papam adpellavit: Liberatus in Breviario Cap. XVIII. *Joannes ingreſſus eſt ad Calendionem Patriarcham, & ſumtis ab eo interceſſionis Synodicis Litteris, R. Pontificem adpellavit*.

9. Maximus Epiſcopus Valentinus, quem Clerici ejus accuſaverant, adpellavit ad Bonifacium. Bonifacius quidem inhærens auctoritati Canonum Sardicenſium cognitionem cauſſæ remiſit ad Synodum Provinciæ; at ſimul juri Sedis ſuæ per eoſdem Canones quæſito proſpexit; nimirum ut ſi Maximus ſe læſum eſſe exiſtimaret, ac Sedis Apoſtolicæ auxilium imploraret, in poteſtate Papæ eſſet, aut primum judicium confirmare, aut reviſionem decernere: *Quidquid autem*, ſcribit, *veſtra caritas de hac cauſſa decernendum eſſe duxerit, quum ad nos relatum fuerit, noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur*: Bonifacius *Epiſt. II. ad Epiſcopos Galliæ* (17).

XXV. Plura hic adferri poſſent ſimilium adpellationum exempla; verum hactenus producta ſatis videntur pro vindicando R. Pontifici jure recipiendi adpellationes ab ſententiis Epiſcoporum: quod & R. Imperatores etiam agnovere, uti patet ex pluribus eorundem Legibus, ac præſertim ex Gratiani Reſcripto, cujus præcipua Capita inferne reperies (18).

§. VII. *Romanæ Sedis in dubiis ſive doctrinæ, ſive diſciplinæ communis conſultatio.*

XXVI. Ac 1. in ipſis naſcentis Eccleſiæ exordiis occurrit Epiſtola Corinthiorum ad S. Clementem Rom. Epiſcopum, in qua poſt expoſitam diſcordiæ apud ipſos obortæ cauſſam, opem, & conſilium implorabant.

XXVII. Seculo II. 1. S. Polycarpus Romam contendit ad Papam Anicetum, ut cum eo de die Paſchatis ageret.

2. Martyres Lugdunenſes S. Irenæum ejuſdem Eccleſiæ tunc Presbyterum ad Eleuterium miſere ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones: Beda *Hiſt. Anglor. Lib. I. cap.* 4.

XXVIII. Seculo III. 1. In quæſtione de Lapſis S. Cyprianus R. Sedem conſuluit, quam tum morte Fabiani R. Clerus moderabatur: S. Cyprianus *Epiſt. ad Fabianum*, & *ad Clerum Romanum*.

2. Ad Stephanum Dionyſius Alex. primam earum, quæ de baptiſmo conſcriptæ ſunt, epiſtolam exaravit, quum per id temporis non mediocris controverſia exorta eſſet, utrum eos, qui ex qualibet hæreſi

(17) *Quod ſpectat exempla adpellationum a nobis producta illud hic obiter duntaxat animadvertendum, ex ſententia Petri de Marca, aliorumque Canoniſtarum, illas non veri nominis adpellationes fuiſſe, ſed mera confugia, ſive provocationes. Verum de hoc Capite fuſius* Lib. III. *ubi Petri de Marca ſententiam expendemus, ac de Adpellationibus ex profeſſo agemus*.

(18) *Reſcriptum Gratiani Imperatoris apud Sirmondum in Appendice Codicis Theodoſiani*: Volumus autem, ut quicumque judicio Damaſi, quod ille eum conſilio quinque, vel ſeptem habuerit Epiſcoporum, vel eorum, qui catholici ſunt, judicio, vel conſilio condemnatus fuerit, ſi injuſte voluerit Eccleſiam retentare .... auctoritate adhibita, ad Epiſcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam ſub proſecutione perveniat. Aut ſi in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit, omnis ejus cauſſæ dictio ad Metropolitæ in eadem provincia Epiſcopi deducatur examen. Vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus Judices dederit, ſine dilatione contendat ..... Quod ſi vel Metropolitani Epiſcopi, vel cujuſcumque ſacerdotis iniquitas eſt ſuſpecta, aut gratia, ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum liceat provocare.

reſi convertuntur, baptiſmo purgari oporteret: Euſebius *Lib. VII. cap.* 2.

3. Idem Dionyſius Sixtum II. de Sabellianis hæreticis, utpote qui tunc temporis increſcebant, certiorem fecit: Euſeb. *ibid. cap.* 6. Tum & in quæſtione de baptiſmo hæreticorum ſub Stephano diſceptari cœpta, demiſſo ſermone conſuluit: *Nam profecto opus habeo*, inquit, *frater conſilio tuo, & ſententiam tuam expeto, ne forte ipſe halluciner:* Euſeb. *ibid. cap.* 5. & 9.

XXIX. Seculum IV. quod ſpectat 1. Hieronymus *Epiſt. ad Ageruchiam* diſerte ſcribit ſe apud Damaſum ad reſpondendum Synodicis conſultationibus, quæ ex Oriente, & Occidente ad R. Sedem mittebantur, operam navaſſe (19).

2. Ipſemet Hieronymus in quæſtione num una in Deo, an tres hypoſtaſes dicendæ ſint, aperte fatetur ſe tres hypoſtaſes dicturum, ſi Damaſus dici jubeat: Hieron. *Epiſt. ad Damaſum*.

3. Quum Himerius Tarraconenſis Epiſcopus Siricium de quibuſdam communis diſciplinæ capitibus conſuluiſſet, reſpondens Siricius Himerii conſultationi ſic loquitur: *Ad R. Eccleſiam, utpote ad Caput tui corporis, retuliſti.*

4. Jam ab Seculi IV. initio Epiſcopi Concilii Arelatenſis Epiſtolam ad Silveſtrum R. Pontificem dederunt, ipſum rogantes, ut decreta Concilii confirmaret, & toti Eccleſiæ ſervanda proponeret.

XXX. Seculo V. 1. Damnata hæreſi Pelagiana Synodi Milevitana, & Carthaginienſis ad Innocentium I. retulerunt, ut Synodicæ definitioni Apoſtolicæ Sedis adjungeretur auctoritas: *Epiſt. Conc. Milev. ad Innoc.* Qua de re Auguſtinus ſerm. XI. de verbis Apoſtoli: *Jam de hac re*, inquit, *duo Concilia ad R. Sedem miſſa ſunt, inde reſcripta venerunt, cauſſa finita eſt.*

2. Innocentius I. *Epiſt. ad Synod. Milevit.* pluribus oſtendit antiquam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut in rebus dubiis, præſertim ſi de fide agatur, ex omnibus provinciis ad R. Sedem referatur (20).

3. Gelaſius P. in Commonitorio ad Fauſtum ſcripſit principalem auctoritatem deberi juxta Canones auctoritati Sedis Apoſtolicæ: *Quantum ad religionem pertinet, nonniſi Apoſtolicæ Sedi, juxta Canones, debetur ſumma judicii totius.*

4. Cyrillus Alexandrinus comperta Neſtorii hæreſi officii ſui partes eſſe duxit, ut rem tanti momenti cum Pontifice Romano communicaret, alioqui ſe a culpa immunem non eſſe cenſebat (21).

5. Tum

(19) *Hieron. Epiſt. XI.* Quum in Chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderem.

(20) *Innocentius Papa Ep. ad Concilium Milevitanum, quæ eſt XCI. inter Ep. Aug.* Diligenter & congrue Apoſtolici conſulitis honoris arcana (honoris inquam illius, quem prærer illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum) ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquam ſcilicet regulam ſecuti, quam toto ſemper ab Orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Qui id etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes, quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus Reſponſa ſemper emanent. Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres & Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit dilectio veſtra, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus prodeſſe. *Et Epiſt. ad Conc. Carth.* Patrum inſtituta Sacerdotali officio cuſtodientes non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid, quamvis de disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad Sedis hujus notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, juſta quæ fuerit pronuntiatio firmetur. *Poſtrema iſtæc indefinita verba ad materiam, de qua agitur, coerceri debere atque reſtringi juxta vulgatam juris definitionem, ſcilicet* quum de rebus dubiis & anxiis quæritur, *ut idem Innocentius* ſuperiori epiſtola *adnotavit, obſervat Petrus de Marca* Conc. Sac. & Imp. Lib. I. Cap. 10. *qui & ibidem ſcribit* non violata iſtac conſuetudine Synodorum Provincialium jura, quibus liberum erat cauſſarum judicandarum arbitrium, ſi res apertæ eſſent, & liquidæ. Sed ſi res quædam dubiæ, & dignus vindice nodus incideret, relatione a Synodo facta, Sedes Apoſtolica conſulebatur. Quod vicem adpellationis ſubibat, ſed formulis legum, & diſceptationum forenſium anguſtiis reos non atterebat.

(21) Si ſilere, & non pietatem tuam de omnibus, quæ moventur, litteris certiorem facere citra culpam, ac ſiniſtræ ſuſpicionis metum liceret, præſertim in rebus adeo neceſſariis, ubi Fides peri-

5. Tum Cæleſtinus Neſtorium hæreſeos auctorem ſacerdotio privat, & Cyrillo dat in mandatis, ut Romanæ Sedis auctoritate adſcita ſententiam iſtam exſequatur, & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ proſpiciat. Hoc Cæleſtini Judicium in Synodo Epheſina probatum eſt. Quum enim Patres in Neſtorium damnationis ſententiam proferunt, *ad id coactos ſe fatentur, & a Sacris Canonibus, & ab Epiſtola Sanctiſſimi Cæleſtini.*

6. Epheſina Synodus in ſua ad eum Papam Epiſtola, eum primo laudat, quod in ſublimi culmine poſitus omnium Eccleſiarum negotiis provideat juxta ac ſi ſua eſſent, Capitis officio recte functus, cujus eſt ceterorum corporis membrorum ſanitati providere: *Quia mos eſt*, inquit, *vobis ita magis exſiſtentibus in omnibus bene probare, & omnia ſtudia eccleſiarum veſtra propria facere: Quoniam oportebat omnia ad ſcientiam tuæ ſanctitatis referre:* Cæleſtinus *Ep. XXX. num.* 1.

7. Concilii Chalcedonenſis Patres S. Leoni retulerunt ſe viginti ſupra quingentos conveniſſe, tum deinde ſubnectunt: *Quibus tu velut caput membris præeras:* Apud S. Leonem *XC. num.* 1.

8. Juſtinianus Imperator de quodam chriſtianæ doctrinæ capite quum Joannem II. conſuluiſſet, hanc petitionis ſuæ rationem adfert: *Nec enim patimur quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamvis manifeſtum, & indubitatum ſit, ut non veſtræ innoteſcat ſanctitati; quia Caput eſt omnium ſanctarum eccleſiarum:* Joannes II. *Epiſt. III. num.* 3.

9. Idem Imperator non minus perſpicue hunc animi ſui ſenſum aperit in Epiſt. ad Regiæ Civitatis Epiſcopum: *Nec enim patimur*, inquit, *ut quidquam eorum, quæ ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad ejuſdem referatur Beatitudinem: quum ea ſit caput omnium ſanctiſſimorum Dei Sacerdotum: vel eo maxime, quod, quoties in eis locis hæretici pullularunt, & ſententia, & recto judicio illius venerabilis ſedis coerciti ſint.*

10. Bonifacius I. in cauſſa Maximi Epiſcopi Valentini, qui ad ipſum adpellaverat a judicio Epiſcoporum Gallicanorum, in Epiſtola ad ipſos Galliarum Epiſcopos ſic ſcribit: *Quidquid autem veſtra caritas de hac cauſſa decernendum eſſe duxerit, quum ad nos relatum fuerit, noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur.*

11. Leo M. in Epiſt. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis ſic ſcribit: *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam.*

§. VIII. *Graviorum Cauſſarum judicium R. Sedi reſervatum.*

XXXI. Innocentius I. tum in Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, tum in Epiſt. ad Concilium Milevitanum contendit, Cauſſas graviores ſpectantes vel ad fidem, vel ad communem, univerſalemque diſciplinam R. Sedi eſſe reſervatas: hanc autem Sedis Apoſtolicæ prærogativam arceſſit tum *ex veteri conſuetudine*, tum *ex Synodo*, & *ex Canonibus* (22). Jam vero *Synodi*, & *Canonum* nomine dubio procul non Canones Sardicenſes intelligit, quibus nihil prorſus de relationibus ad R. Sedem ſtatutum fuerat, ſed veroſimilius Canonem VI. Nicænum, quo antiqua Sedis Apoſtolicæ privilegia firmata ſunt. Unde Canoni Nicæno, quo cauſſæ Clericorum Conciliis provincialibus definiendæ committuntur, hanc clauſulam adponit ipſe Innocentius: *Sine præjudicio tamen*

periclitatur, in memetipſo diceretur: *Bonum, & periculi expers eſt ſilentium* ...... Sed quoniam Deus hiſce in rebus vigilantiam noſtram exigit, & *longa conſuetudo Eccleſiarum* ſuadet, ut hujuſmodi res cum ſanctitate tua communicentur, ſcribo plane neceſſitate adactus: *Cæleſtinus* Epiſt. VIII. num. 1.

(22) *In Epiſt. ad Vitricium*: Si autem majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt Epiſcopale judicium, ferantur. *Et in Epiſt. ad Syn. Milevitanam eandem prærogativam Sedi Apoſtolicæ tribuit* juxta Canones.

tamen *Eccleſiæ Romanæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri:* ſcilicet in cauſſis gravioribus fidem ſpectantibus, diſciplinam communem, Epiſcoporum, ac præcipue Metropolitarum, & Patriarcharum depoſitionem, aliiſque ejus generis.

XXXII. Unde 1. S. Cyprianus Epiſt. 13. Lib. III. ad Stephanum Papam ipſum rogat, ut *ad plebem Arelate conſiſtentem litteras dirigat, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur.*

2. Cauſſa Euſtathii Diaconi, quem tanquam ſuſpectum de hæreſi Epiſcopi Macedoniæ damnaverant, ad Liberium relata eſt, qui ipſum gradu ſuo dejicere noluit, quod hæreticum minime judicaſſet: Baſilius *Epiſt. LIV.*

3. Leo I. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem ſcribens, Epiſcoporum cauſſas, ſi quid in ipſis admodum difficile inciderit, ad Sedem Apoſtolicam referendas admonet: *Si forte inter ipſos, qui præſunt, de majoribus (quod abſit) peccatis cauſſa naſcatur, quæ provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanum curabit inſtruere: & ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita judicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.*

4. Eandem prærogativam R. Sedis agnoverunt Patres Sardicenſes, dum in Epiſt. Synodica ad Julium I. ſic ſcribunt: *Hoc enim optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes.*

5. Cauſſa Bubalii, & Tauriani in Synodo Macedoniæ jam cognita ad Innocentium I. devoluta eſt, & ab eodem retractata; quoniam de Epiſcoporum agebatur depoſitione; Innocentius I. *Epiſt. ad Epiſcopos per Macedoniam conſtitutos.*

6. Cauſſa Proculi Epiſcopi Maſſilienſis, qui in Synodo Tauritanenſi per obreptionem jus Metropoliticum obtinuerat, ad Zoſimum R. Pontificem devoluta eſt, & quidem id rogante ipſo Patroclo Epiſc. Arelatenſi: *Epiſt. Zoſimi ad Epiſc. Galliæ.*

7. Cauſſam Danielis Epiſcopi Gallicani, qui, quum adhuc Clericus eſſet, plura graviſſima in Oriente commiſerat delicta, cognovit Cæleſtinus, & quidem ipſis Orientalibus deferentibus: *Miſſa Relatione ex Orientalibus ad nos partibus:* uti loquitur ipſe Cæleſtinus in *Epiſtola ad Epiſcopos per Vienn. & Narbon. Prov. conſtitutos.*

8. Leo I. ad Epiſc. Viennenſes ſcribit a Sede Apoſtolica *per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, adpellationem cauſſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.*

9. Unde ipſe Leo I. cognovit cauſſas Hilarii Arelatenſis Metropolitani, & Celidonii Metropolitani Veſontionenſis, quorum primus ob multas contra Canones peractas ordinationes Romam fuerat evocatus; alter ab ipſo Hilario depoſitus ad Leonem adpellaverat. Et ſane S. Leo contendit cauſſas Metropolitarum in provinciis ſine conſcientia R. Pontificis terminari non poſſe. Unde in Epiſt. ad Anaſtaſium Epiſc. Theſſalonicenſem: *An forte*, ſcribit, *aliquod tibi facinus innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum novi apud te criminis pondus urgebat? .... Sed etiamſi quid grave intolerandum geſſiſſet, noſtra erat exſpectanda cenſura.* Loquitur, hic Pontifex de Attico Epiri Metropolitano.

XXXIII. Quod ſpectat poſtremo ad Epiſcoporum, ac præcipue Patriarcharum depoſitiones 1. Dioſcorus Alex. Eccleſiæ Epiſcopus in Syn. Chalcedonenſi auctoritate præcipue Sedis Apoſtolicæ depoſitus eſt: Conc. Chalced. *Act. II.*

2. Flavianus Patriarcha Antiochenus a Damaſo Papa depoſitus eſt: Theodor. *Lib. V. cap. 23.*

3. Nicolaus I. *in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem* octo recenſet Patriarchas ab R. Pontificibus depoſitos.

4. Ipſemet Damaſus Apollinarem Epiſcopum Laodicenum, ejuſque diſcipulum Timotheum Epiſc. Alexandrinum depoſuit: Sozomenus *Lib. III. cap. 25.*

5. Sixtus III. Polychronium Epiſcopum Jeroſolymitanum depoſuit miſſo hac de cauſſa in Jeruſalem S. Leone Archidiacono,

no, qui poſtea fuit Papa: *Acta Sixti III. in Collect. Conciliorum*.

XXXIV. Uti jus deponendi, ita quoque & jus ſuis ſedibus reſtituendi Epiſcopos, ac præcipue Patriarchas R. Pontifex ſemper exercuit. S. Athanaſius Alex. Marcellus Ancyranus, & Paulus Conſtantinopolitanus a Synodo Orientali depoſiti a Julio I. fuit Sedibus ſunt reſtituti: Gelaſius *in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ*. Unde Sozom. *Lib. III. cap. 7. Quum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit ... Athanaſius, & Paulus ad ſuas Sedes revertuntur, litteraſque Julii Epiſcopis Orientis mittunt*.

§. IX. *Romani Pontifices in Synodo ſaltem Diœceſana graviora expediebant negotia*.

XXXV. Jam vero fuit in more poſitum, inſtitutoque Pontificum, nonniſi in Synodo, ſaltem Diœceſana Romæ coacta, graviora expedire negotia, publicaſque edere Decretales Epiſtolas: id quod pluribus evincitur.

XXXVI. Ac 1. prior S. Clementis ad Corint. conſcripta Epiſtola *Eccleſiæ Romanæ* nomine prænotatur: quod ſane indicat eam conſulta prius ſua Romanorum Eccleſia ſanctiſſimum Pontificem conſcripſiſſe. Unde ab aliis *Clementis*, ab aliis *Romanorum Epiſtola* nuncupatur.

2. Zephyrinus Natalem hæreticum ad communionem non admiſit, niſi poſtquam præſentium *non clericorum modo, verum & laicorum veſtigiis provolutus miſericordis Chriſti miſericordem Eccleſiam fletibus ſuis commovit:* Antiqui Scriptoris Liber adverſus Artemonem hæreticum.

3. Pius I. Epiſt. II. ad Juſtum Vienneſem Clerum Romanum Chriſti Senatum adpellat: *Salutat te Senatus pauper Chriſti apud Romam conſtitutus*. Atqui prioribus ſeculis ea ratione Clerus *Senatus Eccleſiæ* dictus eſt, quod Presbyteri conſiliarii eſſent Epiſcopi in gravioribus expediendis Eccleſiæ ſuæ negotiis.

5. Pontianus, Hieronymo teſte apud Rufin. Lib. II. Invectiv. *Senatum*, id eſt Clerum ſuum convocat adverſus Origenem.

5. Cornelius de Confeſſorum a Novatiano ſeductorum pœnitentiam certior factus, *contrahit presbyterium* (*adfuerunt etiam Epiſcopi quinque*) *ut firmato conſilio quid circa perſonam eorum obſervari deberet conſenſu omnium ſtatueretur:* Cornelius *Epiſt. VI. num.* 2. Deinde & quod in Cleri cœtu actum erat populo inſinuandum duxit: *Convocatus igitur populus eſt una cum clero, & prædictis Epiſcopis; atque altero illo in cœtu, Confeſſores, ejurato ſchiſmate, Cornelius cum ingenti populi ſuffragio recepit*.

6. Cornelius ipſe *Epiſt. IX. num.* 6. enarrat, quo pacto ad ordinandum Novatianum Cleri, ac populi conſenſum expetierit Fabianus: *Intercedebat omnis clerus, & multi ex laicis .... Verum rogavit Epiſcopus* Fabianus, *ut eum unum ordinare ſibi permitteretur*.

7. Cornelius ipſe lapſorum cauſſam una cum plurimis Epiſcopis cognovit: *Collatione conſiliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconibus, confeſſoribus pariter, ac ſtantibus laicis facta lapſorum tractare negotium* &c. Cornelius Epiſt. X. num. 5.

8. Cornelius ipſe Trophimum redeuntem ad Eccleſiam excepit tractatu cum collegis plurimis habito: *Exploraſſe autem collegas noſtros ſciat ... Eos demum, quorum cauſſa audita, & innocentia comprobata eſt, conjunxiſſe nobiſcum*. Ibidem num. 10.

9. Dionyſii Romani Litteræ ad Dionyſium Alex. ſcriptæ ſunt *ex ſynodi ſententia;* hoc eſt ex judicio, placitoque Synodi Romanæ, in qua Præſulis ejuſdem Alex. cauſſam recognoverat: Athanaſius *Lib. de Synodis num.* 43.

10. Julius Papa explorata prius, & probe cognita omnium Italiæ præſulum ſententia Euſebianis reſcripſit: *Omnium Epiſcoporum, qui in Italia ſunt, & qui in his partibus degunt, eſſe illam ſententiam:* Julius Papa *Epiſt. I. num.* 8.

11. Apud ipſum Romanum Pontificem Urſacius, & Valens cunctis presbyteris præſentibus palam confeſſi falſas eſſe, quas in Athanaſium conflarant criminatio-

tiones, erroris veniam flagitarunt : *Profitemur apud Sanctitatem tuam cunctis præſentibus presbyteris fratribus noſtris, omnia* &c. Julius ipſe *Ep. V.*

12. Julii ſucceſſor Liberius Athanaſii acerrimus vindex non fuit, quamdiu e Clero ſuo conſilium, more majorum, non cœpit. Quas enim & ab Ægyptiis pro Athanaſio, & contra eundem ab Orientalibus litteras accepit, *legiſſe ſe Eccleſiæ, legiſſe concilio*, indeque *Epiſcopis Orientalibus reſpondiſſe* ipſemet teſtatur *Epiſt. VI. num.* 3.

13. Tum Liberius ipſe ſuſcepta Lampſacenæ Eccleſiæ Legatione nonniſi poſt habitam Italiæ, Occidentiſque Epiſcoporum ſynodum inde Epiſcopis Orientalibus reſcripſit: *Epiſt. XV.*

14. Decretales Damaſi Papæ Epiſtolas pleraſque in Synodis Romæ ab ipſo Damaſo habitis conſcriptas fuiſſe perquam manifeſtum eſt.

15. Siricius Himerii Tarraconenſis relationem *ad deceſſorem ſuum* Damaſum *directam* accepit, & in conventu fratrum curavit recitari ; dehinc audita cujuſque ſententia ad quæſita reſpondit : *Quam quum in conventu fratrum legeremus, tanta invenimus* &c. Siricius *Epiſt. I. num.* 1.

16. Ejuſdem Siricii *Epiſt. V.* in fratrum apud S. Petri reliquias coacto Concilio conſcripta eſt : *Quum in unum plurimi fratres conveniſſemus ad Sancti Apoſtoli Petri reliquias . . . . placuit propter emergentes plurimas cauſſas* &c.

17. Septima ejuſdem Rom. Pontificis Epiſtola, cui occaſionem dedit horrifica Joviniani ſcriptio, ex eodem Cleri conventu prodiit : *Tum enim facto*, inquit ſanctiſſimus Pontifex, *presbyterio* (23), *eam conſtitit* (Joviniani ſcriptionem) *doctrinæ noſtræ, id eſt Chriſtianæ legi eſſe contrariam. Unde Apoſtoli ſecuti præceptum, quia aliter, quam quod accepimus, adnuntiabant, omnium noſtrum tam presbyterorum, & diaconorum, quam etiam totius Cleri, unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut . . . . qui incentores novæ hæreſis, & blaſphemiæ inventi ſunt, divina ſententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.*

18. Anaſtaſius I. rogatus ab Africanis, an Donatiſtæ ſuis in honoribus recipiendi forent, hoc eſt, an ipſis eſſet in Eccleſia Catholica ſervandus is Cleri gradus, quem in Donati parte obtinebant, ex Synodi ſententia reſpondit non ſervandum: *Placuit, ut litteræ mittantur ad Fratres, & Coepiſcopos noſtros, & maxime ad Sedem Apoſtolicam, in qua præſidet memoratus venerabilis frater, & collega noſter Anaſtaſius . . . . . Non ut Concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur* &c. Can. Eccleſ. Afric. *Can. LXVIII.*

19. Hilarius Epiſcopus, & Elpidius Presbyter ex Hiſpania Romam venientes, Innocentio I. Cathedram Apoſtolicam tenente, ambo turbatam Eccleſiæ Hiſpaniæ pacem, violatos canones, neglecta majorum inſtituta conqueruntur. Porro Innocentius pro ſuo ſacrarum legum ſtudio utrumque *in conſeſſu presbyterii* audiri, actis mandari expoſtulationes præcipit, ac re diligentius maturiuſque perpenſa, eas ad Toletanam Synodum litteras ſcribit, quibus ſuam diſciplinæ vim, ſuum ſplendorem reſtituit: *Violatam intra provinciam pacem, diſciplinæ rationem confuſam . . . . . cum dolore, & gemitu proſecuti ſunt: quæ in conſeſſu presbyterii* (id eſt Cleri Romani, ut nuper num. 17. not. (23) obſervavimus) *actorum confectione retinentur, & poſſunt vobis lectione monſtrari.*

20. Ejuſdem Innocentii I. *Epiſtola XIX.* ad Alexandrum Præſulem Antiochenum in Concilio Romano conſcripta eſt, atque adeo viginti Epiſcoporum ſubſcriptionibus munita.

21. Idem Innocentius generatim inter varias Apoſtolicæ Sedis occupationes hanc præcipuam eſſe notat, *Epiſt. XXX. num.* 1. quod *diverſorum conſulta fideli, ac medica DISCEPTATIONE*, ſive ut loqui-

(23) *Presbyterii nomine Siricius totius Cleri cœtum a nobiliori parte deſignat : mox enim ſequitur :* Tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri unam ſcitote fuiſſe ſententiam.

tur Epiſt. VI. num. 1. *COLLATIONE tractare* cogeretur. Neque diffitetur modeſtiſſimus Pontifex ex his, quæ frequentiſſima dabat ad Eccleſiarum conſulta, reſponſis, fieri ſe in dies Eccleſiaſticæ doctrinæ peritiorem (24).

22. Deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Zoſimus Cæleſtium in cœtu Sedis Apoſtolicæ benigne audiit: *Die cognitionis reſedimus in S. Clementis baſilicam ..... Horum recitatio publica fuit, omnia quidem paria, & eodem ſenſu, ſententiiſque firmata* &c. Epiſt. II. num. 2. & Epiſt. III. num. 2. Tum ab Afris de fraudulenta illius fide admonitus, rurſum vocato Cleri cœtu, cauſſaque de integro diſcuſſa, eundem anathemate confixit: *Pelagius, qui illa ipſa damnavit in judicio orientali, quæ iſte* in Sedis Apoſtolicæ cœtu *conatur adſtruere:* Epiſt. VIII. num. 3. (25).

23. Bonifacius univerſo presbyterio litteras prælegit, quibus Theſſalonicenſem Epiſcopum in vicaria Sedis Apoſtolicæ delegatione confirmat: *Quam ad rem faciendam memorato Epiſcopo meâ directa ſecunda protinus, quæ* presbyterio univerſo complacuit, *auctoritate mandavi* &c. Epiſt. XV. num. 3. (26).

24. Cæleſtinus ex Synodo ſententiam adverſus Neſtorium dixit: Cyrillus *Epiſt. ad Joannem Antiochenum*. Unde Epiſtolas Cæleſtini, qua Neſtorius damnatur, a Cyrillo Romanæ Synodo, ab aliis Cæleſtino tribuitur. Equidem Epiſtolas, quas Romani Pontifices habita prius Synodo ſcribebant, ipſi Synodo tribuere licebat, quamvis eas ipſis Pontificibus vulgo adſcribendi mos, & uſus obtinuerit.

25. His addi poſſent plura Concilia Romæ ſub Melchiade, ſub Julio, ſub Damaſo, ſub aliis Romanis Pontificibus identidem habita, quo graviora expedirentur Eccleſiaſtica negotia, & decreta Eccleſiaſtica vel fidem, vel diſciplinam univerſalem ſpectantia conſtituerentur. Profecto S. Leo M. *Epiſt. XVI. n. 7.* diſerte ſcribit Rom. Pontifices per ſingulos annos Epiſcoporum cœtus celebrare conſueviſſe, in quibus graviora *in commune* agitarentur negotia, ut hoc pacto Romanæ Sedis Conſtituta ab omnibus cuſtodirentur (27).

XXXVII. Tum Decreta Romanorum Pontificum in majoribus negotiis ex eo potiſſimum agnoſcebantur, quod eſſent *Synodaliter* probata, & edita. Id evincitur ex fidei profeſſione, quam novus electus Pontifex ante ſuam ordinationem emittebat, exſtatque in Lib. Diurno Rom. Pon-

(24) Mihi quoque ipſi, *ſcribit indicata Epiſt. VI. num. 1.* de collatione docilitas accedit, dum perſcrutaris rationibus ad propoſita reſpondere compellor, eoque fit, ut aliquid ſemper addiſcat, qui poſtulatur, ut doceat. *Tum doctiſſimus P. D. Petrus Conſtantius* Præf. ad Epiſt. *Decret.* Rom. Pontificum (*unde pleraque ejuſmodi veterum Rom. Pontificum morem ſpectantia monumenta pæne αὐτολεξεὶ hauſimus*) *ad rem obſervat eandem docilitatem, ſive in doctrina eccleſiaſtica profectum*, experiri *quoque* debuiſſe Presbyteros, Diaconoſque Romanos, qui, quum a Pontifice implicatiſſimis quibuſque dogmatum, ac diſciplinæ ſolvendis nodis adhiberentur, mutuam ſibi impertiebant lucem, uberrimaſque doctrinæ opes comparabant. Inde & Summorum etiam Pontificum in tractandis tot negotiis ſollertia, auctoritas, fides, quippe & ipſi eodem in Clero prius conſenuerant, quam ad moderandas Orbis Chriſtiani habenas evocarentur.

(25) *Romanis conventibus, ubi Cæleſtii cauſſa audita eſt, præter Sacerdotes, qui e diverſis regionibus aderant, interfuit & Romanus Clerus. Quamobrem Pelagiani apud Auguſtinum* Lib. II. ad Bonifacium cap. 3. *ipſo Auguſtino conſentiente, id Romanis Clericis adtribuunt, quod in his conventibus actum eſt.*

(26) *Hic rurſus obſervat idem doctiſſimus Conſtantius in indicatam Bonifacii Epiſt. Nota* 3. Unde magis, ac magis adparet Romanos Pontifices nihil illis temporibus præter conſcientiam Cleri ſui *in* hujuſmodi negotiis egiſſe. Rurſum vero initio num. 9. ubi legimus: *Auctoritas noſtra commonitione ſolita vacare non debet.*

(27) Quia faluberrime, *ſcribit S. Leo indicata Epiſt.* a Sanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex vobis ad diem 3. Kalendas Octobris Romam fraterno Concilio ſociandi indiſſimulanter occurrant: quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Eccleſiis Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores, quum coram beatiſſimo Apoſtolo Petro id ſemper in commune tractandum fuerit, ut omnia ipſius Conſtituta, Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.

Pontificum *Cap. II. Tit.* 8. In hac enim, dum Conſtituta & Decreta a Romanis Pontificibus Deceſſoribus ſuis ſe obſervare profitetur, eam adhibet clauſulam: *quæ Synodaliter ſtatuerunt*.

XXXVIII. Quid vero quod & ipſe doctiſſimus Card. Bellarminus *Lib. I. de Clericis cap.* 16. diſerte ſcribit: *Primis ſexcentis, & octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia dijudicanda cogebant Concilia Nationalia Epiſcoporum Italiæ, quibus Conciliis intererant Cardinales Presbyteri, ſed tamen primus locus Epiſcoporum erat*.

XXXIX. Poſtremo idipſum obſervavit Clariſſimus Lucas Holſtenius in Notis ad Concilium Romanum ſub Bonifacio II. ann. 531. monens, quod dum Pontifices conſulerentur *de negotiis majoris momenti, Synodos Epiſcoporum cogerent, ut de negotiis his tractaretur, & reſolutio fieret*.

XL. Neque negotium faceſſat, quod in Pontificiis Conſtitutionibus nulla Synodi injiciatur mentio. Id enim probabili, & juſta cauſſa factum eſt, fortaſſe ob Sedis Romanæ amplitudinem. Ad rem Julius I. nuper indic. Ep. ad Orient. *Quod ſi illud vos commovit, quod ſolus ſcripſerim ..... in hoc quoque adeſt probabilis, & juſta cauſſa, Dilectiſſimi. Attamen neceſſum eſt vobis ſignificare, quod etiamſi ſolus ſcripſerim, non ideo mei ſolius eſſe illam ſententiam, ſed & omnium, qui in Italia ſunt, & qui in his partibus degunt, Epiſcoporum .... Ad præfinitum tempus Epiſcopi convenere, & ejuſdem ſententiæ fuerunt*.

XLI. Cur autem vel ipſi Rom. Pontifices, niſi in Synodo, operoſiora non expedierint negotia, ſatis aptis rationibus docent Patres Synodi Conſtantinopolitanæ II. Coll. VIII. *Licet Spiritus S. gratia*, inquiunt, *circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque dicta ſua confirmarent ..... In communibus diſceptationibus, quum proponuntur, quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, quum unuſquiſque proximi adjutorio indigeat ..... ipſe Dominus dicit: Si duo ex vobis convenerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, continget illis a Patre meo, qui in cælis eſt. Ubicunque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum in medio ipſorum*.

EXCURSUS.

De Vicariis, sive Delegatis Sedis Apostolicæ.

I. PRimatus Romani Pontificis, ut B. Petri ſucceſſoris, in Eccleſiam Univerſam evincitur quoque a *Vicariis*, ſive *Delegatis*, quos jam inde a primis Seculis per varias Chriſtiani Orbis regiones conſtituere Romani Pontifices conſueverunt.

II. Et ſane Innocentius I. ſuorum exemplis Deceſſorum inſiſtens Anicium Theſſalonicenſem Epiſcopum Vicarium, ſive Delegatum ſuum conſtituit, cui cognitionem mandat cauſſarum omnium, quæ per totum Illyricum poſſent oriri. Hæc ſunt illius verba: *Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædeceſſores mei Epiſcopi, id eſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir* (Anaſtaſius) *ita detulerunt, ut omnia, quæ in iis partibus gererentur, ſanctitati tuæ, quæ plena juſtitiæ eſt, traderent cognoſcenda; meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eandemque habere voluntatem te decet recognoſcere*.

III. Hujuſmodi delegationem, cauſſarumque inquiſitionem idem ipſe Pontifex Ruſo in Theſſalonicenſi Sede Anicii ſucceſſori confirmat; ac ſimul regiones recenſet, ad quas illa delegatio extendatur: *Prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, cauſſaſque, ſi quæ exoriantur per*

Digitized by Google

Achajæ, *Theſſaliæ*, *Epiri veteris*, *Epiri novæ*, *&* *Cretæ*, *Daciæ Mediterraneæ*, *Daciæ Ripenſis*, *Mæſiæ*, *Dardaniæ*, *ac Prævali Eccleſias*, *Chriſto Domino annuente cenſeam*.

IV. Præterea nonnullæ Bonifacii Papæ litteræ circumferuntur, quarum alias datas novimus Rufo ipſi, alias vero Epiſcopis Illyrici, ex quibus illud idem manifeſte educitur: quod apertius colligere datur ab Epiſtolis Cæleſtini & Sixti III. ad Epiſcopos quoque Illyrici conſcriptis (1).

V. Ex hactenus productis indicatiſque litteris conſtat 1. Romanos Pontifices hiſce ſuis Vicariis cauſſas etiam majores delegaſſe, quarum cognitio ſui juris eſſet; illaſque ſibi tantum reſervaſſe, quæ ita dubiæ eſſent ac difficiles, quas explicare Legatus, ac decernere minime poſſet. Qua de re Sixtus ipſe Epiſt. X. num. 3. ſcribit: *Si quid forſitan*, *aut inter fratres natum fuerit*, *aut fratri cuipiam aliqua actio*, *qua pulſetur*, *illata*, *aut illic fratre*, *&* *Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio judice veniens negotium terminetur*, *qui vices Apoſtolicæ Sedis agere*, *ut beatæ memoriæ Rufus deceſſor ipſius ex noſtra voluntate cognoſcitur*; *aut* ad nos, ſi illic finiri non potuerit, *eodem tamen ſuis litteris cauſſam omnem*, *quæ vertitur*, *proſequente*, *veniat examen*.

Conſtat 2. Vetitum non fuiſſe Epiſcopis & Presbyteris, quorum cauſſæ a Legatis agebantur, quin ab iſtorum ſententiis ad Romanum Pontificem adpellarent, qui juxta præſcriptum *Canonis V. Sardicenſis* vel rem maturius Romæ diſcutiebat, ſententiamque dicebat, vel ad Illyricum mittebat, qui ſuis functis vicibus litem componerent. Qua de re Sixtus ipſe *Epiſt. VII. num.* 1. Perigenem Corinthiorum Epiſcopum ſic adloquitur. *Nunc aliqua te incitare cognovimus*: *ſed hæc*, *quum res per noſtrorum ſententiam*, *quos vice noſtra ad eas partes propter has cauſſas direximus*, *ſopitæ ſint*, *præterimus*. Et Leo M. *Epiſt. V. ad Anaſtaſium num.* 5. loquens de quibuſdam etiam majoribus Illyrici cauſſis hæc ſcribit: *Si qua cauſſa major evenerit*, *quæ a tua fraternitate illic præſidente non potuerit definiri*, *relatio tua miſſa nos conſulat.... ut cognitioni noſtræ*, *pro traditione veteris inſtituti*, *&* *debita Apoſtolicæ Sedis reverentia*, *noſtro examine vindicemus*. *Ut enim auctoritatem tuam vice noſtra exercere te volumus*; *ita nobis*, *quæ illic componi non potuerint*, *vel qui vocem adpellationis emiſerit*, *reſervamus*.

Conſtat 3. Legatos Theſſalonicenſes, licet tantam ipſis auctoritatem Romani Pontifices crediidiſſent, cauſſas tamen examinare, ac definire haud potuiſſe, niſi in Concilio Provinciali juxta regulas Eccleſiaſticas Canoneſque diſcuſſæ antea fuiſſent, & judicatæ. Cum vero adeo diſſiciliores erant & obſcuræ, ut a Provinciali Concilio definiri nequirent, tunc quidem ad Legatum, ſeu Vicarium referebantur, qui in alia quoque Synodo, cui ipſe præerat, eas perficere ſatagebat. Sin autem Vicarium ipſum ſpes componendi cauſſam falleret, ad Romanum Pontificem, cujus ſententiæ omnino ſtandum, deveniendum tunc demum erat. Unde Leo M. *Epiſt. XIII. num.* 1. *ad Epiſcopos Illyrici* ſcribit: *Si quæ majores inter Epiſcopos cauſſæ ſunt*, *quæ in Provinciis ſuis nequeant terminari*, *ad ejus* Anaſtaſii Theſſalonicenſis *notitiam perferantur*, *&* *eodem arbitrio ſub divini timore judicii componantur*: ſcilicet *in Synodis*, uti obſervat doctiſſimus P. Conſtantius *Præf. ad Collect. Epiſt. Roman. Pontif.* Unde S. Leo *ibidem num.* 3. ut ad ejuſmodi Synodos ſe conferant, Epiſcopos hortatur: *Invitati fratres* in cauſſis maximis, *&* *quæ*

intra

(1) *Cæleſtinus Epiſtola III. Illyrici Epiſcopos ſic adloquitur*: Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ Provinciis ad nos, cum ſimus longius, non poſſunt pervenire, aut jam ſemotis omnibus, non ita ut ſunt actæ, interpoſito temporis ſpatio perferuntur; *quas omnes* nos interceſſione fratris, & Coepiſcopi noſtri Rufi.... volumus reſecari, cui vicem noſtram per veſtram Provinciam noveritis eſſe commiſſam; ita ut ad eum, fratres cariſſimi, *quidquid de cauſſis agitur* referatis. *Sixtus III. Epiſt. VIII. num.* 3. Nos fratri & Coepiſcopo noſtro *Theſſalonicenſi* Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum deceſſoribus ipſius a majoribus noſtris adtributum. Ad Theſſalonicenſem *majores cauſſæ* referantur Antiſtitem.

Digitized by Google

intra provincias ſuas finiri nequeunt, terminandis, ſi nulla gravi neceſſitate retinentur, fraterno ſe ſtudio non denegent.

VI. Neque in Illyrico tantum Theſſalonicenſis, verum & in Gallia Arelatenſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Vicarius ſive Delegatus erat, cui majorum etiam cauſſarum cognitio præſcribebatur, illis tantum exceptis, quas ipſe difficilioribus implicatas ambagibus definire ſua ſententia non poſſet. Manifeſto id elucet ex Epiſtolis Zoſimi Papæ ad Epiſcopos Galliarum, in quibus diſerte ſcribit, ſe Arelatenſi Epiſcopo in dijudicandis cauſſis, quæ per Gallias exoriri poſſent, vices ſuas demandaſſe: *Ad cujus*, ſcribit Zoſimus Epiſt. I. num. 3., *notitiam ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſſæ noſtrum requirat examen.*

VII. Teſtantur idipſum Epiſt. Hilari Papæ ad Gallicanos quoque Epiſcopos datæ, quibus eos commonet ſe Leontium Arelatenſem Epiſcopum Delegatum ſuum per Galliæ Provincias conſtituiſſe: *In dirimendis ſane*, ſunt verba Hilari Epiſt. VIII. num. 4. *gravioribus cauſſis, & quæ illic non potuerint terminari, Apoſtolicæ Sedis ſententia conſulatur.* In iſtis Zoſimi, & Hilari litteris videt quiſquis cauſſarum genus omne Arelatenſi Epiſcopo univerſe demandari, exceptis tantum illis, quæ ob difficultatem, & perplexitatem Sedis Apoſtolicæ judicio indigerent.

VIII. Porro id apertius innoteſcit ex Epiſtolis tum Symmachi Papæ ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, tum Vigilii ad Auxanium Cæſarii, & ad Aurelianum Auxanii in eadem Eccleſia ſucceſſorem, tum demum Pelagii I. ad Sapaudum Arelatenſem. Profecto ex his omnibus Epiſtolis, quarum fragmenta vide inferne (2), duo educuntur: 1. Cauſſas etiam majores Epiſcopis Arelatenſibus fuiſſe delegatas, quemadmodum Theſſalonicenſibus commiſſas jam obſervavimus; ex quibus tantum tum illæ excipiebantur, quæ ad fidem pertinebant, tum illæ perplexiores, quæ decreto Sedis Apoſtolicæ erant definiendæ.

2. Arelatenſi Epiſcopo, ut & Theſſalonicenſi, plurium Epiſcoporum Synodum indicendam fuiſſe, quorum ſuffragio cauſſas ad jus ſuum ſpectantes componeret, & definiret. Utrumque diſertius docet S. Leo M. Epiſt. ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem (3).

IX. Si tantam antiquitatem Theſſalonicen-

(2) *Symmachus Papa Epiſt. XVII. num.* 10. Decernimus, ut circa ea, quæ tam in Gallia, quam in Hiſpania Provinciis de cauſſa Religionis emerſerint, ſollertia tuæ fraternitatis invigilet; & ſi ratio popoſcerit præſentiam Sacerdotum, ſervata conſuetudine, unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat: & ſi Dei adjutorio controverſia incidens amputari potuerit, ipſius hoc meritis adplicemus: alioquin exiſtentis negotii qualitas ad Sedem Apoſtolicam te referente perveniat. *Vigilius Epiſt. VI. ad Auxanium num.* 12.: Si quæ ergo inter fratres & Coepiſcopos noſtros in locis tuæ caritati præſenti auctoritate commiſſis.... diſſenſiones emerſerint, adhibitis vobiſcum Sacerdotibus numero competenti, cauſſas Canonica, & Apoſtolica æquitate diſcutite, eas modis omnibus prolato judicio finituri. Si qua vero certamina, aut de Religione, quod abſit, aut de quolibet negotio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, Apoſtolicæ Sedi terminanda ſervate. *Et in Epiſtola IX. ad Aurelianum Auxanii ſucceſſorem.* Si quam inter fratres Diabolus zizaniam ſeminaverit, aut de aliquo Sacerdotum fraternitati tuæ, ſervatis majorum per omnia conſtitutis, fuerit querela depoſita; adhibitis tibi fratribus ſecundum qualitatem negotii numero competenti, cauſſam Canonica, & Apoſtolica ordinatione diſcutiens, ea ſententia definies, quæ & deceſſorum noſtrorum conveniat ſtatutis, & Deo ſit grata. *Tum Vigilius ipſum Aurelianum admonet*, ut relationis ſerie deſtinata ad *ipſius* Sedis conſultationem potius remittat, ſi quod de religione fuerit certamen exortum, aut tale negotium emerſerit, quod pro ſui magnitudine ibidem nequeat terminari.

Pelagius I. Epiſt. ad Sapaudum Epiſcopum Arelatenſem: Majorum noſtrorum cupiens inhærere veſtigiis, caritati tuæ per univerſam Galliam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui divina gratia præſidemus, vices injungimus: hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Romanæ Eccleſiæ teſtantur ſerinia.... Hinc eſt, quod & nos fraternitati tuæ hujuſmodi curas injungimus, ut Sedis noſtræ Vicarius inſtitutus ad inſtar noſtrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas &c.

(3) *S. Leo M. Lib. V. Epiſt. 52. ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem:* Si inter fratres conſacerdoteſque noſtros evenerit forte contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe Sedis Apoſtolicæ ſun-

ꝟicenſis, & Arelatenſis Vicarii præſeferunt, eadem profecto deſtitnuntur Vicarii Hiſpaniarum, & Siciliæ, qui ſerius tanto munere decorati videntur: præſertim ſi obſervabimus, Symmachum Papam, qui exeunte Seculo V. Petri Sedem occupavit, *in Epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem*, cujus fragmentum produximus, hunc per Gallias ſimul, & per Hiſpanias Vicarium ſnum delegaſſe.

X. Vetuſtiora monumenta, qnæ Vicariorum in Hiſpaniis Apoſtolicorum mentionem faciunt, ſunt Epiſtolæ Pontificum Simplicii ad Zenonem, & Hormiſdæ ad Salluſtium Epiſcopos Hiſpalenſes, quibus vices ſnas per Bœticam & Luſitaniam Pontifices illi committunt (4).

XI. Quod vero ad Vicarios Apoſtolicos per Siciliæ Provincias attinet primum & antiquiſſimum monumentum colligitur ex Epiſtola S. Gregorii M. ad Maximianum Epiſcopnm Syracoſium, qua Vicarium ſunm per Siciliam eum deſignat (5). Itaque & Sallnſtius Hiſpalenſis, & Maximianns Syracuſarnm hac donantur prærogativa; illis tamen adjectis conditionibus, quæ Vicariis Theſſalonicenſi, & Arelatenſi impoſitæ ſunt; nimirum qnod in Synodo Epiſcoporum exagitare deberent, & componere lites; at ſi difficiliores, gravioreſque occurrerent cauſſæ, ad Religionem præſertim ſpectantes, eas omnes Apoſtolicæ Sedi dijudicandas remitterent. Unde Hormiſda ſtatim ſubnectit: *Salvis privilegiis, quæ Metropolitanis Epiſcopis decrevit antiquitas..... quoties univerſum poſcit religionis cauſſa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant.* Et Gregorius indicata epiſtola: *Sed ſi qua forte difficilia exiſtunt, quæ fraternitatis tuæ judicio dirimi nequaquam poſſunt, hæc ſolummodo judicium noſtrum flagitant.*

XII. Videntur ſane conſtitnti etiam fuiſſe Apoſtolicæ Sedis Vicarii 1. S. Cyrillus Alexandrinus, qui Romanæ Synodi ſententiam contra Neſtorium exſecutioni mandaret, ut ex litteris Cæleſtini ad Cyrillum manifeſto evincitur: *Auctoritate tecum noſtræ Sedis adſcita, noſtra vice uſus, hanc exſequens diſtricto vigore ſententiam, ut aut intra decem dies pravas prædicationes ſuas ſcripta profeſſione condemnet, aut niſi hoc fecerit, mox ſanctitas tua illi Eccleſiæ* Conſtantinopolitanæ *proviſura* &c. Cæleſtinus Epiſt. *ad Cyrillum Epiſc. Alexandr.*

2. Pontianus Epiſcopus, cni S. Leo *curæ ſuæ vices* commiſit, ut in Africam properaret, ibique ſententiam diceret de qnibuſdam Epiſcopis, qui præter Leges electi fuerant: S. Leo *Epiſt. I. num. 1.*

3. Acacius Conſtantinopolitanus, cui S. Simplicins Eccleſias totius Orientis commendavit; eamque ipſi curam commiſit, nt ad ea, quæ in Orientis partibns gerentur intenins, nota itidem ipſi faceret, *quæ ad Catholicæ veritatis cuſtodiam pertinebant:* Epiſt. XVIII. num. 1. Et ſane Aca-

functus, diſcreta moderatione compeſcat, *aut* ſi quarundam cauſſarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præſentia opus ſit, congregatis ſibi in numero competenti fratribus, & coepiſcopis noſtris, ſalubriter hoc ſervata æquitate diſcutiat, & canonica æquitate definiat. Si quam vero contentionem de fidei cauſſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.

(4) *Simplicius Papa Epiſtola XX. ad Zenonem Epiſcopum Hiſpalenſem:* Talibus gloriantes indiciis, congruum duximus, Vicaria Sedis noſtræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, vel ſanctorum terminos Patrum, nullo modo tranſcendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus eſt, per quem in his regionibus divinus creſcere innotuit cultus.

Hormiſda Epiſtola ad Salluſtium: Suffragantibus tibi tot meritis piæ ſollicitudinis & laboris, certe jam delectat injungere, quæ ad noſtri curam conſtat officii pertinere, ut Provinciis tanta longinquitate disjunctis & noſtram poſſis exhibere perſonam, & Patrum regulis adhibere cuſtodiam. Vices igitur noſtras per Bœticam, Luſitaniamque Provincias.... committimus.

(5) *S. Gregorius M. Lib. II. Epiſt. 10. ad Maximianum Epiſc. Syracuſarum:* Super cunctas Siciliæ Eccleſias te Reverendiſſimum virum Maximianum fratrem, & Coepiſcopum meum vicem Sedis Apoſtolicæ miniſtrare decernimus, ut quiſquis illic religionis habitu cenſetur, fraternitati tuæ ex noſtra auctoritate ſubjaceat.

Acacius ſtatim ad Romanam Sedem retulit flagitia, & errores Petri Mongi: etſi poſtea quum obſtinatior eſſet in tuendis ipſius Mongi partibus, anathema ſibi a Rom. Pontifice meruerit.

4. Julianus Epiſcopus Coæ eodem Vicariatus per Eccleſias Orientis munere a S. Leone exornatus fuit, poſtquam Anatolium propter negligentiam, ac ſupinitatem ea dignitate ſpoliaverat (*6*).

XIII. Atque hic nihilominus advertere juvat, Epiſcopos Theſſalonicenſem, Arelatenſem, & Hiſpalenſem, dicendos eſſe perpetuos Sedis Apoſtolicæ Vicarios; quippe qui frequentibus, ac continuis legationibus, veluti hereditarium ſibi fecerint Vicariatum, ſive Legationem; quum contra S. Cyrillus, Potiianus, Acacius, & Julianus videantur potius Vicarii temporanei: quippe peculiaria illis tantum negotia commiſſa ſunt.

XIV. Præterea nulla iſtis cauſſarum cognitio demandatur, ſed ſola vel ſententiæ alicujus Romanæ Sedis executio, vel ſollicitudo invigilandi, quo fides caſte, ſancteque ſervetur. At vero Vicariis Theſſalonicenſi, Arelatenſi, & Hiſpalenſi auctoritatem ſatis amplam, cauſſas etiam majores dijudicandi, delegatam jam vidimus.

XV. Accedit quoque, quod Zoſimus Papa Arelatenſi Epiſcopo prærogativam contulit, qua nullus ſive Epiſcopus, ſive clericus quiſque *in quolibet Eccleſiaſtico gradu*, *ex qualibet Galliarum parte* Romam, aut alio terrarum contendere poterat, niſi prius ab ipſo litteras ſic dictas *Formatas* accepiſſet. Hac autem prærogativa duntaxat quoad Epiſcopos Illyrici donatus fuit Epiſcopus Theſſalonicenſis. Unde Sixtus II. *Epiſtola IX. ad Proclum*, hæc habet: *Si quis harum Provinciarum, quæ ad Theſſalonicenſis urbis Antiſtitem pertinent, Sacerdos adveniat .... ſine ejus epiſtolis*, atque Formata *venire tentaverit, tamquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ deſpector, & contemptor Canonum habeatur*. Hinc ſane videtur hac de cauſſa Epiſcopus Arelatenſis majoris quid auctoritatis præ Theſſalonicenſi obtinuiſſe: ſiquidem iſte ſolis Sacerdotibus, ſive Epiſcopis *Formatas* litteras dabat, quas alii Clerici ex Canonum præſcripto a ſuo Epiſcopo exſpectabant; illius vero poteſtas in *Formatis* litteris conſignandis Presbyteros etiam, & Clericos quoque complectebatur.

XVI. Adhæc Siricius Papa Epiſcopo Theſſalonicenſi prærogativam contulit, *ut nulli licentia eſſet ſine conſenſu illius in Illyrico Epiſcopos ordinandi:* Epiſtola IV. num. 10. Qua prærogativa Epiſcopus Arelatenſis non fruebatur per Galliarum Provincias, in quibus ipſius Vicariatus locum obtinebat. Zoſimus quidem Papa præcipuas ei partes contulit in electione & conſecratione Epiſcoporum Viennæ, & Narbonæ: at vero ejuſmodi auctoritate, ut illorum Metropolita pollebat, minime vero tamquam Vicarius Sedis Apoſtolicæ. Atque hi profecto Epiſcopi undeviginti numerabantur, ut conſtat ex *Epiſtola S. Leonis* LVIII. ad eoſdem Epiſcopos reſcripta, qui & ſe & anteceſſores ſuos ab Arelatenſi Epiſcopo tamquam Metropolitano ſuo ordinatos, conteſtati fuerant. Quamobrem Vigilius in *Epiſtola VII.* ad Epiſcopos Galliæ, in qua certiores eos facit, ſe vices ſuas Auxanio Arelatenſi commiſiſſe, hunc titulum præfigit: *Dilectiſſimis fratribus Univerſis Epiſcopis omnium Provinciarum per Gallias, qui ſub regno, vel poteſtate glorioſiſſimi filii noſtri Childeberti Regis Francorum conſtituti ſunt, ſed & iis, qui ex antiqua conſuetudine ab Arelatenſi conſecrati ſunt, vel conſecrantur Epiſcopi*. Ubi Vigilius aperte Epi-

(*6*) *S. Leo Epiſt. CIV. num.* 2. Hanc ſpecialem *vice mea* functus aſſumas, ne hæreſis, vel Neſtoriana, vel Eutychiana in aliqua parte reviveſcat: quia in Ep ſcopo Conſtantinopolitano catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro Sacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſollicitus. *Idem ſignificat Epiſtola CII. num.* 3. *ad Martianum Imperatorem:* De fidei ejus ſinceritate confidens, *vicem ipſi meam* contra temporis noſtri hæreticos delegavi, atque propter Eccleſiarum paciſque cuſtodiam, ut a Comitatu veſtro non abeſſet, exegi. Cujus ſuggeſtiones pro concordia Catholicæ unitatis *tamquam meas* audire dignemini. *Profecto hujuſmodi Vicariorum, qui primum* Apocriſarii, *tum* Reſponſales, *ac poſtmodum* Nuntii Apoſtolici *nuncupati ſunt, origo ad Leonem refertur. Confer noſtras Inſtitutiones Canonicas* Lib. I. Titulo XI.

Epiſcopos Auxanio tamquam Pontificis Vicario ſubjectos ſejungit ab illis, qui ipſi tamquam Metropolitano ſubduntur.

XVII. Denique quamvis Epiſcopi Theſſalonicenſis, Arelatenſis, & Hiſpalenſis ſibi Romanum Vicariatum tamquam ſuæ Sedi adnexum vindicarunt; non ita tamen quod ad alios Vicarios ſe res habuit. Quapropter S. Gregorius M. quum Maximiano Syracuſarum Epiſcopo vices ſuas concedit, ſtatim ſubnectit: *Quas videlicet vices non loco, ſed perſonæ tribuimus.*

XVIII. Ex hactenus dictis ſatis adparet, tantam fuiſſe Vicariorum poteſtatem, quantam ipſis profecto Pontifices tribuerunt. Hujuſmodi vero Vicarii ætate progrediente *Primates* dicti ſunt, ut in noſtris Canonicis Inſtitutionibus *Lib. I. Titulo XII.* obſervavimus. Itaque Primatis nomen, quod Metropolitanis quoque commune erat, ut *Capite XVIII.* videbimus, tractu temporis ſolis Vicariis, ſive Legatis Sedis Apoſtolicæ conceſſum eſt.

C A P U T XVII.

De Patriarchis, Eorumque Origine, et Juribus.

§. I. *De Nomine Patriarchæ, ejuſque in Eccleſia uſu.*

I. AC primo in vocis etymon paucis inquiramus; quæ ſane id potiſſimum ſignificare videtur, nimirum *Principem Familiæ*, *Cognationis*, vel *Tribus:* Ἄρχοντα πατριῶν. Apud Heſychium πατριαὶ idem ſonant ac φυλαί: & apud Suidam in voce πατριαί: πατριαὶ χῶραι, φυλαί, τοπαρχίαι; ideſt πατριαὶ *Regiones*, *Tribus*, *locorum Præfecturæ*. Primus alicujus familiæ auctor, unde alii deſcenderint, *Patriarcha* dictus eſt: Suidas *ibid.*

II. Binghamus cenſet Chriſtianos Patriarchas a Patriarchis Judaicis, quorum ab antiquis Eccleſiaſticis Scriptoribus crebra injicitur mentio, nomen fuiſſe mutuatos (1). Verum mea duntaxat ſententia res non adeo certa eſt, uti Binghamo videtur. Fortaſſis ex eo, quod novas condere Eccleſias, eiſdemque primos conſtituere Epiſcopos ad ipſos ſpectarit, inde Patriarchæ (2) dicti ſunt. Namque per hoc novæ alicujus Chriſtianæ familiæ veluti Duces, & Patres habebantur: quod in primis, uti modo vidimus, *Patriarcha* vocabulum exhibet.

III. Quamvis Socrates, qui Hiſtoriam ſuam edidit an. CCCCXL. primus Epiſcopis Chriſtianis, qui pluribus Provinciis præeſ-

(1) *Patriarchæ Judaici certi quidam inter Judæos Gubernatores fuere paulo poſt Jeroſolymorum devaſtationem conſtituti; quorum alter* Tiberiade, *alter* Babylone *reſedit, qui inter Judæos per Imperium Romanum, & Perſicum rei gerendæ fuerunt Capita. Ingens eorum poteſtas, & dignitas ad finem uſque Seculi IV. perduraſſe videtur. Theodoretus enim* Dial. I. *& Theodoſius Jun.* Lib. XVI. Cod. Theod. Tit. VIII. Leg. ult. *ante ſuam ætatem eorum gubernationem jam abolitam indicant. Eorumdem quoque meminerunt Epiph.* Hær. XXX. n. 4. *Cyrill. Jeroſ.* Catech. XII. n. 7. *Origenes* περὶ ἀρχῶν IV. 1. *ac præcipue Hier. qui in locum Iſaiæ III.* Effœminati dominabuntur eorum *ſic ſcribit.* Conſideremus Patriarchas Judæorum effœminatos, ac deliciis adfluentes, & impletam eſſe Prophetiam cernemus.

(2) *Eutychius in* Chronico Alexandrino, *quod latine redditum, ac notis illuſtratum primus evulgavit Seldenus, tradit ad exiens uſque Seculum II. Alexandrinum Epiſcopum univerſam rexiſſe Ægyptum: at vero Demetrium undecimum ab Marco an. CLXXXVIII. Alexandriæ conſtitutum Patriarcham tres ordinaſſe Epiſcopos; his poſtea ab Heracla Demetrii ſucceſſore alios viginti fuiſſe adjunctos. Tum* ibid. *ſcribit Ægyptios, qui primum Epiſcopum Alexandrinum* Patrem *nominabant, dein novis conſtitutis Epiſcopis* Avum *nuncupare conſueviſſe. Jam vero, uti recte obſervat Thomaſſ.* P. I. L. 1. Cap. 7. n. 6. *licet procul eſſe a vero, aut veri ſaltem ſimilitudine videatur tandiu Epiſcopis caruiſſe Ægyptum, ex Eutychii tamen teſtimonio illud duntaxat colligere licet per Ægypti regiones primum ab Epiſcopo Alexandrino Epiſcopos fuiſſe conſtitutos, qui & æquiſſimo jure ipſimet ſubeſſent, a quo ortum habuerant.*

Digitized by Google

præeſſent, Patriarchæ nomen dederit: *Lib. V. Cap.* 8. at publica Eccleſiæ auctoritate nonniſi in Syn. Chalcedonenſi *Act. III.* primum hoc nomine donati ſunt. Prorſus enim fallitur Salmaſius *de Primat. Cap. IV. pag.* 43. ubi contendit jam inde ab Hadriani tempore hoc nomine fuiſſe adpellatos, eo quod Imperator in Epiſt. quadam Vopiſco memorata de Alexandrino Patriarcha loquatur. Fallitur, inquam, Salmaſius: namque Patriarcha, de quo Hadrianus loquitur, Chriſtianus aliquis Epiſcopus non eſt, ſed Patriarcha Judaicus: uti ex Hadriani verbis, & charactere, quem ei adpingit, facile perſpicitur (3).

IV. Qui ſerius Patriarchæ dicti ſunt, antiquitus *Archiepiſcopi*, & *Exarchi Diœceſeωs* vocabantur. Etſi enim nunc unum idemque ſint Archiepiſcopus, & Metropolitanus, attamen prioribus Eccleſiæ ſeculis nomen *Archiepiſcopi* multo amplioris erat ſignificationis, & vix ulli dabatur Epiſcopo, niſi cujus jurisdictio ſuper totam aliquam Imperii *Diœceſim* ſe extenderet (4): uti Epiſcopo Alexandrino, Antiocheno, Epheſino &c. Hinc Syn. Chalced. *Act. XVI.* haud ſemel Epiſcopos Romanum, & Conſtantinopolitanum *Archiepiſcopos* nominat: & Juſtinianus Epiſcopatum Juſtinianææ Primæ in Sedem Patriarchalem erigens ſanxit: *Volumus, ut non ſolum Metropolitanus, ſed etiam Archiepiſcopus fiat.*

V. Exarchi quoque Diœceſeωs dicebantur ad diſtinguendum eos ab Ἐξάρχοις τῆς ἐπαρχίας, *ab Exarchis unius cujuſdam provinciæ*. Ita Domnus Epiſcopus Antiochenus *Orientalis Diœceſeωs Exarchus* in Conciliis Antiocheno, & Chalcedonenſi adpellatus eſt: Conc. Antioch. in *Act. XIV.* Concilii Chalcedonenſis.

§. II. *De Patriarcharum Origine.*

VI. Patriarcharum Originem quod ſpectat, plures, diverſæ, eædemque graviores ex æquo innixæ rationum momentis circumferuntur eruditorum ſententiæ. Sunt qui Patriarchicam poteſtatem primum in Eccleſia cognitam autumant Conc. Conſtantinopolitani I. tempore: ita Baſnagius, Beveregius, & Caveus (5). Alii ejus inſtitutionem Concilio Nicæno tribuunt: iſtæc opinio Hieronymo adſcribitur, recentioribuſque Græcis probatur (6). Tertia opinio eſt Spalatenſis, & Binghami, qui Patriarchas poſt ætatem Apoſtolorum paulo ante Synodum Nicænam in Eccleſiam primum inductos ſtatuunt (7). Alii demum eam altius arceſſunt, ac ipſi S. Petro adfigunt, cui æque Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ Eccleſiæ fundatio communiter tribuitur: ita Baronius, Marca, Thomaſſinus, Pagius, Valeſius (8) &c. In re adeo obſcura, ac tantopere inter viros

(3) *Hadrianus Epiſt. apud Vopiſcum in Vita Saturnini*: Ille ipſe Patriarcha, quum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum: *quod ſane in Judaicum quendam Patriarcham optime quadrat, cui æque ab Serapidis, ac ab Chriſti adoratione abhorrendum erat. At ab Chriſtiano Epiſcopo alienum prorſus eſt; quippe qui licet ad Serapidis cultum compelli potuiſſet, libenti tamen animo, & ſponte ſua Chriſtum adoraſſet. Adhæc Patriarcha, quo de loquitur Imperator, hac, vel illa duntaxat occaſione quandoque Ægyptum veniebat; id quod de Epiſcopo Alex. fixam illic Sedem habente dici nequit.*

(4) *Uti nomen* Archiepiſcopi, *ita &* Diœceſis *vocabulum multo erat antiquitus amplioris ſignificationis. Ad rem Theodorus Balſamon in* Can. IX. Chalcedon. Διοίκησις δέ ἐστι ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ; Diœceſis autem eſt, quæ multas ſub ſe habet Provincias. *Ruſinus in ſuo Breviario de Macedonia hæc habet*. Et in Diœceſi Macedoniæ Provinciæ ſunt ſeptem: Macedonia, Theſſalia &c. *Videſis* Leg. 4. Tit. IV. Lib. VI. Cod. Theod. *Epiſtolam Conſtantini apud Euſebium* in Vit. Conſtantini Lib. III. Cap. 19. *Synodicam Conc. Arelatenſis, Notitiam Utriuſque Imperii* Part. I. &c.

(5) Baſnagius *Exerc. Hiſtor. pag.* 307. Beveregius *Not. in Can. II. Conc. Conſtantinopolit. pag.* 95. Caveus *Anc. Ch. Gov. Cap.* 2. & 4.

(6) Hier. *Epiſt. LXI.* Balſamon *in Can. VI. Conc. Nicæni.*

(7) Spalatenſis *de Republ. P. I. Lib. III. Cap.* 12. *n.* 21. Bingham. *Lib. II. Cap.* 17. §. 8.

(8) Baronius *ad ann.* 39. *n.* 16. Marca *Lib. I. Cap.* 3. *n.* 5. Thomaſſ. *P. I. Lib. I. Cap.* 7. Pagius *Critic. ad an.* 37. *n.* 9. Valeſius *Obſerv. Eccleſ. Lib. III.*

doctos controverſa proprium dare judicium periculoſæ plenum opus aleæ exiſtimo, in quo quidquid ſenſeris, acerrimos ubique patieris adverſarios. Illud ſatius eſſet, & magis conduceret, ſi plures illæ, ac diverſæ eruditorum ſententiæ inter ſe aliqua ratione conciliarentur; quod ſane præſtare tentabo. Aliquot igitur Propoſitiones, ceu totidem Theoremata liceat conſtituere, quibus veluti jactis fundamentis res omnis facilius, feliciuſque conficietur.

Propositio I.

In Synodo Conſtantinopolitana Patriarchæ primum inſtituti non ſunt; at duntaxat eorundem poteſtatis limites diſtinctius, exactiuſque præſcripti.

VII. Quamvis Socrates de Patribus Conſtantinopolitanis ſcribat: *Patriarchas conſtituerunt Provinciarum diviſione facta:* attamen Conſtantinopolitanus Canon ubi adcuratius perpendatur, novam inſtitutionem haud præſeferre patebit. En ejus verba: *Epiſcopi* ὑπὲρ Διοίκησιν ultra Diœceſim *ad Eccleſias, quæ extra ſuos limites ſunt, ne accedant.... ſed ſecundum Canones* κατὰ Κανόνας *Epiſcopus Alexandriæ Ægyptum regat*. Profecto his verbis κατὰ Κανόνας Patres Conſtantinopolitani vel Canonem VI. Nicænum reſpexere, vel *Antiquas Conſuetudines*, de quibus eodem Nicæno Canone dicitur: *Antiqui mores ſerventur*. At potius Canonem Nicænum præ oculis habuere: quum antiquas conſuetudines Canonum nomine decoratas adfirmari quidem poſſit, at probari non poſſit. Quum igitur eam poteſtatem Epiſcopis Alexandrino, Antiocheno, aliarumque Orientalium Diœceſeων Exarchis adſignent, quæ κατὰ Κανόνας, & quidem jam dudum in Eccleſia ſervatos ad ipſos pertinebat (9), inde evidenter efficitur, Patriarchicam poteſtatem Conſtantinopolitano Canone primum inſtitutam non fuiſſe.

VIII. Fuerunt vero ejuſdem poteſtatis limites diſtinctius, exactiuſque præſcripti. Etenim cur Canon ille ederetur, illud potiſſimum in cauſſa fuit, quod plures Epiſcopi φιλαδελφίας memores, neceſſitate id poſtulante, extra proprium territorium Epiſcopali poteſtate uſi fuerint. Petrus Alexandrinus aliquot Epiſcopos Conſtantinopolim miſerat, ut ibi Maximum Cynicum Epiſcopum conſecrarent: Gregorius Presbyter *in Vit. S. Gregor. Naz.* Luciferus Calaritanus Paulinum Antiochenum Epiſcopum ordinaverat: Hier. *in Chronic. an.* 363. Meletius Antiochenus in ipſa imperiali urbe plures Epiſcopalis poteſtatis actus exercuerat: Theodoret. *Lib. V. Cap.* 6. & 7. Fortaſſis Patres Conſtantinopolitani Athanaſium quoque, & Euſebium Samoſatenſem præ oculis habuere, qui uti Cap. XIII. §. 8. vidimus, ex exſilio reduces in diverſis civitatibus, quas peragrarunt, licet ad proprias ipſorum Diœceſes non pertinerent, Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos ordinarunt. Illuc igitur Conſtantinopolitanos Patres eo Canone oculos intendiſſe omnino dicendum eſt, ut nimirum nimiæ Epiſcoporum confidentiæ, ac libertati fræna injicerent, ne extra propriæ Diœceſeως limites Epiſcopali poteſtate uti vellent. Quod quidem ex altera Canonis parte, ſive Canone III. manifeſtius elucet, ubi hæc habentur: *Non vocati autem Epiſcopi, ultra ſuam Diœceſim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias diſpenſationes Eccleſiaſticas*. Tum *Can.* III. vel IV. de Maximo Cynico in hunc modum ſancitur: *De Maximo Cynico, & ejus inordinata conſtitutione, quæ Conſtantinopoli facta eſt, placuit, neque Maximum Epiſcopum eſſe, vel fuiſſe, nec eos, qui ab ipſo in quolibet gradu Clerici ſunt ordinati*. Igitur in Synodo Conſtantinopolitana Patriarchæ primum inſtituti non ſunt, at duntaxat eorundem poteſtas certis limitibus fuit diſtinctius, exactiuſque circumſcripta.

PRO-

(9) *Sequitur enim Canon:* Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent ſervatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt. Aſianæ quoque Diœceſeως Epiſcopi ea ſolum, quæ ſunt in Aſiana Diœceſi, diſpenſent: necnon & Ponti Epiſcopi ea tantum, quæ ſunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis ſunt, gubernent.

P R O P O S I T I O II.

Poteſtas Patriarchica Synodo Nicæna antiquior eſt, Canone VI. Nicæno tantummodo firmata fuit, non primum conſtituta.

IX. Et ſane conſtat diu ante Concilium Nicænum Epiſcopum Alexandrinum plures ſuæ poteſtati ſubjectas rexiſſe Provincias. Iſtuc probat Canon ipſe Nicænus, quo ſtatuitur: *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Libya, Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quandoque & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis ſua privilegia, ac ſuæ dignitates, ac auctoritates Eccleſiis ſerventur.* Profecto illud *Antiqui mores* τὰ παλαιὰ ἔθη non recentem, at vero antiquam, ſin minus inſtitutionem, inductam ſaltem in Eccleſiam conſuetudinem inſinuat.

X. Idem quoque indicant plura, quæ adferri poſſent, antiquiſſima Eccleſiaſtica monumenta, ex quibus manifeſto evincitur ea poteſtate diu ante Synodi Nicænæ tempora Epiſcopos Alexandrinum, & Antiochenum revera fuiſſe uſos. Unum, aut alterum proferre liceat. Epiphanius de Meletio Schiſmatis Meletiani ante Concilium Nicænum auctore loquens Hæreſ. LXIX. n. 3. *Is ipſe Meletius*, inquit, *Archiepiſcopus in Ægypto, & Alexandro ſubjectus rem omnem* (de Ario) *ad Alexandri Epiſcopi aures detulit*. Et de eodem Meletio Hæreſ. LXVIII. n. 1. ſcribit: *Idem quidem* (Meletius) *ceteris Ægypti Epiſcopis antecellens* (10), *ſecundum a Petro dignitatis locum obtinebat, utpote illius adjutor, ſed eidem tamen ſubjectus, & ad ipſum de cauſſis eccleſiaſticis referens: hic enim mos eſt Alexandrinorum Epiſcoporum, ut per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, & Pentapolim adminiſtrent Eccleſiaſtica negotia*. Medio Seculo III. quum aliquot Epiſcopi Libyæ ſuperioris Sabelliano ψιλοδόγματα adhæſiſſent, nonne ab hæreſi receſſerunt, Dionyſio potiſſimum Alexandrino agente, *ad cujus curam*, uti ſcribit Athanaſius de Sent. Dion. *Eccleſiæ illæ pertinebant?* Et ille ipſe Meletius nonne a Petro Epiſcopo Alexandrino in Synodo Diœceſana Alexandrina damnatus fuerat? Athanaſius, *Apolog. contr. Arianos*. Igitur Patriarchica poteſtas Synodo Nicæna antiquior eſt.

XI. Tum Canone VI. Nicæno firmata tantummndo fuit. Et ſane verba illa, *Antiqui mores ſerventur . . . ſua privilegia, ac ſuæ dignitates, & auctoritates Eccleſiis ſerventur*: Quid, inquam, verba iſtæc exhibent, niſi ut Epiſcopis Alexandrino, & Antiocheno novo Œcumenicæ Synodi decreto ea jura firmentur, quibus jandiu ex antiquis moribus fruebantur?

P R O P O S I T I O III.

Patriarcharum poteſtas non integra, quæ poſtea late patuit, & omni ex parte, at vero pedetentim in Eccleſiam inducta eſt.

XII. Ut planius hujus Propoſitionis demonſtratio procedat in Patriarcharum jura, & privilegia inquirere abs re non erit: quæ ſane non eadem prorſus ubique fuere, ſed diverſa pro diverſis temporum, & regionum conſuetudinibus: id quod ex ſequentibus patebit.

Primum Patriacharum privilegium erat omnes ſuæ Diœceſeos Metropolitas ordinare.

XIII. Profecto ubi primum in Sedem Pa-

(10) *Hic obſervandum Meletium ab Epiphanio dici* Ægypti Archiepiſcopum, ac ceteris Ægypti Epiſcopis antecellentem. *Syneſius quoque* Epiſt. LXVI. *ad Theophilum Ptolemaidos Epiſcopatum* Eccleſiam Metropoliticam vocat. *Igitur ſingulis Ægypti provinciis ſinguli præerant Metropolitæ, qui, uti eorum quiſque ſuæ ipſius provinciæ Epiſcopis præerat, ita Epiſcopo Alexandrino ſubjecti erant. Quam ob rem Epiſcopus Alexandrinus non Metropoliticam modo, quod Eſpenius contendit, verum & Patriarchicam in omnes Ægypti Provincias, etiam ante Synodum Nicænam, poteſtatem exercebat, quum Archiepiſcopos, ſive Metropolitas ſuæ ditioni habuerit ſubjectos.*

Patriarchicam Eccleſia Conſtantinopolitana erecta eſt, continuo Epiſcopus Conſtantinopolitanus jus ſibi vindicavit omnes Metropolitanos ſibi ſubjectos ordinandi: *Novell. VII. Cap.* 1. Eandem prærogativam Epiſcopus quoque Juſtinianææ Primæ conſecutus eſt, quando Patriarchatum obtinuit: *Novell. CXXXI. Cap.* 3. Idem quoque datur dignoſci ex *Canone XXXVI.* inter ſic dictos Canones Arabicos, quos ſub nomine Canonum Nicænorum primus evulgavit P. Turrianus. Etenim de Catholico in Æthiopia Epiſcopo, qui non erat Patriarcha, ſed Patriarchæ Alexandrino parebat, in hunc modum decernit: *Non jus habeat conſtituendi Archiepiſcopos, ut habet Patriarcha: ſiquidem non habet Patriarcha honorem, & poteſtatem* (11).

Alterum Patriarcharum Privilegium erat convocare Synodos Diœceſanas, & in illis præſidere.

XIV. Iſtoc jure jam inde ab altero Eccleſiæ Seculo uſi videntur. Polycrates enim ad diſcutiendam de Paſchatis celebratione controverſiam Epiſcoporum totius Aſiæ Concilium convocavit: ita Euſebius Lib. V. Cap. 24. *Epiſcopis in Aſia coactis præſuit Polycrates*. Eadem de cauſſa Concilium quoque Epiſcoporum Palæſtinæ celebratum eſt, cui præfuit Theophilus: Euſebius *ibid. Cap.* 23. Tum Dionyſius Alexandr. medio Seculo III. propter gliſcentem Sabellii hæreſim Epiſcoporum Ægypti Synodum convocavit: Athanaſius *de Sentent. Dionyſii*. Id quod adverſus Arii ἰδιόδογμα præſtitit quoque S. Alexander Epiſc. Alexandrinus. Tandem Theodoretus *Ep. LXXXI.* ſcribit, ſe ad Diœceſanam ſui Antiocheni Patriarchæ Synodum ire, *ut Eccleſiaſtico Canoni obſequeretur, qui reum haberi jubet eum, qui ad Synodum vocatus adeſſe noluerit*.

Tertium Patriarcharum Privilegium erat Adpellationes a Metropolitarum judiciis accipere.

XV. Hujus prærogativæ monumenta antiquiora non exſtant Concilio Chalcedonenſi, cujus *Canon IX.* ſic habet: *Si quis cum ipſius Provinciæ Metropolitano Epiſcopus, vel Clericus controverſiam habeat, Diœceſeos Exarchum adeat*. Idem quoque ſtatuitur *Can. XVII.* Hi Canones in Civile jus adoptati, & Imperatorum ſanctionibus confirmati ſunt: *Lib. I. Cod. Juſtin. Tit. IV. Leg.* 29. & *Novell. CXXIII. Cap.* 22. Jam vero ex monumentis etiam III. & IV. Seculi ejuſdem Patriarchicæ poteſtatis ſcintillæ emicant: uti mox videbimus.

Quar-

(11) *Verum in hoc peculiari quadam prærogativa Epiſcopus Alexandrinus fruebatur: cujuſmodi erat jus cunctorum per omnes Diœceſeos ſuæ provincias Epiſcoporum electiones confirmandi, eoſdemque conſecrandi. Lucet hoc ex Meletii Lycopolitani Epiſcopi audacia adtentata adverſus* S. *Petrum Alexandrinum Patriarcham, & per Synodum Nicænam damnata, quæ ſuit in eo poſita, quod provinciarum Ægypti, ac præcipue Thebaidos, cui ipſe jure metropolitico præerat, Epiſcoporum ordinationes ad Epiſcopum Alexandrinum pertinentes ſibi vindicaverit: Athanaſius* Apolog. II. *Epiphanius* Hæreſ. LXVIII. n. 3. *Sozomenus* Lib. I. Cap. 24. Epiſtola Synodica Concilii Nicæni apud *Theodoretum* Lib. I. Cap. 9. *Quum igitur Nicænæ Synodi* Can. VI. *id Epiſcopo Alexandrino reſtitutum ſit, quod ipſi Meletius inique abſtulerat, liquet profecto ad Epiſcopum Alexandrinum omnium per Ægypti provincias Epiſcoporum confirmationes, & conſecrationes jure antiquiſſimo ſpectaſſe. Tum ejuſdem* Concilii Epiſtola *Synodica ſancitum reperimus, per eaſdem Ægypti provincias eum ceu legitimum habendum Epiſcopum, quem* populus elegerit, ſuffragante nihilominus, plebiſque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Epiſcopo. *Demum Syneſius* Ep. LXI. ad Theophilum Alexandrinum *de Siderio creato Palebiſcæ Epiſcopo ſic loquitur*: Unum illum, & ſolum Palebiſcæ Epiſcopum creatum, ſed neque legitimum ipſum, contra vero jura omnia, quantum de ſenioribus accepi, quum neque ſit Alexandriæ conſtitutus, neque a tribus hic, quamvis illinc ordinandi eſſet facta poteſtas. *Poſtremo idem Syneſius* Epiſt. LXXVI. ad eundem Theophilum *cujuſdam Antonii jam communi omnium ſuffragio electi Olbiatis exiguæ Pentapoleos civitatis Epiſcopi ordinationem Epiſcopo Alexandrino tribuit*. Unum adhuc ſupereſt, Sacra tua ſcilicet manus. *Quod de Peluſienſi Eccleſia etiam teſtatur Iſidorus Peluſiota* Epiſt. CXXVII. ad Cyrillum Alexandr.

Quartum Privilegium erat in Metropolitarum adminiſtrationem inquirere, in eoſque cenſura Eccleſiaſtica uti.

XVI. Hujus poteſtatis intuitu S. Petrus Alexandrinus Meletium depoſuit: Athanaſius *Apolog. II.* Socrates *Lib. II. Cap.* 3. Chryſoſtomus Gerontium Metropolitanum Nicomedienſem abdicavit: Sozom. *Lib. VIII. Cap.* 6. & Atticus controverſiam inter Theodoſium, & Agapetum exortam de Epiſcopatu Synodorum Metropolis Phrygiæ Pacatianæ diremit: Socrates *Lib. VII. Cap.* 5.

XVII. Quinimmo & in ipſos Metropolitarum ſuffraganeos eo jure utebantur Patriarchæ, quum Metropolitas negligentes eſſe intelligerent in inculcanda ſuis Epiſcopis Legum Eccleſiaſticarum obſervantia. Hinc Sozomenus *Lib. VIII. Cap.* 6. de Chryſoſtomo memoriæ prodidit, eum, quum aliquando Epheſum viſendi cauſſa veniſſet, tredecim Epiſcopos, (vel ſaltem ſex, uti cenſet Valeſius *Not. in locum*) partim in Lycia, & Phrygia, partim in ipſa Aſia *propter vendita ab eis Sacerdotia Eccleſiis* expuliſſe.

Quintum Privilegium erat, quod ab ſuis Metropolitanis in rebus magni momenti conſulendi eſſent.

XVIII. Ex Actis Concilii Chalcedonenſis habemus, quod, quum Leonis Papæ Epiſtolæ contra Eutychen ab omnibus ſubſcriberentur Epiſcopis, Epiſcopi Ægypti id tum facere detrectantes hæc purgationis cauſſa protulerint: *In Ægyptiaca Diœceſi hanc eſſe conſuetudinem, ut præter voluntatem, & mandatum Epiſcopi Alexandrini nihil tale faciant, & petunt concedi ſibi dilationem uſque ad ordinationem futuri magnæ civitatis Alexandrinorum Archiepiſcopi* &c. Eandem Patriarcharum prærogativam indicare quoque videntur Canones Apoſtolici, inter quos Canon, qui eſt XXXIII. in hunc modum decernit: *Epiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit quis inter eos* Primus Πρῶτος *habeatur, quem veluti* Caput Κεφαλὴν *exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant.*

Sextum Privilegium erat jus Metropolitanos ſuos Legatos conſtituendi.

XIX. Id ſane moris in Ægyptiaca ſaltem Diœceſi obtinebat: Syneſius enim *Epiſt. LXVII.* ſcribit ſe a Theophilo Alexandrino duram accepiſſe provinciam, ut ſcilicet per regiones hoſtilibus armis interclusas ad vicos Libyæ vicinos Palæbiſcum, & Hydracem accederet, quo Epiſcopatus ibi erigeret; tum ſubdit: *Sed mihi impoſita neceſſitas eſt pro lege id habendi, quidquid thronus ille Alexandrinus ſtatuerit.*

Septimum Privilegium: Leges Imperiales Eccleſiæ regimen ſpectantes, atque Eccleſiaſticæ ab Patriarchis ſuis Metropolitanis communicabantur; a quibus rurſus eaſdem Epiſcopi accipiebant.

XX. Profecto Juſtinianus *Novell. XLII.* Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum poſt expoſita præcipua Synodorum Eccleſiæ decreta, quibus Imperatores civile etiam robur addidere, ſic adloquitur: *Cuſtodiat itaque Beatitudo tua, quæ recte adnotata ſunt, & mittat ipſa per ſuas Deo dilectas litteras omnibus ſanctiſſimis Metropolitis ſub ipſa exiſtentibus, quorum cuilibet cura erit ipſa manifeſta facere ſanctiſſimis Eccleſiis ſub ipſis ordinatis, ut neminem ex omnibus lateant, quæ Sacerdotio viſa ſunt, & ab Imperio confirmata.* Idem ſancitum occurrit ab eodem Juſtiniano Epilogo ad Novellam VI. *Sanctiſſimi Patriarchæ uniuſcujuſque Diœceſeus hæc proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis, & manifeſta faciant Deo amabilibus Metropolitis, quæ a nobis conſtituta ſunt.*

Octavum Privilegium: Enormium criminum abſolutionem aliquando Patriarchæ per univerſam Diœceſim ſibi reſervabant.

XXI. Hujuſce prærogativæ veſtigium quod-

quoddam elucet in ſæpius indicata Syneſii *Epiſt. LXVII.* ubi de Lamponiano quodam presbytero loquens, in quem injuriarum in Jaſonem Compresbyterum nomine accuſatum, atque adeo convictum, cenſura Eccleſiaſtica animadverterat, ſic loquitur: *Quanquam ex animi pœnitentia lacrymas ſudit, & ſupplex eum populus condonari ſibi petiit; ego tamen in iis perſeveravi, quæ ſemel decreveram: ſolvendi porro jus, & auctoritatem ad Pontificiam ſedem rejeci. Unum hoc ergo mihi ſumſi: ſi Lamponiano fatalis neceſſitas immineret, & præſtituta mortis dies adeſſe videretur, tum omnibus, qui eo tempore adeſſent, presbyteris conceſſi, ut eum communioni reſtituerent. Nemo enim, quantum in me erit, Eccleſiaſticis vinculis obſtrictus morietur. Si convaluerit, rurſus iiſdem pœnis teneatur, atque a divina, humaniſſimaque anima tua indulgentiæ teſſeram exſpectet.*

XXII. Ex hactenus productis antiquis Eccleſiaſticis monumentis, illud, ni fallor, manifeſto evincitur, Patriarchicam poteſtatem, non integram ſimul, & omni ex parte, at vero pedetentim in Eccleſiam fuiſſe inductam.

PROPOSITIO IV.

Quod S. Petrus Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Eccleſiam fundaverit, plurimum id contulit ad earundem Eccleſiarum patriarchica jura conſtituenda.

XXIII. Iſtud nonniſi ex ψευδο-Decretalibus veterum R. Pontificum demonſtrari poſſe contendunt Salmaſius, Binghamus, aliique præſertim ex heterodoxis. At contra contendimus non deeſſe genuina antiquiſſima Eccleſiaſtica monumenta, ex quibus idem adſtrui poſſe videtur. Euſebius, Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique veteres in eo potiſſimum Eccleſiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ dignitatem, & ſplendorem adnoſcunt, quod a S. Petro fundatæ ſint.

Ac 1. Euſebius Præp. Euang. Lib. III. pag. 138. *Dum potentiam*, inquit, *Verbi reſpicio, ut ab agreſtibus Jeſu Diſcipulis ..... Eccleſiæ conſtitutæ ſint non in quibuſdam obſcuris locis, ſed in clariſſimis civitatibus: in ipſa, inquam, aliarum urbium Regina Romana urbe, in Alexandrina, in Antiochenſi; cogor fateri non aliter audax adeo facinus obtinuiſſe, quam diviniore quadam, ac longe humanam ſuperante potentia.* Et alibi Hiſt. Eccleſ. Lib. II. Cap. 14. *Clementiſſima Dei providentia fortiſſimum, ac maximum inter Apoſtolos Petrum .... Romam perducit.*

2. Tum Chryſoſtomus de Eccleſia Antiochena *Tom. I. Hom.* 42. hæc ſcribit: *Hæc eſt una noſtræ civitatis prærogativa, quod Principem Apoſtolorum ab initio doctorem accepit: æquum enim erat, ut ea, quæ nomine Chriſtianorum ante univerſum orbem terrarum ornata fuit, Primum Apoſtolorum Paſtorem acciperet.*

3. Ad hæc Theodoretus in ea, quam ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcripſit, Epiſtola, graviter expoſtulans præfractam Dioſcori Alexandrini audaciam, qua Nicænos Canones contemnebat, ſcribit: *Hic vero legibus iſtis adquieſcere non vult, ſed ſurſum, ac deorſum B. Marci ſedem obtendit, idque quum liquido intelligat, Megalopolim Antiochiam Magni Petri ſedem habere.* Similia legere eſt apud Nazianzenum, Innocentium I., Pelagium, Leonem M., aliosque, quorum ſimul collecta teſtimonia habes apud Thomaſſinum *P. I. Lib. I. Cap.* 7. & 8.

4. Poſtremo diligentiam ſuam, ut alibi vidimus, eo potiſſimum commendavit Euſebius, quod ſeriem Epiſcoporum perpetuam contexuerit illarum maxime trium Apoſtolicarum Sedium. Hæc igitur videtur fuiſſe Eccleſiæ æque Orientalis, ac Occidentalis conſenſio, ac traditio, tres illas maximas Sedes dignitatis, ac poteſtatis honore eo nomine ceteris præfulſiſſe, quod a S. Petro conſtitutæ fuerint.

5. At præterire piaculum duxerim aureum Leonis P. *Ep. LIII.* teſtimonium, qui eminentiorem Sedium Alexandrinæ, & Antiochenæ dignitatem, & auctoritatem

tem a S. Petro effluxiſſe diſerte ſcribit : *Nihil Alxandrinæ Sedi ejus , quam per S. Marcum Euangeliſtam B. Petri diſcipulum meruit , pereat dignitatis : nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente , ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis . Antiochena quoque Eccleſia , in qua primum prædicante Apoſtolo Petro Chriſtianorum nomen exortum eſt , in paternæ Conſtitutionis ordine perſeveret .* Paucis rem omnem complectitur Hincmarus Rem. Tom. II. pag. 402. *Sedes Eccleſiarum Romanæ , Alexandrinæ , & Antiochenæ idcirco ſpeciales Sedes* dici . . . *quoniam Sedes ſunt , quin potius una ſedes Magni Petri Apoſtolorum Principis .* Igitur quod S. Petrus Romanam, Alexandrinam , & Antiochenam Eccleſiam fundaverit , plurimum id contulit ad earundem Eccleſiarum Patriarchica jura ſtatuenda.

P R O P O S I T I O V.

Ad Patriarchicæ Poteſtatis inſtitutionem videtur quoque aliqua ratione contuliſſe Civilis Politiæ ordo .

XXIV. Ubi ad civilem Orientis Politiam oculos conjiciemus , præſertim ut in Notitia Utriuſque Imperii deſcribitur (12) ; & ſimul fragmenta , quæ in veterum Conciliorum Actis , & Subſcriptionibus ſuperſunt , cum hac Imperii Notitia contulerimus , manifeſto patebit Eccleſiam in Diœceſes , & Provincias eodem ferme ordine , ac Imperium , fuiſſe partitam ; habuiſſe ſcilicet Exarchos , ſive Patriarchas , qui pluribus ejuſdem Diœceſeωs Metropolitis præeſſent , & Metropolitas in unaquaque Provincia , qui ejuſdem curam gererent. Et ſane Diœceſeωs nomen æque in uſu fuit ad deſignandam Imperii Romani , ac Eccleſiaſtici Regiminis diviſionem . Adhæc ii duntaxat Epiſcopi , Archiepiſcopi , Diœceſeωn Exarchi , & Patriarchæ dicti ſunt , qui eas civitates regebant , quibus haud quidem Præſides , aut Proconſules , at Vicarius, vel Præfectus Auguſtalis præeſſet . Plura huc ſpectantia exempla , & auctoritates adferri poſſent .

Ac 1. Sedes Antiochena tertia erat ordine poſt Romanam , & Alexandrinam , licet Antiochenam per ſe , Alexandrinam tantummodo per diſcipulum ſuum S. Marcum D. Petrus fundaverit : At in Civilis Politiæ ordine Alexandria Antiochiæ præſtabat .

2. Eccleſia Conſtantinopolitana tunc primum in Patriarchicam Sedem evaſit , quum Sedes Imperii facta eſt. Concilium Conſtantinopolit. Can. III. *Conſtantinopolita-*

(12) Imperium Romanum jam inde ab Auguſti temporibus in varias Provincias tributum erat . Dein primum Hadrianus , & poſtea Conſtantinus adcuratiorem tantummodo fecerunt imperii diſtributionem , univerſumque Romanum orbem quatuor *Præfectis Prætorio* commiſerunt , quum antea duo tantum fuerint totius Imperii Præfecti , auctore Zoſimo *Lib. II.* Porro Præfectis Vicarii ſuberant , vel Proconſules, & iterum ſub iſtis Præſides & Correctores Provincias adminiſtrabant .

In Vicariatu Romæ decem erant Provinciæ , 1. Campania , 2. Hetruria, & Umbria , 3. Picenum ſuburbicarium , 4. Sicilia , 5. Apulia , & Calabria , 6. Lucania , & Brutia , 7. Samnium , 8. Sardinia , 9. Corſica , 10. Valeria .

Prima Diœceſis , quæ Præfecto Orientis parebat , erat Diœceſis Ægypti , cujus caput Alexandria : in ea tres primum fuere Provinciæ , Ægyptus ſtricte , Pentapolis , & Libya , quibus addit Athan. in *Apolog. II.* Thebaidem , & Ammianus *Lib. XXII.* Auguſtamnicam . His adjecta demum eſt Arcadia . Tandem tota Ægypti Diœceſis in decem provincias , totidemque Metropoles urbea diſtributa eſt , ut conſtat ex Epiſt. Imper. ad Dioſcorum Act. I. Conc. Chalced. in qua jubet Dioſcorum *Epheſum venire cum decem Reverendiſſimis Metropolitis Epiſcopis ejus Diœceſeωs .*

In Diœceſi Orientis , cujus caput erat Antiochia , decem numerabantur Provinciæ : Palæſtina , Syria , Phœnice , Arabia , Cilicia , Iſaurica , Meſopotamia , Oſroena , Euphratenſis , & Cypria . Sed hic numerus poſtea crevit : nam Palæſtina in tres diviſa eſt , quarum Metropoles erant Cæſarea , Scythopolis , & Jeruſalem ; Syria in duas , quarum Metropoles erant Apamæa , & Antiochia ; Cilicia itidem in duas , quarum Metropoles , Tarſus , & Anazarbus . Demum Phœnicia quoque in duas , quarum Metropoles fuerunt Tyrus , & Damaſcus . Præter has Metropoleωs dignitatem in eadem Provincia occupare conatus eſt Berytenſis Epiſcopus ; ſed ejus conatus ab Imperatore Marciano , & Epiſcopis in Concilio Chalcedonenſi *Act. IV.* repreſſus eſt . *Confer Dupinium de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina* Diſſert. 1. §. 8.

Digitized by Google

litanus Epiſcopus habeat primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, eo quod ſit ipſa nova Roma.

3. Canon IX. Concilii Antiocheni ſic præcipit: *Omnes Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque Provincia, noſſe oportet Epiſcopum, qui præeſt Metropoli, curam totius Provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Epiſcopos agere ſecundum antiquam a Patribus noſtris Regulam conſtitutam* (ſcilicet Can. Apoſtolicum XXXV. quo idem ſancitur). *niſi ea tantum, quæ ad ſuam Diœceſim pertinent... Amplius autem nihil agere tentent præter Antiſtitem Metropolitanum* (13). Juſtinianus Epiſcopatum Juſtinianææ I. in Patriarchatum erectum voluit, quod Romana Præfectura, quæ primum Firmi conſtituta erat, de Firmitana civitate in Theſſalonicam tranſierat, ibique ſua Imperiali ſanctione fuerat collocata: id quod ratum habuit Vigilius Papa; atque adeo Juſtinianopolitanum tunc primum conſecratum Patriarcham Delegatum quoque Sedis Apoſtolicæ conſtituit: *Novell. XI.* & *CXXXI. Cap.* 4.

XXV. Quum vero interdum accideret, ut Epiſcopi metropolitica jura ambientes Imperatores adirent, a quibus obtenta Metropoleos in Urbis ſuæ gratiam dignitate, eccleſiaſtica quoque jura, & Provinciarum ordinationes invaderent: hinc ejuſmodi Epiſcoporum ambitionem, ſalva Principum auctoritate diſtribuendi unam provinciam in plures, improbarunt, ac refrænarunt tum R. Pontifices (14), tum & eadem Synodus Chalcedonenſis (15). Unde Phœnicia a Theodoſio Jun. biſecata, atque ſecundæ Phœniciæ Beryto Metropoli deſignata, quum Euſtathius Beryti Epiſcopus metropolitica jura exercere adgreſſus eſſet, de eo Photius Tyri Univerſæ Phœniciæ Metropoleos Epiſcopus primum in Synodo Conſtantinopolitana ſub Anatolio, dein & in Syn. Chalcedonenſi conqueſtus eſt: atque in hac Synodo Photio metropolitica in univerſa Phœnicia dignitas reſtituta eſt, ſignificante etiam Imperatore, velle ſe res Eccleſiaſticas non legibus decidi, ſed Canonibus: *Act. IV.* Tum Nicæna Civitate Reſcriptis Imperialibus inter Metropoles relata, antiquo Metropolitano ejus Provinciæ Epiſcopo Nicomedienſi in eadem Synodo ſua juriſdictio illibata, & integra adſerta eſt in ipſum etiam Epiſcopum Nicænum *Act. XIII.* Similia exempla occurrunt in ejuſdem Concilii Actis, aliiſque ſecutis temporibus celebratis Synodis. Videſis Thomaſſ. *Part. I. Lib. I. Cap.* 40. Qua de re Canon Chalced. XVII. quo ſancitur: *Si qua Civitas auctoritate imperiali novata eſt, aut ſi protinus innovetur, civiles diſpoſitiones, & publicas, Eccleſiaſticarum quoque Parochiarum ordo ſubſequatur:* haud ita intelligendus, quaſi novas erigendi etiam in ordine eccleſiaſtico Metropoles Imperatori facultas tributa eſſet: quod Zonaræ, & Balſamoni in interpretando eo Canone in mentem venit: ſed potius ea eſſe videtur ſenten-

(13) *Fateor quidem Canones Apoſtolicum, & Antiochenum de Metropolitis ſanxiſſe: verum* Κανὼν Regula, *qua utuntur ad ejuſmodi conſtituendas ſanctiones, ad Patriarchas quoque ſpectat. Et ſane, uti modo vidimus, non aliunde honoris primatus poſt R. Pontificem in Synodis Conſtantinopolitana, & Chalcedonenſi Epiſcopo Conſtatinopolitano adſertus eſt.*

(14) *S. Leo Ep. LIV.* Alia eſt ratio rerum divinarum, alia humanarum. *Gelaſius Ep. ad Epiſc. Dard.* Riſimus, quod prærogativam volunt Aeacio comparari, quia Epiſcopus fuit regiæ Urbis. Nunquid apud Romanos, Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperator? *Et Innocentius I. Epiſt. XVIII. ad Antiochenum Epiſcopum:* Nam quod ſeiſcitatis, utrum diviſis imperiali judicio provinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani debeant nominari: non vere viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum humanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque, aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit Imperator.

(15) *Conc. Chalced. Can. XII.* Pervenit ad nos, quod quidam præter Eccleſiaſticos ordines adfectantes potentiam per pragmaticam formam unam provinciam in duas dividant, ita ut ex hoc inveniantur duo Metropolitani Epiſcopi in una eademque eſſe provincia. Statuit ergo S. Synodus, deinceps nihil tale adtentari a quolibet Epiſcopo; eos vero, qui tale aliquid adtentarint, proprio gradu cadere.

Digitized by Google

tentia, ut ſi Imperator Civitatem innovet, vel a fundamentis excitet, eique oppida, vicoſque adtribuat a territorio circumjacentium Epiſcopatuum avulſos, in hos quoque novus Epiſcopus ſuam exporrigat juriſdictionem. Ita nec Imperatori Metropoleωn creandarum poteſtas adfigitur, quam ille, uti modo vidimus, repudiaverat.

XXVI. Verum Græci nunquam ab ea regula receſſiſſe videntur, moderandi ſcilicet politiam Eccleſiaſticam juxta formam politiæ civilis; uti patet ex Concilii Conſtantinopolitani III. *Can. XXXIII.* ex Concilii Trullani *Can. XXXVIII.* ex Zonara in *dictum Canonem*, ex Balſamone in *Can. XVI. Conc. Carthaginienſis*, aliiſque, quorum collecta teſtimonia reperies apud Ildephonſum Clementem de Aroſtegui in ſua Concordia Paſtorali *Lib. I. Cap.* 2. Id quod Græcorum ſchiſmatis præcipua videtur fuiſſe cauſſa.

XXVII. Ex ſtatutis Propoſitionibus, veluti ex totidem jactis fundamentis, ſic noſtrum de Patriarcharum origine videtur conſtrui poſſe Syſtema. Ac primo, ut recte in Patriarcharum originem inquiramus, omnino diſtinguendum reor inter dignitatem patriarchicam ex una parte, & poteſtatem ex altera. Jam vero Eccleſiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ dignitatem, ac ſplendorem ex eo profluxiſſe, quod a S. Petro fundatæ ſint, *Prop. IV.* jam demonſtravimus. Porro ex Sedium dignitate, ac ſplendore earundem auctoritas, & poteſtas effluxit. Namque quum ex Roma, Antiochia, & Alexandria vicinis, & circumjacentibus regionibus Euangelicæ prædicationis lux refulſerit; hinc factum eſt, ut ipſæ ceterarum veluti Parentes agnoſcerentur, & Matrices. Igitur ubi in earundem Regionum civitatibus Epiſcopos conſtitui oportuit, hoc jus nonniſi ad Eccleſiæ Matricis Epiſcopum ſpectare viſum eſt, a quo ipſa fidei plantatio, & Eccleſiarum inſtitutio profecta videbatur. Hujus auctoritatis veluti ſpecimen dedit S. Paulus, qui, uti *Capite XIX.* videbimus, Titum Cretæ reliquit, ut conſtitueret per civitates Preſbyteros, ideſt Epiſcopos; & ſupra ex Chronico Alexandrino Eutychii jam vidimus primos per Ægypti provincias ab Epiſcopo Alexandrino fuiſſe conſtitutos Epiſcopos.

XXVIII. Præterea quum identidem hæreſes, & ſchiſmata erumperent, ac inter Epiſcopos controverſiæ oborirentur; quidnam fidei tuendæ, ac paci Eccleſiarum fovendæ conducibilius videri poterat, quam ad illius Sedis Epiſcopum confugere, ad quem veluti jure paternitatis ſpectaret earundem Eccleſiarum curam agere? Faciunt huc prærogativæ, quibus ab Apoſtolico uſque ævo Epiſcopus Alexandrinus fruebatur, uti demonſtravimus *Propoſitione III.* Simili profecto ratione Exarchi Diœceſeωs, ſive Primatis dignitate Epiſcopum Epheſinum præfulſiſſe conſtat, eo quod, uti tradit Irenæus apud Euſebium Lib. III. Cap. 23. *Epheſina Eccleſia, & a Paulo quidem fundata ſit, & Joannem uſque ad Trajani tempora habuerit Præſidentem*. Eccleſia Carthaginienſis inter reliquas Africanas ſemper primatum obtinuit, quia inde fidei rudimenta Africanæ Regiones primum hauſerunt: Auguſtinus *Epiſt. CLXII.* Tum ad adſtruendum antiquum Eccleſiæ Arelatenſis primatum Epiſcopi provinciæ eandem regulam urſerunt in Libello Leoni Papæ oblato, quem refert Sirmondus *Tom. I. Conc. pag.* 89. *ad ann.* 450. Similiter & in Anglia Cantuariæ primatus refulſit, quia illic Auguſtinus ad fidem diſſeminandam a S. Gregorio miſſus ibi Epiſcopalem ſedem fixit. Plura huc ſpectantia exempla vide apud Aroſtegui *ibid.* Igitur ut ad rem noſtram redeamus, a gloria Conditoris, & a jure Paternitatis Sedium Patriarchalium primum dignitas, & ſplendor, dein poteſtas, & auctoritas profluxit.

XXIX. At inquies; qui tanta Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cum civili politia adfinitas? Ea quidem de cauſſa, quod quum Apoſtoli orbem univerſum ita inter ſe diviſiſſent, uti ſinguli ſingulæ adſignarentur nationes; profecto nihil ipſis ad Chriſtianam religionem facilius, feliciuſque propagandam opportunius viſum eſt, quam ut in civitate principe, ſive metropoli fidei ſemi-

ſemina ingererentur; ut quum ibi, Deo incrementum dante, radices egiſſent, ſic paulatim, veluti ex ſtirpe palmites producuntur, & gemmæ erumpunt, vicina quoque oppida, & circumjectæ gentes inde fidei lumen participarent. Ad rem Chryſoſt. Hom. XXXVII. in Cap. XXVII. Actor. *Ad majores aguntur civitates* Apoſtoli *ſermone inde quaſi ex aliquo fonte ad vicinos emanaturo*.

XXX. Hinc S. Petrus, cui, ut Apoſtolorum principi, præcipuæ Orbis obvenerant Diœceſes, Romana ſcilicet, Ægyptiaca, & Orientalis, profecto ſapienter id egit, ut Roma primum, Alexandria, & Antiochia fidei lucem adſpicerent. Namque Idololatria ibi everſa, ac proſtrata, ubi magis dominabatur, haud difficile futurum erat eandem in oppidis, & in exiguis, ac minus præſtantibus civitatibus dejicere. Unde S. Leo Serm. LXXX. Cap. 3. *Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet*. Atque eo intuitu civilis Imperii politia ad patriarchicæ dignitatis inſtitutionem contuliſſe videtur. Patet igitur primum ab Civilis politiæ ordine, at remotius; dein ab S. Petri dignitate, & quidem proxime, patriarchalium eccleſiarum ſplendorem, tum & poteſtatem profluxiſſe. At vero quod Sedes Antiochena tertia eſſet ordine poſt Romanam, id nonniſi politiæ civili tribui poſſe jam ſupra obſervavimus; uti etiam eandem imperii politiam præ oculis habuiſſe videntur, primum Nicæni, dein & Conſtantinopolitani Patres, quum earundem Sedium poteſtati, & canonicum adjicere robur, & limites ſtatuere oportuit.

XXXI. Præterea quum aliquando non conſtaret, quænam ex pluribus ejuſdem provinciæ civitatibus prior fidei prædicationem ſuſceperit, tunc quoque civilis politiæ ordo reſpiciendus fuit; licet enim inde non certo eruatur Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, haud leve tamen inde habetur argumentum, ubi de exordio, & origine non conſtat. Apoſtoli enim, uti modo obſervavimus, plerumque magnis urbibus Prædicationis Euangelicæ ſemina mandavere. Atque hinc patet quemadmodum ad Metropoliticam Epiſcopi alicujus conſtituendam dignitatem Civilis politiæ ordo aliquando contulerit; quod Synodi Antiochenæ *Propoſ. V. num. XXIV.* productus Canon exhibere videtur. Tandem Patriarchica Poteſtas antiquis duntaxat moribus in Eccleſiam inducta in Synodo Nicæna primum ſanctione Eccleſiaſtica firmata eſt; uti *Prop. II.* demonſtravimus. Cujus tamen limites in Synodo Conſtantinopolitana diſtinctius, exactiuſque præſcripti ſunt; uti ſtatuimus *Prop. I.*

XXXII. Atque hoc ſane pacto ad Patriarchicam Dignitatem, & Poteſtatem conſtituendam ſimul conſpirarunt Civilis Imperii Politia, Gloria Conditoris, Antiqui ſenſim in Eccleſiam inducti mores, Canon VI. Nicænus, ac demum Can. II. Conſtantinopolitanus.

CAPUT XVIII.

De Exarchis et Primatibus.

§. I. *De Exarchis Aſiano, Pontico, & Heracleenſi.*

I. Ἔξαρχος *Exarchus* vox græca apud veteres æque profanos, ac ſacros Scriptores adhibita potiſſimum occurrit ad ſignificandum eum, qui cantum incipiebat, ſive cantus auſpicem. Sic apud Homerum *Iliad. XVII. verſ.* 605. Μολπῆς ἐξάρχοντες *Cantum incipientes*. Philo *de Vita contempl.* eum, qui inter Heſſenos laudes incipiebat, vocat ἡγεμόνα, καὶ ἔξαρχον *Ducem, & Auſpicem*. Et Gregorius Naz. ἔξαρχον ἑορτῆς *feſti auſpicem* vocat eum, qui primum feſtum aliquem diem celebrat.

II. Tum eodem vocabulo Veteres Eccleſiæ

cleſiæ Patres uſi ſunt & in malam partem : ſcilicet vel ad ſignificandos criminis alicujus capitalis, vel etiam rebellionis auctores, unde hæreſiarchæ haud raro αἱρέσεως ἔξαρχοι nuncupati occurrunt, vel ad indicandos primæ alicujus Sedis Epiſcopos (1). Unde Canones Conciliorum non raro injiciunt mentionem τοῦ ἐξάρχου τῆς διοικήσεως, & ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας: nimirum *Exarchi*, ſive *Patriarchæ*, cui integra Diœceſis erat adtributa; & *Exarchi*, ſive *Metropolitæ*, cui una tantummodo ſuberat provincia. Igitur inter Patriarcham, & Exarchum τῆς διοικήσεως *Diœceſeως* vix aliquid diſcriminis invenias. Patriarchæ enim dicti ſunt Epiſcopi Romanus, cui Provinciæ ſuburbicariæ, Alexandrinus, cui provinciæ Ægypti, & Antiochenus, cui Orientis ſuberant provinciæ : uti *Capite ſuperiori* vidimus. Atqui etiam Exarchis integræ parebant Diœceſes, ſcilicet Epiſcopo Epheſino provinciæ Aſiæ, Cæſareenſi provinciæ Ponti, & Heracleenſi Thraciæ ſubjiciebantur provinciæ (2). Unius igitur nominis varietate diſcriminabantur *Patriarchæ* a ſic proprie dictis *Exarchis*.

III. In Exarchorum originem inquirere ſi velimus, profecto licet eorundem primum meminerit Concilium Conſtantinopolitanum I. ubi diſerte poſt Alexandrinum, & Antiochenum Epiſcopos nominantur; cave tamen inde colligas in hoc Synodo primum fuiſſe inſtitutos. Quum enim ipſis præſcribatur, ne ultra ſuarum Diœceſεων fines, quarum ſingulæ pluribus conſtabant provinciis, juriſdictionem ſuam protenderent, nullus profecto dubitationis locus relinquitur, quin jam antea iidem invaluerint. Tum *Can. VI.* Niceno, ubi poſt firmatas Epiſcopo Alexand. antiquas prærogativas ſancitur : *Similiter ὁμοίως apud Antiochiam, & ceteras provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis* ; Exarchos Epheſinum, Heracleenſem, & Cæſareenſem fuiſſe indicatos oppido eſt veriſimile; præſertim quum Can. Conſtantinopolitano, quo Canon Nicænus explicatur, ac ſua Eccleſiis antiqua privilegia diſertius firmantur, ſimulque limitibus circumſcribuntur, ex æquo Diœceſεων adminiſtratio ipſis ac Epiſcopis Alex. & Antiocheno tribuatur: *Alexandrinus Antiſtes, quæ ſunt in Ægypto regat ſolummodo ; & Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent, ſervatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt. Aſianæ quoque Diœceſεως Epiſcopi ea ſolum, quæ ſunt in Aſiana Diœceſi diſpenſent : necnon & Ponti Epiſcopi ea tantum, quæ ſunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis ſunt, diſpenſent.*

IV. Jam vero hac in re tria potiſſimum obſervanda : 1. Exarchorum Sedes Epheſum in Aſia fuiſſe, Cæſaream Cappadociæ in Ponto, & Heracleam in Thracia. Atqui hæc erant Diœceſεων Capita, ubi Vicarii Sedem figebant.

2 Diœceſεων civilium partitionem jam ante Conſtantini M. tempora obtinuiſſe; uti colligere datum ex Epiſtol. ejuſdem

X 2 Im-

(1) *Hac notione etiam Plutarchus in Numa Summum Sacerdotem vocat* ἱερέων ἔξαρχον. *Et Concilii Epheſini II. ſive potius Latrocinii Epheſini Præſes* ἔξαρχος *vocatur Dioſcorus : de quo Evagrius* Lib. I. Cap. 10. Cujus præſes ἔξαρχος erat conſtitutus Dioſcorus. *Verum Synodi Carthag. III. Patres ut qui eam præcipue vitandam eſſe ducebant titulorum ſuperbiam, caverunt, ne primus inter Epiſcopos provinciæ Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos diceretur. Sic enim habes Canon XXXIX.* Ut primæ Cathedræ Epiſcopus non adpelletur Princeps Sacerdotum, ἔξαρχος τῶν ἱερέων, aut Summos Sacerdos, aut aliud ejuſmodi.

(2) In Diœceſi Aſiana novem erant Provinciæ, quarum una erat Provincia Proconſularis Aſia, cujus Metropolis, totiuſque Aſianæ Diœceſεως caput eſt Epheſus. Ceteræ octo Vicario Aſiæ parebant, Helleſpontus ſcilicet, Pamphylia, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Lycia, Charia, & Phrygia : quæ deinde in Salutarem, & Pagatianam, itemque Pamphylia in duas diviſæ ſunt. Præterea unus erat in Rhodo, alter in Leſbo Inſulis Metropolitanus.

Diœceſis Ponti, cujus Metropolis eſt Cæſarea Cappadociæ, in ſex primum diviſa Provincias, Cappadociam, Galatiam, Armeniam, Pontum, Paphlagoniam, & Bithyniam. Quæ omnes, excepta Bithynia, in duas poſtea diviſæ ſunt. Præterea fuit in eadem Diœceſi Metropolis, & civilis, & Eccleſiaſtica Nicæa; ſed nomine tantum, & honore, *ut a nobis alibi obſervabitur*.

Diœceſis Thracia, cujus olim caput erat Heraclea, deinde vero Conſtantinopolis, quinque complectebatur Provincias, nimirum Thraciam, Rhodopem, Hæminontum, Mœſiam, & Scythiam. *Confer Dupinium de Antiqua Eccleſ. Diſciplina Diſſert. I. §. XI.*

Imperatoris ad Epiſcopos ſcripta poſt Concilium Nicænum apud Euſebium & Theodor. (3). Quinimmo etiam Cicero Diœceſeων, & ſpeciatim Aſiaticarum meminit: Epiſt. Famil. *Lib. XIII. Epiſt.* 67. (4).

3. Tres illas civitates Epheſum, Cæſaream, & Heracleam ſingularibus prærogativis ſupra reliquas jam inde ab Apoſtolorum ævo refulſiſſe teſtatur Euſebius Lib. III. cap. I. *Joanni Aſia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Epheſi tandem diem obiit ... Timotheus Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopatum primus accepiſſe dicitur*. Et ibid. Cap. 27. illud Irenæi profert: *Sed & Epheſina Eccleſia, quæ a Paulo quidem fundata eſt, Joannem vero uſque ad Trajani tempora habuit præſidentem, teſtis locupletiſſima eſt Apoſtolicæ traditionis*. Epheſina Synodus commendari ſe voluit, quod in ea urbe & Servatoris Mater, & Joannes diutius eſſent commorati: *Act. I. in Epiſt. ad Clerum*. Tum eodem Euſebio teſte toti Aſiæ præerat Polycrates, cujus etiam mandato tempore Victoris Papæ ad finiendam de Paſchate controverſiam omnium Aſiæ Epiſcoporum Concilium celebratum eſt (5). Eadem de cauſſa Theophilus Cæſareæ Epiſcopus Synodum coegit Epiſcoporum Ponticæ Diœceſeως, cujus etiam nomine Synodicam ad eundem Victorem ſcripſit Epiſtolam. Id teſtantur Euſebius, S. Hieronymus, aliique veteres (6). Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus quum in cauſſa baptiſmatis hæreticorum Stephano Papæ obſtitit, ac circumjacentium regionum Epiſcopos in Synodum coegit, quos & in ſuas partes pertraxit, profecto ſuam in circumpoſitas provincias poteſtatem ſat luculenter expreſſit (7). Neque obſcurius ejuſdem poteſtatis argumentum eſt, quod quum Rex Armeniæ cum regno ſuo Chriſtianam religionem eſt amplexatus, Gregorium ſuæ gentis futurum Epiſcopum ad Leontium *Cæſareæ* Archiepiſcopum miſit, ut ab eo ordinaretur (8). Ex quo quidem tempore mos invaluit, ut ab Cæſareenſi Archiepiſcopo Armeniæ Antiſtites peterentur: *Thomaſ. Part. I. Lib. I. Cap.* 18. Demum ſi vetuſtiſſima Eccleſiarum politia ad noſtra uſque tempora perveniſſet, profecto Heraclea Thraciæ princeps civitas plurium quoque circumjacentium Eccleſiarum antiquiſſimæ Matris titulo cohoneſtaretur.

V. Jam vero, ſi tria hæc adcurate perpendamus, profecto liquebit ad Exarchorum conſtituendam poteſtatem ex *æquo* aliquid contuliſſe, & ſervatum ab *Apoſtolis* in Euangelii propagatione ordinem, & antiquos paullatim in Eccleſiam inductos mores, ac demum Conciliorum, præcipueque Conſtantinopolitani, Canones. Ne-

(3) *Euſeb. Vit. Conſtant. Lib. IV. Cap.* 19. Æquum rectumque eſſe omnes judicaverunt, quod & vobis placiturum eſſe ſpopondi, ut ſcilicet, quod in urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hiſpaniam, Gallias, Britannias, Libyam, & univerſam Achajam, *per Aſianam*, & *Ponticam Diœceſes* ..... ſanctiſſimi Paſchæ feſtivitas uno eodemque die celebraretur. *Eandem Conſtantini Epiſtolam iiſdem pene verbis refert Theodoretus* Lib. 1. Cap. 10.

(4) *Cicero indicato loco*. Ex provincia mea Cilicienſi, cui ſcis tres *Diœceſes* adtributas eſſe. Et *Lib. III. Epiſt.* 9. Quid enim erat .... ut me omnium illarum *Diœceſium*, quæ cis Taurum ſunt &c.

(5) *Euſebius Lib. V. Cap.* 24: Epiſcopis in Aſia coactis præfuit Polycrates. Qui in ea Epiſtola, quam ad Victorem, & Eccleſiam Romanam ſcripſit &c.

(6) *Euſebius ibid. Cap.* 25. Decretum Epiſcoporum, qui tum erant in Palæſtina convocati, ad hanc uſque ætatem ſcriptis cuſtoditum eſt. In quorum Synodo Theophilus Cæſareenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Narciſſus Epiſcopus Jeroſolymorum Præſides fuerunt.

S. Hieronymus Catal. Script. Eccleſ. Theophilus Cæſareæ Epiſcopus ſub Severo Principe adverſus eos, qui Luna XIV. cum Judæis Paſcha faciebant, cum ceteris Epiſcopis Synodicam valde utilem compoſuit Epiſtolam.

(7) *Firmilianus Epiſt. ad S. Cyprianum, quæ inter Cyprianicas exſtat ordine LXXV.* Nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & ceteris proximis regionibus, confirmavimus, &c.

(8) *S. Nicon Epiſc.* Epiſt. ad Enclyſtium *apud Baronium ad ann.* 311. Quum Magnus Gregorius, qui fuit Magnæ Armeniæ Epiſcopus caviſſet, Armeniæ Epiſcopum a nullo alio eſſe ordinandum, quam ab illius temporis Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopo &c.

Neque opus eſt, ut in percenſendis Exarchorum muniis, ac juribus vel tantulum immoremur: tum quod, ſi peculiaria quædam jura Patriarchis Romano præcipue, & Alexandrino quæſita excipias, eadem pæne fuerint, ac illa Patriarcharum; uti ex producto Conſtantinopolitano Canone perquam manifeſtum eſt: tum vero potiſſimum quod Exarchi r illæ quum vix Seculo IV. exeunte primum plene conſtitutæ adparuerint, medio Seculo V. maxima ex parte deſierint. Conſtat enim ipſas in Synodo Chalcedonenſi fuiſſe pæne abolitas, atque ad conſtituendam Conſtantinopolitani Patriarchatus amplitudinem abrogatas, reſervata earundem Epiſcopis nominis duntaxat, & conſeſſus prærogativa; ſcilicet ut præ Metropolitanis Exarchi Diœceſeωn adpellarentur; utque honoratiore loco poſt quinque primos Patriarchas ſederent in Conciliis. Scribit quidem Evagrius *Lib. III. Cap. 6.* redditum a Timotheo Conſtantinopolitano Epiſcopo Epheſino jus Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonenſe ei ademerat: quod etiam ſuo Edicto firmavit Tyrannus Baſiliſcus. At conſtat non diu poſt iterum fuiſſe æterno inſepultum ſilentio Edicto Zenonis: Thomaſſinus *P. I. Lib. I. cap. 17. num. 16.* Concertationes Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum cum tribus Exarchis, & quas de his illi in Synodo Chalcedonenſi victorias reportarint, *Cap. ſequenti* proſequemur.

§. II. *De Primate Carthaginienſi*.

VI. Epiſcopum Carthaginienſem jam inde ab ultima antiquitate Primatem fuiſſe totius Africæ, ac in omnes Africanas Eccleſias poteſtatem exercuiſſe, res eſt adeo in promptu, ut diſputatione non egeat. Profecto Agrippinus Epiſcopus Carthaginienſis, qui ineunte Seculo III. vixit, in cauſſa de baptiſmate hæreticorum Concilium habuit totius Africæ plenarium, cui ipſe præfuit. Teſtatur id Cyprianus Epiſt. ad Quirinum: *Agrippinus cum Coepiſcopis ſuis, qui in illo tempore in Provincia Africa, & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit* &c. Cyprianus ipſe in eadem cauſſa, quæ hæreticorum baptiſma reſpiciebat, Concilium etiam totius Africæ plenarium celebravit, in quo ipſe primas habuit: *Quum Epiſcopi plurimi conveniſſent ex Provincia Africa, Numidia, & Mauritania*. Epiſt. XLV. Videtur hic Cyprianus indicare ſuam Provinciam Africam complexam fuiſſe etiam Numidiam, & Mauritanias duas: *Quoniam*, ſubnectit, *latius fuſa eſt Provincia noſtra; habet enim Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohærentes*. Hæ ſunt, ut obſervat doctiſſimus Thomaſſinus *Part. I. Lib. I. cap. 20. num. 4.* Mauritania Tingitana, & Cæſareenſis, vel potius Sitifenſis, uti placet Dupinio *De Antiq. Eccleſ. Diſcipl. Diſſert. I. §. 9.* Ex his tribus provinciis Legati ad Synodum Arelatenſem miſſi ſunt, cui etiam interfuere.

VII. Jam vero imperante Conſtantino Africa univerſa in plures provincias partita eſt (9). Ex quo tempore ſingulæ Africanæ Provinciæ ſuos habere cœperunt Metropolitas, quæ nullum prius agnoverant, niſi Carthaginienſem. Porro conſtitutis Metropolitis, ſuam in omnes Africæ Eccleſias poteſtatem retinuit Epiſcopus Carthaginienſis; eidem enim reſervatum eſt jus ordinandi omnes Africanarum Eccleſiarum Antiſtites, convocandi Concilium Diœceſanum totius Africæ, inviſendi omnes Africanas Eccleſias, ac earundem curam agendi: tum etiam ad ipſum graviores, difficilioreſque cauſſæ referebantur; haud ſecus ac Epiſcopis Alexandrino, & Antiocheno poteſtas in Ægypti, & Orientis Diœceſes ſervata eſt etiam poſtquam hæ in provincias ſpeciali quadam ratione ſub Conſtantino diviſæ ſunt, iiſdemque Metropolitæ præpoſiti. Id conſentire etiam videtur Canoni VI. Nicæno, quo ſancitum: *Similiter autem, & apud Antiochiam, ceteraſque Provincias ſuis privilegia Eccleſiis ſerventur*: quod de Epiſcopo-

(9) Sub Conſtantino Africa in ſex, aut ſeptem Provincias diviſa eſt? nimirum Africanam ſic proprie dictam, Numidiam, Mauritanias Cæſareenſem, & Sitifenſem, Tingitanam, Ribucenam, & Tripolitanam: *Dupinius ibidem*.

ſcoporum præcipue ordinatione Patres Nicænos intellexiſſe perquam manifeſtum eſt. Profecto, uti obſervat Thomaſſinus *ibidem num.* 5. poſt Patriachas Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, nullus alius Epiſcopus quiverat potiore jure ſibi vindicare in plures Provincias, vel Eccleſias principatum, quam Carthaginienſis.

VIII. Et ſane 1. Gratus Epiſcopus Carthaginienſis anno 349. Concilium habuit totius Africæ plenarium, in quo *una cum collegis ſuis conſedit, & qui ex diverſis provinciis Africanis ad Carthaginem convenerunt* &c. Huic Concilio inter reliquos adfuit Abundantius Epiſcopus Adrumetinus ex Provincia Byzacena, qui proferens Decretum ſui Provincialis Concilii de interdicenda Clericis uſura, petiit, ut illud a Grato, ejuſque plenaria Synodo confirmaretur: *In noſtro Concilio ſtatutum eſt, ut non liceat Clericis fœnerari. Quod ſi & Sanctitati tuæ, & præſenti Concilio videatur, præſenti placito deſignetur*. Hinc liquet medio Seculo IV. Eccleſias Africanas jam tum ſuos habuiſſe Metropolitas, hos autem ſua habere Concilia conſueviſſe. Sub Agrippino, Cypriano, & Cæciliano nullum occurrit alicujus peculiaris Africanæ Provinciæ Concilium, quod *Plenario*, ſive *Univerſali* Carthaginienſi totius Africæ Concilio ſubſit. Igitur Epiſcopus Carthaginienſis, qui primum totius Africæ nonniſi Metropolita erat, Seculo IV. Primas conſtitutus eſt; æque ac Epiſcopus Alexandrinus totius Ægyptiacæ Diœceſeos Patriarcha.

2. Concilio Carthaginienſi II. totius Africæ plenario præfuit Genedius Epiſcopus Carthaginienſis: *Quum Genedius Epiſcopus una cum Victore Abziritano, & ceteris Coepiſcopis ſuis provinciarum diverſarum conſediſſet, Genedius Epiſcopus dixit* &c.

3. Tum Conciliis Carthaginienſibus III. IV. & V. totius quoque Africæ plenariis præfuit Aurelius Carthaginienſis: *Quum Aurelius Epiſcopus una cum Coepiſcopis conſediſſet* &c. Idem conſtat de ceteris Conciliis Africanis, quæ deinceps habita ſunt, quibus Epiſcopi ſemper Carthaginienſes, tanquam totius Africæ Primates, præfuerunt.

4. Epiſcopus Carthaginienſis omnium quoque Africæ Eccleſiarum ſollicitudinem gerebat, ut Epiſcopus Alexandrinus Eccleſiarum Ægypti. Quamobrem Aurelius in Concilio Carthaginienſi III. dixit: *Ego cunctarum Eccleſiarum, dignatione Dei, ut ſcitis, Fratres ſollicitudinem gero*. Profecto Diſpenſationes majoris paullo momenti Epiſcopo Carthaginienſi reſervaræ erant. Unde Valerius Hipponenſis Epiſcopus Aurelium Carthaginienſem rogavit, ut S. Auguſtinum Coadjutorem ſibi adſumere, ac ſucceſſorem deſignare per ipſum liceret. Id teſtatur Poſſidius *Vit. Auguſtini*. Præterea quum Africanis Patribus opportunum viſum fuerit Mauritaniæ Sitifenſi proprium deſignare *Primatem*, ſive Metropolitanum, *Carthaginienſis* in primis Epiſcopi conſenſu opus fuit (10).

6. Poſtremo Epiſcopo Carthaginienſi jus erat viſendi Eccleſias omnium Africæ Provinciarum: unde in Concilio III. Carthaginienſi Epiſcopi Provinciæ Mauritaniæ Aurelium Primatem Carthaginienſem rogant, ut ſuas Eccleſias ex more, & ex Canonum præſcripto inviſere velit (11). Eadem prærogativa fruebatur Epiſcopus Alexandrinus per omnes Ægypti provincias, uti conſtat ex Athanaſii *Apolog. II.*

§. III.

(10) *Codex Canonum Eccleſ. Africanæ Can. XVII.* Primatem proprium quum Mauritaniæ Sitifenſis Epiſcopi poſtularent, omne concilium Epiſcoporum Numidiæ, conſentientibus omnibus Primatibus, vel univerſis Epiſcopis omnium Africanarum Eccleſiarum, propter longi itineris novitatem habere permiſit. Cum conſenſu Carthaginienſis Eccleſiæ factum eſt. *Cap. XIX. obſervabimus apud Africanos* Provinciarum Præſides *plerumque non* Metropolitanos, *at vero vel* Primates, *vel* Senes *fuiſſe dictos, quod tum honor, tum jura ſic dicta* Metropolitica *antiquitati Epiſcopatus tribuebantur, haud vero Eccleſiæ, cui præerant, dignitati.*

(11) *Codex Canonum Eccleſiæ Afric. Can. LII.* Honoratus, & Urbanus Epiſcopi dixerunt: Et illud nobis verbo mandatum eſt, ut quia conſtitutum eſt in Concilio Hipponenſi ſingulas Provincias tempore Concilii viſitandas eſſe, dignemini etiam, quod hoc anno facere diſtuliſtis, vel alio anno Mauritaniam Provinciam viſitare. Aurelius Epiſcopus dixit: Tunc de Provincia Mauritania, pro-

§. III. *Si De Primate Cypri*.

IX. Primas, ſive Exarchus Eccleſiarum Inſulæ Cypri merito dici poteſt Epiſcopus Conſtantiæ in ea Inſula Metropolitanus. Quamvis enim nullos habuerit Metropolitas, quibus præeſſet, nulli tamen ſuberat Patriarchæ, vel Exarcho; & ab ſuis Epiſcopis inconſulto quovis Patriarcha tandiu ordinari conſuevit. Antiquitus quidem Patriarchæ ſubjiciebatur Antiocheno: at poſtquam Antiochenam Eccleſiam diutiſſime Ariani occupaſſent, atque adeo per annos ferme quinquaginta infando ſchiſmate proſcidiſſent, hanc nacti occaſionem Epiſcopi Cyprii primum quamcunque Eccleſiæ Antiochenæ communionem vitarunt, utpote vel ambiguam, vel profanam; dein contra antiqua Eccleſiæ Antiochenæ jura libertatem ſibi vindicarunt, vel ſaltem ætate progrediente præſcripſerunt.

X. Alexander quidem Antiochenus de ejuſmodi Cypriorum uſurpatione graviter conqueſtus eſt per litteras apud Innocentium I. (12). Is autem Epiſcopis Cypriis precepit, ut juxta antiquos mores Eccleſiæ Antiochenæ parerent (13). At vero Cyprii in Synodo Epheſina ſuæ libertatis cauſſam inſtaurarunt, mendaciis, & fraudibus ab Alexandro Innocentium circumventum clamitantes; & cum Epiſcopo Antiocheno expoſtularunt, quod ipſe contra Apoſtolica ſtatuta, contra Canones Nicænos, contra veterem conſuetudinem Cypriorum ordinationes ad ſe rapere niteretur. Adhæc addiderunt jam inde ab Apoſtolicis temporibus nunquam ab Antiocheno Epiſcopo Cypriorum ordinationes fuiſſe peractas; eamque poteſtatem ſemper Concilio Provinciæ fuiſſe reſervatam (14). Poſtremo Patres rogarunt, ut legem concederent, ne quis Epiſcopus ultra antiquos ſuæ poteſtatis limites agere quidquam audeat. Igitur Epheſini Patres Epiſcopo, ſive Primati Conſtantiæ jus vel reſtitutum, vel ſervatum voluerunt conſtituendi Epiſcopos per univerſam Cypri Inſulam. Atque adeo, ut Epiſcoporum Cypri poſtulationibus ſatis pleniſſime facerent, legem tulerunt, ut in aliis etiam Diœceſibus, & Provinciis nullus Epiſcoporum aliam provinciam occuparet (15).

XI. Fateor quidem Epheſino decreto eam conditionem fuiſſe adpoſitam: *Si non eſt vetus mos* &c. At vero conſtat Epiſcopum Conſtantinum jam tum exoptata libertate fuiſſe uſum, ac veluti αὐτοκέφαλον Primatem in omnibus Cypri Eccleſiis egiſſe. Tum Petrus Fullo, qui Eccleſiam Antiochenam circiter annum CCCCLXXX. non tam rexit, quam labefactavit, ſtrenue egit apud Imperatorem Zenonem, ut antiqua in Eccleſias Cypri ſibi jura reſtituerentur. At vero Anthemio Urbis Salaminæ, ſive Conſtantiæ Epiſcopo hac de cauſſa nimium conſternato S. Barnabas, cujus opera primum Cypro Euangelii lux adfulſerat, ter nocte in ſomnis adſtitit, atque

propterea quod in finibus Africæ poſita ſit, nihil ſtatuimus: ſiquidem vicinæ ſunt Barbarico: Sed præſtet Deus, ut ex abundanti non pollicentes venire poſſimus ad veſtram Provinciam. Cogitare enim debetis, fratres, quia hoc ſibi & Tripolitani, Arzugitani fratres poterant exigere, ſi ratio pateretur.

(12) *Alexander Epiſt. ad Innocentium*: Cyprios olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non retuliſſe Nicænos Canones in ordinandis ſibi Epiſcopis, & uſque adhuc habere præſumtum, ut ſuo arbitratu ordinent.

(13) *Innocentius I. Epiſt. XVII. cap.* 2. Perſuademus eis, ut curent, juxta Canonum fidem, fidem Catholicam ſapere, atque unum cum ceteris ſentire provinciis *&c.*

(14) *Concilium Epheſinum Act. VII.* Contra Apoſtolicos Canones, & definitiones Nicænæ Synodi ordinandi jus ad ſe rapere attentat præter Canones, & conſuetudinem, quæ jam olim invaluit .... A ſanctis Apoſtolis nunquam poſſunt oſtendere, quod adfuerit Antiochenus, & ordinaverit ... Sed Synodus noſtræ Provinciæ congregata conſtituebat Metropolitanum.

(15) *Concilium Epheſinum ibidem:* Si non eſt vetus mos, quod Epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro, ſicut docuerunt religioſiſſimi viri, qui ad Synodum acceſſerunt, habebunt jus ſuum intactum, & inviolatum, qui ſanctis in Cypro præſunt Eccleſiis, ſecundum Canones, & veterem conſuetudinem. Illud in aliis provinciis, & diœceſibus ſervetur, ut nullus Epiſcoporum aliam provinciam occupet.

Digitized by Google

atque tum locum indicavit, ubi ſacrum ſuum corpus conditum erat cum Euangelio Matthæi ſua manu conſcripto, tum etiam bono animo eſſe jubens in hunc modum eſt adlocutus: *Quoniam adverſarii tui jura quædam objicientes tecum diſceptant, Antiochiam Sedem Apoſtolicam eſſe contendentes: Et tu contra jus tuum illis opponas: Et mea, inquiens, ſedes Apoſtolica eſt, nam & Apoſtolum habeo in Eccleſia mea*. Igitur Anthemius poſt inventa magno cleri, populique concurſu ſacra λείψανα Imperatorem Zenonem convenit, cujus juſſu coactum eſt Epiſcoporum Concilium, in quo cauſſa, quæ inter Epiſcopos Antiochenum, & Conſtantinum jam incaluerat, tractaretur. In iſtac Synodo quum Anthemius cæleſtem Sancti Apoſtoli Barnabæ viſionem narraſſet, Zeno Antiochenum ψευδο-Epiſcopum, cujus etiam perfidiam jam plene noverat, rejecit, ac tributam Decreto Epheſino Epiſcopo Conſtantino Primatis prærogativam ſarctam tectam ſervari voluit (16); quæ deinceps uſu etiam univerſæ Eccleſię firmata eſt.

§. IV. *De Primatibus Theſſalonicenſi, & Juſtinianæ Primæ*.

XII. Excurſu ſubnexo Capiti XV. jam vidimus Epiſcopum Theſſalonicenſem tanquam Legatum, ſive Vicarium Sedis Apoſtolicæ Primatem egiſſe per omnes Illyrici Provincias. Hic tantummodo obſervandum ſupereſt, quod Illyrico bifariam partito, in Orientale ſcilicet, & Occidentale, illo Theſſalonicenſi Epiſcopo reſervato, fuerit hoc Epiſcopo Acridæ, quæ poſtea Juſtiniana prima dicta eſt (17), tributum. Igitur huic Epiſcopo Primatis per Illyricum Occidentale prærogativam elargitus eſt Imperator Juſtinianus, vel potius Vigilius Papa urgente Juſtiniano. Profecto Juſtinianus ipſe *Novella CXXXI. cap. 3.* poſt recenſitas quinque, vel ſex provincias, quas Epiſcopum Juſtinianæ primæ habere ſub ſua juriſdictione jubet, ſtatim ſubnectit: *Ipſum vero a proprio ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea, quæ definita ſunt a ſanctiſſimo Papa Vigilio*.

XIII. Juſtinianus ipſe *Novella XI.* ſcribit Firmi, ſive Sirmii olim Romanam Præfecturam fuiſſe conſtitutam, ibique omne fuiſſe Illyrici faſtigium *tam in civilibus, quam in Epiſcopalibus cauſſis* (18): poſtea vero, quum Attila ejuſmodi loca devaſtaſſet, Præfectum prætorio de Firmitana, ſive Sirmienſi civitate Theſſalonicam profugum veniſſe; atque hac de cauſſa accidiſſe, ut Theſſalonicenſis Epiſcopus maximam per Illyrici provincias poteſtatem fuerit conſecutus: *Theſſalonicenſis Epiſcopus non ſua auctoritate*, ſcribit *ibid.* Juſtinianus, *ſed ſub umbra Præfecturæ meruit aliquam prærogativam*. Porro provinciis illis recuperatis, atque Romano Imperio ſubjectis, Juſtiniano par æquumque viſum eſt, ut Romanam Præfecturam in ſua Patria collocaret, quum nihil magni diſtaret ab Illyrici Occidentalis provinciis: *Et ideo tua Beatitudo*, adloquitur *ibidem* Juſtinianus Catellianum Juſtinianæ primæ Archiepiſcopum, *& omnes præfatæ primæ Juſtinianæ Antiſtites Archiepiſcopi habeant prærogativam, & omnem licentiam, ſuam auctoritatem eis impertiri, & eos ordinare, & in omnibus ſupraſcriptis provinciis primam habere dignitatem, ſummum Sacerdotium, ſummum faſtigium, a tua Sede creen-*

(16) *Ejuſmodi Hiſtoriam hauſimus ex Alexandro Monacho Scriptore coævo apud Baronium* ad annum 485. *Eandem ſatis indicare videtur Cedrenus* in ſuo Hiſtoriarum Compendio in *Zenone* pag. 353. Edit. Pariſienſis, *cujus hæc ſunt verba*: Ea tempeſtate reliquiæ S. Apoſtoli Barnabæ inventæ ſunt in Cypro. Jacebat cadaver ſub arbore Ceraſo, Euangelium, quod S. Matthæus compoſuerat, in pectore geſtans manu Barnabæ deſcriptum. Ea occaſione Cyprus Metropolis facta eſt, ut jam non amplius ſub Antiocheno cenſeatur.

(17) *Acrida Juſtinianæ primæ nomen ſortita eſt, quod patria Imperatoris Juſtiniani fuerit. Atque id etiam in cauſſa fuiſſe videtur, cur ad Patriarchæ, ſive Primatis dignitatem Acridenſem Epiſcopum evectum Juſtinianus voluerit.*

(18) *Profecto Ammianus Sirmium* Matrem urbium *adpellat. Et in Synodo Aquilejenſi an.* 381. Anemius Epiſcopus Sirmienſis dixit: Caput Illyrici nonniſi civitas eſt Sirmienſis.

creentur, *& ſolum Archiepiſcopum habeant nulla communione ad eum Theſſalonicenſi Epiſcopo ſervanda:* &c.

XIV. Collatam Epiſcopo Juſtinianæ primæ dignitatem agnovit, confirmavitque Gregorius M. qui ſcriptis ad Joannem hujus Civitatis Epiſcopum litteris, miſſoque pallio, confirmaſſe ſimul, ac innovaſſe videtur Sedis Apoſtolicæ Legationem, ſive vicariatum: *Pallium ex more tranſmittimus*, ſcribit Gregorius Lib. IV. Epiſt. 8. *& vices vos Apoſtolicæ Sedis agere iterata innovatione decernimus.* Tum idem Gregorius Joanni alteri hujus deceſſori interdixerat, ne ſacrificium offerret, latamque ab eo in Epiſcopum Thebanum ſententiam irritam declaravit: *Lib. II. Epiſt. 6.* Ex quibus ſane liquet Epiſcopi Juſtinianæ primæ, æque ac Theſſalonicenſis Exarchatum, ſive Primatis dignitatem Sedis Apoſtolicæ Vicariatui fuiſſe adnexam. Id quod de Primatibus etiam Arelatenſi, & Hiſpalenſi intelligas, uti *indicato Excurſu* jam obſervavimus.

CAPUT XIX.

De Patriarchis Conſtantinopolitano, Jeroſolymitano, Aquilejenſi, et Gradenſi.

§. I. *Patriarchatus Conſtantinopolitani Origo.*

I. Byzantio, quæ poſtea Conſtantinopolis fuit, mirum quantum honoris, præcellentiæ, & dignitatis acceſſerit, ex quo illuc Conſtantinus Imperii Sedem tranſtulit. Hinc non modo a Græcis, verum & a Latinis *Nova Roma*, *Orientis Regina*, aliiſque honorificis titulis decorari cœpit (1). Tum Epiſcopus Conſtantinopolitanus altius de ſe ſentire, ſibique ſupra ceteros Epiſcopos eminentiam, ac peculiaria quædam honoris, atque adeo poteſtatis argumenta vindicare adtentavit.

II. Primi omnium Conſtantinopolitani Œcumenici Concilii Patres honoris illi primatum poſt Romanum Epiſcopum, ideoque ante Epiſcopos Alexandrinum, & Antiochenum conceſſere: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod Urbs ipſa ſit nova Roma:* Can. II. Porro ejuſmodi Canone Epiſcopus Alexandrinus nullo pacto adduci potuit, ut ſententia accederet. Et ſane Timotheus Alexandrinus, quo abſente Canon ille conditus fuerat, in ſua quadam Epiſtola ad Damaſum Pontificem data graviter de eo conqueſtus eſt; tum Timothei ſucceſſor Cyrillus in Concilio Epheſino antiquos mores, & Nicæna Statuta per illum violata exclamavit (2). Quin & Dioſcorus datis Litteris ad Domnum Antiochenum Epiſcopum graviter hunc objurgat, quod Canoni Conſtantinopolitano adſentiens, honorem Eccleſiarum Antiochenæ, & Alexandrinæ peſſumdederit.

III. Quod vero attinet ad Sedem Apoſtolicam, tantum abeſt, ut Canonem hunc probaverit, ut potius tuto adſerere poſſimus, ne tranſmiſſum quidem Romam fuiſ-

(1) *S. Gregorius Naz. Poemat. de ſua Vit.*
Natura binos haud quidem Soles dedit,
Dedit ipſa binas attamen Mundi faces
Romas: vetuſtam ſcilicet Romam, ac novam.
Hoc diſcrepantes invicem: quod qua cadit
Sol, illa fulget: fulget hæc, quo ſe exerit.
Sidonius Apollinaris:
Salve ſceptrorum columen, Regina orientis
Orbis Roma tui.

(2) *Ejuſmodi S. Cyrilli querimoniæ Flavianum Conſtantinopolitanum certiorem fecit Theodoretus Epiſt. LXXXVI.* Novimus, *inquit*, eum illiberalem erga nos, qui Antiochenæ Sedi ſumus obnoxii, animum præbuiſſe, ex quo ſub beatæ memoriæ Proclo Synodicis conſtitutionibus, quæ apud vos factæ ſunt, conſenſum dedimus, Sanctorum Patrum decretis obſequentes: jamque ſemel, atque iterum accuſaſſe, tanquam Antiochenæ, ut loquitur, & Alexandrinæ Eccleſiæ jurium proditores.

Digitized by Google

fuiſſe, quo ab Sede Apoſtolica confirmaretur.

IV. Et ſane 1. Lucentius Epiſcopus Aſculanus Sedis Apoſtolicæ Legatus in Concilio Chalcedonenſi non ſolum negat ſe Canonem illum inter Eccleſiaſticos Canones reperire, verum & de eo loquitur, juxta ac ſi illum penitus ignoraret. Etenim quum Aetius Archidiaconus Conſtantinopolitanus in eadem Synodo ad amplificandam ſui Epiſcopi dignitatem, ac poteſtatem nervos omnes contenderet, ejuſque ſupra tres Exarchos juriſdictionem, prolato Canone Conſtantinopolitano, tueri obniteretur, Lucentius in hunc modum Concilii Patres adloquitur: *Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo Conſtitutionibus poſtpoſitis, centum & quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciſſe noſcuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos conſtituta fuiſſe. Si ergo his temporibus hoc beneficio uſi ſunt, quid nunc requirunt? Si nunquam uſi ſunt, quare requirunt?*

2. Idem manifeſto evincitur ex quadam S. Leonis Epiſtola ad Anatolium Conſtantinopolitanum: *Perſuaſioni tuæ*, ſcribit, *in nullo penitus ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas, annos facta ſubſcriptio nunquam a Prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ ſera nunc, & inutilia ſubjicere fomenta voluiſti.*

3. Adhæc Bonifacius I. qui Petri cathedram tenuit circiter annum CCCCXX. *Epiſt. ad Rufum* Theſſalonicenſem Epiſcopum de Attici Conſtantinopolitani audacia, qui ſuæ ditioni Illyricum Orientale ſubjicere adtentabat, graviter conqueritur; tum ſubdit: *Melius fraternitati veſtræ intelligendum relinquo, quis humilitatis, quis ſuperbiæ ſit magiſter. Sed abſit hoc a Domini ſacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova quadam uſurpatione tentando inimica ſibi faciat Scita Majorum... Quoniam ſi locus exigit, ſi placet, recenſete Canonum ſanctiones, reperietis, quæ ſit Eccleſiæ Romanæ ſecunda.* Profecto ſi Canon Conſtantinopolitanus Romam tranſmiſſus fuit, ut ab Apoſtolica Sede confirmaretur, qui unquam in hunc modum. Lucentius, S. Leo, Bonifacius I. locuti fuiſſent? Qua de re vero oppido ſimile eſt Clericos Conſtantinopolitanos quodam veluti ambitionis æſtu abreptos, in eo operam ſuam collocaſſe, ut Canonem illum a Conſtantinopolitanis Patribus extorquerent. Quemadmodum enim Conſtantinopolim, Romani Imperii ſede jam illuc translata, ad maximum gloriæ faſtigium evectam adſpexerant, ita etiam vehementer optabant, ut ejus Eccleſia, atque Antiſtes reliquis Orientalibus Epiſcopis, & vel ipſis Patriarchis longe præcellerent. Ad rem Anaſtaſius Bibliothecarius Præf. ad Syn. VIII. *Familiaris eſt illis iſta præſumtio, & ſingularis quodammodo ambitionis indicium. Siquidem in Secunda Synodo contra Statuta Magnæ Nicænæ Synodi, & Sanctorum decreta Præſulum Romanorum Alexandrinæ privilegia Sedis Conſtantinopolitano contulere Pontifici.*

§. II. *Expenditur vis Canonis Conſtantinopolitani.*

V. Sunt, quibus ea animo ſedet ſententia, ut per Canonem Conſtantinopolitanum collatam arbitrentur Epiſcopo Conſtantinopolitano poteſtatem ſupra tres Diœceſes Aſiæ, Thraciæ, & Ponti. Quod quidem his fere argumentis oſtendunt. 1. Nectarius Conſtantinopolitanus in quodam Concilio Conſtantinopoli habito ann. 394. controverſiam diremit, quæ inter Agapium, & Gabadium pro Epiſcopatu Boſtrenſi verſabatur. Nimirum ipſe rem in Concilio propoſuit, ipſe Concilii Præſidem egit, ac primo loco ante Theophilum Alexandrinum, & Flavianum Antiochenum Synodicis Actis ſubſcripſit. Porro Boſtra, quæ una erat inter Arabiæ civitates, Patriarchæ Antiocheno ſuberat. Confer Acta ejuſdem Concilii in *Jure Græco-Romano pag.* 247. & apud Balſamonem.

2. Sozomenus Epiſtolam memorat, quam S. Ambroſius ipſi Nectario dedit, qua eum hortatur, efflagitatque, ut Gerontium deponat, qui ex Clerico Mediolanenſi in Orientem profectus, ibique Epiſcopus Nicomediæ Bythiniæ conſecratus,

non

non levem Eccleſiaſticæ diſciplinæ jacturam adſerebat. At Bythinia intra Ponticæ Diœceſeως confinia continebatur. Quod quum Nectarius perficere non potuiſſet, ejus ſucceſſor Chryſoſtomus ad exitum perduxit (3).

3. S. Joannes Chryſoſtomus, auctore Theodoreto, in tres illas Diœceſes plenam exercuit poteſtatem (4). Tum Sozomenus *Lib. VIII. cap. 6.* de eodem Chryſoſtomo memoriæ prodidit: *Quum aliquando Epheſum viſendi cauſſa veniſſet, tredecim Epiſcopos* (vel ſaltem *ſex*, uti cenſet Valeſius in indicatum Sozomeni locum) *partim in Lycia, & Phrygia, partim in ipſa Aſia propter vendita ab eis Sacerdotia depoſuerit, alioſque eorum loco ſubrogaverit.*

4. Atticus Conſtantinopolitanus jus dixit in cauſſa Epiſcopatus Sinadorum diſceptata inter Theodoſium, & Agapetum; in qua Attici ſententia vicit Agapetus: Socrates *Lib. VII. cap. 3.* Porro Epiſcopatum illum Aſiana Diœceſis complectebatur.

5. Poſtremo controverſia exorta inter Metropolitanos Nicænum, & Nicomedenſem in Bythinia Ponticæ Diœceſeως provincia; utri nimirum Eccleſia Baſilinopoleως tanquam Metropolitæ ſubeſſet, in Synodo Chalcedonenſi *Act. XIII.* ita videtur definita, ut Epiſcopo Conſtantinopolitano jus Epiſcopos in Eccleſia Baſilinopolitana ordinandi reſervatum ſit (5).

VI. At contra nobis majus robur videntur præſeferre illorum argumenta, qui cenſent Regiæ Urbis Antiſtitem Canone Conſtantinopolitano honorarium duntaxat primatum fuiſſe adeptum.

VII. Et ſane 1. Canone ejuſdem Concilii II. quo Diœceſeως fines adcuratione quanta maxima deſcribuntur, Diœceſes Ægypti, & Orientis Epiſcopis Alexandriæ, & Antiochiæ ſubduntur. Diœceſeων vero Aſiæ, Ponti, & Thraciæ adminiſtratio Epiſcopis Epheſi, Heracleæ, & Helleſponti demandatur. Atque inibi ne mentio quidem ulla de Epiſcopo Conſtantinopolitano injicitur, neque vola, aut veſtigium de poteſtate, quam ipſi in has Diœceſes adſcripſerint. Profecto Patres Nicæni *Can. VI.* poſt collatam Epiſcopo Alexandrino per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim poteſtatem, ſtatim ſubnectunt: *Similiter autem & apud Antiochiam, ceteraſque provincias ſua privilegia ſerventur Eccleſiis:* Ὁμοίως καὶ κατὰ Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις. Igitur in quibuſdam aliis provinciis præter Antiochenam, Alexandrinam, & Romanam erant ſimilia adminiſtrationis πρεσβεῖα. Porro Synodus Conſtantinopolitana *Can. II.* poſt ſancita jura Patriarcharum ſub Imperio Romano degentium, poſt editum decretum, ne Diœceſibus præpoſiti Epiſcopi limites ſuos excedant, ſed ſecundum Canones Alexandriæ Epiſcopus Ægyptum ſolummodo regat, & Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent, ſervatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt, ſtatim addit Canonis VI. Nicæni veluti interpretem agens: *Aſianæ quoque Diœceſeως Epiſcopi ea ſolum, quæ ſunt in Aſiana Diœceſi diſpenſent, & Ponti Epiſcopi ea tantum, quæ ſunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis ſunt, gubernent.* Aſiana ergo Diœceſis, Pontica, & Thracia, nulli Patriarchæ ſuberant, ſed Synodus Provinciæ, & Diœceſεως cujuſcunque ordinationes Epiſcoporum, & reliquam Eccleſiaſticam adminiſtrationem exſequebatur, uti ſtatuit dictus *Canon II.* Quo ſane earum omnium Eccleſiarum τῇ οἰκονομίᾳ conſultum eſt, quæ Diœceſibus, & Provinciis illis continebantur, quas

(3) *Sozomenus Lib. VIII. cap. 6.* Ambroſius ſcripſit Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo, ut Gerontio Sacerdotium adimeret, nec ſe & Eccleſiaſticam diſciplinam injuria adfici pateretur. Verum Nectarius, quamvis omni ſtudio id perficere conatus, nunquam tamen obtinere potuit, univerſis ſimul Nicomedienſibus ei fortiter reſiſtentibus: Joannes vero quum illum depoſuiſſet, ejus loco Panſophium ordinavit.

(4) *Theodoretus Lib. V. cap. 28.* Atque hoc modo proſpexit non illi ſoli civitati; verum etiam toti Thraciæ, quæ eſt in ſex præfecturas diviſa, & cunctæ Aſiæ, quæ undecim habet, & Ponticam Eccleſiam, quæ totidem habet, iiſdem adornavit legibus.

(5) Sanctiſſima Conſtantinopolitana Sedes aut ordinationem ipſa faciat in Baſilinopoli cum reliquis, aut eam permittat fieri, ſicut litteris, quæ fiunt, & factæ ſunt ſæpius, oſtendere poſſumus.

Præfectus Prætorio Orientis regebat. Eaſdem *Capitibus ſuperioribus* ex Zoſimo, & Notitia Imperii jam monuimus, fuiſſe quinque Diœceſes *Ægyptum*, *Orientem*, *Aſianam*, *Ponticam*, & *Thraciam*, quæ Provincias quadraginta ſeptem conficiebant. Verum non modo productus Conſtantinopolitanus Canon, verum & Theodoſius Imperator Epiſcopis Aſianæ, Ponticæ, & Thraciæ Diœceſeon plenum tribuit Exarchatum. Etenim Romanis de cauſſa Flaviani Epiſcopi Antiocheni cum eo ſæpius expoſtulantibus, reſpondit *Flaviano communione jungi præter Orientem*, *Aſianam*, *Ponticam*, *&* *Thracicam Diœceſes*.

2. Canone II. ſæpius laudato honoris primatus Epiſcopo Conſtantinopolitano impertitur poſt Romanum, haud ſecus ac *Canone VII. Niceno* Epiſcopo Jeroſolymitano poſt Epiſcopos Alexandrinum, & Antiochenum conceditur. At Epiſcopo Jeroſolymitano nonniſi honorarius primatus delatus eſt, ſcilicet ἀκολουθία τῆς τιμῆς Metropoli propria dignitate ſervata (6). Quodque in ea ſententia verſati fuerint Patres Conſtantinopolitani (honorem nimirum, non juriſdictionem Epiſcopo Conſtantinopolitano tribuendi) patet ex verbis ipſi Canoni adpoſitis, ubi agere ſe pronuntiant κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα *juxta quæ in Nicæna Synodo ſtatuta ſunt*.

3. Paulus Heracleæ Exarchus Concilio præfuit, quod prope Chalcedonem in ſuburbio quodam ſic dicto *Quercus* habitum eſt, in quo urgentibus Theophilo Alexandrino, Severiano Gabalorum, Antiocho Ptolemaidos, Acacio Berœenſi, aliiſque Epiſcopis Magnus Chryſoſtomus iniqua ſententia depoſitus eſt. Confer Acta hujus Concilii apud Photium *Art.* I. & Palladium *Dial. pag.* 13.

4. Conſtat ex Concilio Epheſino duos Thraciæ Epiſcopos Patres admonuiſſe, ut Fritilæ Heracleenſi, qui Neſtorii partes tuebatur, Epiſcoporum in ſua Diœceſi ordinatione interdicerent, quippe verebantur, ne ex Neſtorii ſectatoribus Epiſcopos conſecraret (7).

5. Atticus Conſtantinopolitanus, qui in ditionem ſuam Illyricum redigere tentaverat, (quo tamen manus abſtinuit Bonifacii Pontificis vigilantia impeditus) adgreſſus eſt quoque tres Exarchos, quos ſibi ſubderet. Quamobrem legem a Theodoſio expreſſit, quæ jubebat, *Ne quis Epiſcopus deſignetur abſque ſententia*, *&* *auctoritate Concilii Conſtantinopolitani*. Qua ſane munitus varios tum in Ponto, & Thracia, tum & in Aſia Epiſcopos ordinavit. At vero Siſinnius Attici ſucceſſor, quum eandem ſibi juriſdictionem vindicaret, Eccleſiæ Cyzici Helleſponti Metropoli Proclum deſignavit, præfecitque Epiſcopum. At Epiſcopi Thraciæ tum Proclo, tum Siſinnii juſſibus poſthabitis, Dalmatium ſibi Epiſcopum elegerunt, vociferati legem illam ea mente a Theodoſio latam, quo Attico tantum, non ejus ſucceſſoribus faveret: *Legem neglexerunt*, *quod Attico ſolum*, *ut illi putabant*, *nominatim auctoritatem illam concederet*: Socrates *Lib. VII. Cap.* 28. & 47. Inde tamen unicuique colligere datur, nullam in Canone, de quo agitur, Conſtantinopolitano Epiſcopo in tres Exarchos juriſdictionem adſcriptam fuiſſe. Si qua enim ejuſmodi juriſdictio ipſi adſerta eſſet, cur quæſo tantæ curæ fuiſſet Attico, ut nuper adlatam legem a Theodoſio exprimeret? Cur autem Epiſcopi Helleſponti contra Siſinnii ſtatuta Dalmatium ſibi elegiſſent, ac conſecraſſent Epiſcopum?

6. Aetius Archidiaconus, & Presbyteri Conſtantinopolitani in Concilio Chalcedonenſi quid non moliti ſunt, quo Epiſcopo ſuo

(6) *Ad rem Eſpenius Schol. in Canonem XXVIII. Chalcedonenſem*. Manifeſtum enim eſt Canone Conſtantinopolitano ſolum *honorarium*, ſive honoris privilegium indultum fuiſſe Epiſcopo Conſtantinopolitano, quemadmodum Epiſcopo Jeroſolymorum datum eſt Can. VII. Niceno.

(7) *Conc. Epheſ. Act. VII.* Quoniam nunc Fritilas Heracleæ Epiſcopus a S. Synodo Apoſtata factus, Neſtorio, & cum illo ſentientibus ſe addixit (ſuſpicamur autem quod nunquam vel ipſe ulciſcens tanquam hoſtes, vel qui cum ipſo Heracleæ Epiſcopatum adminiſtrant, veniant ad ordinandum Epiſcopos juxta veterem, & memoratam conſuetudinem in memoratis civitatibus, quæ nunquam proprios Epiſcopos receperunt) itaque *priſcos mores*, *&* *conſuetudinem*, quæ olim & ab initio viguit, commoveri propter novitates cogitantes, oramus *&c.*

ſuo ſupra tres Exarchos poteſtatem adſererent, ac vindicarent? In quo quidem adeo operam ſuam collocarunt, ut nonnullos etiam Epiſcopos in ſuas partes deduxerint. Et ſane *Act. XI.* Diogenes Cyzicenus pro ipſis peroravit. Quum enim ageretur cauſſa Stephani, & Baſſiani de Eccleſia Epheſina contendentium, dixit: *Conſuetudo hoc habet. Si factus fuiſſet Conſtantinopoli Epiſcopus non hæc accidiſſent.* Tum Philippus Presbyter Conſtantinopolitanus dixit: *Sanctæ memoriæ Joannes Epiſcopus quindecim Epiſcopos depoſuit profectus in Aſiam, & pro eis alios ordinavit, & Mnemon hic ordinatus eſt.* Aetius Archidiaconus Conſtantinopolitanus dixit: *Et Caſtinus hic ordinatus eſt, Baſilides, & alii* &c. At vero eadem *Act. XI.* quum Judices dixiſſent: *Dicat Sancta Synodus, ubi volunt Canones Epiſcopum ſanctiſſimæ Epheſinæ Eccleſiæ ordinari: Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: In provincia.* Tum Leontius Epiſcopus Magneſię dixit: *A ſancto Timotheo uſque nunc viginti ſeptem Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ſunt ordinati.* Dein Aetio clamanti: *Et Caſtinus hic ordinatus eſt.* Epiſcopi omnes intercefferunt: *Obtineant Canones.* Unde Aetius *Canonem II. Conſtantinopolitanum* in medium protulit. At vero Aetii verbis Patres obſurduere, neque producti Canonis ulla ipſis ratio habita eſt quod ad illam partem, de qua Aetius contendebat. Profecto in eodem Concilio cauſſæ rurſus diſcuſſæ ſunt, tum Stephani & Baſſiani de Epiſcopatu Epheſiorum, uti modo diximus, contendentium, tum Epiſcopatum Ponti, & Metropolitani Nicææ de ordinatione Epiſcopi Baſilinopoleos, tum Euſthatii Berythi, & Photii Tyri, tum & aliæ, in quibus peragendis nihili habitum eſt, quod ab Epiſcopis Conſtantinopolitanis jam definitæ fuiſſent. Atque adeo Patres Concilii in iis definiendis, Præſulum Conſtantinopolitanorum ſententiis neglectis, plerumque in alia omnia abierunt. Igitur licet Aetius, & Presbyteri Conſtantinopolitani mirum quantum adlaboraſſent, nervoſque omnes contendiſſent, nunquam tamen eo rem adducere potuerunt, ut vel Epiſcopo ſuo vi Canonis Conſtantinopolitani ſupra tres Exarchos poteſtatem tuerentur, vel a Patribus Chalcedonenſibus novum Canonem impetrarent, quo ejuſmodi poteſtate ſuus Epiſcopus donaretur. Quod ſi tandem Canones IX. & XXVIII. Epiſcopo ſuo faventes obtinuere, nullum tamen hinc iis, quæ hucuſque diximus, periculum creatur.

VIII. Et ſane Canone IX. nulla Epiſcopo Conſtantinopolitano ſupra tres Exarchos tribuitur juriſdictio, ſed tantummodo ſtatuitur, ut *ſi Epiſcopus, vel Clericus adverſus ejuſdem Provinciæ Metropolitanum habet querelam, petat Primatem Diœceſeos*, ſive Diœceſeos Exarchum Διοικήσεως Ἔξαρχον, *aut Sedem Regiæ urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum judicetur.* Negandum ſane non eſt, ejuſmodi Canone impartitum Epiſcopo Conſtantinopolitano, privilegium fuiſſe, *quod nemini aliorum Patriarcharum conceſſum fuit, nec a Canonibus, nec a Legibus, ut Metropolitanus, qui uni ſubjacet Patriarchæ, ab alio judicetur, niſi ſoli Conſtantinopolitano*; uti obſervat Ariſtenus *hic*: at vero ſimul conſtat jus Patriarchicum ſic proprie dictum, quod Epiſcopi Alexandriæ, & Antiochiæ in Diœceſes Ægypti, & Orientis exercebant, in tres illas Diœceſes Epiſcopo Conſtantinopolitano haud fuiſſe collatum. Immo, ſi verum fateri liceat, dicendum eſt Chalcedonenſes Patres aſſiduis, atque adeo importunis Clericorum Conſtantinopolitanorum, ac præcipue Aetii Archidiaconi efflagitationibus pertæſos Canonem hunc condidiſſe.

IX. Quod vero ad Canonem XXVIII. attinet, hic ſane Canon lucem adſpexit, ſoluto jam Concilio, multiſque Epiſcopis, ac præcipue Legatis Apoſtolicis jam diſcedentibus. Porro de hoc Canone mox iterum nobis erit ſermo. At nonnulla ſunt nobis advertenda de iis, quæ hactenus diſſeruimus.

X. Profecto ſi Orientales Epiſcopi Conſtantinopolitano illo Canone Regiæ urbis Antiſtiti non honoris tantum, verum & poteſtatis primatum ſupra tres Exarchos adſeruiſſent, quo pacto fieri quiverit, ut iidem Orientis Præſules in Concilio Chalcedonenſi eundem primatum illi tribuere tam

tam obſirmato animo denegarent, Canonemque edere detrectarent, quo non primum illi ea prærogativa tribueretur, ſed tantummodo confirmaretur? Qui rurſus adeo neglexiſſent quidquid Conſtantinopolitani Præſules de cauſſis ad tres illas Diœceſes pertinentibus definierunt, ut illas diſcutere, novaſque ferre ſententias non dubitaverint? Sed his omnibus lux major accedet ex iis, quæ proferenda ducimus, ut eorum, quibuſcum nobis eſt diſceptatio, argumentis occurramus.

XI. Ac primo quod ad S. Joannem Chryſoſtomum ſpectat, ipſe profecto noſtræ ſententiæ non refragatur. Atque hic omnino advertendum eſt, quod quum in Imperialem Urbem undique Orientalium Provinciarum Epiſcopi confluerent ſuarum Eccleſiarum neceſſitatibus conſulturi; hinc quidem proficiſcebatur, ut ſæpe ſæpius ibi ſimul coaleſcerent, quo difficiliores cauſſas dirimerent, ac perplexiora ſuarum Eccleſiarum negotia tractarent; præſertim quia tunc temporis Arianorum, Eunomianorum, aliorumque hæreticorum tum occultis fraudibus, tum patentibus incurſionibus ſummopere perturbarentur. Ejuſmodi Conventus Synodus Ἐνδημοῦσα, quaſi *in urbe perpetuo manens*, dicebatur. Verum licet in hoc Concilio, quippe quod Conſtantinopoli coactum, primas Præſul Conſtantinopolitanus teneret, non ab ipſo tamen vis, ac robur Synodicis accedebat decretis, at potius ab unanimi Epiſcoporum præſertim Orientalium conſenſu.

XII. Atque ejuſmodi profecto Synodus illa fuit, in qua Nectarius jus dixit in controverſia, quæ inter Agapium, & Gabadium pro Epiſcopatu Boſtrenſi æſtuabat. Tum in eadem Synodo, auctore Sozomeno *Lib. VIII. Cap.* 8. anno 399. Euſebius Valentinopoleos Antiſtites libellum obtulit S. Joanni Chryſoſtomo adverſus Entoninum Epheſinum Epiſcopum, quem variorum, ac enormium delictorum nomine criminatus eſt: præcipue vero, quod veluti pro lege, & inſtituto haberet Epiſcoporum ordinationes pro redituum ratione venumdare. Quin ſubnexuit non deeſſe ex Concilio Epiſcopos, qui his artibus ab illo fuerant ordinati. Chryſoſtomus omnes contendit nervos, quo Euſebium ab ejuſmodi proſequenda accuſatione deterreret; at ejus labor ad irritum cecidit. Itaque inſequenti die dijudicata cauſſa fuit, delectique non a ſolo Chryſoſtomo, ſed & ab univerſa Synodo tres Epiſcopi ſunt, qui in Aſiam profecti rem omnem cognoſcerent. Interea temporis extremum diem obiit Antoninus. Tum vero Clerus Epheſinus, omneſque Aſiæ Epiſcopi ad Chryſoſtomum Legatos direxerunt tremendis ab eo Sacramentis poſtulantes, ut impendentem Eccleſiarum ſuarum ruinam miſeratus illuc ipſe contenderet, & opportunam difficillimis hiſce temporibus medicinam adhiberet. Ergo his precibus defatigatus Chryſoſtomus, æſtuanſque ſumma in Eccleſias illas caritate ἀδελφίας memor Epheſum tandem adproperavit, ubi Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum Lydiæ, & Cariæ, & Phrygiæ coacto ſex Epiſcopos maniſeſte Simonia convictos depoſuit, ſexque alios eorum loco inauguravit, ut ſcribit Palladius *Vit. Chryſoſt.* licet Sozomenus ſex, & Theophilus Alexandrinus ſeptemdecim depoſitos a Chryſoſtomo indicet. Poſtremo Epheſios de Epiſcopi electione diſſidentes conciliavit, ac tandem Conſtantinopolim rediit. Adhæc Socrates eximius Chryſoſtomi laudator hiſce utitur verbis, ut hanc ſententiam nobis ſuadere videatur. Scribit enim ἀνάγκη κατέλαβε Χρυσόστομον, *Neceſſitas compulit Chryſoſtomum*. Ergo magis, ut publicis rebus conſuleret, quam ut adquirendæ juriſdictionis deſiderio faceret ſatis, urbes illas inviſiſſe Chryſoſtomus credendus eſt. Quod ſi Sozomeni verbis ſtandum erit, nihil inde efficient contrariæ ſententiæ patroni. Is enim ſcribit Chryſoſtomum Epheſum viſendi cauſſa ſe contuliſſe, quod Epheſii ad Chryſoſtomum poſthabito Synodali judicio detuliſſent, quippe noverant, *qui vir eſſet*.

XIII. Quæ quum ita ſint, apertiſſimum ſane eſt Chryſoſtomum hæc omnia auctoritate Canonis Conſtantinopolitani minime perfeciſſe, ſed potius ſola duce caritate Eccleſiarum Aſiæ negotiis manus admoviſſe: haud ſecus ac Euſebius Vercellen-

cellen-

cellenſis, & Luciferus Calaritanus Eccleſiaſticas Orientalium Diœceſeων res tractandas ſuſceperunt, ac Epiſcopos, Presbyteroſque, licet ipſi Occidentales, ἀδελφίας tamen nomine, per Orientem conſecrarunt.

XIV. Quod vero ad Gerontium ſpectat, inficias ſane non iverim, quin Nectarius eum deponere adtentaverit, quod dein Chryſoſtomus perfecit; at id Ambroſio potiſſimum impellente adgreſſus eſt, non ea quidem de cauſſa, quod tantam Conſtantinopolitano Præſuli poteſtatem in Ponti Diœceſeως Epiſcopos ineſſe Ambroſius arbitraretur, ſed quod e re non eſſe ducebat, ejuſmodi negotium Exarcho commendare, a quo Gerontius fuerat ordinatus. Atque idcirco nemini tutius rem committendam cenſuit, quam Nectario, quem fidei puritas per Eccleſias ubique celebrabat. Itaque ejuſmodi jus non ordinarium, ſed extraordinarium erat.

XV. Adhæc ex ſententia Petri de Marca *Differt. Eccleſ. de Conſtantinopolit. Patriarch. Inſtitut.* quia privilegia honoris tributa illi erant poſt Romanum Epiſcopum in Orientalibus Diœceſibus, ac præcipue in Pontica, Thracica, & Aſiana, mirum non eſt, ſi Aſianæ illi Synodo præfuerit, ut Patriarcha honorarius, & eo nomine Heraclidem Epiſcopum ordinarit; immo & de Synodi illius ſententia Epiſcopos illos tredecim exauctorarit, ſuis legibus, & inſtitutis Provincias omnes vicinas exornarit, ut docet Theodoret. *Lib. V. cap.* 28. ac demum in Pontica Diœceſi Gerontium Nicomedienſem expulerit, & illi Panſophium ſubſtituerit: Sozomenus *Lib. VIII. cap. 6.*

XVI. Quod vero ſpectat ad Atticum, qui jus dixit in cauſſa Epiſcopatus Sinadorum diſceptata inter Theodoſium, & Agapetum, jam diximus ejuſmodi cauſſam fuiſſe de integro in Synodo Chalcedonenſi tractatam, ac nihili fuiſſe habitam Attici ſententiam. Tum Atticus hæc aliaque in alios Epiſcopos uſurpavit innixus Legi, quam, teſte Socrate, jam innuimus, ab Theodoſio Juniore expreſſerat, qua cautum fuit: *Ne quis Epiſcopus deſignetur abſque ſententia, & auctoritate Concilii Conſtantinopolitani.* Illud hic obſervandum cum Thomaſſino *Part. I. Lib. I. cap.* 10.; nimirum Regiæ Urbis Epiſcopos Canonis Conſtantinopolitani verba in rem ſuam ita interpretatos eſſe, ut eorum obtentu, vel cupiditati ſuæ, vel ambitioni velificari poſſent: quod tamen caritatis pallio tegebant. Quum enim Orientis Eccleſiæ Arianorum, aliorumque hæreticorum factionibus nimium turbarentur, neque adhuc apud Orientales definita, atque perfecta judiciorum Eccleſiaſticorum forma conſtituta eſſet, Epiſcopi haud raro Imperatorem adibant, qui cauſſas plerumque ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum remittebat, & ad Synodum Epiſcoporum, ſic dictam Ἐνδημοῦσαν, qui tunc variis de cauſſis Conſtantinopoli verſabantur, cui jure præerat Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Novum hoc, & extraordinarium tribunal, inſolenſque judiciorum ratio, ut reciperetur, fecit neceſſitas; ut quæ alioqui nullum finem habituræ erant cauſſæ, hoc ſaltem modo definirentur. Sed nulla ei Synodo ſuffragabatur auctoritas; nondum enim ita convaluerat longo uſu, ut iſtiuſmodi judicia non detrectarent, quibus haud æqua, vel propitia viderentur. Hactenus Thomaſſinus. Poſtremo obſervandum eſt, quæ Atticus, aliique Epiſcopi Conſtantinopolitani in alienas provincias uſurparunt, reprehenſioni fuiſſe obnoxia. Etenim licet Chryſoſtomus nonniſi urgente neceſſitate, atque caritate in Diœceſi Aſiana Epiſcopos depoſuerit, novoſque ordinaverit; attamen in Synodo apud Quercum Iſaacius Epiſcopus inter accuſationis contra Joannem delatæ capita decimo loco propoſuit: *Decimum; quod alienas Provincias invadit, ibidemque Epiſcopos ordinat.*

XVII. Illud hic etiam prætereundum non eſſe arbitror, Regiæ urbis Epiſcopum tum ante, tum poſt Concilium Conſtantinopolitanum ab Epiſcopo Alexandrino electum, vel ſaltem electionem ab hoc confirmatam fuiſſe. Id teſtatur Nazianzenus, qui ſe in Poemate ſuæ vitæ a Petro Alexandrino Epiſcopum Conſtantinopoleως electum adfirmat. En ejus verba:

Qui

Digitized by Google

Qui Petrus ipſe Præſulum ipſe arbiter
Prius quidem nos litteris clariſſimis
Fuco palam vacuis, littera ipſa ut fidem
Facit, ſacrato collocaverit throno.

XVIII. Duobus elapſis annis Petrus Alexandrinus ſententiam mutavit, præfecitque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Heronem Cynicum, qui Maximi cognomen adoptavit. Verum quum S. Damaſus utramque electionem improbaſſet, Timotheus Petri frater, ejuſque in Sede ſucceſſor Maximi partes tutatus eſt, atque in ejus communionem tum Damaſum, tum Occidentales Epiſcopos adducere omni vi contendit: quod quidem poſt Concilium Conſtantinopolitanum obtinuit. Porro poſt Nectarii mortem, & poſt Concilium Timothei ſucceſſor Theophilus pro tuendo ſibi hoc jure, tamquam pro aris, & focis acerrime pugnavit. At ſane Chryſoſtomi electioni, ut refert Socrates, fortiter reſtitit, quum ibi conſecrare Iſidorum Alexandriæ Presbyterum contenderet: ita ut tandem Eutropius Imperialis Aulæ Magiſter illi præceperit, ut aut Chryſoſtomum conſecraret, aut ad crimina, quorum reus traducebatur, in judicio excipienda præſto eſſet, quum tamen nunquam illi objecerit (quod animadverti jubeo) Conſtantinopolitani Epiſcopi electionem ſui juris non eſſe. Igitur tantum abeſt, ut Epiſcopo Conſtantinopolitano juriſdictionem aliquam ſupra tres Diœceſes Canon II. adſeruerit, ut etiam illius ordinatio Alexandrino Epiſcopo, cui jure ſubjiciebatur, accepta videatur referenda.

§. III. *De Canone Chalcedonenſi XXVIII.*

XIX. Jam vero illam poteſtatem, quam Epiſcopus Conſtantinopolitanus neque Canone II. Conſtantinopolitano, neque Canone IX. Chalcedonenſi conſequi poterat; tandem obtinuit Canone XXVIII. *Actione* quidem *XI.* uti jam vidimus. Aetio pro Epiſcopo Anatolio poteſtatem in tres Diœceſes vindicanti Patres fortiter obſtiterant clamitantes: *Obtineant Canones.* Qua de re Anatolius tot ſententiis Patrum exagitatus intra fines a Canonibus præſcriptos ſeſe continere debuiſſet, parcens alienis provinciis, ſecundi gradus dignitate a Synodo decreta contentus, fruenſque privilegio, ut Thraciam Diœceſim, tanquam ordinarius Bxarchus regeret; in Diœceſibus vero Aſiana, & Pontica Metropolitanorum ordinationes rogatus perageret. Sed ejuſmodi fines non patiebatur ambitio. Qua de re maximo niſu in id incubuit Anatolius, ut Synodi Decreto Metropolitarum Aſiæ, Ponti, & Thraciæ ordinationes Sedi Conſtantinopolitanæ prorſus addicerentur.

XX. Igitur poſt Legatorum Sedis Apoſtolicæ, Judicumque diſceſſum e Beatæ Euphemiæ Baſilica *Canon XXVIII.* editus eſt, ſubſcriptus a ducentis tantum Epiſcopis, nimirum a minore parte Concilii, quum amplius ſexcenti ſuffragium ferre debuiſſent, abſente Thalaſſio Ceſareæ Exarcho, & vacante Sede Epheſina Aſianæ Diœceſews Metropoli, contra morem judiciorum, & S. Leonis mandata, qui Legatis ſuis præſentibus omnia fieri juſſerat (8). Tum die craſtina ſcilicet *Actione XVI.* Legati Sedis Apoſtolicæ Decreto pridiana die pæne clanculum edito interceſſerunt, ac de vi, metu, & dolo Judicibus illato gravi oratione conqueſti ſunt.

(8) *Canon XXVIII. Chalced. in hunc modum ſe habet*: Sanctorum Patrum decreta ubique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum, & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus, ac ſtatuimus de privilegiis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Ut enim antiquæ Romæ throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti centumquinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, ſanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes, Urbem, quæ & Imperio, & ſenatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli, ac magnifieri ſecundam poſt illam exiſtentem: ut & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli, præterea & Epiſcopi prædictarum Diœceſum, quæ ſunt inter Barbaros, a prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: unoquoque ſcilicet prędictarum Diœceſum Metropolitano cum Pro-

ſunt . Ejuſmodi novitati interceſſerunt quoque Romani Pontifices , ac in primis Leo M. & Gelaſius , qui datis Epiſtolis, tum cum Imperatoribus , tum cum ipſis Conſtantinopolitanis Epiſcopis vehementer expoſtularunt violatam a Patribus Nicænis vel conſtitutam , vel confirmatam Eccleſiæ politiam ; atque adeo nunquam adduci potuerunt , ut Patriarchatum Conſtantinopolitanum , Canonemque Chalcedonenſem, quo ſtatutus erat , agnoſcerent , confirmarentque , immo diſerte exploſerunt , reprobaruntque . Ac potiſſimum S. Leo Epiſt. LXXX. ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum diſerte ſcribit *coactam Synodum ad fidem vindicandam , perfidiamque Eutychianam perimendam , non ad ſerviendum Epiſcopi Conſtantinopolitani cupiditati*. Deinde arguit Epiſcopos vel promiſſis illectos, vel minis territos . Demum conſilia Anatolii ad perturbationem , & Eccleſiæ ſcandalum tendere , & Canones Nicænos violatos graviter inculcat. Eadem haud mitiori ſtylo exhibet *Epiſtola LXXVIII.* ad Marcianum Imperatorem (9), & *Epiſt. LXXIX.* ad Pulcheriam Auguſtam.

XXI. Gravibus Pontificum interceſſionibus videntur aliquid tribuiſſe, tum Imperatores, tum ipſi Conſtantinopolitani Epiſcopi . Profecto conſtat Græcos ad aliquod tempus Canone illo non fuiſſe uſos ; quamvis Anatolius, & qui in ejus locum deinceps ſuffecti ſunt , tum dignitatem, & honorem ſecundæ Sedis , tum adminiſtrationem trium Aſiæ, Ponti , & Thraciæ Diœceſeon retinuerint ; at dignitatem , & honorem vi Canonis II. Conſtantinopolitani ; adminiſtrationem vero dictarum Diœceſeon potius vi conſuetudinis , quam etiam ante editum *Canonem XXVIII.* Chalcedonenſem obtinuiſſe contendebant .

XXII. Et ſane Zeno Imperator anno CCCCLXVI. reſcindens Acta Baſiliſci tyranni , qui aliquot Provincias a Sedis Conſtantinopolitanæ poteſtate eripuerat , omnia quidem Epiſcopo Conſtantinopolitano antiqua reſtituit privilegia , tum honoris , tum juriſdictionis ; at iis utitur verbis, quibus potius ad conſuetudinem, quam ad Canones privilegia illa referre videatur (10), uti recte obſervat Petrus de Marca *de Concor. Sac. & Imp. Lib. III. cap.* 3. Tum Juſtinianus *Novella CXXIII. cap.* 2. honorem quidem Secundæ Sedis tribuit Epiſcopo Conſtantinopolitano , nulla tamen Canonis Chalcedonenſis facta mentione .

XXIII. Quamvis igitur ab tuendo Sedis Conſtantinopolitanæ primatu nunquam deſtiterint Imperatores , illum tamen potius a Canone Conſtantinopolitano , & a conſuetudine , quam a Canone Chalcedonenſi profectum ſcribebant . Quod ſignificare videtur Liberatus Diaconus in *Breviario Cap.* 13. loquens de hoc Canone : *Et licet* , inquit , *Sedes Apoſtolica nunc* *uſque*

Provinciæ Epiſcopis Provinciæ Epiſcopos ordinante , quemadmodum divinis Canonibus eſt traditum . Ordinari autem , ſicut dictum eſt , prædictarum Diœceſum Metropolitanos a Conſtantinopolitano Archiepiſcopo convenientibus de more factis electionibus , & ad ipſum relatis .

(9) *S. Leo indicata Epiſtola LXXVIII. ad Marcianum* : Canones Nicæni , quibus privilegia Eccleſiarum fixa ſunt , nulla poſſunt improbitate convelli , nulla novitate violari . In quo opere , auxiliante Chriſto , fideliter exſequendo neceſſe eſt , me perſeverantem exhibere famulatum : quoniam diſpenſatio mihi credita eſt , & ad meum tendit reatum , ſi paternarum Regulæ ſanctionum , quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen ſpiritu Dei inſtruente ſunt conditæ , me (quod abſit) connivente violentur . *Atque id in cauſſa eſſe videtur , cur in Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ edito a Dionyſio Exiguo ſub Imperatore Juſtiniano* Canon ille XXVIII. *inter Concilii Chalcedonenſis Canones non recenſeatur , & viginti ſeptem Canonibus illius Synodi Conſtitutiones definiat Theodoretus ipſe , qui Synodo interfuit* , *in* Synagoga Canonum , *quæ exſtat manuſcripta in Bibliotheca Regia Pariſienſi , ut refert Cardinalis Perronius ; eodemque numero viginti ſeptem Canonum coerceat Theodorus Anagnoſtes proximus illi ætati Scriptor :* Lib. I. Collectaneorum . *Confer Petrum de Marca* Diſſert. de Patriarch. Eccleſ. Conſtantinopolitanæ .

(10) *Verba Zenonis habentur in Lege XVI. Cod. de SS. Eccleſ.* Privilegia & honores omnes ſuper creationibus Epiſcoporum , & jus ante alios reſidendi , & cetera omnia , quæ ante noſtrum Imperium , vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur (Epiſcopus Conſtantinopolitanus) habere in perpetuum firmiter Regiæ urbis intuitu judicamus , & ſancimus .

uſque contradicat ; *quod a Synodo firmatum eſt Imperatoris patrocinio* , *permanet quoque*.

XXIV. Porro in Synodo Trullana Can. XXXVI. Chalcedonenſis ille Canon diſerte firmatus, ſive renovatus eſt; a quo ſane tempore a Græcis inter Canones recenſitus eſt; quin & a Latinis tandem agnitus: ac tandem in Concilio Lateranenſi IV. ſtatutum eſt, ut Eccleſia Conſtantinopolitana poſt Romanam primum locum obtineat (11).

XXV. Quinimmo VII. ineunte Seculo Epiſcopus Conſtantinopolitanus primum nonnullis ſuburbicariis Epiſcopis honorificum Archiepiſcopi titulum conferre cœpit; at vero ejuſdem impudentia ſub Leone Iſaurico majores vires accepit. Is enim ſpecioſo Romanam Diœceſim decurtandi prætextu, at revera odio ardens, ac ira ſuccenſus in Romanos Pontifices, qui ſacrilegis ejus Decretis de frangendis ſacris imaginibus Apoſtolica virtute obſiterant, Romano Patriarchatui ſubtraxit, & Conſtantinopolitano addixit Illyricum, Epirum, Achajam, Macedoniam, atque adeo etiam Siciliam, ac plurimas Regni Neapolitani Eccleſias, præſertim maritimas, quæ ſub Græco erant Imperio. Romani quidem Pontifices, & Occidentis Imperatores acriter hac de re Patriarchis, & Orientis Imperatoribus reſtitere; ſed Occidentalium conatus, & vota ob Orientalium pervicaciam ſecundis rebus caruere ad Sæculum uſque XI. quo Northmanni Principes noſtri Græcis devictis ſuas Romano Pontifici Eccleſias omnes cum priſtinis juribus reſtituere.

§. IV. *De Patriarchatu Jeroſolymitano*.

XXVI. Jeroſolymitana Eccleſia licet Chriſtiani nominis mater eſſe videretur; quum Jacobus Apoſtolus ejus urbis primus Antiſtes ab ipſo Chriſto Domino, Epiphanio auctore (12), conſtitutus eſſet; attamen nonniſi medio Seculo V. in Synodo Chalcedonenſi inter Patriarchicas Sedes, & quidem poſtrema recenſita eſt.

XXVII. Hujus rei plures adferuntur cauſſæ. 1. Eſt longa Jeroſolymitanæ urbis obſidio, ejuſdemque excidium: quo factum eſt, ut Chriſtiani tum ex Chriſti monitu (13), tum ex oraculo, quod viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitus editum fuerat (14), in vicinum oppidum ſic dictum *Pella* ſeſe reciperent: quod quum nimis exiguum fuerit, obſcuri nominis, ſine mœniis, & trans Jordanem, Jeroſolymitanæ Eccleſiæ dignitas illo tranſvecta haud parum detrimenti paſſa eſt, ac dein pæne occidiſſe videtur.

2. Veſpaſianus Cæſaream Palæſtinæ Metropolim conſtituit, inibique Proconſulis Sedem fixit (15): qua de re Cæſareen-

(11) *Concilium Lateranenſe IV. Cap. V.* Poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum utpote mater univerſalium Chriſti fidelium, & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Jeroſolymitana quartum locum obtineat, ſervata cuilibet propria dignitate.

(12) *Epiphanius Hæreſ. LXXVIII. num. 7.* Primus ille Epiſcopalem cathedram cepit, quum ei ante ceteros omnes ſuum in terris thronum Dominus tradidiſſet. *Auctor Conſtit. Apoſtolic. Lib. VIII. cap.* 35. Epiſcopus Jeroſolymorum ab ipſo Domino, & Apoſtolis ordinatus. *Auctor Recognitionum Lib. I. cap.* 43. Eccleſia Domini in Jeruſalem conſtituta copioſiſſime multiplicata creſcebat, per Jacobum, qui a Domino ordinatus eſt in Epiſcopum, gubernata. *Rufinus Lib. II. Cap. I.* Jacobus Apoſtolorum Epiſcopus. *Poſtremo Primum, quod in Eccleſia Concilium celebratum habemus, communi conſilio in Eccleſia Jeroſolymitana ex Apoſtolis, & ſenioribus coactum eſt, cui Jacobus præfuit:* Statuerunt, ut adſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Jeruſalem ſuper hac quæſtione. *Act. XV.*

(13) *Matth. Cap. XXIV.* Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.

(14) *Euſebius Lib. III. Cap.* 5. Quum univerſa plebs fidelium ex oraculo, quod viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitus editum fuerat ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine, incolere juſſa fuiſſet, omnes, qui in Chriſtum crediderant, relictis Jeroſolymis, ſedes ſuas Pellas tranſtulerunt. *Epiphanius Lib. de ponder. & menſur. num. XV.* Quum urbis a Romanis inſtaret excidium, diſcipuli omnes ab Angelo moniti ſunt, ut ex ea urbe .... digreſſi Pellam ſeſe reciperent, quod Oppidum juxta Jordanem in Decapoli numeratur.

(15) *Tacitus Hiſt. Lib. II.* Mucianus Antiochiam, Veſpaſianus Cæſaream. Illa Syriæ, hæc Judææ caput eſt.

Juſti-

reenſis Epiſcopus politiam civilem ſecutus, omnium Palæſtinæ Eccleſiarum Metropolitam egit. Huic quum reliqui Palæſtinæ Epiſcopi pedetentim parere conſueſcerent, nullus admirationi locus erit, quod Jeroſolymitanus, vel potius Pellenſis Antiſtes tanquam unus ex provincialibus Epiſcopis haberetur, ac Cæſareenſi ceu Metropolitæ ſubjiceretur.

3. Poſtremo quum Jeruſalem aliquantis poſt annis ab Ælio Hadriano, loco non eodem, licet vicino extructa fuerit, & quidem ea conditione, ut poſthac non Jeruſalem, ſed Ælia adpellaretur; hinc factum, ut non eadem urbs haberetur, ſed nova: nec idem Epiſcopatus, ſed ab veteri Jeroſolymitano longe diverſus. Profecto Nicæna Synodus non alio, quam *Æliæ* nomine eam indigitat; & Hilarius, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, aliique negant ſua ætate ſuperfuiſſe Jeroſolymam: & Hieronymus Epiſcopatum Jeroſolymitanum *Æliæ territorium* vocat in *Epitaph. Paullæ*.

XXVIII. Verum non deſunt antiquiſſima quædam Eccleſiaſtica monumenta, unde elucet etiam altero, ac tertio Eccleſiæ Seculo ſpecialem quandam Epiſcopi Jeroſolymitani rationem fuiſſe habitam. Ac 1. Concilio Palæſtino ſub Victore Papa de Paſchatis controverſia celebrato Epiſcopos Cæſareenſem, & Jeroſolymitanum præfuiſſe ſcribit Euſebius *Lib. III. cap.* 11.

2. In ordinatione Origenis Epiſcopo Cæſareenſi præ reliquis Palæſtinis Epiſcopis ſtatim comes adjungitur Epiſcopus Jeroſolymitanus: Euſebius *Lib. VII. cap.* 8.

3. Quinimmo in Concilio contra Paulum Samoſatenum Antiochiæ celebrato ipſi Epiſcopo Cæſareenſi præponitur: Euſebius *Lib. VII. cap.* 28.

4. Idem Euſebius eadem diligentia Epiſcoporum Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, ac reliquarum Apoſtolicarum Sedium catalogum poſteritati commendare curavit. Tum Auguſtinus, & Optatus Eccleſiarum Apoſtolicarum adverſus Donatiſtas auctoritatem proferentes, Romanam præcipue, & Jeroſolymitanam præ reliquis memorant (16).

5. Poſtremo Euſebius ipſe, Cæſareenſis licet Metropolita, Jeroſolymam a Conſtantino, & Helena templorum magnificentia, aliiſque decoribus auctam, non dubitavit novam Jeruſalem adpellare: *Atque hæc*, inquit de Vit. Conſtantini Lib. III. cap. 33. *forſitan fuerit recens illa, ac nova Jeruſalem, Prophetarum vaticiniis prædicata*.

XXIX. Atque hinc fortaſſe liquet, curnam Patres Nicæni *Can. VII.* Epiſcopo Jeroſolymitano honorarium primatum, ſive Protothroni dignitatem tribuerint, at vero ab Cæſareenſis Metropolitæ juriſdictione haud exemerint: *Quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoretur, habeat conſequentiam honoris, ſalva Metropoli propria dignitate*.

XXX. Jam vero Jeroſolymitanæ urbis ſplendori honorarius primatus ſatis reſpondere viſus non eſt. Quamobrem Epiſcopus Jeroſolymitanus cum Metropolita Cæſareenſi altercari, ac quamdam in Eccleſias Palæſtinæ juriſdictionem adtentare cœpit. At res per centum & amplius annos nimis dubia, & anceps fuit. Et ſane Concilium Conſtantinopolitanum inter quinque Orientales Exarchos Epiſcopum quidem Jeroſolymitanum non recenſuit, quum juriſdictione careret, atque adeo Metropolitæ

Juſtinianus Novell. CIII. Præf. Metropolis Cæſarea, quæ in prima Palæſtina principatum tenet ...... propterea quod & quondam Proconſul illam tenuit, & præfectus illi talis Magiſtratus fuit ... Quam quum divæ memoriæ Veſpaſianus, quod illi ad ſummam gloriam vel ſolum potuit ſufficere, ipſorum Cæſarum adpellatione nominavit, quum antea *Stratonis* Turris vocaretur.

(16) *Auguſtinus Lib. II. contr. Epiſt. Petiliani cap.* 51. Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet; vel Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, in qua Jacobus ſedit, & in qua hodie Joannes ſedet, quibus nos in catholica unitate connectimur, & a quibus vos nefario furore ſeparaſtis?

Optatus Milev. Lib. VI. contr. Parmenianum num. 3. Unde eſt, quod Catholicos quaſi pollutos adpellas? An quia juſſionem Dei ſecuti ſumus, amando pacem, communicando orbi terrarum, ſociati Orientalibus? Ubi ſecundum hominem natus eſt Chriſtus; ubi ejus ſancta ſunt impreſſa veſtigia, ubi ambulaverunt adorandi pedes: *&c.*

Digitized by Google

Cæſareenſi pareret; attamen *Epiſt. ad Damaſum*, auctore Theodoreto, Eccleſiam Jeroſolymitanam aliarum omnium Matrem nuncupat (17). Adhæc ipſi Concilio ſubſcripſit Cyrillus ante Thalaſium Cæſareenſem. Tum graves inter Acacium Cæſareenſem Metropolitam, & Cyrillum Epiſcopum Jeroſolymitanum contentiones exortæ ſunt; & quidem de primatu ſedium, περὶ πρωτείων. At Cyrilli conatum Acacius vi poteſtatis metropoliticæ, ſeu potius patriarchicæ fregit; quod in Synodo Seleucienſi, referente Sozomeno, confirmatum eſt (18). Joannes Epiſcopus Jeroſolymitanus, cui diu obſtitit Hieronymus, haud raro ſuæ Apoſtolicæ Sedis dignitatem extulit. At ex adverſo tum Synodo Dioſpoli adverſus Pelagium coactæ ipſe quidem interſuit, præſuit tamen Epiſcopus Cæſareenſis; tum circiter annum CCCCX. Porphyrius Epiſcopus Gazæ a Prailio Jeroſolymitano presbyter primum ordinatus, Epiſcopus nonniſi a Joanne Cæſareæ Metropolita conſecratus eſt. Confer Thomaſſ. *Part. I. Lib. I. cap.* 12. Demum Rufinus *Lib. II. cap.* 21. quum Epiſcopos principalium Sedium recenſeret, Romano, Alexandrino, & Antiocheno Jeroſolymitanum non ſine Apoſtolici nominis laude adjicit: *In urbe Roma poſt Damaſum Siricius .... apud Alexandriam Timotheus, in Jeroſolymis poſt Cyrillum Joannes apoſtolicas Sedes reparavit, apud Antiochiam defuncto Meletio ſubſtituitur Flavianus*. Qua de re paullatim hi iidem quatuor Epiſcopi, ceu totidem Patriarchæ haberi cœperunt. His, quæ hactenus produximus ſi adjicias, quod quum Jeroſolymis ab Helena Imperatrice, non ſine indicio divino, Crux Domini inventa, atque ibi magnificentiſſima ab Helena ſimul & Conſtantino exſtructa templa fuerint, ætatis progreſſu, ut fieri adſolet, vetus, & nova Jeruſalem in unam veluti urbem coaluit; tum etiam ſi ſpectes ad immenſam peregrinorum vim, qui illuc quam frequentiſſime ab toto orbe confluebant, & qui Jeroſolymorum Epiſcopum non ſine Apoſtolico nomine ſalutabant, profecto ſat manifeſto liquebit, haud parum incitamenti Juvenali Jeroſolymitano additum, ut aliqua ſibi jura in Palæſtinas vindicaret (19).

XXXI. Iſtæc jura in Concilio Epheſino expertus eſt Juvenalis, eam nactus occaſionem, quod duo Patriarchæ Antiochenus, & Conſtantinopolitanus, ſcilicet Joannes, & Neſtorius, adverſus Concilium rebellaſſent, iſte ut Hæreſiarcha, ille autem ut Hæreſiarchæ ſin minus doctrinæ, ſaltem perſonæ favens: unde in Synodo Epheſina poſt Alexandrinum Antiſtitem maximæ Juvenalis partes dubio procul fuerunt (20). Quamobrem ejuſmodi occaſionem aucupatus plura in Palæſtinas jura ſibi palam adſeruit, eademque ſcriptis etiam, licet verſutis, defenſitavit. Porro Juvenalis cona-

(17) *Theodoretus Lib. V. cap.* 9. Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, quæ eſt aliarum omnium mater, Cyrillum Epiſcopum vobis oſtendimus.

(18) *Acta Concilii Seleucienſis apud Sozomenum Lib. IV. cap.* 24. Quod quum Epiſcopus Jeroſolymorum conſtitutus eſſet de jure metropolitico altercaretur cum Epiſcopo Cæſareæ, velut Apoſtolicæ Sedis Antiſtes.

(19) *Orientales in libello oblato Imperatori in falſa Synodo Epheſina conqueruntur de Epiſcopo Jeroſolymitano, quod ordinationes Epiſcoporum non modo in Palæſtina, verum & in Arabia, & Phœnicia peregiſſet, & quidem eo intuitu, ut Epiſcopos ſibi adhærentes, ac devinctos in Conciliis experiretur:* Ut dignitatibus conceſſis nonnullos demereatur .... At ex nobis quidam a pientiſſimo Juvenali Jeroſolymitanorum Epiſcopo olim ordinati ſiluimus: quamvis pro Canonibus certandum eſſet, ne videremur noſtræ gloriæ cauſſa dolere. Et nunc quoque illius ſtudia, & præſtigias tales per Phœnicem ſecundam, & Arabiam non ignoramus: *Acta Concilii Epheſini Act. VI.*

(20) *Profecto in Synodo Epheſina Juvenalis poſt Cyrillum primum locum obtinet, ac Synodicis Decretis ſubſcribit; tum æque ac Cyrillus res tractandas proponit, diſcutit, explicat, definit. Quod vero magis mirum videtur* Act. III. *contendit Antiochenum Epiſcopum apud Sedem Jeroſolymitanam debere judicari. En verba Juvenalis laudata Act. III.* Oportebat quidem Joannem reverendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta, & magna, & œcumenica Synodo conſiderata, confeſtim, ut de iis, quæ ipſi objiciuntur, ſe purgaret, recurrere, & ad Sedem Apoſtolicam magnæ Romæ nobiſcum conſidentem; ac obedire, & honorem deferre Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ Jeroſolymorum; præſertim quum apud illam Sedem Antiochenæ ipſi ſedi ex Apoſtolico ordine, & traditione mos ſit dirigi, & apud ipſam judicari.

conatui fortiter reſtitit Cyrillus, fortaſſe veritus, ne poſt uſurpatam Antiocheni Patriarchatus partitionem, Alexandrinam quoque diœceſim invaderet. Tum de tentata per Juvenalem innovatione certiorem per litteras Cyrillus facit Leonem tunc Romanum Archidiaconum, ut apud Pontificem Cœleſtinum ageret, ne callidis Epiſcopi Jeroſolymitani ſcriptis deceptus, eidem Palæſtinæ Patriarchatum elargiretur. Hujus rei ita geſtæ ſeriem nos docuit Leo ipſe Epiſtola, quam creatus jam Pontifex ad Maximum Epiſcopum Antiochenum dedit (21).

XXXII. Porro licet, quod in votis habebat, in Synodo Epheſina conſecutus non fuiſſet Juvenalis, animum tamen non deſpondit, ſed ab Cyrillo, & fortaſſe etiam ab Romana Sede repulſam paſſus, ita ſe apud Imperatorem Theodoſium Juniorem exhibuit, ut is Reſcriptum evulgaverit, quo tres illi Palæſtinas ſubjecit, duas Phœnicias, & Arabiam. At, quod fieri adſolet, non diu poſt contraria Reſcripta obtinuit Epiſcopus Antiochenus, unde lis ad longum tempus protracta eſt.

XXXIII. Tandem in Synodo Chalcedonenſi ſedata eſt diuturna illa contentio. *Actione* enim *VII.* Epiſcopi Maximus Antiochenus, & Juvenalis Jeroſolymitanus *convenientes poſt multam contentionem per conſenſum certa ad invicem inter ſe ex non ſcripto conſtituerunt, quæ etiam Patribus manifeſta fecerunt, & viſa ſunt ex conſenſu juſte diſpoſita:* Scilicet, ut Sedes Antiochena haberet duas Phœnicias, & Arabiam: Sedes autem Jeroſolymitana tres Palæſtinas: quæ dein Synodico Decreto confirmata ſunt adſentientibus etiam *pro bono pacis* Sedis Apoſtolicæ Legatis. Tandem decretum hæc ſententia claudit: *Ceſſantibus, ſecundum juſſionem diviniſſimi, & piiſſimi Principis, omnibus Pragmaticis, & quocumque modo ſacris ab utraque parte litteris impetratis, inſuper & multatione, quæ in eis hujus rei cauſſa noſcitur contineri.*

XXXIV. Profecto 1. Avitus Viennenſis, qui VI. ineunte Seculo vixit, *Epiſtola XXIII. ad Epiſcopum Jeroſolymitanum* ſuæ Eccleſiæ amplitudinem graphice deſcribit: *Exercet*, inquit, *Apoſtolatus veſter conceſſos a Domino Primatus, & quod principem locum in Eccleſia univerſa teneat, non privilegiis ſolum ſtudet monſtrare, ſed meritis.*

2. In generalium Conciliorum ſeſſionibus, & ſubſcriptionibus ſemper primus poſt reliquos quatuor Patriarchas eidem Epiſcopo locus tributus eſt.

3. Id etiam ſervatum videmus a Juſtiniano in ſuis Legibus, ab Gregorio M. in ſuis Epiſtolis, & in aliis antiquis Eccleſiæ monumentis.

4. In Synodo trium Palæſtinarum habito anno DXVIII. Epiſcopum Jeroſolymitanum præfuiſſe conſtat. Ejus enim Epiſtola Synodica ſic inſcribitur: *Joannes Dei miſeratione Epiſcopus Jeroſolymitanus, & ſancta Synodus trium Palæſtinarum exiſtens ſub ſanctis locis Chriſti Domini.*

5. Tandem in Synodo Palæſtina habita a Petro Jeroſolymitano adverſus Severum anno 536. hæc leguntur: *Præſidente ſanctiſſimo, & beatiſſimo Petro, & adſiſtentibus Sacerdotio ſuo ſanctiſſimis Epiſcopis trium Palæſtinarum.* Igitur jam inde ab Synodi Chalcedonenſis temporibus Epiſcopus Jeroſolymitanus tanquam V. Patriarcha ab univerſis ſalutatus eſt. Neque enim Leonem Papam, Gregorium M. aliosque Pontifices, qui Conſtantinopolitanorum Præſulum conatibus fortiter obſtiterunt, contra Chalcedonenſe Decretum de Jeroſolymitano Patriarchatu unquam reclamaſſe conſtat.

§. V. *De Patriarchis Aquilejenſi, & Gradenſi.*

XXXV. Aquilejenſis Patriarchatus VI. Secu-

(21) *S. Leo Epiſt. XCII. ad Maximum Antiochenum*: In Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ provinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes uſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus merito perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicavit, & ſollicita prece multum popoſcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur adſenſio.

Seculo veluti gradatim emerſit. Quum enim Gothorum Reges Metropolitas ſuæ ditioni ſubjectos Patriarchas adpellarent (22), ejuſmodi honorificum titulum Paulinus Aquilejenſis Antiſtes peculiari quodam nomine ſibi adſeruit; ſcilicet ad αὐτοκεφαλίαν, quam ſibi inſolenter adtribuit, felicius tuendam. Is enim tria Capitula in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſatis nota, ac in Synodo V. Œcumenica jam legitime rejecta, non modo damnare pertinaciter renuit, verum & comite Honorato Mediolanenſi Antiſtite ex Hiſtriæ, Liguriæ, Venetiarum, aliarumque Italiæ civitatum Epiſcopis Synodum celebrare auſus eſt adverſus indicatam V. Synodum, quam & publicis Decretis rejicere, ac deteſtari non dubitavit. Qua de re ad Eccleſiam Aquilejenſem, ut Schiſma abjiceret, ſatis utilem miſit Epiſtolam Pelagius I. quam S. Gregorium adhuc Diaconum conſcripſiſſe ſcribit Paulus Diaconus (23). Quum vero Aquilejenſis Antiſtes, & qui ei adhærebant, nimis obfirmato animo ſchiſma tuerentur, hinc Pelagius ipſe ad Narſetem Patricium ſcripſit, ut adverſus Epiſcopos ſchiſmaticos, Presbyteros, & Clericos imperatoria, & judiciaria poteſtate utatur. Tum eidem ſuadet, ut Paulinum Aquilejenſem, & Honoratum Mediolanenſem Archiepiſcopos ſchiſmatis præcipuos auctores, & defenſores cautis cuſtodibus commiſſos ad Imperatorem mittendos curaret (24). Igitur ſchiſma in Eccleſia ab Hiſtriæ præcipue Epiſcopis conflatum eſt, quo, abrupta cum Sedibus Patriarchalibus communione, in ſuum Metropolitanum Aquilejenſem Patriarchicum jus tranſtulere: hincque ipſe, atque ac ceteri conſueverant Patriarchæ, a Synodo Diœceſana nullius petito conſenſu & eligebatur, & conſecrabatur, ac nullius juriſdictioni, ne Romani quidem Pontificis, ſe noverat ſubjectum. Demum facilius Patriarchatum venditare potuit, quum, diruta Sirmio, Aquileja Illyrici Occidentalis caput evaſiſſe viſa eſt: adeo ut Aquilejenſis Epiſcopus ampliſſimæ Diœceſi præeſſet, qua ſcilicet Hiſtria, qua utrumque Noricum, qua Rhætia ſecunda continebatur.

XXXVI. Jam vero non diu poſt accidit, ut Langobardi Aquilejam invaderent, cujus incurſionibus, & terrore Paulinus Præſul Aquilejenſis tandem fatigatus Gradum confugit, eoque ſacros ſuæ Eccleſiæ theſauros tranſvexit. Iſtuc teſtatur idem Paulus Diaconus *ibidem* (25). Paulinum excepit Ælias, Æliam Severus. Hunc cum tribus Epiſcopis ab Inſula Grado Ravennam adductum Smaragdus Exarchus Ravennates ad ſchiſma ejurandum adegit. Ejuratio quidem, quippe vi extorta, effectu caruit; at ſimul conſtat Epiſcopos ple-

(22) *Athalaricus* Epiſt. ad Joannem II. *apud Caſſiodorum Lib. VIII. Epiſt. IX.* vetat ne pro ordinatione Romani Pontificis pluſquam tria millia ſolidorum exigantur: *tum ſubdit*: Alios vero Patriarchas.... intra duo millia ſolidorum jubet expendere; in civitatibus autem ſuis tenuiſſimæ plebi non amplius, quam quingentos ſolidos ſe diſtributuros eſſe cognoſcant .... Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præſidetis &c. Quapropter ſi quis Apoſtolicæ Præſulem Eccleſiæ, vel Patriarcharum Epiſcopum *&c. Hic ſane Patriarchæ vocabulum ad Metropolitanos ſaltem indicandos Athalaricum adhibuiſſe profecto nemini dubium videtur.*

(23) *Paulus Diaconus Lib. III. de Geſtis Langobardorum cap.* 2. Hic Pelagius Eccleſiæ Aquilejenſis Epiſcopo nolenti tria Capitula ſuſcipere, Epiſtolam ſatis utilem ſcripſit, quam B. Gregorius quum eſſet adhuc Diaconus conſcripſit.

(24) *Pelagius I. Epiſt.* 2. *ad Narſetem:* Quiſquis ab Apoſtolicis ſedibus diviſus eſt, in ſchiſmate eſſe non eſt dubium, & contra univerſalem Eccleſiam altare conatur erigere ... De Liguribus, atque Veneticis, & Hiſtriis Epiſcopis quid dicam? quos idonea eſt excellentia veſtra, & ratione, & poteſtate reprimere, & dimittis eos in contemtum Apoſtolicarum Sedium de ſua ruſticitate gloriari: quum, ſi quod eos de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam indicationem actum eſt, forte movebat, ad Sedem Apoſtolicam (quomodo ſemper factum eſt), ... dirigere debuerunt. *Et in Epiſt. 3. ad eundem*: Iſtud eſt, quod a vobis popoſcimus, & nunc iterum poſtulamus, ut Paulinum Aquilejenſem pſeudoepiſcopum, & illum Mediolanenſem Epiſcopum ad clementiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigatis *&c.*

(25) *Paulus Diaconus ibid. Lib. II. cap.* 8. Aquilejenſi Civitati, ejuſque populo Paulinus Patriarcha præerat, qui Langobardorum barbariem metuens ex Aquileja ad Gradi inſulam confugit, ſecumque omnem Eccleſiæ ſuæ theſaurum deportavit.

pleroſque ad unitatem Eccleſiæ rediiſſe, vix tribus, aut quatuor Severo ſchiſmatico adhærentibus. Qua de re duplex emerſit Patriarcha; nimirum Aquilejenſis, cui Epiſcopi ſchiſmatici parebant, & Gradenſis, quem in locum abducti Severi Epiſcopi imperatoriæ ditionis, & catholicæ communionis Patriarcham conſtituerunt. Profecto Severo e vivis erepto Joannes Abbas in Patriarcham Aquilejenſem electus eſt; cui electioni adſenſum quoque fuiſſe Regem Agilulphum ſcribit Paulus Diaconus. Quo etiam auctore conſtat electum eodem tempore a Catholicis fuiſſe Candidianum, qui Gradum reverſus Patriarcha Gradenſis ab Epiſcopis tum imperatoriæ ditionis, tum catholicæ communionis ſalutatus eſt (26).

XXXVII. Schiſmate prorſus exſtincto utrique Epiſcopo Aquilejenſi, & Gradenſi honorificum Patriarchæ nomen ſervatum eſt; at nullus ſupra alios Metropolitanos honor iiſdem tributus uſque ad Leonis VIII. tempora, qui circa annum 980. ſupra omnes Italiæ Metropolitas ſedere eos juſſit: quæ tamen mera fuit conſeſſus prærogativa nulla in eoſdem poteſtate tributa. Tum a Leone IX. anno 1050. utriuſque Patriarchatus fines diſtinctius, exactiuſque conſtituti ſunt. Denique Patriarcha Gradenſis Venetias tranſlatus eſt, cui dein Romani Pontifices, ac præſertim Innocentius III. ampliſſimam poteſtatem elargiti ſunt, ſcilicet per omnem Venetorum ditionem, etiam in Conſtantinopolitano Imperio, adjecta quoque poteſtate creandorum Epiſcoporum illis in urbibus omnibus, ubi Veneti plures ſuæ gentis Eccleſias obtinerent: *Geſta Innocentii III. pag.* 113. Poſtremo Alexander IV. jus ipſi vel novum conceſſit, vel priſcum firmavit in Metropolitanum Jedarenſem, ejuſque ſuffraganeos cum poteſtate illos ordinandi, non tamen Pallio donandi: *Romano quidem Pontifici traditione Pallii reſervata:* Rainaldus ad *annum* 1246. *n.* 40.

(26) *Paulus Diaconus ibidem Lib. IV. cap.* 10. Defuncto Severo Patriarcha ordinatus eſt loco ejus Joannes Abbas in Aquileja vetere cum conſenſu Regis Agilulphi. In Grado quoque ordinatus a Romanis Candidianus Antiſtes. Candidiano quoque defuncto apud Gradum, ordinatus eſt Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Epiſcopis, qui erant ſub Romanis. Et ex illo tempore cœperunt duo eſſe Patriarchæ.

CAPUT XX.

DE METROPOLITANIS.

§. 1. *Vocabuli* Μητροπολίτης *Metropolites Etymon, & Uſus.*

I. ΜΗτρόπολις *Metropolis* ita dicta, quaſi urbs matrix, ſeu aliarum urbium mater: Unde Urbi matrici præfectus Μητροπολίτης *Metropolita* dictus eſt. Jam vero uti in politica civili quædam Urbes ſupra alias evectæ ſunt, ut eſſent vel Capita provinciarum, vel Capita diœceſeων; ita quoque in ordine Eccleſiaſtico quarundam Eccleſiarum Epiſcopi eam dignitatem ſortiti ſunt, ut vel pluribus unius provinciæ Epiſcopis præeſſent, vel totius alicujus Diœceſεως plures ſub ſe provincias complectentis curam agerent. Atque hinc Mediolanum a Socrate *Lib. II. Cap.* 36. & a Sozomeno *Lib. IV. Cap.* 9. Ἰταλίας μητρόπολις *Italiæ Metropolis* dicta eſt. Antiochia a Chryſoſtomo *Hom. XVII.* haud ſemel vocatur *Metropolis*, & Hom. III. *Civitatum ſub Oriente poſitarum caput, & Mater*. Conc. Antioch. Can. IX. *Per ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe* Metropolitanum *Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad* Metropolim τῇ μητροπόλει *omnes undique, qui negotio videntur habere, concurrant.* Porro ex conſuetudine potius, quam ex aliquo Eccleſiaſtico ſancito Canone factum eſt, ut ſicuti Epiſcopi, qui primarias regerent metropoles *Patriarchæ*, vel *Exarchi* appellabantur;

tur; ita qui uni tantum præerant provinciæ, ſpeciatim Metropolitæ dicerentur. Unde Balſamon ad Canonem CII. Cod. Eccleſ. Afric. *Metropolita eſt, qui in Provincia primas tenet*; & ad Can. XXI. ibid. *Metropolitæ, qui etiam vocantur Primates provinciarum*.

§. II. *De Metropolitarum Origine*.

II. Metropolitarum origo Apoſtolicæ inſtitutioni omnino tribuenda. Euſebius, & Chryſoſtomus Eccleſiarum Cretæ Inſulæ Tito, Timotheo vero totius Aſianæ provinciæ gubernationem a D. Paulo fuiſſe concreditam docent. *Titus Inſulæ Cretæ Eccleſiarum* ἐπισκοπὴν epiſcopatum, *ſive* inſpectionem *primus accepiſſe dicitur:* Euſeb. Lib. III. Cap. 4. *Inſulam univerſam, & Epiſcoporum in ea conſtitutorum cenſuram Paulus Tito commiſit:* Chryſoſt. Hom. I. in Tit. Idem de Timot adfirmat, ſcilicet ei *creditam fuiſſe Eccleſiam, immo totam gentem Aſiaticam*.

III. Et ſane Apoſtolos in Euangelii propagatione civilis politiæ ordinem fuiſſe ſecutos videtur haud ambigendum, quum in ſuis Epiſtolis provincias eo ordine diſpertiant, quo in politia civili recenſebantur. S. Petrus ſuam primam Epiſtolam dirigit *Electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*. Tum *Actor. XIII.* 1. Eccleſia in Antiochia Syriæ Metropoli refertur; D. Paulum Syriam, & Ciliciam peragraſſe legimus: *ibid. XV.* 41. necnon & Galatiam, ac Phrygiam: *ibid. XVIII.* 23. Idem Apoſtolus epiſtolam dedit Eccleſiæ Galatiæ: & *in Epiſt. ad Rom.* Macedoniam, & Achajam expreſſe memorat. Atqui Pontus, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithynia, Macedonia, Achaja, Syria, Cilicia, Phrygia ex Romani Imperii partitione diſtinctæ erant provinciæ, quæ ſuas habebant Metropoles Amaſæam, Ancyram, Cæſaream, Epheſum, Nicomediam, Theſſalonicam, & Corinthium (1). Atque adeo idem Apoſtolus in ſuis ad Corinthios, & Theſſalonicenſes Epiſtolis Corinthum, & Theſſalonicam Provinciarum Macedoniæ, & Achajæ, veluti Metropoles reſpicit. In *I.* enim *ad Corinth.* Corinthios admonet, ut collata pecunia opem ferant pauperibus ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem; quod tamen Macedoniæ, & Achajæ tribuit *ad Rom. XV.* 26. Et in *I. ad Theſſalon. IV. De caritate*, ſcribit, *fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis .... etenim illud facitis in omnes Fratres in univerſa Macedonia*. Profecto quid ſibi vult Theſſalonicenſium fratres per univerſam Achajam eſſe diſperſos, niſi quod Theſſalonica Achajæ ſit Metropolis?

IV. Num vero Apoſtoli omnibus, ac ſingulis provinciis Metropolitanos præfecerint, quibus totius provinciæ curam demandaverint, recte quæri poteſt. Vero ſimilior videtur Petri de Marca opinio *Concor. Sac. & Imp. Lib. VI. Cap. I.* qui cenſet Apoſtolos in Timotheo, Tito, & fortaſſe etiam in aliis quibuſdam a ſe conſtitutis Epiſcopis ſpecimen quoddam Metropoliticæ Poteſtatis dediſſe, executionem vero, & complementum ejus rei ſequentibus temporibus reliquiſſe. Namque quum identidem hæreſes, & ſchiſmata erumperent, tum & inter Epiſcopos controverſiæ oborirentur, fortaſſe illud maxime opportunum viſum eſt, unum aliquem in ſingulis provinciis Epiſcopum eligere, qui rebus h[illegible]e proſpiceret; atque ita tum fidei tuendæ, tum eccleſiaſticæ paci fovendæ conſultum foret. Hanc autem prærogativam Epiſcopo τῆς μητροπόλεως *Metropoleos* tribuendam duxerunt, a quo & fidei lumen, & Epiſcopatum acceperant: iſtuc vero non multo poſt ætatem Apoſtolorum.

V. Profecto Canones ſic dicti Apoſtolici meminere Epiſcopi, qui in unaquaque gente, ſive provincia ſit primus, quem reliqui ceu *Caput* agnoſcant, ac nihil arduum,

(1) *Facit huc Tertulliani locus de Præſcriptionibus Cap.* 36. Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ. Percurre Eccleſias Apoſtolicas ... Proxima eſt tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt.

dunm, aut magni momenti præter illius ſententiam faciant (2). Quis hic non videt jus Metropoliticum Eccleſiaſtico Canone primum conſtitutum? Syn. quoque Illiber. *de prima Cathedræ Epiſcopo* loquitur (3). *Conſtit. Apoſt. Lib. VIII. Cap.* 4. Epiſcopum memorant *Primum inter reliquos: πρόκριτον τῶν λοιπῶν*, cui primas in Epiſcoporum electionibus, & conſecrationibus partes tribuunt (4). Et ex Cypriani Epiſtolis, ac præſertim ex XLII. colligitur Epiſcopum Carthaginienſem prærogativam, & poteſtatem habuiſſe ſuæ provinciæ Epiſcopos cum litteris dirigendi (5). Auguſtinus contra Parmenianum, & Optatus (6), ſcribunt Donatiſtas eo nomine Cæciliani ordinationem accuſaſſe, quod ad eam Primas Numidiæ advocatus non fuerit, quod ſane indicat in Africa jam ante Donatiſtarum ſchiſma Primates fuiſſe, qui jure metropolitico reliquis præfuerint. Tum Inſulæ Cypri Epiſcopi in Concilio Chalcedonenſi contenderunt Metropolitani ſui jura jam inde ab ætate Apoſtolica originem habere (7). Demum Irenæum Epiſcopum Lugduni, quod Galliæ Metropolis erat, *ceteris Galliæ paræciis præfuiſſe* ſcribit Euſebius *Lib. V. Cap.* 24. *Τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ὡς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει.*

VI. Quamvis autem jam inde ab Apoſtolorum ætate Metropolitarum veſtigia occurrant, nullibi tamen ante Concilii Nicæni tempora Metropolitæ nomen uſitatum invenies: primitus enim, uti modo indicavimus, *Πρῶτοι, καὶ Κεφαλαὶ* dicebantur; tum *Primæ Cathedræ*, vel *Primæ Sedis Epiſcopi*. Canone autem Nicæno IV. primum *Metropolitani* nuncupati ſunt. Porro & dein aliis etiam nominibus diſtingui conſuevere: uti *Principes:* Auguſt. *Brevic. Cap.* 16. *Ἔξαρχοι τῆς ἐπαρχίας Exarchi provinciæ*; Conc. Sard. Can. VI. (8) *Principes Sacerdotum*, vel *Summi Sacerdotes*. Conc. Carthag. III. *Can. XVI.*

(2) *Canon Apoſtolicus XXXIV. in hunc modum ſe habet*: Τὺς ἐπισκόπυς ἑκάςυ ἔθνυς εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν: Epiſcopos uniuſcujuſque gentis noſſe oportet eum, qui in eis eſt *Primus*, & exiſtimare, ut *Caput*. *Hunc Canonem Synodus Antiochena ſimul & confirmare, & interpretari videtur, dum* Can. IX. *ſic decernit*: Τὺς καθ' ἑκάςην ἐπαρχίαν ἐπισκόπυς εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν μητροπόλει προεςῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας: Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque provincia ſcire oportet Epiſcopum, qui præeſt Metropoli, etiam curam ſuſcipere totius provinciæ: *unum igitur, idemque eſſe videntur* ἑκάςυ ἔθνυς, *&* καθ' ἑκάςην ἐπαρχίαν. *Et ſane obſervante Suicero in voce* Πατριάρχης: Πατριὰ idem quod ἔθνος, ut vocatur Can. XXXIV. Apoſtolorum: πατριὰ *autem uti* ſuper. Cap. *vidimus*, familiam, regionem, tribum *ſignificat*. *Recte igitur voces ſive* ἔθνος, *ſive* ἐπαρχία *ex æquo ad provinciam ſignificandam adhibitæ ſunt; peculiares enim per provinciæ regiones conſtitutæ Eccleſiæ ab Epiſcopo Metropoleos plerumque, uti Euangelium, ita & Epiſcopatum agnoſcebant; quod* ſuper Cap. *jam ſatis explicavimus.*

(3) *Synodus Illiber. Can. LVIII.* Placuit utique, & maxime in eo loco, in quo *Prima Cathedra* conſtituta eſt Epiſcopatus *&c.*

(4) *Conſtit. Apoſtolicæ Lib. VIII. cap.* 4. Quo *Epiſcopo* nominato, & placente, congregatus populus una cum presbyterio, ac Epiſcopis, qui præſentes erunt in dia Dominica, conſentiat. Qui vero *inter reliquos Præcipuus* Πρόκριτος τῶν λοιπῶν eſt, interroget presbyterum, & plebem an ipſe eſt, quem in Præſidem poſtulant, & illis annuentibus, iterum roget *&c.*

(5) *Cyprianus Epiſt. XLII. ad Cornelium*: Per Provinciam noſtram hæc eadem collegia ſingulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres noſtros cum litteris dirigendos eſſe mandavimus.

(6) *Auguſtinus Brev. Collat. Tert. die cap.* 16. Donatiſtæ longa proſecutione agebant, ut ex illius auctoritate Carthaginienſis Conſilii confirmaretur Cæciliani damnatio.... quod non exſpectaverit, ut Princeps *ſc. Epiſc. Carthag.* a Principe *ſc. Epiſc. Numidiæ* ordinaretur, quum aliud habeat Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, ut non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent; ſicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus. *Eadem habet Optatus Milev.* Lib. I. pag. 19. Edit. Pariſ. anni MDCLXXIX.

(7) *Conc. Epheſ. Act. VII.* Adfirmavimus, quod *Epiſcopus Antiochenus* nunquam vel adfuerit, vel ordinaverit, neque in metropoli, neque in alia civitate, ſed Synodus noſtræ provinciæ congregata conſtituebat Metropolitanum. Et oramus, ut veſtra ſancta Synodus ſua ſententia nobis conſentiat, ita ut *vetus mos*, ſicut hactenus robur habuit, ita & nunc habeat.

(8) *Concilium Sardic. Can. VI.* Oportet... Epiſcopum admoneri per litteras Primatis provinciæ τῦ ἐξάρχυ τῆς ἐπαρχίας, nempe Epiſcopi Metropolitani.

Digitized by Google

VII. Ergo, uti ex hactenus dictis colligere datur, ad Metropoliticam conſtituendam Poteſtatem ex æquo conſpirarunt & ſervata ab Apoſtolis in Euangelii propagatione norma, & ſenſim in Eccleſiam inducti mores, ac demum Canones Eccleſiaſtici, uti ex iis clarius efficitur, quæ mox erunt proferenda.

§. III. *De Primatibus, ſeu Metropolitanis in Africa.*

VIII. Concilium Carthag. III. *Can. XXVI.* diſertis verbis decrevit, ut *primæ Sedis Epiſcopus non adpelletur* Princeps Sacerdotum, *aut* Summus Sarcerdos, *aut aliquid hujuſmodi*, *ſed tantum Primæ Sedis Epiſcopus*. Hinc plerumque in Africa, qui totius alicujus Provinciæ curam gerebat, *Primas* dicebatur: licet in Synodis Africanis Metropolitani quoque nomen aliquando uſurpatum occurrat: Conc. Carthag. IV. *Can. I.* (9).

IX. Dicebantur quoque *Senes*, uti ex Codice Africano, & ex multis Auguſtini Epiſtolis licet colligere (10): ibi enim excepta ſola Carthagine, cujus Epiſcopus conſtanter Provinciæ Africæ ſic dictæ Metropolitanus habebatur (11), in reliquis provinciis Primatus de alia in aliam civitatem transferebatur; quippe ſtabili quadam lege Seniorem Provinciæ Epiſcopum comitabatur, uti ex eodem Auguſtino, & ex Synodo Milevitana evincitur (12). Qua de re Leo IX. *Epiſt. IV. ad Petrum, & Joannem Epiſcopos* de Primatibus Africæ ſcribit. *In ſingulis ejus Africæ Provinciis antiquitus Primatus inſtituebantur non ſecundum potentiam alicujus civitatis, ſed ſecundum tempus ſuæ ordinationis*. Immo & Epiſcopo Seniori, ſi quidem haud recte ſuo munere defungeretur, Primatus auferri poterat; qui ſane ad proximum in ordine, qui ſe ante reliquos omnes conſecratum probaſſet, devolvebatur: Auguſt. *Ep. CCLXI.* (13). In aliis etiam Provinciis

(9) *Conc. Carthag. IV. Can. I.* Conventu totius provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel præſentia ordinetur Epiſcopus.

(10) *In Codic. Africano* Can. LXXXX. *& apud Auguſtinum* Epiſt. CCXXXVI. *occurrit* Sanctus *ſenex Xantippus*, & beatiſſimus ac venerabiliter ſuſcipiendus Pater, & Conſacerdos *Senex* Xantippus. *Tum apud eundem Auguſtinum occurrunt* Senex Megalius, Senex Silvanus, Senex Aurelius, *& expreſſius Auguſt. ipſe Epiſt. XC.* Habebam, de quo cogitabam, paratum presbyterum, propter quem ordinandum ſanctum ſenem, qui tunc primatum Numidiæ gerebat, de longinquo ut veniret, rogans litteris impetravi.

(11) *Habita ſemper fuerat Carthago totius Africæ Metropolis: quocirca & Carthaginienſis Epiſcopus ſolus fuerat veluti totius Africæ Metropolita. Poſtquam autem placuit Nicæno Concilio, ut ſuus cuique Provinciæ eſſet Metropolitanus, & a Conſtantino eodem ferme tempore diviſa in plures provincias eſt Africa, eam quidem juriſdictionem, poteſtatemque, quam etiam tum Epiſcopus Carthaginienſis præſetulerat, eidem tribuere Africani Epiſcopi perſeverarunt: ſed in ſingulis Provinciis quum ſua cœpiſſent habere concilia, mos obtinuit, ut ille ex Epiſcopis provinciæ iiſdem præeſſet, qui ordinatione eſſet antiquiſſimus, ſive ætatis reverentia, ſive quod rerum experientia præſtent ſeniores, ſive quod non eſſet in unaquaque Africæ provincia Metropolis ulla civilis, quæ ſupra urbes alias, aut magnitudine ſua emineret, aut eorum hominum concurſu, quos eo rerum ſuarum neceſſitas, aut commoditas invitaret; cujus rei habita erat ratio, quum Metropoles Eccleſiaſticæ civilibus fuerant adfixæ:* Thomaſ. Part. I. Lib. I. Cap. 20. n. 6.

(12) *Ex antiqua Imperii notitia, & ex Codicis Africani* Can. LXXXVI. Conſtantina *Numidiæ erat Metropolis: at Primatis Sedes ibi fixa non erat. Etenim Conſtantini M. ætate Secundus Tigiſitanus Primas erat Numidiæ: Auguſtinus* contr. Parmen. Lib. I. cap. 3. *&* Epiſt. LXVIII. ad Januarium. *Tempore Auguſtini Epiſcopus Calamenſis erat Primas*: Adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo: *Ita Poſſidius* Vit. Auguſt. Cap. VIII. *Megalio dein ſucceſſit Xantippus Epiſc. Tagaſtenſis. Unde in conſilio Milevitano an.* 402. Cod. Afric. Can. LXXXVI. *& apud Auguſtinum* Epiſt. CCXXXVI. *occurrit Xantippus Tagaſtenſis primæ Sedis Numidiæ Epiſcopus. Tum* Epiſt. CCXVII. *excuſarat ſe Auguſtinus, quod ad Concilium Numidiæ vocatus a Victorino non venerit*; quia Collega noſter Xantippus Tagaſtenſis dicit, quod eum Primatus ipſe contingat. *Profecto ſi jura Metropolitica urbi fuiſſent adnexa, nulla de Primatu exorta fuiſſet quæſtio. Confer* de Marca Diſſert. de Primatu Lugdun. & aliis Primatibus.

(13) *Auguſtinus Epiſt. CCLXI.* Exiſtat exemplo, ipſa Sede Apoſtolica judicante firmato, quoſdam pro culpis quibuſdam nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos.

Quæ

ciis quædam huic ſimilis conſuetudo obtinebat, quum Metropolitanus ab recta legum norma deſciſceret: illi enim munere ad tempus abrogato, Primatus plerumque Seniori in Provincia deferebatur: Euſebius *Lib. V. Cap.* 23. (14).

X. Jam vero licet in Africa jus Metropoliticum certæ urbi adligatum non fuerit: provinciæ tamen Metropoleos aliqua ratio habebatur. Eo enim jure utebatur, ut æque in ejus Eccleſia, ac in Eccleſia Primatis *Archivus*, ſive *Matricula* ſervaretur. Id ſancitum eſt in Syn. Milev. I. Cod. Can. Afric. Can. LXXXVI. *Placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, ut matricula, & Archivus Numidiæ, & apud Primam Sedem ſit, & in Metropoli, id eſt Conſtantinæ.*

XI. Tum ad averruncandam quamcunque de Primatu controverſiam bina diſciplinæ Capita a Patribus Africanis ſapienter conſtituta ſunt. Primum: ut quilibet Epiſcopus *litteras accipiat ab ordinatoribus ſuis manu eorum ſubſcriptas continentes conſulem, & diem, ut nulla altercatio de poſterioribus, & anterioribus oriatur:* Concilium Milevit. Can. XIV. Alterum: ut Epiſcopi in Conciliis ſinguli, prout conſecrationis antiquitas poſtulat, locum occupent, ſedeant, ſuffragia ferant, ac in Actis Conciliorum ſubſcribant. Ita Concilium Milev. Can. XIII. *Poſteriores anterioribus deferant*. Et Auctor Vitæ Fulgentii Cap. XX. *Inter Epiſcopos tempore ordinationis inferior ultimus ſedeat.*

XII. Ejuſmodi lex in aliis etiam Eccleſiis ſervata occurrit imperiali etiam ſanctione firmata (15): verum peculiari quadam ratione in Africa vigere oportebat, ubi Primatus ad ſeniorem ordinatione Epiſcopum devolvebatur, ne illa neglecta confuſio inter eos oriretur. Quare Auguſtinus *Epiſt. CCXVII. ad Victorinum*, qui ſe Numidiæ Primatem jactitabat, de eo graviter conqueritur, quod in Tractoria, ſive Epiſt. citatoria ad ſuum Concilium Provinciale Epiſcoporum nomina ita perturbato, & neglecto ordine conſcripſerit; *ut nomen meum*, loquitur Auguſtinus, *tertio loco invenerim, qui novi, quam poſt multos Epiſcopus factus ſum: quæ res & aliis injurioſa eſt ſatis, & mihi invidioſa.*

§. IV. *De Primatibus, ſeu Metropolitanis Honorariis.*

XIII. Præter Primates Poteſtatis fuere quoque aliqui Epiſcopi, qui Primatus titulum, & nomen gerebant, licet juriſdictionem non haberent. Atque horum duo fuerunt genera. Primum Epiſcoporum earum Urbium, quibus nomen, & titulus civilis Metropolis ab Imperatore datus eſſet. Hi profecto *Metropolitani*, vel *Primatis* titulo decorabantur, ſine tamen poteſtate, & Privilegiis, quæ veteri Metropoli reſervabantur. Iſtiuſmodi honor Epiſcopis Chalcedonenſi, & Nicæno tributus eſt; adeo ut in una Provincia Bithyniæ tres fuerint Metropolitani, uno tamen Nicomediæ Epiſcopo Poteſtatem habente (16). Secundo: quibuſdam aliis Epiſcopis honorariam Metropolitani dignitatem

Quæ ut a noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet *Priſcus* provinciæ Cæſareenſis Epiſcopus: Aut ad Primatum locus, ſicut ceteris, & mihi patere debuit, aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit.

(14) *Euſebius* Lib. V. cap. 23. *Concilium refert* Epiſcoporum Ponti, quibus Palmas utpote antiquiſſimus præſuit. *Cur autem non Metropolitanus, ſed* antiquiſſimus præfuerit Epiſcoporum *id fortaſſe in cauſſa fuit, quod Metropolitano a recta legum norma deſciſcente munus ei ſaltem ad tempus abrogatum fuerit.*

(15) *Concilium Tolet. IV. Can. IV.* Convenientes omnes Epiſcopi pariter introeant, & *ſecundum ordinationis ſuæ tempora reſideant.*

Concilium Bracar. I. Can. XXIV. Conſervato Metropolitani Epiſcopi primatu ceteri Epiſcoporum *ſecundum ſuæ ordinationis tempus* alius alio ſedendi deferat locum.

Codex Juſtin. Lib. I. Tit. IV. cap. 29. Cum Metropolitano tribus convenientibus religioſiſſimis Epiſcopis, qui ceteris *propter ordinationem* præferuntur.

(16) *Concilium Chalced. Act. VI.* Chalcedonenſem civitatem, in qua Sanctum fidei Concilium geſtum eſt, metropolis privilegia habere ſancimus, nomine tantum hanc honorantes, ſalva videlicet

tatem tributam legimus eminentiæ Sedis ipſorum intuitu, quum ea vel eſſet Eccleſia Mater, vel ſingulariter ex antiqua præſcriptione honorata: quemadmodum in Epiſcopo Jeroſolymitanæ Eccleſiæ conſpicimus. Huic namque, quod totius Chriſtiani Orbis mater eſſet, ſingulariter hic honor delatus eſt, *ut ejus Epiſcopus haberet honoris conſequentiam Metropoli propria dignitate ſervata*. Et quidem *ex veteri Conſuetudine, & ex antiqua Traditione*. Ita Canon VII. Nicænus (17).

§. V. *De Præcipuis Metropolitarum Muneribus*.

XIV. Primum Metropolitarum officium erat omnium provincialium Epiſcoporum ordinationes dirigere, eoſdemque vel ordinare, vel ordinandi poteſtatem dare: adeout Synodus Nicæna *Can. VI.* diſerte edixerit; *ut ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum Magna Synodus definivit non eſſe Epiſcopum*. Idem ſancitum occurrit in Conciliis Antiocheno *Can. XIX.* Laodiceno *Can. XII.* Chalcedon. *Can. XXV.* &c. Eandem legem in Eccleſiis quoque Occidentalibus viguiſſe perquam manifeſtum eſt ex Conciliis Arelat. II. *Can. V.* Sardic. *Can. VI.* Taurinenſi *Can. I.* &c. (18). Qua de re in Concilio Epheſino *Decret. de Epiſc. Cypri* Eccleſiarum Cypri Metropolitanis jus adſertum eſt ordinandi Epiſcopos provinciales adverſus Patriarchas Antiochenos, qui illud ſibi vindicabant: *Habebunt jus ſuum intactum, & inviolatum, qui Sanctis in Cypro præſunt Eccleſiis ſecundum canones ſanctorum Patrum, & veterem conſuetudinem per ſeipſos ordinationes religioſiſſimorum Epiſcoporum facientes*. *Confer Cap. XVII. §. III.* (19).

XV. Ejuſmodi Poteſtatem etiam ſub Patriarchis Metropolitæ retinuerunt. Metropolitarum quidem electio a Patriarchis confirmanda erat, atque adeo Metropolitæ a Patriarchis ordinandi: at jus electionem ſuffraganeorum confirmandi, ipſoſque ſuffraganeos ordinandi Metropolitis intactum permanſit, uti ex Concilio Chalced. *Act. XVI.* (20) perſpicuum eſt: exceptis Epiſcopis Romano, & Alexandrino, uti *Cap. XVI.* obſervavimus.

XVI.

cet Nicomedienſium civitati propria dignitate. *Tum Act. XIII.* Leges nomine Metropoleus ſolummodo honoraverunt Nicænam Civitatem, & præponitur reliquis Epiſcopis provinciæ honore ſolummodo. *Porro hæc prærogativa nonnunquam occaſionem dedit Honorario Metropolitæ, ut quoſdam ex Epiſcopis provincialibus ſibi ſuffraganeos vindicaret, provinciamque cum antiqua Metropolita divideret. Profecto Epiſcopus Nicænus ante Concilii VI. Generalis tempora jam videtur jura metropolitica fuiſſe conſecutus. Huic enim Concilio Photius Epiſcopus Nicænus ſic ſubſcribit:* Photius miſericordia Dei Epiſcopus Nicææ Metropoleus Bithynorum provinciæ pro me, & Synodo, quæ ſub me eſt, ſimiliter ſubſignavi.

(17) *Eruditiſſimus Valeſius* Not. in Euſebium Lib. V. cap. 23. *contendit Jeroſolymorum Epiſcopis honorem ſemper eſſe habitum, utpote Apoſtolicæ Eccleſiæ, quæ prima Epiſcopum habuiſſet. Atque adeo eo honoris privilegio ejus ſedis Epiſcopos fuiſſe potitos, ut ne Cæſarienſi quidem Epiſcopo ſubjacerent, ſed eſſent αὐτοκέφαλοι. At iſtæc Valeſii ſententia aliis non probatur: tum quod Canon Nicænus diſerte edicat:* Metropoli dignitate ſervata; *tum quod hunc Canonem explicans Hieronymus ſcribat:* Hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ metropolis Cæſarea ſit: *Epiſt. LXI. ad Pammachium. Confer Cap. XVIII. §. IV.*

(18) *Pro Eccleſiis Occidentalibus ſatis ſunto bini Canones indicati Conc. Arelat. quorum prior nimirum* Can. V. *in hunc modum ſe habet:* Epiſcopum ſine metropolitano, vel Epiſtola Metropolitani, vel tribus provincialibus non liceat ordinare. *Alter nimirum Can. VI.* Illud ante omnia clareat, eum qui ſine conſcientia metropolitani conſtitutus fuerit Epiſcopus, juxta Magnam Synodum eſſe Epiſcopum non debere.

(19) *Non deſunt qui Primatibus, ſive Metropolitanis Africæ hanc poteſtatem denegant: at contrarium ex diverſis Africanorum Conciliorum Canonibus evincitur. Conc. Carthag. II. Can. XII.* Inconſulto Primate cujuſcunque provinciæ nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis, ſine ejus præcepto Epiſcopum ordinare. *Idem præſcribunt Concilia Carthag. III. Can. XXXIX. & IV. Can. I.* Unde de Auguſtino in ejus *Vita cap. VII.* ſcribit Poſſidius. *Adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ Megalio*... *Epiſcopatum ſuſcipere Auguſtinus recuſabat.*

(20) *Concilium Chalced. Act. XV. fin.* Unuſquiſque Metropolita præfatarum Diœceſeon cum Epiſcopis ſuæ provinciæ ordinet ſuæ regionis Epiſcopos, ſicut divinis Canonibus eſt præceptum.

XVI. Hæc tamen Metropolitani poteſtas haud quidem ejuſmodi erat, ut ejus ſententiæ, ſive ſuffragio reliquis Epiſcopis accedendum omnino eſſet, ſed potius ipſe majori Epiſcoporum provincialium parti obſecundare debebat. Ita Synodus Arelatenſis II. *Can. V.* & expreſſius Nicæna Can. VI. *Quod ſi quidem communi omnium electioni, quæ & rationi conſentanea, & ex regula Eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam, qua delectantur, contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragia.*

XVII. Quum vero Metropolita eligendus eſſet, ipſi Epiſcopi Provinciales nullo ex alia provincia advocato Metropolitano (21) in Synodo provinciali eum conſtituebant. Iſtam Eccleſiarum tum Romanæ, tum Africanarum fuiſſe conſuetudinem teſtatur Auguſtinus *Brevic. Collat. Die III. cap. 16.* Donatiſtis enim Cæciliani Primatis Carthaginienſis ordinationem, ceu illegitimam reſpuentibus, quod a vicino Numidiæ Primate ordinatus non fuiſſet: reſpondet *Cæcilianum* ad id nulla lege, aut conſuetudine fuiſſe adactum: *Non*, inquit, *exſpectavit Cæcilianus, ut a principe princeps ordinaretur; quum aliud habeat Eccleſia Catholicæ conſuetudo, ut non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent. Sicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus.*

XVIII. Alterum Metropolitanorum munus erat Epiſcopis ſuæ Provinciæ præeſſe, ac ſuborientes inter eos controverſias ſua auctoritate finire (22). Tum ſi qui de injuria ſibi ab ſuis Epiſcopis illata querebantur, iis ad Metropolitanum provocare ſemper licitum fuit. Id vero muneris triplici pacto obire ſolebant Metropolitani. 1. Aliquot ex Epiſcopis Provincialibus Judices conſtituebant, qui proinde Judices electi dicebantur (23). 2. Vel cauſſam ad Synodum Provincialem deferebant, quæ communior, & antiquior videtur praxis fuiſſe. Canones ſic dicti Apoſtolici hæc habent: *Synodus ea, quæ videntur adverſus eum* (Epiſcopum accuſatum) *pronuntiet*. Tum: *Primas ne quid abſque omnium ſententia agat. Sic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per Dominum Jeſum Chriſtum* (24). 3. Vel tan-

(21) *Joſephus Binghamus* Orig. Eccleſ. Lib. II. Cap. XVI. §. 15. *producit* Canonem VI. Sardicenſem, *qui jubere videtur ad Metropolitani electionem etiam propinquioris provinciæ Epiſcopos advocandos. Verum Canon Sardicenſis prout proſtat apud Dionyſium Exiguum, apud Iſidorum Mercatorem, in Codice Eccleſiæ Romanæ apud Queſnellium, in Collectione Magna Conciliorum, & prout exhibetur a Clariſſimo Eſpenio* Tom. VII. pag. 129. Edit. Neap. *in hunc modum ſe habet*: Si contigerit in una provincia, in que plurimi fuerint Epiſcopi, unum forte remanere Epiſcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare Epiſcopum, & Populi convenerint; Epiſcopos vicinæ provinciæ debere illum prius convenire Epiſcopum, qui in ea provincia moratur, & oſtendere, quod populi petant ſibi rectorem, & hoc juſtum eſſe, ut & ipſi veniant, & cum ipſo ordinent Epiſcopum. *Profecto ut monet ibidem Eſpenius hic videtur eſſe Canonis ſenſus*; Si contigerit in aliqua Provincia unum duntaxat Epiſcopum remanere, qui juxta Canones non poteſt ſolus ordinere Epiſcopum, juſtum eſſe, ut vicinæ provinciæ Epiſcopi veniant, & ordinent cum ipſo Eccleſiæ vacantis Epiſcopum. Hunc eſſe Canonis hujus ſenſum notavit quoque Chriſtianus Lupus, ipſamque Eccleſiam Gallicanam olim hoc Canone juxta hunc ſenſum uſam fuiſſe notat ex Flodoardo in Hiſtoria Remenſi Lib. III. cap. 20. *Hactenus Eſpenius.*

(22) *Concilium Sardic. Can. XIV.* Si Epiſcopus, qui forte iracundus (quod eſſe non debet) cito, & aſpere commovetur adverſum Presbyterum, ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit; providendum eſt ne innocens damnetur, aut perdat communionem; & ideo habeat poteſtatem is, qui ejectus eſt, confugiendi ad Epiſcopum Metropoleos ejuſdem provinciæ: ſi autem Metropolitanus abfuerit ad finitimum concurrendi; & rogandi, ut ſuum negotium adcurate examinetur.

(23) *Concilium Milevitanum Can. XXI.* Si qua inter duos Epiſcopos de Diœceſeon ſuarum finibus oborietur diſceptatio, per Epiſcopos judices cauſſa finiatur, ſive quos eis *Primates dederint*, ſive quos ipſi vicino *conſultu Primatis* delegerint. *Addeſis Concilii Carthag. III. Can. IX.* Cui *Primati* ad eligendos judices undique patet auctoritas.

(24) *Canones Apoſtolici LIII. & XXXIII. quibus addeſis* Canonem VI. *Conc. Conſtantinopolitani II.* Quod ſi evenerit, ut provinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intentata ſunt, corrigere

tandem ſolus ſine Synodo Clericorum cauſſas cognoſcebat, ſententiamque ferebat, quod ex Lege Juſtinianea inferne adpoſita Metropolitis conceſſum fuit (25). At vero num ſua ſolius auctoritate Epiſcopo officium abrogare potuerit; de hoc quidem dubitatur. Verum in hac re quonſque ſeſe extenderit Metropolitanorum auctoritas nimis anxie inquirere parum refert; quum ab Metropolitani ſententia ad Synodum Provincialem provocare tum Canonum præſcriptis, tum vi ejuſdem Legis Juſtinianeæ ſemper licuerit (26).

XIX. Tertium Metropolitanorum officium illud erat; nimirum Synodos Provinciales convocare, iiſdemque præeſſe (27). Ipſe enim per Epiſtolas circulares, dictas quandoque *Synodicas*, & *Tractorias*, veluti per legales citationes ſub pœna interdictionis muneris adminiſtrandi cenſuræ canonicæ, Epiſcopos Provinciæ ad Synodum vocandi auctoritate pollebat. Ita Synodi Chalcedonenſis, & Carthaginienſis, Theodoretus, aliique veteres (28).

XX. Quarum Metropolitanorum jus erat, tum Eccleſiaſticas Leges, ac Imperiales Sanctiones ad Eccleſiaſticum regimen pertinentes publicare, diſpergere, & providere, ut obſervarentur (29); tum etiam univerſam Provinciam identidem inviſere, ut inductos abuſus evellerent; & Canonum violationi proſpicerent. Hinc Metropolitanus in Synodo Antiochena totius Provinciæ curam gerere dicitur (30). Iſtuc adeo ſtudioſe obſervabatur, ut Epiſcopis Provinciæ ne urgente quidem gravi occaſione peregre abire liceret, niſi conſulto Primæ Sedis Epiſcopo ſuæ cujuſcunque Provinciæ, *ut ab eo præcipue poſſint formatam accipere*. Ita Concilium Carthag. IV. *Can. XXVIII.* Eandem legem in Eccleſiis Occidentalibus peræque viguiſſe docemur ab Gregorio M. *Lib. VII. Epiſt.* 8. (31).

XXI. Quinto ad Metropolitanum ſpectabat,

gere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum Diœceſis *&c. Et Canonem* IX. *Conc. Antioch.* Nihil ultra facere adgrediantur ſine Metropoleus Epiſcopo: neque ipſe ſine reliquorum ſententia.

(25) *Codex Juſtin. Lib. I. Tit. IV. cap.* 29. Sancimus, ut nemo venerabilis Clericus ab aliquo ſive Clerico ſive Laico ab initio apud beatiſſimum Patriarcham provinciæ accuſetur, ſed prius juxta ſacra inſtituta apud Epiſcopum civitatis, in qua Clericus verſatur; tum ſi is ſuſpectus eſt, ad Metropolitanum Epiſcopum ſuſpectum agat.

(26) *Spatalenſis* de Rep. Eccleſ. Part. I. Lib. III. Cap. 7. num. 19. *vetera quædam Eccleſiaſtica monumenta adfert, quibus demonſtrare contendit Epiſcopos aliquando a ſolis Metropolitanis fuiſſe depoſitos. Verum ſi in monumenta illa diligentius inquiratur, illud aperte haud efferunt; ſed potius Metropolitica judicio comprovincialium quoque Epiſcoporum ſententiam acceſſiſſe ſupponere videntur: præſertim quum ex canonum vi* nihil ſine Epiſcoporum provincialium judicio *Metropolitæ agere licuerit*. Primas ne quid abſque omnium ſententia agat. Sic enim erit concordia. *Canon Apoſt. XXXIII.* Bis in anno fiat Epiſcoporum Synodus, & inter ſe examinent decreta religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias componant.

Codex Juſtinian. ibidem. Sed ſi forte ne ei quidem accuſatio placuerit, ad ſacram ejus regionis Synodum accuſatum deducat.

(27) *Concilium Agath. Can. XXXV.* Si Metropolitanus Epiſcopus ad comprovinciales Epiſtolas direxerit, in quibus eos, aut ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum invitet... ad conſtitutam diem adeſſe non differant.

Conc. Arelat. II. Can. XVIII. Ad Arelatenſia Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda.

(28) *Concilium Chalcedonenſe Can. XIX.* Epiſcopi, qui non conveniunt ad Synodum..... fraterne reprehendantur.

Concilium Carthag. IV. Can. XXI. Ut Epiſcopus ad Synodum ire non ſine ſatis gravi neceſſitate inhibeatur.

Theodoret. Epiſt. LXXXI. Parebam autem, ut Eccleſiaſtico Canoni obſequerer, qui reum haberi jubet eum, qui ad Synodum vocatus adeſſe noluerit.

(29) *Juſtinianus Novell. XLII. Epilog.* Cuſtodiat itaque Beatitudo tua, quæ recte adnotata ſunt, & mittat ipſa per ſuas Deo dilectas litteras omnibus ſanctiſſimis Metropolitis ſub ipſa exiſtentibus, quorum cuilibet cura erit ipſa manifeſta facere ſanctiſſimis Eccleſiis ſub ipſis ordinatis.

(30) *Concilium Antioch. Can. IX.* Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque provincia ſcire oportet Epiſcopum, qui præeſt Metropoli, etiam curam ſuſcipere totius provinciæ.

(31) *S. Gregorius M. Lib. VII. Epiſt.* 8. Additur, quod ex vobis aliqui pro Eccleſiæ ſuæ e-

mer-

ſtabat, ubi Sedes aliqua Epiſcopalis intra provinciam ſuam vacaret, ejus curam agere, negotia dirigere, reditus in tuto ponere, maturamque novi Epiſcopi electionem procurare. Ita Synodi Chalcedonenſis, Carthaginienſis, Rejenſis, & Valentina (32). Plerumque defuncto Epiſcopo propinquiori Epiſcopo vicaria Epiſcopatus cura committebatur, qui propterea *Interceſſor*, ſive *Interventor* dici conſuevit. De quo duo ſtatuta legimus in Concilio Carthaginienſi V. Primum, ut ſi intra annum novi Epiſcopi electionem non procuraſſet, alius in ejus locum ſubſtitui oporteret. Alterum, ut nullus Interventor illius loci Epiſcopus fieri poſſet, cui Interventor fuerit conſtitutus (33).

XXII. Sexto Metropolitanorum cura erat, ut quotannis in diem, qua Paſcha celebrandum eſſet, inquirerent, de eoque Provinciæ Epiſcopos admonerent. Quamvis enim hoc munus a Patribus Nicænis ſpeciatim Epiſcopo Alexandriæ datum fuerit; attamen quum id aliquando negligeretur, ad Metropolitanos ea cura devolvebatur. Id ex Conciliis Carthaginienſi III. Toletano IV. Bracarenſi II. &c. Tum & ex S. Ambroſio perſpicue conſtat (34). Verum de hoc Capite alibi fuſius agemus.

XXIII. Septimo tandem illud Eccleſiæ Metropolitanæ erat Privilegium, ut omnes per Provinciam Eccleſiæ eos ritus, ac divini cultus cæremonias ſequi deberent, quibus Eccleſia Metropolitana utebatur. Iſtuc in quibuſdam Galliæ, & Hiſpaniæ Conciliis ſtatutum invenitur (35). Ceterum antiquioribus Eccleſiæ Seculis, præſertim in Occidente, cuilibet Epiſcopo jus fuiſſe peculiarem pro ſua Eccleſia Liturgiam præſcribere *Cap. XIV.* jam obſervavimus.

XXIV. Illud hic tantummodo paucis animadvertendum, nimirum Metropolitanos aliquando *Apoſtolicos*, eorumque Sedes *Apoſtolicas* dici conſueviſſe. Sic Siricius Epiſt. IV. ad Epiſcopos African. cap. I. *Ut extra conſcientiam Sedis* Apoſtolicæ, *id eſt Primatis*, *nemo audeat ordinare*. Et Al-

mergentibus cauſſis tranſmarina petentes, ſine prædicti Metropolitani ſui cognitione, vel Epiſtolis, *ſicut Canonum ordo conſtituit*, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem veſtram, ut *antiquam* Eccleſiarum *veſtrarum conſuetudinem* exſequentes, tam de ſuſcipienda paſchali denuntiatione, quam etiam ſi quemquam veſtrum pro cauſſis propriis ubicunque compulerit ambulare neceſſitas, ab eodem Metropolitano veſtro *ſecundum indictam vobis regulam* petere ceſſionem debeatis.

(32) *Concilium Carthag. V.* Can. VIII. *Rejenſe* Can. VI. *Valentinum* Can. II. *Satis erit producere* Canonem XXV. *Concilii Chalcedonenſis*, *qui in hunc modum ſe habet*: Quoniam nonnulli Metropolitani .... Epiſcoporum ordinationes differunt, ſanctæ Synodo placuit, ut intra tres menſes Epiſcoporum ordinationes fiant.

(33) *Concilium Carthag. V. Can. VIII.* Conſtitutum eſt, ut nulli Interceſſori licitum ſit, Cathedram, cui *Interceſſor* datus eſt, quibuslibet populorum ſtudiis, vel ſeditionibus retinere: Sed dare operam, ut intra annum eiſdem Epiſcopum provideat. Quod ſi neglexerit, anno expleto *Interceſſor* alius tribuatur.

(34) *Concilium Carthag. III. Can. I.* Placuit in principio, propter errorem, qui ſæpe ſolet oboriri, ut omnes Africanæ provinciæ Epiſcopi obſervationem paſchalem ab Eccleſia Carthaginienſi curent accipere.

Concilium Tolet. IV. Can. V. Placuit, ut ante tres menſes Epiphaniorum *Metropolitani* Sacerdotes litteris invicem ſe inquirant, ut communi ſcientia edocti *diem* Reſurrectionis Dominicæ, & *comprovincialibus ſuis inſinuent*, & uno tempore celebrandum adnuntient.

Concilium Bracarenſe II. Can. IX. Paſcha quota Kalendarum die, vel quota luna debeat ſuſcipi, a Metropolitano Epiſcopo nuntietur.

S. Ambroſius Claſſ. I. Ep. XXIII. *ad Epiſcopos per Æmiliam num. I.* Si inciderit *Paſcha*, ſicut futurum eſt proxime, Luna decimaquarta menſis 1. die Dominica; quia neque Dominica jejunare debemus, neque decimatertia Luna die Sabbati incidente jejunium ſolvere, quod maxime die paſſionis eſt exhibendum, in alteram hebdomadam celebritas Paſchæ eſt differenda.

(35) *Concilium Toletan. XI. Can. III.* Placuit huic Sancto Concilio, ut Metropolitæ Sedis auctoritate coacti uniuſcujuſque provinciæ pontifices, rectoreſque Eccleſiarum unum eundemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum; nec aliqua diverſitate cujuſque ordinis, vel officii a Metropolitana ſe patiantur Sede disjungi. *Idem ſancitum occurrit in Synodo Gerundenſi* Can. I.

Concilium Epaonenſe Can. XXVII. Ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, provinciales eorum obſervare debebunt.

Alcuinus de divinis Officiis Cap. 37. *Quum Epiſcopus civitatis fuerit defunctus, eligitur alius a Clero, & populo, fitque Decretum ab illis, & veniunt ad* Apoſtolicum *eum ſuo Electo*. Porro ejuſmodi nominis prærogativa ſecutis temporibus Cathedræ S. Petri, nimirum Eccleſiæ Romanæ reſervata eſt.

§. VI. *De Metropolitis in Regno Neapolitano*.

XXV. In Regionibus, quæ modo Regnum Neapolitanum conſtituunt, num antiquitus fuerint Metropolitani certant Eruditi, & adhuc ſub judice lis eſt. Plerique ad VIII. uſque Seculum nullos fuiſſe cenſent; atque adeo Rom. Pontificem Eccleſiarum Suburbicariarum Metropolitam duntaxat faciunt. At contra Petrus de Marca *Conc. Sac. & Imp. Lib. I. Cap.* 7. contendit jam inde ab IV. Seculo tum in reliquis, tum vel maxime in iis ſuburbicariis Provinciis, quæ ad Regnum Neapolitanum pertinent, Metropolitas, Metropoles, & Provincias Eccleſiaſticas agnoſcendas; idque pluribus, nec contemnendis ex antiquis monumentis deſumtis rationibus demonſtrat. Quænam hac in re nobis ſententia adrideat, in Diſſertationibus Eccleſiaſticis, quas ad calcem Operis dabimus, aperiemus.

XXVI. Seculo VIII. uti *Tit. ſuper.* indicavimus, quum Sicilia, ac plures Regni Neapolitani præſertim maritimæ Eccleſiæ ab Romano Patriarchatu avulſæ Throno Conſtantinopolitano adnexæ fuerunt, Patriarcha Conſtantinopolitanus uti Epiſcopum Syracuſanum per Siciliam, ita Epiſcopos Rheginum, & S. Severinæ per Calabriam Metropolitas conſtituit: Nilus Doxopatrius *De quinque Thronis Patriarchalibus* apud Leonem Allatium *de Eccleſ. Orient. & Occid. perpet. conſ.* & Novella Leonis Imp. apud Leunclavium *Jur. Græc. Rom. Tom. I.* In eadem Novella recenſentur Epiſcopi eorundem trium Metropolitarum ſuffraganei: ſcilicet num. *XXXII. Rhegienſis, ſive Calabriæ. 1. Bibonenſi. 2. Taurianæ. 3. Locridis. 4. Ruſiani. 5. Scylacii. 6. Tropæi. 7. Amanteæ. 8. Crotonæ. 9. Conſtantienſis. 10. Nicoterenſis. 11. Biſuniani. 12. Novocaſtrenſis. 13. Caſſani.* Num. *XLIX. Severianæ, Calabriæ. 1. Euryſatenſis. 2. Acerentinus. 3. Callipolitanus. 4. Aiſylorum. 5. Caſtriveteris. Sub Syracuſano Siciliæ. 1. Taurominitanus. 2. Meſſanenſis. 3. Agrigentinus. 4. Cronienſis. 5. Lilybæi. 6. Drepani. 7. Panhormitanus. 8. Thermarum. 9. Cephaludii. 10. Aleſæ. 11. Tyndarii. 12. Melitenſis. 13. Liparenſis.*

XXVII. Idem Conſtantinopolitanus Patriarcha nonnullis Epiſcopis, quos ad Metropoliticam dignitatem evehere ipſi non licuit, honorificum duntaxat Archiepiſcopi titulum eſt elargitus; ac præ ceteris Neapolitano, & Meſſanenſi. Unde in eadem Leonis Novella occurrunt *Archiepiſcopatus XIV. Neapolis. XV. Meſſana. LV. Hydruntino qui ſubſit, nullus eſt Thronus*. Profecto Sergius Epiſcopus Neap. uti ſcribit Joannes Diaconus in Chron. Epiſc. Neap. *dum a Græcorum Pontifice Archiepiſcopatum nanciſceretur, ab Antiſtite Romano correptus veniam impetravit*. Denique ſecutis temporibus quum & aliæ Regni Neap. civitates ab ditione Langobardica a Græcis ſubtractæ fuiſſent, earundem quoque Eccleſiæ Throno Conſtantinopolitano adſcriptæ ſunt; uti Tarentum, Brunduſium, Tranum. Unde Doxopatrius ibid. *Meloduſæ Poeta Dominus Marcus Hydruntum a Conſtantinopolitano miſſus fuiſſe comperitur. Cum autem univerſæ Langobardiæ ducatus, quæ vetus Hellas erat, ſub Imperatore erat Conſtantinopolitano, Papa vero ſeparatus cum aliis gentibus vivebat, propterea Patriarcha Eccleſias obtinebat; nam Brunduſium, & Tarentum a Conſtantinopolitano Sacerdotes accipiebant; idque nullum latet*. Quinimmo Epiſcopus Barienſis ad Metropolitæ dignitatem evectus eſt, ipſique duodecim ſuffraganei adſignati ſunt. Auctor Hiſt. Civil. Neap. *Lib. VIII. Cap. 6.* Uti quoque Luitprandus Cremonenſis Epiſc. *Legatio ad Nicephorum Phocam pro Othonib.* refert Epiſcopos Acheruntinum, Turcicum, Gravinenſem, Materanum, & Tricaticenſem fuiſſe per Nicephorum

Pho-

Digitized by Google

Phocam ſubjectos Metropolitæ Hydruntino.

XXVIII. Dum res ita ſe habebant in Provinciis Throno Conſtantinopolitano ſubjectis, in reliquis Regni Neapolitani medio Seculo X. R. Pontifices quaſdam magis conſpicuas Eccleſias in Metropoles Eccleſiaſticas evehere cœperunt. Ac primo ejuſmodi dignitatem promeruere Campana, Beneventana, Neapolitana, Salernitana, Amalphitana, & Surentina, quibus ſuffraganeæ adtributæ ſunt Eccleſiæ. Quod inſtitutum dein in omnibus Regni Provinciis ſervatum eſt, ac poſtremo ad umbilicum perductum, poſtquam Northmanni Principes noſtri, Græcis devictis, ſuas R. Pontificibus Eccleſias reſtituerunt.

EXCURSUS

De ΑΥΤΟΚΕΦΑΛΟΙΣ.

I. NOmen τῦ Αὐτοκεφάλυ, quod Epiſcopum nulli ſubjectum, ſuaque libertate gaudentem deſignat, iis potiſſimum Epiſcopis tributum eſt, qui licet Romano Pontifici, tanquam jure divino Univerſalis Eccleſiæ Capiti, ſubeſſent, nulli tamen ſuberant Patriarchæ. Et ſane antequam Patriarcharum jura firmius adſtruerentur, ac eorundem juriſdictionis limites diſtinctius, ac exactius ſtatuerentur, omnes ex æquo Metropolitani videntur fuiſſe Αὐτοκέφαλοι, quippe qui Concilio Provinciali duntaxat ad reddendam rationem erant obnoxii, & nonniſi gravioribus in cauſſis Romanum Pontificem, ceu Univerſalis Eccleſiæ Caput, conſulebant. Quinimmo etiam Patriarchica omni ex parte plene conſtituta Poteſtate, quidam Metropolitani in eadem libertate perdurarunt, & ſuam ordinationem non ab aliquo Patriarcha, ſed a ſua ipſorum Synodo Provinciali acceperunt. Hujuſmodi fuere ex Balſamone Metropolitani Bulgariæ, Cypri, & Iberiæ (1). Tum recte obſervante Petro de Marca eadem ratio videtur fuiſſe Eccleſiarum Armeniæ tempore Photii (2).

II. Αὐτοκέφαλοι quoque dicebantur ii Epiſcopi, qui nulli Metropolitano, at proxime Patriarchæ ſubjiciebantur, qui ipſis Metropolitani loco erat. In antiqua Notitia primum a Leunclavio, dein a Beveregio, & a Carolo a S. Paulo edita per diverſas Patriarchatuum Provincias plures iſtiuſmodi Epiſcopi recenſentur (3).

III. Noſtris temporibus ii Epiſcopi Αὐτοκέφαλοι audiunt, qui nulli Metropolitano ſubjecti ἀμέσως Romanæ Sedi parent, ceu ſuæ ipſorum Metropoli. At propriæ Provinciæ Metropolitano ad Concilium Provinciale vocanti obedire tenentur; uti in noſtris Canonicis Inſtitutionibus *Lib. I. Tit. IV.* jam obſervavimus.

(1) *Balſamon in Concil. Conſtantinopolit. Can. II.* Si alias etiam Eccleſias inveneris, quæ principales, & per ſe ſiut Capita, ut Bulgariam, Cyprum, & Iberiam, ne mireris. *De Eccleſiis Cypri Concil. Epheſ.* Act. VII. *Confer* Caput XVII. §. III. Not. 14. *Ejuſmodi Eccleſiarum Cypri prærogativa in Synodo Trullana* Can. XXXIX. *confirmata eſt*. Citra ullam innovationem ſerventur, quæ a divinis Patribus, qui Epheſi primum convenerunt, prædicti viri *Joannis inſulæ Cypri Præſulis* throno privilegia conceſſa ſunt. *Eccleſias Iberiæ, quam nunc quidem* Georgiam *vocant, eadem prærogativa fuiſſe donatas obſervant Eruditi: quod nimirum nec Patriarchæ Conſtantinopolitano paruerint, nec ulli alii Patriarchæ; ſed omnes ſuo ipſorum Metropolitano duntaxat obſequium præſtiterint. Confer Brerewood* Enquir. Cap. XVIII. *Chytræum* de Statu Eccleſiæ.

(2) *Petrus de Marca de Primatibus num. XXVII.* Scire oportet hanc provinciam eſſe ſui juris, minimeque ſubditam Apoſtolicæ Sedi (Conſtantinopolitanæ ſcilicet) ſed honorari tamen intuitu S. Gregorii Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis urbibus, & caſtris.

(3) *Ejuſmodi Notitia apud Leunclavium undequadraginta, apud Beveregium quadraginta unum, apud Carolum a S. Paulo ſex & quadraginta iſtiuſmodi exhibet Epiſcopatus. Tum Nilus Doxopatrius apud le Moyne* Varia Sacra Tom. I. *ſcribit Patriarcham Jeroſolymitanum in ſua Diœceſi viginti quinque iſtiuſmodi Epiſcopatus habuiſſe, & Antiochenum ſexdecim; qui* Archiepiſcopi, *ac etiam* Metropolitani *nomine decorabantur, licet nullos ſub ſe habuiſſent ſuffraganeos.*

C A P U T XXI.

De Proprietatibus in Promovendis ad Epiſcopatum requiſitis ; necnon de Legibus in eorundem Ordinatione ſervatis.

§. I. *De Proprietatibus, quas in Epiſcopis Vetus Eccleſia poſtulabat.*

I. AC primo in Epiſcopis requirebatur Ætas, quæ per Canones ad minimum triginta annorum eſſe oportebat. Ita Syn. Neocæſareenſis, Agathen. Toletana IV. (1). Verum lex iſtæc ab Apoſtolorum ætate non videtur perpetuo obſervata. Nam Conſtitutiones Apoſtolicæ *Lib. II. Cap. 1.* quemadmodum conſtituunt, *ut Epiſcopus non minor natu ſit quam annorum quinquaginta :* ita etiam permittunt, ut ſi neceſſitas coegerit, *Epiſcopus fiat, qui in adoleſcentia manſuete, & compoſite vivendo ſimilem ætatem oſtendat*. Hinc Timotheus adhuc juvenis Epiſcopus creatus eſt (2); tum Gregorium Thaumaturgum, ejuſque fratrem ambos valde juvenes Epiſcopos fuiſſe ordinatos teſtatur Euſebius (3). Idem de Acholio Epiſcopo Theſſalonicenſi refert Ambroſius (4), de Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano Socrates (5), & de Athanaſio Theodoretus (6). Tum Remigius Epiſcopus Remenſis, & Eleutherius Epiſcopus Illirici, ille duos & viginti, hic nonniſi viginti annos natus Epiſcopale munus ſubiere (7). Igitur lex Eccleſiæ, quæ triginta annos ad Epiſcopatum decreverat, haud raro abrogata eſt, quum vel neceſſitas, vel extraordinaria animi ornamenta aliquem licet juvenem ad Epiſcopatum provehi poſſe ſuaderent. Tandem teſte S. Ignatio M. *Epiſt. ad Magneſ. num. III.* (8) Damas Epiſcopus Magneſianorum admodum juvenis fuit Epiſcopus ; quum ordinationem ejus vocet *νεωτερικὴν τάξιν Juvenilem Ordinationem* (9).

§. II.

(1) *Conc. Neocæſ. Can. XI.* Presbyter ante triginta annos non ordinetur. *Conc. Agath. Can. XVII.* Presbyterum, vel Epiſcopum ante triginta annos nullus Metropolitanorum ordinare præſumat. *Conc. Tolet. IV. Can. XIX.* Ad Sacerdotium non promoveantur..... qui nondum ad triginta annos pervenerunt.

(2) *I. ad Timot. Cap. IV. verſ.* 12. Nemo tuam adoleſcentiam ſpernat.

(3) *Euſebius Lib. VI. cap.* 30. Quum quinquennio integro in ejus *Origenis* auditorio verſati fuiſſent, tantopere in divinis eloquiis profecerunt, *ut ambo adhuc juvenes* Eccleſiarum in Ponto Epiſcopi fuerint conſtituti.

(4) *Ambroſius Ep. LX. ad Anyſium:* Benedictus proceſſus *juventutis* ipſius, in qua ad ſummum electus eſt Sacerdotium, mature jam probatus virtutum ſtipendio.

(5) *Socrates Lib. II. cap. 6.* Paulum, quem ipſe Presbyterum ordinarat, adſumerent, ætate quidem *adhuc juvenem*, ſed prudentia ſenem.

(6) *Theodoret. Lib. I. cap.* 25. Alexandro ... vita functo in Alexandrinorum Eccleſia cathedra ſucceſſit Athanaſius..... erat autem cum celeberrimo Alexandro, *juvenis quidem ætate*, ſed princeps ordinis Diaconorum. *Profecto Athanaſius Epiſcopus ordinatus eſt anno*. CCCXXVI. *At ipſe* Epiſt. ad Solitarios *ſcribit, ſe a parentibus ſuis didiciſſe perſecutionem a Maximiano in Chriſtianos Conſtantii avo excitatam :* Audivi a patribus (veram rem arbitror) in ſuperiore ſub Maximiano Conſtantii avo perſecutione &c. *Conſtantius imperium nactus eſt an.* CCCV.

(7) *Hincmarus Vit. Remigii apud Baronium ann.* CCCCLXX. Remigius ad vigintiduos annos natus ... ad Pontificii culmen raptus fuiſſe dignoſcitur potius, quam electus. *Nicephorus Lib. III. cap.* 29. Eleutherius deinde viginti annos natus Illyrici Epiſcopus deligitur.

(8) *S. Ignatius M. Epiſt. ad Magneſianos num. III.* Sed & vos decet non familiarius, ac ſuperbe uti *ætate* Epiſcopi, ſed ſecundum virtutem Dei Patris impertiri illi reverentiam : quemadmodum novi ſanctos facere presbyteros ; non reſpicientes ad apparentem *juvenilem ordinationem*, ſed ut prudentes in Deo &c.

(9) *Salmaſius, & Ludovicus Capellus hunc Ignatii locum miſere pervertentes contendunt Ignatium per verba νεωτερικὴν τάξιν tantummodo muneris Epiſcopalis novitatem generatim intellexiſſe, quod ſcilicet noviſſime ſit inſtitutum. At contra Joſephus Binghamus* Orig. Eccleſ. Lib. I. Cap. X. §. 2.

poſt

§. II. *Epiſcopus ex Eccleſia, cui præficiendus erat, eligendus.*

II. Epiſcopus nonniſi ex eadem Eccleſia, cui præficiendus erat, eligebatur. Hujuſce praxeos pro Eccleſiis Africanis, & Hiſpanis teſtis eſt Cyprianus (10). Eundem morem Alexandriæ quoque perpetuo obtinuiſſe auctor eſt Hieronymus (11). Tandem in eadem ſententia fuiſſe videntur Veteres Romani Pontifices Cæleſtinus, Hilarius, Leo, ac præſertim Julius I. (12) qui id adverſus Gregorium, quem Ariani in locum Athanaſii Eccleſiæ Alexandrinæ obtruſerant, fortiter urgebat: nimirum *quod externus homo eſſet, compluribus ignotus, nec ab Alexandrinis poſtulatus*. Verum ab generali hac regula Majores noſtros aliquando diſceſſiſſe conſtat, præſertim tribus hiſce de cauſſis. 1. Si Eccleſiæ bono foret Epiſcopum ab una in alteram Eccleſiam transferri. 2. Ubi inter cives de quopiam ex ſua ipſorum Eccleſia eligendo non conveniret; tum enim Synodus Provincialis, vel Metropolitanus ex alia Eccleſia quempiam ipſis eligendum proponebat, vel etiam aliquando Epiſcopum conſtituebat. Hac de cauſſa Socrate, & Sozomeno teſtibus (12), Chryſoſtomus, licet extraneus, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus eſt. 3. Nonnunquam viri meritis illuſtres, aut virtutum ſplendore conſpicui, quamvis exteri, viduatæ Eccleſiæ civibus præferebantur. Quod de S. Euſebio Vercellenſi perhibet Ambroſius, quem Vercellenſes licet nunquam antea viderant, ſed tantummodo ejus virtutum famam audierant, attamen *poſthabitis civibus ſimul ut viderunt, & probaverunt*: Epiſt. LXXXII. ad Eccleſ. Vercell.

§. III. *Ad Epiſcopatum inferiorum Ordinum miniſteria parabant viam.*

III. Præterea ad Epiſcopatum nemo, niſi per inferiores ordines, ceu per gradus conſcendebat. Quod pluribus evincitur. 1. Tertullianus *Lib. de Fuga in perſecut.* & *in Lib. de Præſcript. Cap. XLI.* tum de levibus, ac temerariis quibuſdam contra Apoſtoli mandatum Neophytorum ordinationibus conqueritur; tum ſcribit: *Hoc ſentire, & facere omnem ſervum Dei oportet, etiam minoris loci, ut majoris fieri poſſit*.

2. Clemens Alex. Strom. Lib. V. pag. 667. *Nam hic*, inquit, *quoque progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ſunt, ut arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ, ac diſpenſationis, quam dicunt Scripturæ illos exſpectare, qui inſiſtentes veſtigiis Apoſtolorum vixerunt in perfectione juſtitiæ*. Tum ſubdit: *Primum quidem Diaconos futuros, deinde cooptandos eſſe in presbyteratum... donec creverint in virum perfectum*. Igitur II. & III. Eccleſiæ Seculo ſaltem Diaconatum Præsbyteratui, Presbyteratum Epiſcopatui fuiſſe præmiſſos ſatis conſtat.

IV. Jam vero etiam jam inde ab III. Seculo per inferiores ordines, licet non omnes, at unum ſaltem eorum, ad ſuperiores patuiſſe progreſſum plura indicant veterum ordinationum exempla. Profecto 1. Celerinus Lector a Cypriano conſtitutus eſt, Presbyterque jam tum deſignatus; at Presbyteri honorem ſtatim conſecutus non eſt, atque adeo Dia-

poſt Pearſon. Vindic. Ignat. Præf. *demonſtrat ejuſmodi interpretamentum tum ab univerſo omnium Ignatii Epiſtolarum argumento, & ſcopo prorſus alienum eſſe, tum vel maxime producti loci ſententiæ repugnare, ubi non de Epiſcopatus inſtitutione loquitur, ſed de Magneſiani Epiſcopi ætate, ſcilicet quod valde juvenis fuerit, quum ordinaretur.*

(10) *Cyprianus Epiſt. LXVIII. ad Fratr. Hiſp.* Epiſcopus eligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.

(11) *Hieron. Epiſt. LXXXV.* Alexandriæ Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant.

(12) *Cæleſtinus* Epiſt. II. ad Epiſc. Narbon. num. 4. *Hilarius* Epiſt. ad Aſcan. Tarracon Cap. 3. *Leo M.* Epiſt. LXXXIV. ad Anaſtaſiam Cap. 6. *Julius I.* Epiſt. apud Athan. in Apolog. II.

(13) *Socrates Lib. VI. cap. 2.* Contentio de ordinando Epiſcopo exorta eſt. Placuit, ut Joannes Antiochenſis Eccleſiæ Presbyter arceſſeretur. Fama enim de illo increbruerat, eum doctrina ſimul, & eloquentia valere &c.

conus Romæ Martyr occubuit : Cyprianus *Epiſt. XXXIV.*

2. Cyprianus ipſe *Epiſt. XXXIV.* de Aurelio Lectore loquens ; *Placuit* , inquit , *ut ab officio Lectoris incipiat* .

3. Tum Epiſt. XXIV. Optatum *ex Lectore, & audientium Doctore a ſe Hypodiaconum* conſtitutum ſcribit.

4. Tandem Epiſt. LII. de Cornelio Romano Pontifice teſtatur eum *omnia Eccleſiaſtica officia .... ad Sacerdotis ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus* adſcendiſſe.

5. Nazianz. *Orat. XX. in laudem Baſilii* in eos invehens, qui præcipiti gradu ad Sacerdotium feruntur , Baſilium aliter ſe geſſiſſe narrat , quippe qui populo libros lectitavit, antequam Presbyter crearetur. Tum ſubdit: *Ordines, ac ſpiritualis progreſſionis lege hoc eum honore adſecit ... Eadem rei militaris eſt ratio: miles primum, deinde Centurio, tum Imperator* &c.

6. Chryſoſtomus a Lectoratu , quem a Zenone receperat , ad Diaconatum promotus eſt, deinde Presbyter, poſtea Epiſcopus. Socrates *Lib. VI. cap.* 3. & Palladius *in Vit. Chryſoſt.*

7. Sanctus Ambroſius licet communi populi adclamatione, ac ſuffragio ad Eccleſiæ Mediolanenſis regimen quantocius expetitus, baptizatus tamen prius eſt; tum *fertur omnia Eccleſiaſtica officia implevisſe, atque octava die Epiſcopus ordinatus:* Ita Paulinus *in Vita S. Ambroſii*.

8. Epiphanius Paulinianum Hieronymi fratrem Monaſterio Sacerdotibus indigenti Presbyterum conſecraturus, etſi Sacerdotum penuria urgeret , Diaconum tamen creavit prius & Diaconatus officium exercere curavit , antequam Presbyterum ordinaret: *Epiphanius Ep. ad Joan. Jeroſolym.*

9. Epiphanius ipſe quum ad Epiſcopatum raptus eſſet , incitante præſertim Beato Pappo, qui eum divina viſione Epiſcopum Cypri futurum prænoverat, prius tamen Diaconus , ac Presbyter , quam Epiſcopus ordinatus refertur : *Vita S. Epiph. apud Metaph.*

10. Hieronymus de Nepotiano Preſbytero ſcribens ; *Fit* , inquit , *Clericus* , *& per ſolitos gradus Presbyter ordinatur* .

11. Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus ex Lectore Diaconus , ex Diacono Sacerdos , ultimo Epiſcopus conſecratus eſt : Vita S. Entichii *apud Metaphraſtem*.

12. Cæſarius Arelatenſis a S. Sylveſtro Epiſcopo Cabilonenſi in Clericum adtonſus, poſtea monachus, tum ab Eonio Arelatenſi Diaconus, demum Presbyter, & ex Presbytero Epiſcopus fuit : Vita S. Cæſarii *Lib. I. cap.* 2.

13. De Joanne Cabilonenſi Epiſcopo refert Sidonius Apollinaris Lib. IV. Epiſt. 12. *Lectorem hunc primum , ſic Miniſtrum Altaris* (ideſt Diaconum) *proceſſu temporis Archidiaconum, poſtea ſecundi ordinis Sacerdotem , ſeu Presbyterum* creatum, antequam ad Epiſcopatum promoveretur.

14. De S. Felice Nolano ſcribit S. Paulinus *Lib. IV. Epiſt.* 25. eum primis annis Lectorem, & Exorciſtam egiſſe.

15. Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus , teſte Ennodio in ejus Vita, *cæleſtis militiæ tyrocinium annorum ferme octo Lectoris ſuſcepit officium :* ex quo ordine Subdiaconus creatus eſt , mox Diaconus , poſtea Presbyter, ultimo Epiſcopus.

V. Quod hactenus exemplis demonſtravimus firmatur etiam Conciliorum Canonibus. Ac 1. Patres Sardicenſes *Can. X.* ſanxerunt : *Si forte aut dives , aut Scholaſticus de foro, aut ex adminiſtratione Epiſcopus fuerit poſtulatus , ut non prius ordinetur, niſi in Lectoris munere , & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus ; ut per ſingulos gradus , ſi dignus fuerit , adſcendat ad culmen Epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt prolixum tempus, probari qua fide ſit, qua modeſtia, qua gravitate, & verecundia ... conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut temere ordinetur, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, maxime quum & Magiſter Gentium Apoſtolus, ne hoc fieret, denuntiaſſe , & prohibuiſſe dicatur* . Eadem lex in Syn.

Bra-

Bracarenſi I. Sueſſionenſi (14), aliiſque ſancita occurrit.

VI. Conſonant quoque Veterum Romanorum Pontificum Decretales. Ac 1. Siricius diſerte præcipit, ne quis Epiſcopalem cathedram adipiſcatur, niſi prius fuerit Lector, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, & tandem per decennium Preſbyter (15).

2. Innocentius I. apertis verbis jubet, eum ad Sacerdotii faſtigium promovendum, qui in minoribus Lectoris, Acolythi, ac Diaconi officiis diu perduraverit (16).

3. Zoſimus *Epiſt. I. cap.* 3. præcipit, ut qui Diaconus futurus eſt, primum inter Lectores vel Exorciſtas, tum inter Acolythos vel Subdiaconos probetur (17).

4. Cæleſtinus *Epiſt. II. ad Epiſcopos Galliæ*, jubet nonniſi in inferioribus ordinibus inſtructos Epiſcopatum pertingere, *ut minoribus initiati officiis ad majora firmentur*.

VII. Idem poſtremo demonſtrari poſſet pluribus Gregorii M. auctoritatibus, ex quibus ſatis erit proferre *Epiſtolam CXXX. Lib. VII. ad Syagrium*, in qua ſic præcipit: *Ordinate ad ordines adſcendendum eſt; nam caſum adpetit, qui ad ſummi loci faſtigia poſthabitis gradibus per abrupta quærit adſcenſum: ſcimus autem, quia ædificati parietes non prius lignorum pondus accipiunt, niſi a novitatis ſuæ humore ſiccentur: ne ſi ante pondera, quam ſolidentur, accipiant, cunctam ſimul ad terram fabricam deponant*.

VIII. Ex hactenus dictis duo erui poſſe videntur: Primum: inferiores ordines ſuperioribus ea de cauſa fuiſſe præmiſſos, quia inferiora miniſteria produnt Clericorum vitam morumque probitatem, ut inde liceat agnoſcere, num digni ſint, qui ad Sacerdotium promoveantur. Id modo productus Sardicenſis Canon, & Romanorum Pontificum Epiſtolæ manifeſto produnt.

IX. Alterum antiquitus neceſſum non fuiſſe omnes inferiores ordines percurrere; quum ſatis fuerit vel unum eorum ſuſcepiſſe, ac in eo miniſtraſſe. Certe ex modo producto Sardicenſi Canone, ut quis potuiſſet ad Epiſcopatum promoveri ſatis erat, ut ante Diaconatum Lectorem egiſſet. Id etiam aperte produnt omnia pæne adlata antiqua Eccleſiaſtica monumenta, ac ipſi etiam Romani Pontifices Siricius, Innocentius, & Zoſimus, qui non cunctos, ſed unum vel alterum inferiorem ordinem indicant ſuperioribus præmittendum. Lectoratus præ reliquis inferioribus ordinibus præcipue ratio habebatur, quod in ejus munere adimplendo magis ſeſe proderet Clerici induſtria, ac inde facilius dignoſci poſſet, quo quis animo ad Eccleſiaſticum miſterium acceſſiſſet.

X. Jam vero exempla occurrunt. Diaconorum, qui Presbyteratu haud ſuſcepto,

(14) *Syn. Bracar. I. Can. XXXIX.* Per ſingulos gradus eruditus ad Sacerdotium venit. *Synodus Sueſſion. Act. VI.* Qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad Sacerdotium proſilivit, in degradationem debitam reſilire debere.

(15) *Siricius Epiſt. I. cap.* 9. Quicunque ſe Eccleſiæ voverit obſequiis a ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad vigeſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit ..... Acolythus, & Subdiaconus eſſe debebit, poſteaque ad Diaconi gradum, ſi ſeipſum primitus, continentia præeunte, dignum probaverit, accedat, ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtraverit, congrue presbyterium conſequatur. Exinde poſt decennium Epiſcopalem Cathedram poterit adipiſci.

(16) *Innocentius I. Epiſt. IV. cap.* 5. Nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat: qui in minoribus officiis ſi diu perdurent, & vitæ eorum pariter, & obſequia comprobantur, ut ad Sacerdotium poſthac emenſis ſtipendiorum meritis veniant *&c.*

(17) *Zoſimus Epiſt. I. cap.* 3. Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores uſque ad vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. Si major jam & grandævus acceſſerit, ita tamen ut poſt baptiſmum ſtatim ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter lectores, ſive inter exorciſtas quinquennio teneatur: exinde Acolythus, vel Subdiaconus quatuor annis, & ſic ad benedictionem Diaconatus (ſi meretur) accedat, in quo ordine quinque annis ſi inculpate ſe geſſerit, hærere debebit. Exinde ſuffragantibus ſtipendiis, per tot gradus datia propia fidei documentia, Presbyterii ſacerdotium poterit promereri. De quo loco (ſi eo illum exactior ad bonos mores vita perduxerit) ſummum Pontificatum ſperare debebit.

pto, ad Epiſcopatum ἀμέσως promoti videntur. Id de Cæciliano ſcribit Optatus Milevitanus; de Athanaſio Theodoretus, & Epiphanius; de Felice Pontifice Romano Socrates, & Theodoretus; de Agapeto, & Vigilio etiam Romanis Pontificibus, tum & de Petro Moggo, & de Iſaia Epiſcopis Alexandrinis Liberatus Diaconus (18): demum alii de aliis.

XI. Tum neceſſitate urgente ex inferioribus etiam ordinibus Subdiaconis, Lectoribus &c. Epiſcopi aliquando eligebantur. Auguſtinus *Epiſt. CCLXI.* ad Cæleſt. de Antonio quodam Foſſulæ Epiſcopo ſcribit: *Ipſum præter Lectionis officium nullis clericatus gradibus, & laboribus notum* Epiſcopum fuiſſe ordinatum.

XII. Immo & aliquando de ipſis laicis Epiſcopi electi ſunt, quum nimirum Deus ſpeciali ſua Providentia eos, tanquam ad Epiſcopatum maturius idoneos, ſibi elegiſſe videretur. Id Ambroſio Mediolanenſi Antiſtiti accidiſſe omnes norunt; qui adhuc Catechumenus Infantis, vel ſatius Dei voce, Epiſcopus a multitudine adclamatus eſt. Idem de Euſebio Cæſareæ in Ponto Epiſcopo Baſilii deceſſore tradit Nazianzenus (19). Denique Cyprianus, Pontio, qui ejus vitam conſcripſit, auctore, & Nectarius Conſtantinopolitanus, Socrate, & Sozomeno referentibus, adhuc Neophyti Epiſcopi conſtituti ſunt (20). Poſtremo Chryſoſtomus de Philogonio Epiſcopo Antiocheno idem videtur innuere, quum ſcribit *de ſella judicis in thronum Epiſcopi* fuiſſe translatum. In productis ſane exemplis admiranda Supremi Numinis Providentia interceſſiſſe, ac omnia feliciter direxiſſe dicenda eſt.

XIII. Neque ejuſmodi Ordinationes Eccleſiaſticis Canonibus prorſus contrarias eſſe dicas; quippe hujuſmodi Canones eo ſenſu intelligendi, ut nunquam eam exceptionem excluſerint, quæ in antiquis quibuſdam Canonibus adpoſita eſt, ac præcipue in *Can. Apoſtolico LXXX.* qui ſic decernit: *Qui ex Gentibus, acceſſit, & baptizatus fuit, aut ex prava vivendi ratione, non eſt æquum ſtatim ad Epiſcopatum promovere. Iniquum enim eſt, eum, qui nondum ſpecimen exhibuerit, aliorum eſſe Doctorem; niſi forte divina gratia id fiat.*

XIV. Porro licet non deſint plures, ac Eruditi Auctores, qui contendant ejuſmodi ordinationes eo pacto fuiſſe collatas, ut Diaconatus, ac etiam Presbyteratus haud raro omitteretur, ac quidam *ἀμέσως immediate* ad Epiſcopatum veherentur; at contra Thomaſſinus, Hallerius, aliique cenſent producta exempla de electione intelligenda, haud vero de ordinatione: tum omiſſa fuiſſe Presbyteratus, aliorumve ordinum officia, ſive miniſteria, haud vero ordinum ritus, ſive conſecrationem. Id pluribus evincunt.

XV. Et ſane 1. Athanaſius, quem Epiphanius ex Diacono ad Epiſcopatum promotum ſcribit, Nazianzenus ad Alexandrinum thronum evectum tradit, quum *omnem graduum ſeriem pertranſiiſſet*: πᾶσαν τὴν τῶν βαθμῶν ἀκολουθίαν

Δι-

(18) *Ex Optato Lib. I.* Cæcilianus adhuc Diaconus Epiſcopus *ordinatus eſt*. *Ex Theodoreto* Lib. I. cap. 26. & *ex Epiphan.* Hæreſ. LXIX. *Athanaſius* princeps Diaconorum *ad Alexandrinam Cathedram evectus eſt*. *Ex Socrate* Lib. II. cap. 37. & *ex Teodor. Lib. II. cap.* 17. poſt Liberium Felix ex ejus Diaconis *Rom. Pontifex eſt conſtitutus*. *Ex Liberato* Breviar. Cap. XVI. & XVIII. *Alexandriæ primum* Moggus, qui fuerat Archidiaconus, *dein* quidam Diaconus nomine Iſaias ordinatus eſt Epiſcopus. *Ex eodem Liberato, ibid. cap. XXI. & XXII.* Agapetus Archidiaconus Rom. Eccleſiæ Papa ordinatur... Vigilius Agapeti Diaconus favore Belliſarii ordinatus eſt. *Alia etiam ejuſmodi exempla proferri poſſent. Satis eſto ſubnectere inſignem Leonis M. ſententiam* Epiſt. LXXXIV. cap. 6. *ubi de Metropolitani electione loquens in hunc modum ſtatuit*: Ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconis eligatur.

(19) *Nazianz. Orat. XIX. de laud. Patr.* Plebs tota uno conſenſu primarii ordinis virum *Euſebium*, vita quidem, & moribus eximium, divino tamen baptiſmo nondum conſignatum, invitum, & repugnantem corripientes... Epiſcopis obtulerunt, ab eiſque petere inſtituerunt, ut eum initiarent, & Antiſtitem proclamarent, ſuaſioni vim miſcentes.

(20) *Pontius Vit. Cyprian.* Ad officium Sacerdotii, & Epiſcopatus gradum adhuc Neophytus, & ut putabatur Novellus electus eſt. *Socrat.* Lib. V. cap. 8. & *Sozom. Lib. VII. cap.* 8. Hic

Ne-

Digitized by Google

διεξελθὼν : *Orat. I. in laudem Athanaſii.*

2. Athanaſius ipſe *Apologet. II.* Theodoret. *Lib. II. Cap.* 8. *Socrates Lib. I. Cap.* 10. Iſchiræ Epiſcopatum irritum prorſus volunt, quod prius Presbyter non fuiſſet: *Hominem, qui ne Presbyter quidem erat, præter Majorum traditionem, Epiſcopum adpellaverunt, non quidem ignari, quam hoc abſurdum eſſet... Inane nomen ille Epiſcopi detinet.*

3. In Concilio Chalced. *Part. III.* Timothei in Epiſcopum Alexandrinum electio ea potiſſimum de cauſa rejecta, ac reprobata eſt, quod *priorem non habuerit Presbyteratus ordinem.*

4. Nazianzenus *Orat. XX.* Baſilium adhuc Lectorem Presbyterum conſecratum ſcribit. Atqui Socrates Baſilii Diaconatum memorat (21). Igitur Nazianzenus Baſilii diaconatum præteriit, vel quod brevi tempore eo perſunctus ſit, vel quod ſimul & Diaconatum acceperit, & Presbyteratum.

5. De Ambroſio ſcribit Socrates, ut modo vidimus, ipſum adhuc catechumenum ad Epiſcopatus dignitatem promotum. At Paulinus ejuſdem Ambroſii Βιογράφος diſerte tradit: *Omnia Eccleſiaſtica officia impleſſe, atque octava die Epiſcopum ordinatum.* Adhæc neque contrariæ ſententiæ patronis Socrates favere videtur, cujus hæc ſunt verba: *Ad Epiſcopatus dignitatem* parant *promovere.*

XVI. Igitur producta exempla de Diaconis, Clericis, ac etiam laicis ἀμέσως ad Epiſcopatum promotis vero oppido ſimile eſt hoc pacto accipienda, nimirum quod Epiſcopi quidem ἀμέσως deſignati ſint; tum non ut reliqui ex Eccleſiæ canonibus ſingulos ordines ita acceperint, ut inter unum, & alterum longum temporis intervallum interceſſerit, at vero ob probatam vivendi rationem, virtuteſque ſatis perſpectas, urgente etiam neceſſitate, aut Eccleſiæ utilitate ad ordines omnes vel intra paucos dies, vel etiam in eadem miſſa initiati fuerint, antequam Epiſcopi conſecrarentur. Id de Ambroſio jam vidimus, qui vix octo dierum ſpatio baptiſmum, ordines omnes, ac demum Epiſcopatum ſuſcepit. Idem de Epiphanio ſcribit ejus Βιογράφος, de Pauliniano Epiphanius, de Cypriano Pontius (22), de aliis alii.

XVII. Huic conjecturæ maximum pondus adjiciunt 1. Eccleſiaſtici Canones æque Orientales, ac Occidentales, quibus prorſus jubetur Diaconatum Presbyteratui, Presbyteratum Epiſcopatui omnino præmittendum.

2. Photii teſtimonium, qui quum retuliſſet in quibuſdam regionibus aliquando Epiſcopatum etiam diaconis conferri, qui Presbyteratu ante donati non fuerint, ſcribit: *Si quis apud nos Presbyteri conſecrationem præteriens, Epiſcopi honore Diaconum adfecerit, utpote qui maxime deliquerit, condemnatur.* Quorſum autem iſtuc, ſi apud Græcos mos ille aliquando viguerit?

3. Poſtremo quum Græci Latinis objeciſſent, quod Diaconos ad Epiſcopatum promoverent, ipſi utuntur verbis, quibus indicent presbyteratus officium, ſive miniſterium omiſſum, haud vero ordinationem, ſive conſecrationem. Quod quidem Nicolaus I. ſuo Reſcripto clarius ſignificat. Ejuſmodi enim criminationem in ipſos Græcos retorquet, quippe qui Photium ex laico ſuum Patriarcham conſecrare

Neſtorius populo raptus adhuc myſtica veſte inductus communi totius Concilii calculis Epiſcopus Conſtantinopolis renuntiatur.

(21) *Socrates Lib. IV. cap.* 21. Ac Baſilius quidem primum a Meletio Antiochenæ urbis Epiſcopo ad officium Diaconi promotus, inde ad patriæ ſuæ &c.

(22) *Vita S. Epiphanii apud Surium ad diem* 12. *Maji cap.* 34. Eum itaque ordinat Diaconum, & rurſus dat ei pacem, & ipſum ordinat Presbyterum. Rurſus fit conſequentia, & eum ordinat Epiſcopum. *Vox illa conſequentia* ἀκολουθία *Miſſæ continuationem ſignificat.*

Epiphanius Epiſt. LX. inter Epiſt. Hieronymi. Primum Diaconum ordinavimus, & compellentes eum miniſtrare..... Et quum miniſtraret in ſanctis ſacrificiis, rurſus eum, ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum.

Pontius in Vit. Cypriani. Presbyterium, & Sacerdotium ſimul accepit; Quis enim non omnes honorum gradus credet tali mente credenti?

crare moliti fuerint (23). Atqui conſtat ex Niceta *in Vita Ignatii*, Photium *primo die ex laico monachum*, *ſecundo die Lectorem*, *tertio Subdiaconum*, *quarto Diaconum*, *quinto Presbyterum*, *ſexto demum die Epiſcopum fuiſſe conſecratum*.

§. IV. *De Præcipuis quibuſdam Legibus in Epiſcopi electione ſervatis*.

XVIII. Ac primo illud per Canones firmiter ſtatutum, ut Eccleſiæ, quæ ſuo viduata eſſet Paſtore, quam celerrime proſpiceretur novi Epiſcopi electione. Eccleſiæ Africanæ per unum annum ad ſummum vacare poterant. Ita Concilium Carthag. V. (24). Verum in aliis multa breviora temporis intervalla præſcripta. Et ſane *Canone XXV.* Concilii Chalced. præcipitur, *intra tres menſes Epiſcoporum ordinationes celebrari*, *niſi forte neceſſitas inevitabilis coegerit tempus dilationis extendi*. *Quod ſi hoc minime fecerit* (Metropolitanus) *correptioni Eccleſiaſticæ ſubjacebit*.

XIX. Jam vero ex Epiphanio *Hær. LXIX. num.* 11. & Liberato docemur Alexandriæ morem obtinuiſſe, ut antequam mortuus Epiſcopus ſepeliretur, novi ſtatim Epiſcopi electio fieret (25). Eundem morem etiam Conſtantinopoli aliquando viguiſſe teſtatur Socrates: & quidem ne de eligendo Epiſcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Eccleſia excitaret (26). Verum illud conſtat quandoque accidiſſe, ut Epiſcopi electio in paulo longius tempus differretur. In Africa tempore Collationis Carthag. non minus ſexaginta Epiſcopatus eodem tempore erant vacui (27). Verum cur aliquando Sedes Epiſcopales longius vacarint, in cauſſa fuiſſe videtur, partim Populi negligentia, qui adminiſtratoribus contentus, (quorum munere vicini ſemper aliqui Epiſcopi fugebantur) ad electionem ſerius animum admovebat: uti ex Canone Carthag. nuper *Not.* 24. producto colligere datur; partim difficilis Eccleſiarum tempore perſecutionum conditio. Epiſcopi enim ii erant, in quos præcipue furorem ſuum intendebant Perſecutores. Clerus Romanus *Epiſt. XXXI.* al. *XXX.* apud Cypr. hanc ad Cyprianum præſcripſit rationem, quamobrem poſt Fabiani martyrium non ſtatim novum Epiſcopum elegerint; *Poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ Fabiani nondum eſt Epiſcopus propter rerum, & temporum difficultates conſtitutus* (28). Eandem ob cauſam Eccleſiam Carthaginienſem durante Perſecutione

(23) *Nicolaus I. Epiſt. LXX. ad Hincmarum*. Reprehendere ſatagunt, quod apud nos Diaconus non ſuſcepto presbyteratus *Officio* Epiſcopus ordinatur, quum ipſi etiam illum, quem Patriarcham ſuum nominant e laico ſubito tonſuratum, ac monachum factum ſaltu ad Epiſcopatus apicem provehere *&c.*

(24) *Conc. Carthag. V. Can. VIII.* Nulli interceſſori licitum ſit cathedram, cui interceſſor datus eſt, quibuslibet populorum ſtudiis, vel ſeditionibus retinere, ſed dare operam, ut *intra annum* eiſdem Epiſcopum provideat. Hic Canon in Codice Africano confirmatus eſt: *Codex Can. Eccleſ. Afric. Can. LXXIV.*

(25) *S. Hieronymus Comment. in Epiſt. ad Titum*: Nam & Alexandriæ a Marco Euangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos presbyterum ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant. *Liberatus* Brev. Cap. XX. *in enarrandis hujuſce moris circumſtantiis multo adcuratior eſt*. *Scribit enim*, Alexandriæ conſuetudinem fuiſſe illum, qui defuncto *Epiſcopo* ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto, manibus ſuis accipere collo ſuo B. Marci pallium, & tunc legitime ſedere.

(26) *Socrates Lib. VII. cap.* 40. Ne rurſus de eligendo Epiſcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Eccleſia excitaret, abſque ulla cunctatione, nondum depoſito Maximiani corpore, *Theodoſius* Epiſcopis, qui aderant, mandavit, ut Proclum in Epiſcopali ſolio collocarent .... Itaque Proclus in Sede Epiſcopali collocatus, corpus Maximiani ſepulturæ tradidit.

(27) *Auguſt. Brev. Collat. prima diei Cap. XIV.* Propter Cathedras, quas Epiſcopis vacuas apud ſe eſſe dixerunt: Reſponſum eſt a Catholicis, ſexaginta eſſe, quibus ſucceſſores Epiſcopi nondum fuerant ordinati.

(28) *Cathedram Romanam poſt Fabiani Martyrium Baronius annum unum, & menſes tres, Pearſonius annum unum, & menſes quinque vacuam fuiſſe cenſent: at in utraque ſententia ultra tempus a Canonibus ſtatutum vacaſſe dicenda eſt*. *Confer Baronium* ad ann. CCLIII. num. 6. *&* *Pearſonium* Annal. Cypr. ann. CCL. num. 3. & ann. CCLI. num. 6.

ne Ariana ſub Genſerico, & Hunerico duobus hæreticis Vandalorum Regibus non minus vigintiquatuor annorum ſpatio vacaſſe refert Victor Uticenſis (29).

XX. In Epiſcopi cujuſdam electione ille mos antiquitus perpetuo eſt ſervatus, ut Metropolitanus per circularem Epiſtolam omnes provinciales Epiſcopos ad eam civitatem, cui Epiſcopus præficiendus eſſet, invitaret, qui ejus ordinationi adſiſterent. Unde Cyprian. *Epiſt. LXVIII. al. LXVII. ad Fratres Hiſp.* ſcribit: *Quod apud nos quoque, & fere per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant*. Tum Concil. Chalced. *Act. XVI.* legitimam vocat ordinationem; *Si quis Epiſcopus ordinatus ſit ab omnibus, aut pluribus provinciæ Epiſcopis*. Præterea Euſebius ſpeciatim Alexandri Epiſc. Jeroſol. & Conc. Conſtantinopolitanum Flaviani Epiſc. Antiocheni, & Cyrilli Epiſc. Jeroſol. ordinationes ceu legitimas & canonicas inde demonſtrant, quod conſentientibus, & congregatis vicinarum civitatum Epiſcopis ordinati ſint (30). Profecto antiqua Concilii Nicæni lex eſt: *Epiſcopum convenire maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in provincia, Epiſcopis ordinari*: Can. IV.

XXI. Verum omnium provinciæ Epiſcoporum præſentia neceſſaria non erat, quum duntaxat conſenſus, quem per Epiſtolas declararent, ſatis eſſet. At tres Epiſcopi adſiſtente, vel conſentiente Metropolitano ad ritum conſecrationis peragendum omnino requirebantur. Qua de re Concilium Nicænum indic. *Can. IV.* ſtatim ſubnectit: *Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in id ipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinationem celebrari*.

XXII. Equidem fateor Canones, & Conſtitutiones ſic dictas Apoſtolicas ſtatuere, *ut Epiſcopus a duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur: Can. Apoſt. I.* Conſtit. Apoſt. *Lib. VIII. cap.* 27. Verum hoc omnibus aliis Synodorum Canonibus repugnat. Concilia Arelatenſe I. *Can. XX.* & Carthaginienſe III. *Can. XIX.* manifeſte præcipiunt, ut Epiſcopus *non minus quam a tribus Epiſcopis a Metropolitano directis* ordinetur: quinimmo Arelatenſis II. *Canone V.* ſancitum legitur: *Nec Epiſcopus Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis Comprovincialibus præſumat Epiſcopum ordinare*. Hinc in Synodo Arauſicana I. pœnæ ſtatutæ ſunt adverſus Epiſcopos, qui pauciores, quam tres, non expetitis Provincialium litteris, Epiſcopum ordinare præſumſerint (31). Iſtæc communis quidem erat Eccleſiæ praxis. Qua de re Theodoretus *Lib. V. cap.* 23. quum loquitur de ordinatione Evagrii in Epiſcopum Antiochenum, ſcribit: *Evagrius contra Eccleſiaſticas Regulas ordinatus eſt. Solus enim Paulinus eum elegerat, multos ſimul Canones tranſgreſſus*. Et Syneſius *Epiſt. LXVII.* Siderii Epiſcopi Palebiſcæ ordinationem deſcribens; *Nec ipſum*, inquit, *legitime creatum Epiſcopum, immo contra jura omnia quantum de ſenioribus accepi: quum neque Alexandriæ ſit, nec a tribus hic conſtitutus, quamvis illinc ordinandi facta eſſet poteſtas*. Ete-

(29) *Victor Uticen. de Perſ. Vand. Lib. II.* Dedit autem licentiam, Zenone Imperatore, atque Placidia relicta Olibrii rogantibus, ut Carthaginienſis Eccleſia ſibi quem vellet Epiſcopum ordinaſſet, quæ tum per XXIV. annos tali ornamento fuerat deſtituta.

(30) *Euſebius Lib. VI. cap.* 11. Quod quum illi *Jeroſolymitani* conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis feciſſent, manere deinceps eum apud ſe coegerunt. *Concil. Conſtantinopolitanum* Epiſt. Synod. *apud Theodoretum Lib. V. cap.* 9. Epiſcopum Flavianum Provinciæ ſimul, & Diœceſis Orientalis *convenientes Epiſcopi* canonice ordinarunt, tota Eccleſia *conſentiente*, & quaſi uno ore virum laudante. Quam quidem *legitimam ordinationem* Synodus quoque univerſalis comprobavit. Matris vero Eccleſiarum omnium Jeroſolymitanæ Cyrillum Epiſcopum eſſe ſignificamus; qui canonice olim fuit *ab Epiſcopis provinciæ* ordinatus.

(31) *Conc. Arauſic. I. Can. XXI.* Sicubi contigerit duos Epiſcopos Epiſcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Eccleſiæ ipſe, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet. & alter in alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipſe damnabitur, quo cautius ea, quæ ſunt antiquitus ſtatuta, ſerventur.

nim ſolum beatæ memoriæ Philonem auſum eſſe collegam ſuum Epiſcopum renuntiare. Unde Novatianus ad evitandam illegitimæ ordinationis objectionem, quum Romæ ſe Epiſcopum contra Cornelium obtruderet ex extremis Italiæ finibus *tres Epiſcopos homines plane rudes, & ſimplices fraudulenta quadam molitione decipiens ad ſui ordinationem arceſſivit*: Cornelius *Epiſt. ad Fabium* apud Euſebium *Lib. VI. cap.* 43. Attamen ubi contigiſſet Epiſcoporum ordinationes a duobus, vel etiam ab uno Epiſcopo fuiſſe peractas, irritæ, ſeu invalidæ habitæ non ſunt; immo, & aliquando confirmatæ; præſertim ubi Ordinati Eccleſiæ utiles dignoſcerentur. Hinc licet Siderius Palebiſcæ Epiſcopus, & Evagrius Epiſcopus Antiochenus ab uno fuerint Epiſcopo conſecrati, eorundem tamen ordinationes non modo rejectæ non fuere, verum & adprobatæ; quinimmo Athanaſius quum deprehendiſſet Siderium ſtrenuum virum eſſe, & majoribus rebus gerendis idoneum illum metropolitanæ Ptolemaidis Eccleſiæ gubernandæ deſtinavit (32).

XXIII. Poſtremo quilibet Epiſcopus ſecundum Canones, ac veterem Eccleſiæ morem in ſua ipſius Eccleſia præſente Populo ordinandus erit: id quod luculenter indicatur a Cypriano, Cæleſtino, Auguſtino, aliiſque (33); ac præcipue Auguſtinus, qui & ipſe in ſua ipſius Eccleſia Hippone fuerat ordinatus; tum, Fuſſulæ Epiſcopatu erecto, quum Epiſcopum elegiſſet, *propter hunc ordinandum, Sanctum Senem, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat, de longinquo ut veniret rogans, litteris impetravit:* Epiſt. CCLXI. Ejuſmodi mos per univerſam Eccleſiam adeo obtinebat, ut Julius Papa adverſus Gregorium Alexandrinum fortiter obſtiterit, quod Antiochiæ Epiſcopus conſecratus eſſet, quum ſecundum Eccleſiaſticos Canones in ipſa Eccleſia Alexandrina ab Epiſcopis Provinciæ illius conſecrari oportuerit: Julius P. *Epiſt. apud Athanaſium Apolog. II.*

(32) *Syneſius Epiſt. LXVII.* Hunc ſolum venientem ferunt beatum Siderium creaſſe, & in throno collocaſſe. Sed formidoloſis temporibus ſummum jus prætermitti neceſſe eſt. Ideo magnum illum Athanaſium id tempori dediſſe, ac non multo poſt, quum exiguam adhuc orthodoxæ fidei ſcintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, ac magis magiſque oporteret accendere, hominem illum majoribus rebus gerendis idoneum eo commigrare juſſiſſe, ut Metropolitanam Eccleſiam gubernaret.

Theodor. Lib. V. cap. 23. Quum Evagrius in locum illius *Paulini* ſubrogatus fuiſſet ... idque, tametſi Evagrius contra Eccleſiaſticos Canones ordinatus fuiſſet. Solus enim Paulinus eum elegerat.

(33) *Cyprianus Epiſt. LXVIII. al. LXVII.* Ad ordinationes rite celebrandas, ad eam Plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente.

Cæleſtinus Epiſt. II. ad Epiſc. Narbon. num. 4. Alter in alterius provincia nihil præſumat: nec emeritis in ſuis Eccleſiis clericis peregrini, & extranei præponantur.

Leo M. Epiſt. LXXXIV. cap. 6. Metropolitano defuncto quum in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt *etc.*

CAPUT XXII.

De Sacris Epiſcoporum Electionibus.

§. I. *De Singularibus quibuſdam homines ad Epiſcopatum deſignandi modis.*

I. Explicatis hactenus omnibus Clericorum primi Ordinis, ſive Epiſcoporum in Eccleſia primitiva gradibus, necnon diverſis officiis, diverſiſque eis adnexis functionibus, recta methodus poſtulare videtur, ut de varia homines ad Epiſcopatum deſignandi ratione agamus. Ac primo Apoſtolica, eique proxime inſecuta ætate quatuor potiſſimum fuiſſe videntur modi, quibus Epiſcopi deſignarentur, ſive potius declararetur, quinam præ ceteris digni eſſent, qui ad Epiſcopatum pro-

promoverentur. Horum primus fiebat *ſortitione*. Alter *ſelectione primitiarum ex converſis gentilibus*. Tertius *ſpeciali mandato*, & *inſpiratione Spiritus S.* Quartus tandem *via ordinaria examinationis*, & *electionis*.

II. Prior in Matthiæ ad Apoſtolatum deſignatione obſervatus fuit, uti legimus Actorum I. *Dederunt ſortes eis*, & *cecidit ſors ſuper Matthiam*. In explicanda iſtac ſortitione Veteres valde diſſentiunt; quoniam plerique Deum per viſibile aliquod ſignum Matthiam præ Barſaba ſibi elegiſſe arbitrantur: alii contra revera per ſortem, hoc eſt per veri nominis ſortitionem ab Apoſtolis electum ſtatuunt. Noſtri Inſtituti ratio non ſinit, ut in hac diſcutienda quæſtione vel paululum immoremur: illud hic duntaxat obſervare abs re non eſſe ducimus, nimirum non deeſſe in veteri Eccleſiaſtica Hiſtoria aliqua, licet pauca ejuſmodi exempla: præſertim in Hiſpania iſtæc communis videtur fuiſſe conſuetudo. Id ex quodam Concilii Barcinonenſis Canone colligere poſſumus, ubi poſt plura ad Epiſcoporum electionem ſpectantia iſtæc ſubnectuntur: *Duobus*, *aut tribus*, *quos ante conſenſus Cleri*, & *plebis elegerit*, *Metropolitani judicio*, *ejuſque Coepiſcopis præſentibus*, *quem Sors*, *præeunte Epiſcoporum jejunio*, *Chriſto Domino terminante*, *monſtraverit*, *benedictio conſecrationis adcumulet*.

III. Altera Sacræ electionis ratio erat per ſelectionem primitiarum ex converſis gentilibus; ita ut ad miniſterium eveherentur illi, qui ferventiorem præ ceteris in ſuſcipiendo Euangelio caritatem præſeferentes, magis idoneos ad Fidem Chriſtianam tuendam ſeſe prodebant. Ejuſmodi electionis exempla occurrunt, tum in Epiſtola Clementis Rom. *ad Corinth.* (1) tum in Epiſtola Perſonati Clementis *ad Jacobum Ep. Jeroſolymitanum*.

IV. Tertius Sacros miniſtros eligendi modus erat per ſpeciale Sp. S. mandatum: hac ratione haud paucos primis illis Eccleſiæ temporibus ordinatos novimus: uti Paulus, & Barnabas, Timotheus, Eccleſiarum Aſianarum Clerici, quos S. Joannes ex Patmo Inſula redux factus ordinavit, id adteſtante Clemente Alex. (2). Tum Alexander Jeroſolymorum Epiſcopus ex Euſebio (3), Alexander itidem ſic dictus *Carbonarius* ex Nyſſeno (4), Athanaſius ex Apollinario Syro apud Sozomenum (5), Fabianus Rom. Pontifex ex Euſebio (6), aliique eadem prorſus via, & ratione ad Epiſcopale munus evecti ſunt. Profecto hujuſmodi exempla haud rara fuiſſe indicat inſigne S. Cypriani teſtimonium, qui *ad Clerum*, & *plebem ſuam* ſcribens hæc habet: *In ordinandis Clericis*, *fratres cariſſimi*, *ſolemus vos ante conſulere*, & *mores*, *ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare*: *ſed exſpectanda non ſunt* teſtimonia humana, *quum præcedunt* divina ſuffragia.

§. II. *De Communiori Sacrarum Electionum Methodo*.

V. Quartus, & communior, magiſque ordinarius Epiſcopos deſignandi modus erat per ordinaria ſuffragia, & electionem Eccleſiæ, quæ methodus generatim tam adcurata erat, ac tantopere adprobata, ut Alexander Severus Imperator, licet gentilis, eam tum laudibus extolleret, tum ſibi imitandam proponeret in civilium

(1) *Clemens Rom. ad Corinth. num. XLII.* Apoſtoli per regiones, & urbes verbum prædicantes primitias eorum, ſpiritu probantes Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt.

(2) *Actorum XIII.* 2. Dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus miniſterii. *I. ad Timotheum* 4. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam. *Chryſoſtomus hic*: Quid eſt, ex prophetia? Ex Spiritu Sancto. *Clemens Alex. apud Euſebium Lib. III. cap.* 23. Ut unumquemque eorum, quos Spiritus deſignaret, in Clerum cooptaret.

(3) *Euſebius* Lib. VI. cap. 11.

(4) *Nyſſenus* Orat. de S. Gregorio Thaumaturgo.

(5) *Apollinarius Syrus* apud Sozomenum Lib. II. cap. 17.

(6) *Euſebius* Lib. VI. cap. 29.

tium Magiſtratuum electione: uti teſtatur Lampridius (7).

VI. Jam vero gravis inde, eademque difficilis exoritur quæſtio: nimirum quamnam antiquitus poteſtatem Plebs habuerit in Clericorum, ac præcipue Epiſcoporum electione. Quidam parum, quidam vero nimium plebi dare videntur, alii inter Epiſcoporum electionem, & electionem ceterorum Clericorum diſtinguunt; tum alii diverſam hac in re praxin Eccleſiæ Antenicænæ a praxi Eccleſiæ Poſtnicænæ fuiſſe ſtatuunt: alii demum aliud ſentiunt. Verum quid in hoc Antiquæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Capite nobis vero ſimilius videatur, hic breviter conſtituimus.

§. III. *De Electione Epiſcoporum per octo priora Eccleſiæ ſecula.*

VII. Hoc temporis ſpatio ad electionem ex æquo aliquid conferebant Metropolita, Synodus Provinciæ, Clerus, & Plebs; eo tamen ordine, ut Plebs proponeret, peteret, teſtaretur: Clerus vota, petitiones, teſtimonia Plebis expenderet, expenſis aut accederet, aut refragaretur, ac Plebem ad alium deſignandum diverteret, dirigeretque: Synodus provinciæ electionem a Plebe, Cleroque peractam examinaret, judicioque ſuo confirmaret: Metropolita denique adſtantibus ſaltem duobus, aut tribus Provinciæ Epiſcopis electum conſecraret. Quod quidem communi jure receptum patet ex omnium Eccleſiarum priſca conſuetudine (8).

Et quidem 1. de Romana Eccleſia id innuit Cyprianus de Cornelio Papa loquens Lib. II. Ep. II. *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pæne omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio.*

2. De Africana tum ipſe Cyprianus Lib. I. Ep. IV. *Quum ipſa*, inquit, *maxime plebs habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi:* tum & Concilium Carthag. IV. Can. I. *Cum conſenſu clericorum, & laicorum, & conventu totius Provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel præſentia, vel auctoritate ordinetur Epiſcopus* (9).

3. De Alexandrina teſtatur Theodoretus Lib. IV. cap. 22. *rejectum a Petro Alexandrino Lucium, quod non in Orthodoxorum Epiſcoporum Synodo, non ſuffragio legitimorum Clericorum, non poſtulatione Plebis electus fuerit, ſicuti Eccleſiaſticæ leges requirunt.*

4. De Cæſareenſi in Cappadocia refert Nazianzenus *Orat. XIX.* de Euſebio, *quod quum in plures ſententias multitudo diſtraheretur, aliique aliam proponerent* (*quemadmodum in hujuſmodi rebus fieri conſuevit*)... *tandem Plebs tota uno conſenſu primarii ordinis virum in ſacrario collocarunt, & Epiſcopis obtulerunt, ab iiſque petere inſtituerunt, ut eum initiarent, & Antiſtitem proclamarent.* Et Baſilius *Ep. XXVIII.* ad Neocæſareenſes: *Nunc veſtrum quidem eſt petere animis a contentione, & ambitione repurgatis, Domini vero oſtendere.*

5. De

(7) *Lampridius Vit. Alex. Severi Cap. XLV.* Ubi aliquos voluiſſet, vel rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, ideſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis: dicebatque grave eſſe, quum id Chriſtiani, & Judæi facerent in prædicandis ſacerdotibus, qui ordinandi ſunt.

(8) *Ejuſmodi Œconomia ſervata quoque videtur ab Apoſtolis in Diaconorum electione, quæ Actorum VI. in hunc modum deſcribitur:* Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. *Conſiderate ergo fratres* viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos *Conſtituamus* ſuper hoc opus. *Profecto quis non videt hic nonniſi* vota, petitiones, teſtimonia *Plebi conceſſa, reliqua Apoſtolis reſervata.*

(9) *Eandem diſciplinam non modo in Africa, verum &* per omnes fere provincias *fuiſſe ſervatam Cyprianus ipſe diſertius teſtatur Epiſt. LXVIII.* Diligenter de traditione Divina, & Apoſtolica obſervandum eſt, & tenendum, quod *apud nos* quoque, *et fere per provincias univerſas* tenetur, ut

ad

Digitized by Google

5. De Aſia univerſa idem innuit Julius I. *Ep. ad Orientales apud Athan. Apol. II.* ubi Gregorium in Alexandrinam ſedem ab Arianis intruſum ea de cauſſa rejicit, quod homo externus non illic baptizatus, nec a Presbyteris, vel Epiſcopis, vel a plebe poſtulatus fuerit.

6. De Oriente teſtem habemus Synodum Œcumenicam Conſtantinopolitanam I. *Ep. ad Damaſum*, in qua hæc habentur: *Nectarium in Concilio Generali communi omnium conſenſu, præſente Imperatore, totius denique Cleri, totiuſque Civitatis ſuffragiis, Epiſcopum conſtituimus.*

7. Eadem quoque diſciplina in Eccleſiis Galliarum vigebat. Id quod evincitur ex Synodi Aurelianenſis III. Can. III. *De comprovincialibus ordinandis cum conſenſu Metropolitani, cleri, & civium juxta priorum Canonum ſtatuta, voluntas, & electio requiratur.*

8. Tum & in Hiſpaniis. Ita Concilium Toletanum IV. Can. XVIII. *Nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec populus propriæ civitatis elegit... Quicunque ergo deinceps ad ordinem Sacerdotii poſtulatur... cum omnium clericorum, vel civium voluntate ab univerſis comprovincialibus Epiſcopis, aut certe a tribus in Sacerdotem die Dominica conſecrabitur.*

9. De Eccleſia Mediolanenſi teſtis producatur Theodoretus, qui *Lib. IV. cap.* 7. Ambroſii electionem referens hæc habet: *Cives illius urbis tumultuabantur, dum alii hunc, alii illum ordinari contenderent... omnes una voce clamare cœperunt, Ambroſium ſibi Paſtorem conſtitui poſcentes.*

10. In noſtra quoque Neapolitana Eccleſia eandem obtinuiſſe conſuetudinem colligimus ex pluribus Gregorii M. Epiſtolis, ac præſertim ex VIII. Lib. X. *Nec novum*, inquit, *nec reprehenſibile eſt in eligendo Epiſcopo populi ſe vota in duas partes dividere; ſed grave eſt, quod in hujuſmodi cauſſis non ex judicio, ſed de ſolo favore venit electio.... cum decreto a vobis facto ad nos eum venire neceſſe eſt, ut de vita, moribuſque ipſius ſollicitius inquirentes veſtra in eo, adjuvante Domino, deſideria compleamus.*

11. Poſtremo de toto Occidente, immo vero de Eccleſia uoiverſa teſtatur, & ſaoxit Leo M. pluribus in locis. Ep. X. cap. 6. *Per pacem, & quietem Sacerdotes, qui futuri ſunt, poſtulentur. Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis. Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Tum Ep. LXXXIV. ad Anaſtaſium cap. 5. *Quum de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularit... exſpectarentur vota civium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum: quæ in ſacerdotum ſolent Ordinationibus ab his, qui noverunt Patrum regulas, cuſtodiri.* Et Ep. ad Ruſticum cap. 1. *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati.* Idem jam antea conſtituerat Cæleſtinus Ep. II. cap. 5. *Nullus invitis detur Epiſcopus. Cleri, plebis, & Ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur.* Nihil hiſce clarius, diſertius nihil.

VIII. Cur autem Plebis & votum, & petitio, & teſtimooium priſco jure requireretur noo uoa, ſed multiplex cauſſa interceſſit. 1. Ut arcerentur indigni, quorum mores plebs reprobaret: *Epiſcopus*, ait Cyprianus Epiſt. LXVIII. *deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione proſpexit.*

2. Ut facilius optimi quique vulgo probati dignoſcerentur: Origenes *Hom. II. in Levit.* populi præſentiam io Chriſtianorum Antiſtitum electiooibus requiſitam ſcribit, *ut conſtaret optimos quoſque ad Sacer-*

ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus eligatur *plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit....* ut de univerſæ *fraternitatis ſuffragio*, & de *Epiſcoporum judicio* Epiſcopus ei deferretur. *Hic ſane Cyprianum teſtimonium plebi, ſuffragium Clero, Synodo Epiſcoporum judicium, ſive confirmationem tribuere nullus vel ſubdubitaverit.*

cerdotia promoveri: & S. Cyprianus *Lib. I. Ep. IV.* expreſſe docet ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi adſiſtentis conſcientia fieri oportere, *ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio juſta, & legitima, quæ omnium ſuffragio, & judicio fuerit examinata*. Ad rem quoque facere videtur Tertullianus in Apolog. cap. 39. *Præſident apud nos probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*.

3. Ne populo invito daretur Epiſcopus: S. Leo M. *indicata* Ep. ad Anaſtaſium: *Quum de ſummi ſacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, Plebiſque conſenſus concorditer poſtularit.... nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit*. Et in Ep. LXIX. ad Epiſc. Vienn. *Exſpectarentur*, inquit, *vota civium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum... qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur*. Quinimmo quum aliquando fieret, ut Plebs, & Epiſcopi in contraria conſilia ſcinderentur, Epiſcopi contra ipſam animi ſui ſententiam ad ſuffragia plebis ſe conformare conſueverunt, uti ex Martini Turonici, Epiſcopi cujuſdam Cyziceni ab Demophilo Conſtantinopolitano ordinati, aliorumque electionibus comprobatur (10).

IX. Verum id prudentia ſuadente factum eſſe recte dici quiverit, quum ex adverſo haud raro plebis petitio omnino ab Epiſcopis rejecta ſit: unde Cæleſtinus I. qui *Epiſt. II.* ad Epiſcopos Galliæ, *Nullus*, ait, *invitis detur Epiſcopus; Cleri, Plebis, & Ordinis conſenſus requiratur*. Idem ipſe Pontifex ad Epiſcopos Apuliæ, & Calabriæ Ep. IV. *Docendus*, inquit, *populus eſt, non ſequendus: noſque, ſi neſciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his conſenſum præbere debemus*.

X. Verum quum ſecutis temporibus plebs inter ſe diviſa, & diſſentiens plerumque in coitiones, factiones, & interdum etiam in cruentos tumultus erumperet, uti in electione Damaſi Papæ accidiſſe narrant Socrates, & Ammianus Marcellinus (11), hinc pro turba advocati ſunt proceres, & magiſtratus; nec tamen omnino plebs excluſa: unde S. Gregorius M. epiſtolas dedit *Clero, Nobilibus, Ordini, & Plebi Neapolitanæ* eos hortando, ut Epiſcopum eligerent, qui eam non dedecoraret ſanctiſſimam dignitatem. Eadem de cauſſa Epiſtolas quoque dedit *Urſicino Duci, Clero, Ordini, & Plebi Ariminenſi; Clero, Ordini, & Plebi Peruſinæ; Clero, Ordini, & Plebi Nepienſi* (12).

XI. Jam vero neque in Gallia ad IV. uſque Seculum ab Epiſcoporum electionibus plebs prorſus excluſa. Id ex pluribus Conciliorum, quæ per eas regiones celebrata ſunt, Canonibus evincitur. Profecto Concilium Pariſienſe V. *Can. I.* decer-

(10) *Ex Sulpitio Severo* Vit. Martini Cap. VII. *quum nonnulli provinciales Epiſcopi Martini in Epiſcopum Turonicum electioni repugnarent, ac præcipue quidam nomine* Defenſor, *accidit fortuito, ut ex Libro Pſalmorum legeretur*: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & DEFENSOREM. *Quo audito ſtatim clamor populi elatus eſt Martinum Epiſcopum adclamantis. Philoſtorgius Lib. IX. cap.* 13. Neminem alium ad Epiſcopatum promoveri paſſi ſunt *Cyziceni*, niſi quem ipſorum ſuffragia prætuliſſent.

(11) *Ammianus Marcell. Lib. XXVII. cap.* 3. Damaſus, & Urſicinus ſupra humanum modum... ſciſſis ſtudiis conflictabantur, ad uſque mortis, vulnerumque diſcrimina adjumentis utriuſque progreſſia. *Socrates Lib. IV. cap.* 29. *tot.*

(12) *Synodus Laodicena* Can. XIII. *jam decreverat*: Quod non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi. *Porro ejuſmodi Canone plebem ab Epiſcoporum electione non fuiſſe prorſus ſubmotam, ſat evincit diſciplina in Eccleſia æque Latina, ac Græca ad Seculum uſque VI. perpetuo ſervata, qua plebs una cum clero ad Epiſcoporum electionem admiſſa eſt. Igitur Canonis Laodiceni eo dubio procul ſententia fuiſſe dicenda eſt, nimirum tumultuantem plebem ab electione Epiſcopi eſſe ejiciendam. Atque id fortaſſe in cauſſa fuit, cur Juſtinianus* Novella CXXIII. cap. 8. *ſtatuerit*: Quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos & Primates civitatis cujus futurus eſt Epiſcopus ordinari, mox in tribus perſonis Decreta facere, propoſitis eis ſacroſanctis Euangeliis etc.

decernit: *Decedente Epiſcopo in loco ipſius debet ordinari, quem Metropolitanus, a quo ordinandus eſt, cum Provincialibus ſuis, Clerus vel populus civitatis abſque ullo commodo, vel datione pecuniæ elegerint*. Ejuſmodi Decretum regio Clotarii II. diplomate confirmatum eſt. Concilium Remenſe ſub Dagoberto Rege *Canone XXV.* eandem ſancit legem: *Ut decedente Epiſcopo in locum ejus non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale, & totius populi elegerit votum*. Unde Deſiderius ipſius Dagoberti Theſaurarius Cadurcenſis Epiſcopus creatus eſt, quod ipſum Abbates, Clerus, & Populus ejus civitatis poſtulaſſent: *Dum Civium, Abbatumque Cadurcorum conſenſus hoc expoſcit* &c. *Adclamante Clero, vel Populo* &c. Tum Nicetius ſub Childeberto Rege Epiſcopus Lugdunenſis ordinatus dicitur *pleno Regis, & Populi ſuffragio*.

XII. Quod vero ejuſmodi diſciplina in Gallia ad IX. uſque Seculum viguerit aperte liquet ex Epiſtola Hincmari Remenſis ad Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum, qua eum hortatur, ut maturam Epiſcopi Cameracenſis electionem procuret: *Aſſiduis*, inquit, *hortationibus Clerum, plebemque Eccleſiæ publice admonere feſtines, ut remoto privato ſtudio uno, eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant, ac eligant Sacerdotem, qui* &c. *Sed & laici Nobiles, ac cives adeſſe debebunt: quoniam ab omnibus debet eligi, cui ab omnibus debet obediri*.

XIII. Eandem diſciplinam Neapolitanam quoque Eccleſiam ad IX. uſque Seculum ſervaſſe, tum nuper indicatæ S. Gregorii M. Epiſtolæ indicant, tum vel maxime monumenta produnt a Bartholom. Chioccar. *de Epiſc. & Archiep. Neap.* producta, in quibus Epiſcoporum poſtremus S. Athanaſius occurrit medio Seculo IX. ab univerſo Clero, & Populo electus.

XIV. Porro per eadem tempora apud Græcos plebs ab Epiſcoporum electionibus jam ſubmota videtur: *Canone* enim *XXII.* Synodi Œcumenicæ VIII. in hunc modum ſancitur: *Neminem laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, ac cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio: præſertim quum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum, vel ceterorum laicorum habere conveniat, ſed potius ſilere, ac attendere ſibi uſquequo regulariter a collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futura Pontificis*. Igitur Canone Laodiceno, & Novella Juſtinianea nuper productis primum plebs tumultuans excluſa, ejuſque jus ad *Honoratos*, ſive Primates civitatis translatum: tandem cujuſcunque conditionis Laicis prolato Conſtantinopolitano Canone prærogativa illa omnino denegata eſt.

XV. Ad Romani quoque Pontificis electionem ſaltem ad Seculum uſque VIII. non optimates modo, verum & plebem concurriſſe patet ex Diurno Romanorum Pontificum, in quo proſtat Decretum de electione Pontificis, cui ſubſcribunt *Clerus, Optimates, & Milites, & Cives*. Dein exhibetur relatio de electione Pontificis ad Exarchum, atque exponitur, quod defuncto Pontifice *triduo ab ejus obitu, divina gratia ſuffragante, & omnium animis inſpirante, in unum convenientibus omnibus, ut moris eſt*, a parvo uſque ad magnum *in perſonam ſanctiſſimi hujus Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis Romanæ Eccleſiæ Archidiaconi Deo cooperante, & BB. Apoſtolorum annifu, concurrerit, atque conſenſerit electio*. Joannes Garnerius, qui ejuſmodi Librum Diurnum edidit, ac notis, & obſervationibus illuſtravit, demonſtrat indicatum Decretum, & relationem ad Exarchum ſpectare ad electionem Gregorii II. qui circiter annum 714. in locum Conſtantini electus fuit. Atque adeo Onophrius Panvinius in *Notis ad Platinam in Vita Innocentii II.* contendit eandem electionis formam per Clerum, & Populum ſervatam fuiſſe in Eccleſia Romana ad uſque tempora ejuſdem Innocentii II. atque primum *ſine ullo populi interventu* Papam creatum eſſe, mortuo Innocentio II. Cæleſtinum II. medio Seculo XII.

XVI. Quin & aliquando, ne Plebs in incerta difflueret, tres ab Epiſcopis nominati ſunt, data Clero & Plebi optione unum

unum ex tribus eligendi : Conc. Arel. II. Can. LIV. *Tres ab Epiſcopis nominentur, de quibus clerici, vel cives erga unum habeant eligendi facultatem*. Idem quoque ſancitur Concilii Bracar. *Can. III.* Uti ex adverſo quandoque plebi datum eſt tres eligere perſonas, ex quibus melior ſeligeretur electione, & judicio ordinantis: Leg. XLII. Cod. de Epiſc. *Præſenti lege ſancimus, ut quoties in qualicumque civitate ſacerdotalem ſedem vacare contigerit, decretum fiat ab his, qui eam civitatem incolunt, ſuper tribus perſonis rectæ fidei... ut ex ipſis idoneior ad Epiſcopatum promoveatur*.

§. IV. *De Extraordinariis quibuſdam Epiſcopos eligendi Rationibus*.

XVII. Quæ ſuperiori §. tradita eſt communior Epiſcopos eligendi ratio ſuas aliquando paſſa eſt viciſſitudines, quippe nonnullis de cauſſis a recepta conſuetudine abſcedere interdum oportuit. Eas hic brevi enumerabimus. 1. Quum cujuſdam Eccleſiæ pars maxima in Hæreſim, vel in Schiſma incidiſſet, ei quidem Epiſcopus præficiebatur non modo ſine populi conſenſu, verum & plerumque eo contradicente. Iſtuc in Oriente ob Arianam hæreſim, & in Africa ob Schiſma Donatiſtarum præcipue accidit, uti ex binis Synodi Antiochenæ Canonibus, & ex Collatione Carthaginienſi manifeſtum eſt (13).

2. Plebis ſuffragia non excipiebantur, quum Epiſcopi ordinarentur pro locis diſſitis, vel nationibus barbaris. Exemplo ſit Frumentius, qui Alexandriæ Indorum Epiſcopus ordinatus eſt (14).

3. Si quis Interventor, vel alius quilibet Epiſcopus ſine Synodi Provincialis conſenſu ſemetipſum in Sedem aliquam intruderet, in ejuſdem Sedis poſſeſſione manere non permittebatur, etiamſi univerſus populus in ejus electionem conſpiraſſet. Id præſcribunt Synodi Antiochena, & Carthag. V. (15).

4. Si populus in electione in factiones, diviſioneſque ſcinderetur, neque conſentientibus animis in unum conſpirarent; nulla quidem ipſius ratio habebatur. Id in electione Joannis Epiſcopi Cabilonenſis accidiſſe teſtatur Sidonius Apollinaris (16).

§. V. *De Confirmatione, & Conſecratione per octo priora Eccleſiæ Secula*.

XVIII. Ubi Clerus, & Plebs de novo eligendo Epiſcopo inter ſe conveniſſent, Metropolitæ partes erant cum Epiſcopis Provinciæ in urbem vacantis Eccleſiæ convocatis in electam perſonam inquirere; quæ ſi idonea comprobaretur, id quod Confirmationis loco erat, ſtatim ſequebatur Conſecratio: nam jure antiquo uno ferme actu, ſcilicet *manuum impoſitione* & electio confirmabatur, & electus conſecrabatur. Id tum ex pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod in antiquis Canonibus nullibi occurrat Confirmationis mentio, ſed ἁπλῶς *abſolute* decernatur, ut electus a Clero, & a Plebe

(13) *Conc. Antiochenum Canone XVII.* Si quis Epiſcopus accepta ordinatione, & manuum impoſitione Epiſcopi, & populo præeſſe juſſus, nec, ut ad concreditam ſibi Eccleſiam proficiſcatur, perſuaderi poſſit *&c. Et Can. XVIII.* Si quis ordinatus non ierit in parochiam, ad quam eſt ordinatus, non ſua quidem culpa, ſed propter populi recuſationem *etc.*

Collatio Carthag. Cap. CLXXXII. Petilianus dixit *Alipio Epiſcopo Catholico*: Sic etiam tu multos habes per omnes agros diſperſos: immo crebros ubi habes, ſane & *ſine populis* habes.

(14) *Socrates Lib. I. Cap.* 19. Athanaſius ipſum Frumentium Epiſcopatum ſuſcipere hortatur, adſerens nullum ſe habere ad hoc munus aptiorem ipſo. Atque ita factum eſt. Frumentius ergo Epiſcopali apice decoratus ad regionem Indorum revertitur. *Idipſum teſtantur etiam Rufinus* Lib. I. Cap. 9. *et Theodoret.* Lib. I. Cap. 23.

(15) *Conc. Antiochenum Can. XVI.* Si quis Epiſcopus vacans in vacantem Eccleſiam irrumpens Sedem arripuerit abſque perfecta Synodo, is ſit ejectus, *etiamſi omnis populus, quem invaſit, eum elegerit*. *Concilium Carthag. V.* Can. VIII. *Vide Notam* 24. Cap. ſuper.

(16) *Sidonius Apollinaris Lib. IV. Cap. XXV.* Strepitu furentis turbæ deſpecto, *Epiſcopi* junctis

be Metropolitæ, & Epiſcoporum Provinciæ judicio probetur, & ordinetur: Concilia Carthag. III. *Can. XI.* & *IV. Can. I.* Nazianzenus *Orat. XXI.* &c. (17).

XIX. At ſi contra electio minus legitima videretur, vel ſi electioni ambitus, vel pecunia interceſſiſſet, Synodus electionem reſcindebat; unde nova inſtituenda erat electio, in qua præcipuæ Metropolitani partes erant. Quod ſi cleri, populique vota dividerentur, Metropolitæ jus erat illum præferre, qui majoribus meritis decoraretur: Leo M. *Ep. LXXXIV.* (18).

XX. Verum ſi Metropolitanus in electione coram adeſſe non poſſet, Decretum præcipuorum e clero, & populo ſubſcriptionibus munitum ad eum deferebatur, ut illud ratum, & firmum eſſe juberet. In antiquo Ordine Romano formula quædam Decreti habetur, cui clerus, & populus, quum Epiſcopum eligerent, ſubſcribebant, ut Metropolitano, ac Synodo Provinciæ exhiberetur.... *ut omnium noſtrum vota in hanc electionem convenire noſcatis, huic Decreto Canonico promtiſſima voluntate ſinguli manibus propriis roborantes ſubſcripſimus*. Ejuſdem diſciplinæ perſpicua habemus teſtimonia apud Symmachum Papam (19), & apud Gregorium M. pluribus in locis, ac præſertim Lib. XI. Ep. 16. *Qui dum*, ſcribit, *fuerit poſtulatus cum ſolemnitate Decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio litterarum ad nos ſacrandus occurrat.*

XXI. Quod vero Metropolitarum electionem ſpectat, profecto Patriarchæ Exarchi, vel Primatis jus erat illam confirmare. Hæc diſciplina æque in Oriente, ac in Occidente vigebat. Concilii Chalced. *Can. XXVIII.* quo Epiſcopo Conſtantinopolitano Primatus honoris tribuitur poſt Romanum, eidem quoque poteſtas datur ordinandi omnes Metropolitas in Aſiana, Pontica, & Thracia Diœceſibus. Confer *Cap. XVIII.* §. *III.*

XXII. Ubi vero de Metropolitis ageretur, qui nulli Patriarchæ, Exarcho, vel Primati ſuberant, eorum electiones vel a Romano Pontifice, vel a Synodo Provinciæ confirmabantur. Atque hinc Gregorius M. electionem Joannis in Archiepiſcopum, ſive Primatem Juſtinianæ Primæ datis ad Synodum Illyricanam Epiſtolis confirmavit (20). Tum idem Gregorius de Epiſcopis Dalmatiæ, quod Maximum Salonæ Metropolitam ipſo inſcio ordinaſſent, graviter conqueritur (21).

XXIII. At contra in Galliis, Hiſpania,

ctis repente manibus arreptum, nihilque tum minus, quam quæ machinabantur optantem, ſuſpicantemque Sanctum Joannem virum honeſtate, humanitate inſignem ... ſtupentibus factioſis, erubeſcentibus malis, adclamantibus bonis, reclamantibus nullis collegam ſibi conſecravere.

(17) *Conc. Carthag. III. Can. XL.* Quando ad eligendum Epiſcopum convenerimus, ſi qua contradictio fuerit oborta...... quum purgatus fuerit ſub conſpectu publico, ita demum ordinetur.

Conc. Carthag. IV. Can. I. Qui Epiſcopus ordinandus eſt, ante examinetur.... Quum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene inſtructus, tunc cum conſenſu Clericorum ... ordinetur Epiſcopus.

Nazianz. Orat. XXI. Poſteaquam autem ad hunc modum Præſul deſignatus eſt, ad hunc quoque protinus modum imperium adminiſtrat. Non enim ſimul atque ad thronum pervenit, *&c.*

(18) *Leo M. Epiſt. LXXXIV. al. LXXXII. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem:* Quum ergo de Summi Sacerdotis electione tractabitur.... ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis.

(19) *Symmachus Papa Ep V. cap. 6.* Si quis Epiſcopatum deſiderat, data pecunia potentes perſonas minime ſuffragatrices adhibeat, nec ad *Decretum* ſibi faciendum Clericos, vel cives ſubſcribere cujuslibet generis timore compellat... Decretum ſine Viſitatore nemo conficiat, cujus teſtimonio Clericorum, ac civium poſſit unanimitas comprobari.

(20) *S. Gregorius Lib. IV. Epiſt. VII.* Juxta poſtulationis veſtræ deſiderium prædictum fratrem, & coepiſcopum noſtrum Joannem in eo, in quo eſt Sacerdotii ordine conſtitutus, noſtri adſenſus auctoritate firmamus, ratamque nos ejus conſecrationem habere dirigentes pallium indicamus.

(21) *S. Gregorius Lib. III. Epiſt. XV.* Nulli penitus extra conſenſum, permiſſionemque noſtram, quantum ad Epiſcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus imponere præſumatis.

nia, Anglia, atque etiam Africa, ubi Metropolitæ nullis ſuberant Primatibus, Metropolitanorum electio a Synodo Provinciæ confirmabatur; ita Concilia Aurelianenſia II. & III. Toletanum IV. Auguſtinus, aliique (22).

§. VI. *Romani Pontifices Epiſcoporum electionibus aliquando intercesſerunt.*

XXIV. Romanorum Pontificum jure Patriarchico ſtricte ſumto licet tantummodo jus eſſet Metropolitas ordinandi, atque adeo Epiſcopos omnes decem provinciarum ſuburbicariarum; attamen non deerant aliquando extraordinariæ quædam rerum, locorum, temporumque cauſſæ, quibus neceſſe fuerit intervenire Sedem Apoſtolicam, quo ſtabiliretur Epiſcoporum quorumdam electio. Et quidem 1. ubi Epiſcopus legitime electus, quominus ordinari, ſuamque Eccleſiam ingredi poſſet, inexpugnabiles quidam obices opponerentur. Hinc Hieronymo in Lauſanenſem Epiſcopum canonice electo, quum Carolus Craſſus tunc Italiæ Rex huic obſtaret electioni, Joannes VIII. ad ipſum Regem, tum ad Metropolitam Veſuntionenſem, & ad Epiſcopum Vercellenſem litteras dedit, ut huic amoliendo obici operam navarent (23).

2. Ubi præter Canones peractam electionem Metropolitanus confirmaret. Quamobrem quum Herimannus Colonienſis Metropolita, ut Gilleberto Lotharingiæ Duci faveret, Hilduinum Leodienſem Epiſcopum ordinare præſumeret; huic facinori ſtatim reſtitit Joannes X. Herimanno præcipiens, ut potius Richerium a Clero, & populo canonice electum in Epiſcopum Leodienſem ordinaret (24).

3. Ubi Epiſcopi alicujus electio, ut confirmaretur, diſpenſatione opus eſſet. Hinc pro confirmanda Vulfadi in Archiepiſcopum Bituricenſem electione Carolus Calvus litteras dedit ad Nicolaum I. tum quia ab Ebbone Metropoli Remenſi jam abdicato Diaconus ordinatus eſſet; tum vero quod in Concilio Sueſſionenſi reſtitutio eorum, qui ab Ebbone poſt ſuam abdicationem ordinati eſſent, Sedi Apoſtolicæ reſervata fuerat (25).

4. Ubi Metropolitanus electionem jam a clero, & a plebe legitime peractam confirmare negligeret. Hinc Joannes VIII. electionem Optati in Epiſcopum Genevenſem ſua auctoritate firmavit, id negligente Metropolita Viennenſi, qui, ut partes Boſonis regis tueretur, Optati ordinationem differebat (26).

5. Demum, ſi partium diſſidia ſedari non poſſent, niſi auctoritas Summæ Sedis interveniſſet. Atque hinc Joannes VIII. videns Vercellenſem clerum, & plebem impacato diſſidio in duos competitores fluctuare; utrumque Epiſcopatus ſpe dejecit, ac ipſe, adſentientibus provinciæ Epiſcopis, Goſpertum Epiſcopum ordinavit (27).

XXV.

(21) *Concilium Aurelianenſe II. Can. VII.* Metropolitanus a comprovincialibus Epiſcopis, Clericis, & populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Epiſcopis ordinetur.
Conc. Curelianenſe III. Can. III. Metropolitani ab omnibus (ſi fieri poteſt) præſentibus comprovincialibus ordinetur.... Metropolitanus a comprovincialibus Epiſcopis (ſicut Decreta Sedis Apoſtolicæ continent) cum conſenſu cleri vel civium eligatur.
Concilium Toletanum IV. Can. XVIII. Metropolitanus nonniſi in civitate Metropoli ab comprovincialibus Epiſcopis ibidem convenientibus conſecrandus eſt. *Cuguſtinus Brev. Collat.* Die 3. Cap. XVI. *vide* Cap. XIX. num. XVII.

(23) *Joannes VIII.* Epiſt. CCXLIII. CCXLIV. & CCXLV. *apud Thomaſſinum* Parte II. Lib. II. Cap. 30.

(24) *Concilia Gallicana* Tomo III. pag. 576. *&* *Spicilegium* Tomo VI. pag. 562. *Profecto ex Chronico Abatum Lobbenſium conſtat Richerium a Romano Pontifice confirmatum, & ordinatum fuiſſe. Confer Thomaſſinum* ibidem.

(25) *Epiſtolæ Caroli Calvi ad Nicolaum I. in Conc. Gallic.* Tomo III. pag. 300. *614.* & *616.* Concilio accepto omnes Epiſcopi, & fideles Regni noſtri, ipſaque etiam Diœceſis unanimiter in electione prædicti Vulfadi conſenſerunt.... Bituricenſem Eccleſiam quia dare abſque Apoſtolatus veſtri determinatione diſtulimus, commendare ſibi eandem Eccleſiam cum rebus ſibi pertinentibus accceleravimus.

(26) *Joannes VIII.* Epiſt. CCLXXXI. CCXCII. & CCXCV. *apud Thomaſſinum* ibidem.

(27) *Du Cheſne* Tom. II. pag. 895. 897. & 901. *apud Thomaſſinum* ibidem.

XXV. Atque hæ præcipuæ ſunt cauſſæ, cur in aliquibus Epiſcoporum electionibus Sedes Apoſtolica aliquando intervenit. In quibus cave putes veteres illos Romanos Pontifices Metropolitica jura ulla ratione violare intendiſſe: quum tantummodo canonicæ devolutionis jure, utilitate, ac neceſſitate Eccleſiæ id exigente, Epiſcoporum, & Metropolitarum extra Italiam electiones confirmaverint. Quamvis negandum non eſt tenuia hæc fuiſſe initia, unde tam varia in Eccleſiam mutationum documenta profecta ſunt, ut tandem poſtrema hac ætate Epiſcoporum confirmatio ab Apoſtolicæ Sedis examine, & adſenſu toto pæne chriſtiano orbe ſuſpenſa, & relegata ſit, uti recte advertit Cl. Thomaſſinus de Veteri, & Nova Eccleſiæ diſciplina *ibidem*.

§. VII. *De Regio Adſenſu in electionibus Epiſcoporum*.

XXVI. Per eadem tempora regius quoque adſenſus in Epiſcoporum electionibus requiri conſuevit. Licet enim veteres chriſtiani Imperatores nullis Eccleſiaſticis ſe interpoſuerint electionibus, niſi ut exortas diſſenſiones compeſcerent; uti in electionibus Nectarii, Nazianzeni, Chryſoſtomi (28), aliorumque accidit: attamen paulatim plurimum hac in re Imperatoribus tributum eſt: præſertim quum de præcipuis ageretur Eccleſiis. Hinc IV. exeunte Seculo Eccleſia Mediolanenſi ſacro viduata paſtore *Concilium Epiſcoporum* (id adteſtante Theodoreto Lib. IV. cap. 16.) *contendit ab Imperatore, ut ipſe, utpote ſapientia, & pietatis inſignibus præclare exornatus, Epiſcopum deligat*. Tum in Oriente Imperatores interdum Epiſcopum Conſtantinopolitanum nominarunt; præſertim ubi populus, & clerus in diverſa ſcinderentur. Atque hinc defuncto Chryſoſtomo, *viſum eſt Imperatori*, ſcribit Socrates Lib. VII. cap. 29. *propter homines inanium rerum adpetentes, neminem ex illa Eccleſia ad Epiſcopatum illum eligere, ſed advenam Antiochia arceſſere*.

XXVII. Romanam Eccleſiam quod ſpectat, primus Odoacer Italiæ Rex, defuncto Simplicio an. 483. Edicto evulgato vetuit, ne novus ſe inconſulto Pontifex eligeretur: *Can. I. Diſt. 96.* (29). Tum an. 498. clero, & plebe, Romana ob novi Pontificis electionem acriter inter ſe contendentibus, res ad Theodoricum delata eſt, cujus judicio Symmachus Romanam Sedem obtinuit: *Anaſtaſius in ejus vita* (30). Adhæc cleri populique concertationibus non adhuc ſopitis Felix IV. per eundem Theodoricum ad Romanam Sedem vectus eſt, uti narrat Caſſiodorus (31). Porro hæc veluti quædam videntur fuiſſe prælndia illius poteſtatis,

(28) *Socrates Lib. VII. Cap. 29.* Poſt obitum Siſinnii propter homines inanis gloriæ ſtudioſos placuit imperatoribus neminem ex Eccleſia Conſtantinopolitana ad Epiſcopatum promovere..... Peregrinum igitur hominem Antiochia evocare ſatius viſum eſt. Elapſo igitur trium menſium ſpatio Nectarius Antiochia adducitur *&c.*

Epiſcopi Ægyptii Maximum Cynicum elegerant Regiæ urbis Epiſcopum. At Theodoſius *Ægyptiorum conatus fregit: tum Nazianzeno Sedem Conſtantinopolitanam his verbis confirmavit:* O Pater, Deus tibi, tuiſque ſudoribus per me Eccleſiam committit. En ſacram ædem, & thronum tibi trado..... Ceterum ei *Nazianzeno* ad extremum uſque obſiſtere non licuit, quominus in throno collocaretur. Pontificum enim multitudo eum quamvis nolentem, vehementerque recuſantem in Archiepiſcopali Sede conſtituit.

Palladius Vit. Chryſoſtomi: Plebs Fidelis.... Regem pia intentione ſollicitat Paſtorem peritum ſibi dari ſuppliciter poſtulans. *Sozomenus Lib. VIII. Cap. II.* Poſtquam populus & Clerus ſuffragium ſuum contuliſſent, Imperator adſtipulatus fuit.

(29) *Can. I. Diſt. 96.* Meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebretur electio.

(30) *Anaſtaſius Vit. Symmachi*: Facta contentione conſtituerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Quod tandem æquitas in Symmacho invenit cognitionem veritatis. Et factus eſt Præſul Symmachus.

(31) *Epiſt. Athalarici Theoderici ex filia Nepotis, ac in regno ſucceſſoris apud Caſſiodorum Lib. VIII.*

quam Imperatores deinde, re in conſuetudinem abeunte, ſibi vindicarunt, ut nec Romæ, nec in famoſioribus aliis Italiæ urbibus Epiſcopi crearentur, niſi quos Conſtantinopolitanus Imperator confirmaſſet.

XXVIII. Atque hinc Pelagius I. *Epiſt. ad Narſetem Italiæ Ducem* (quam Holſtenius in Collect. Rom. integram refert, Gratianus in plura diſſectam fragmenta) enarrat, Paulinum Aquilejenſem, & Honoratum Mediolanenſem inconſulto Imperatore contra receptam Italiæ conſuetudinem Epiſcopos fuiſſe conſtitutos: ac Principis auctoritatem implorat ad eos coercendos ob ſchiſmatis crimen (32). Et Gregorius M. Mauritium Imp. prævenit, ne ſuæ ipſius electioni conſentiret (33). Ejuſmodi Regum, & Imperatorum jus ſecutis temporibus pro variis temporum conditionibus modo abrogatum, modo revocatum eſt; ut in noſtris Canonicis Inſtitutionibus *Lib. I. Tit. XIX.* jam obſervavimus.

XXIX. Quod vero ad reliquas attinet Eccleſias; jam inde ab VI. Seculo pleſumque Epiſcoporum electiones imperiali, vel regio adſenſu vel ante, vel poſt accedente, celebratæ ſunt. Id moris primum in Gallia obtinuit, uti ex Concilio Aurelianienſi V. (34) perquam manifeſtum eſt. Quinimmo in Hiſpania Epiſcopi ad Regis nominationem eligi conſueverunt: Concilium Tolet. XII. *Can. VII.* (35).

XXX. At negandum non eſt in Epiſcoporum electionibus præcipuas Epiſcoporum provinciæ, ac Metropolitani partes fuiſſe. Concilia namque, atque adeo ipſi Principes ſollicite caverunt, ne propter civilis poteſtatis conſenſum antiqua electionum diſciplina, præcipue quod ad eligentium libertatem, vel minimum læderetur: uti ex pluribus etiam medii ævi monumentis late demonſtrat Thomaſſinus *P. II. Lib. II. Cap. XIII.* & ſeq.

XXXI. Igitur ut paucis rem omnem complectar; octo prioribus Eccleſiæ ſeculis in Epiſcoporum electionibus præcipuas ſibi vindicabant partes Clerus, & Populus: Populus proponendo, petendo, teſtando; Clerus vota, petitiones, teſtimonia plebis expendendo, expenſis accedendo, aut refragando, ſimulque plebem ad alium deſignandum divertendo dirigendoque. Tum Synodus Provinciæ electionem a Clero, & a Populo peractam examinabat, judicioque ſuo confirmabat. Demum Metropolitano reſervata erat Conſecratio. Regius quidem adſenſus requiri conſuevit; at ea adjecta cautione, ne eligentium libertas ulla ratione violaretur. Plebs quidem ſucceſſu temporis excluſa; at in ejus locum advocati Proceres, & Magiſtratus. Tandem extraordinariis quibuſdam de cauſſis R. Pontifices Epiſcoporum electionibus etiam extra Romani Patriarchatus fines interceſſere.

VIII. Epiſt. XV. Gratiſſimo profitemur animo, quod glorioſi Domini avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obedire.

(32) *Epiſt. II. Pelagii I. ad Narſetem Italiæ Ducem*: Recolere debet Celſitudo veſtra ..... non ante Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſiſtis, niſi ad Clementiſſimum Principem exinde retuliſſetis, & quid fieri debuiſſet, ejus iterum ſcriptis retuliſſetis ....

(33) *Joannes Diaconus Lib. I. Epiſt. XXXIII. & XL.* Gregorium licet totis viribus renitentem Clerus, Senatus, Populuſque Romanus ſibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem evitare decernens &c. At ubi Decretum generalitatis evitare nequivit, conſenſurum ſe tandem aliquando ſimulavit, & Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro ſancto ſuſceperat, latenter litteras deſtinavit, adjurans, & multa prece depoſcens, ne unquam adſenſum populis præberet. *At nihilominus Imperator* data præceptione ipſum ordinari præcepit.

(34) *Conc. Aurel. V. Can. X.* Sed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri, & Plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, a Metropolitano cum Comprovincialibus Pontifex conſecretur.

(35) *Conc. Toletanum XII. Can. VI.* Unde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, ut ſalva Privilegia uniuſcujuſque Provinciæ Hiſpaniæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, *quoſcumque Regalis poteſtas elegerit*, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis in præcedentium Sedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores.

Partis I. Libri I. Finis.

ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

INSTITUTIONES

LIBER I.

PARS ALTERA.

DE CLERICIS SECUNDI ORDINIS, FIDELIBUS LAICIS, ET CATHECUMENIS.

CAPUT I.

DE PRESBYTERIS.

§. I. *De Vocis* Presbyteri *ſignificatione*, *&* *uſu*.

I. ALterum ab Epiſcopis gradum tenent *Presbyteri*: nomen quod græci peculii eſt, latine *Seniorem* ſignificat; Seniorem, inquam, ſapientia magis, & doctrina, quam ætate. Neque enim πρεσβύτερος ita majorem natu ſignificat, ut non aliquando gravitatem potius notet, & dignitatem, quæ grandævos comitatur, nulla ætatis ratione habita. Hac notione vocabulum *Senator*

tor apud Romanos iſtiuſmodi conditionis hominem ſine ullo ætatis ejus reſpectu ſignificabat. Quia enim τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, ut in *Problem.* Ariſtoteles, hinc ſimpliciter πρεσβύτατον dictum legibus, quod maximo haberetur in pretio, eſſetque maxime venerandum. Adhæc Heſychio πρεσβυτάτη eſt ἐντιμοτάτη. Nec aliter ad *Odyſ.* XIII. 142. ubi Jupiter Neptunum fratrem adpellat πρεσβύτατον: *Schol.* ἐντιμότατον. ἀλλαχοῦ γὰρ λέγει. Ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει. h. e. *maximo honore proſequendum*. *Alibi enim ait* (Iliad. XIII. 355.): *At prior Jupiter natus*. Ita illud Homero frequens: Πρέσβα θεὰ *veneranda Dea*. Hujuſmodi nomen primis Seculis Epiſcopis quoque commune erat (1); atque, ut notat Balſamon ad *Can. XV.* Concilii Ancyrani, aliquando omnibus Clericis datum fuit. Senior igitur, ſive Presbyter in Eccleſia Chriſtiana is eſt, qui non propter ætatem, ſed propter animi dotes, & merita ſub Epiſcopo jus habet omnia pæne eccleſiaſtica obeundi miniſteria. Hac notione jam inde ab ætate Apoſtolica voce *presbyter* in ſuis epiſtolis ſæpiſſime uſus eſt Ignatius. Confer *Part. I. Cap. XII. §. III. num. III. Not.* 1.

II. Dici quoque conſueverunt Sacerdotes, & quidem a ſacris, quibus operantur. Profecto hoc nomine Epiſcopi quoque haud raro donati ſunt: *Codex Canon. Eccleſ. Afric.* Epiſcopos Alexandrinum, & Antiochenum *venerabiles ſacerdotes* adpellat (2). Qua de re diſtinctionis nomine Epiſcopi ſummi Sacerdotes, vel in ſummo, aut in primo ſacerdotii gradu conſtituti, Presbyteri vero Sacerdotes minores, vel ſecundi ordinis nonnunquam dicti ſunt. Unde Hieron. adverſus Lucif. Cap. VI. *Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet*. At in Hierem. III. 13. de Presbyteris ſic loquitur: *Sacerdotes quoque ipſi, ſecundus in eccleſiaſtico ordine gradus*. Eandem loquendi rationem & alii Patres ſervarunt. Videſis Suicerum in voce Ἱερεὺς *Sacerdos*. Eodem adjecto *primi* & *ſecundi ordinis* diſcrimine dicti etiam ſunt Antiſtites tam Epiſcopi, quam Presbyteri. Sidonius Apollinaris *Lib. IV. Ep. II.* de Mamerto Claudiano fratre Mamerti Epiſc. Vienneſi cecinit:

Antiſtes fuit ordine in ſecundo
Fratrem faſce levans Epiſcopali.

Poſtremo Presbyteros Nazianzenus abſolute προεστῶτας *Antiſtites*, ſive *Præpoſitos* adpellat (3): & Presbyteri Romani *Epiſtola ad Clerum Carthag.* ſemetipſos vocant *Præpoſitos*, quo nomine eoſdem etiam donavit Celerinus *Epiſt. ad Lucianum* (4).

III. Jam vero quemadmodum ætate Apoſtolica nomen Presbyteri cum Epiſcopis communicatum eſt; ita quoque nomen Epiſcopi Presbyteris quoque tribuebatur. Ad rem Theodoretus ad verſ. 1. Cap. I. ad Philipp. *Epiſcopos adpellat presbyteros. Utrumque enim nomen illo tempore habebant*.

IV. Non vacat hic in primæva Presbyte-

(1) *Chryſoſt. Hom. I. in Philipp. I.* Antiquitus ipſi etiam Presbyteri vocabantur Epiſcopi, & Diaconi Chriſti, & Epiſcopi Presbyteri. *Eadem habet Hom. XI. in I. ad Timoth. III. Tum Hieron. ad Titum I.* Hæc propterea ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: *Et in Epiſt. LXXXIII. ad Ocean.* Apud veteres iidem Epiſcopi, & Presbyteri. *Atque adeo ipſi etiam Apoſtoli Presbyteri adpellationem haud repudiaſſe videntur. Joannes enim alteram ſuam Epiſtolam ſic inſcribit.* Senior Ὁ Πρεσβύτερος Electæ Dominæ. *Porro ut diſtinctio Epiſcopos inter, & Presbyteros aliquo etiam adpellationis vocabulo ſignificaretur, haud raro eodem Apoſtolico ævo Epiſcopi* Apoſtoli *adpellati ſunt, uti* Part. I. Cap. XII. §. IV. num. V. Not. 2. *jam obſervavimus*.

(2) *Codex Africanus Can. CXXXIV.* Scribere etiam digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc eſt, Eccleſiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Conſtantinopolitanæ.

(3) *Nazianzenus Orat. I.* Subditi Προεστῶτος *Antiſtitis* improbitate celerrime impleri ſolent, & quidem multo facilius, quam virtute.

(4) *Epiſt. III. al. VIII. inter Cyprianicas:* Quum, incumbat nobis, qui videmur *Præpoſiti* eſſe, & vice Paſtoris cuſtodire gregem. *Celerinus Epiſt. XXI. inter Cyprianicas*: Præceperunt eos *Præpoſitis* tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur.

byterorum origine inquirenda diutius immorari. Quum enim *Part. I. Cap. XII.* jam a nobis demonſtratum ſit, Presbyteros jure divino ab Epiſcopis diſtingui, atque adeo ex divina inſtitutione Presbyteros Epiſcopis ſubjici; profecto nihil reliqui videtur, quod hic Presbyterorum origine ſubnectendum videatur. Illud tantummodo obſervandum autumo ex Epiphanii ſententia (5), nimirum Apoſtolos, quum recens adhuc eſſet Chriſtiani dogmatis propagatio, non ubique Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos conſtituiſſe, ſed plerumque vel ſolos Presbyteros, & Diaconos, vel ſolos Epiſcopos, & Diaconos; quum Epiſcopus ſine Presbytero quidem eſſe poſſet, haud vero ſine Diacono. Pro hac Epiphanii ſententia pugnant acerrime non modo plures Catholici eruditiſſimi Auctores, verum & Pearſonius in vindiciis S. Ignatii Epiſt. *Cap. XIII.* Eandem hic indicare operæ pretium ducimus; id enim abunde refellit plura, quæ a Presbyterianis objiciuntur.

§. II. *De Presbyterum Poteſtate, & Prærogativis.*

V. Et ſane jam inde ab ætate Apoſtolica baptizabant, concionabantur, Euchariſtiam conficiebant, & adminiſtrabant, Eccleſiaſticam Pœnitentibus communionem impartiebantur, aliaque id genus peragebant munia; at nonniſi Epiſcopo vel abſente, vel, ſi præſens eſſet, ipſis ejuſmodi officia committente. Presbyterorum enim poteſtatem in omnibus ab Epiſcopo pendere univerſa Eccleſiaſtica tradit antiquitas. Sic Ignatius Epiſt. ad Smyrn. *Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam pertinent.* Et Tertullianus Lib. de Baptiſmo Cap. XII. *Dandi quidem baptiſmum jus habet Summus Sacerdos, dehinc presbyteri, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate.* Idem paſſim præſeferunt veteres Eccleſiaſtici Canones. Jam vero pauca hic ſubnectere liceat de honoris, & obſervantiæ indiciis, quæ ipſis tribuebantur, ubi una cum Epiſcopo Chriſtianam plebem rexerint. Vix enim aliquid Epiſcopus ſine conſenſu, & amica Presbyterorum opitulatione moliebatur.

VI. Ac primo Presbyteris una cum Epiſcopo in Eccleſia ſedere licebat (quod Diaconis non erat conceſſum) hoc tantum cum diſcrimine, quod Epiſcopi Sedes *Thronus celſus*, Presbyterorum vero ſellæ *Throni ſecundi* dicerentur (6). Hinc phraſes illæ frequentes apud veteres Patres, & in Conciliorum Canonibus, *Conſeſſus*, & *ſedere in Presbyterio* (7).

Quod

(5) *Epiphanius Hæreſ. LXXV. de Aerio in hunc modum ſcribit*: Sed nimirum veritatis iſte ſeriem ignorans, non intelligit Apoſtolum, quum recens adhuc eſſet Chriſtiani dogmatis propagatio, pro re nata ſcripſiſſe. Nam ubi jam Epiſcopi conſtituti fuerant, ad Epiſcopos, & Diaconos ſcribebat; neque enim ſubinde omnia ab Apoſtolis ordinari poterant; & quidem presbyteris in primis, & Diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt. Quare ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco propoſitus eſt Epiſcopus. At ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum, qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti ſunt: ſed quum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur: unde ſolo Epiſcopo contenti fuerunt. Sine Diacono autem Epiſcopus eſſe non poteſt.

(6) *Gregorius Naz. in* Somnium de Templo Anaſtaſiæ *deſcribens quo pacto ipſe cum ſuis Presbyteris, & Diaconis ſederet, ſic cecinit:*

Sede alta, haud alta conſidere mente videbar:
  Nam neque per ſomnum mente ſuperbus eram:
Presbyterique graves *ſellis utrimque ſedebant*
  Demiſſis, ætas lecta, duceſque gregis.
Veſtibus in niveis at ſtabat turba miniſtra
  Splendorem referens agminis Angelici.

Conſtantinus Epiſt. ad Chreſtum Syracuſanum *apud Euſebium Lib. X. Cap.* 5. Adjunctis tibi duobus *ſecundi ordinis*, quos tu eligendus putaveris.

(7) *Concilium Carthag. IV. Can. XXXV.* Ut Epiſcopus in Eccleſia in *conſeſſu Presbyterorum* ſublimior ſedeat.

Origenes Hom. II. in Cantic. Vidit & ſedem puerorum ejus, Eccleſiaſticum, puto, ordinem dicit, qui in Epiſcopatus, vel *Presbyterii ſedibus* habetur.

Conc. Ancyran. Can. XVIII. Si velint in Presbyterio *reſidere*.

Digitized by Google

Quod vero ad rationem ſedendi attinet, illud conſtat: nimirum Presbyteros ad utrumque Epiſcopi latus ſedentes figuram Semicirculi repræſentaſſe. Unde ſicut thronus Epiſcopi dictus eſt thronus medius, vel ſedes media a Theodoreto, & ab Auctore Conſtitutionum; ita Ignatius, & ipſe Auctor Conſtitutionum Presbyteros *Spiritualem Coronam*, *Circulum Presbyterii*, *Coronam Eccleſiæ* nuncupant (8). Eandem Semicirculi figuram cum media Epiſcopi Sede exhibet Presbyterium a S. Paulino extructum, quod noſtris quoque temporibus in antiqua Baſilica Nolana viſitur.

VII. Quum Epiſcopi, ut alibi obſervavimus, nihil magni momenti, niſi Presbyterorum conſiliis, & conſenſu adhibitis, facerent, hinc iidem *Senatus Eccleſiæ*, *Senatus Chriſti*, *Conſiliarii Epiſcopi*, & *Conſilium Eccleſiæ* dicti ſunt (9): Profecto æque in Occidentalibus, ac in Orientalibus Eccleſiis tanta fuit antiquitus Presbyterorum Poteſtas, ut ſive *de ordinandis Clericis*, ſive *de recipiendis Pœnitentibus*, ſive *de hæreſibus condemnandis*, ſive de alio quopiam gravi Eccleſiaſtico negotio ageretur, omnia Epiſcopus, ipſiuſque Clerus communi conſilio decernerent. Ejuſmodi diſciplinam jam inde ab Apoſtolorum ætate in Romana Eccleſia fuiſſe ſervatam *Part. I. Cap. XV. §. IX.* jam ſatis demonſtravimus. De reliquis Eccleſiis juvat hic pauca ſubnectere.

VIII. Ac 1. Presbyteri, uti modo obſervavimus, ab S. Ignatio, Pio I., Origene, Cypriano, Hieronymo, aliiſque antiquiſſimis Patribus *Conſilium*, & *Senatus Eccleſiæ*, *Conſiliarii Epiſcopi* dicti ſunt. At cur his, aliiſque ſimilibus honorificis titulis decorati fuerint, profecto nihil aliud in cauſſa eſſe potuit, niſi quod Epiſcopo eorundem conſilio utendum fuerit in expediendis gravioribus ſuæ Eccleſiæ negotiis.

2. Eccleſiam Carthaginienſem quod ſpectat, ex pluribus Cypriani teſtimoniis manifeſto liquet, ejuſmodi morem in ea perpetuo ſervatum, ut nil grave Epiſcopus ſine Cleri ſui Conſilio perageret. Et ſane *Epiſt. XXXIII.* al. *XXXVIII.* de Clericorum ordinationibus hæc habet: *In ordinandis Clericis ſolemus* vos ante conſulere, *& mores, ac merita ſingulorum* communi conſilio *ponderare*. Et Epiſt. XXIV. al. XXIX. *Omni actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium ... ut firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet*, conſenſu omnium *ſtatueremus*. Tum generatim de univerſo Eccleſiaſtico regimine *Epiſt. VI.* al. *XIV.* ſcribit: *Ut ea, quæ circa Eccleſiæ gubernaculum utilitas communis expoſcit, tractare ſimul, & plurimorum conſilio examinata limare poſſimus*.

3. De univerſis Africanis Eccleſiis Conc. Carthag. IV. *Can. XVIII.* ſic decrevit: *Ut Epiſcopus nullius cauſſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum: alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur*.

4. Eandem Regulam tum Epheſi in condemnando Noeto, tum Alexandriæ in prima

(8) *Conſtit. Apoſt. Lib. II. Cap.* 57. Sit ſolium Epiſcopi *in medio* poſitum, & ex utroque ejus latere ſedeant Presbyteri.

Theodoretus Lib. V. Cap. 3. Quod ſi *cathedra in medio* poſita contentionem facit, eam ego auferre conabor.

Ignatius Epiſt. ad Magneſ. num. XIII. Cum digniſſimo Epiſcopo veſtro, & digne contexta *ſpirituali corona* Presbyterii veſtri.

Auctor Conſtit. Apoſt. Lib. II. Cap. 27. Presbyteri . . . tanquam *Conſiliarii Epiſcopi, & Eccleſiæ corona*.

(9) *S. Hieronymus in Iſai. Cap. III.* Et nos habemus in Eccleſia *ſenatum noſtrum* cœtum Presbyterorum.

Pius I. Epiſt. II. ad Juſtum Vienn. Salutat te *Senatus* pauper *Chriſti* apud Romam conſtitutus.

Conſtitut. Apoſt. ibidem Conſiliarii Epiſcopi . . . Conſilium, & Senatus Eccleſiæ.

Cypr. Epiſt. LV. al. *LIX. ad Cornelium*: In Cleri noſtri ſacrum, venerandumque conſeſſum.

prima Arii ejectione fuiſſe ſervatam teſtatur Epiphanius (10) . Tum Cotelerius in ſuis Adnotationibus ad Conſtitutiones ſic dictas Apoſtolicas formulam quandam depoſitionis Arii ex antiquo quodam Manuſcripto erutam evulgavit, quæ æque Epiſcopos Diœceſeos Ægyptiacæ, ac Preſbyteros Alexandrinos Arii depoſitioni ſuffragatos exhibet.

5. Idem quoque in Origenis condemnatione obtinuiſſe teſtatur Pamphilius, qui *Lib. II.* Apolog. pro Origene apud Photium *Cod. CXVIII.* narrat, *Synodum Epiſcoporum & Presbyterorum adverſus Origenem* fuiſſe habitam, cujus Decreto Alexandria ejiciendum ſancitum eſt, nec ipſi permittendum, ut ibi vel doceret, vel habitaret.

6. Tandem Antiochiam ad Pauli Samoſateni cauſſam diſcutiendam, eundemque deponendum plurimos quoque Presbyteros cum Epiſcopis conveniſſe teſtatur Euſebius *Lib. VI. Cap.* 28. Verum tanta Presbyterorum Poteſtas primum paululum imminuta, dein prorſus collapſa eſt: cujus viciſſitudinis ea potiſſimum cauſſa fuiſſe videtur, quod communis Clericorum cum ſuo Epiſcopo vivendi ratio, quæ diu viguit, tandem ſecutis temporibus omnino disjuncta ſit.

IX. Reliqua Presbyterorum munia paucis dabimus. Igitur 1. in Presbyteri cujuſdam ordinatione omnes qui aderant Presbyteri manus ei imponendi jure fruebantur. Ita Synodus Carthaginienſis IV. & Conſtitutiones Eccleſiæ Alexandrinæ (11). Ejuſmodi morem perpetuo in Eccleſia Latina ſervatum fuiſſe illud profecto indicat, quod Canon Carthagin. a Gratiano in ſuum Decretum invectus ſit: *Diſt. XXIII. Can. VIII.*

2. Adhæc etiam quarto, & quinto Seculo cum Epiſcopis ſuis in Senatu Eccleſiaſtico ſediſſe conſtat ex Synodo Illiberitana, Siricio, & Syneſio (12).

3. Etiam in Conciliis Provincialibus una cum Epiſcopo ſediſſe; necnon Conciliaribus definitionibus poſt Epiſcopos ſubſcripſiſſe, manifeſtiſſima probant quarti, & ſequentium etiam Seculorum monumenta (13).

(10) *Epiphanius Hæreſ. LVII. num.* 1. In Presbyterium adductus *Noetus*... Presbyteri ejecerunt ipſum *Noetum* ex Eccleſia. *Et Hæreſ. LXIX.* Alexander Epiſcopus Alexandriæ habito *Presbyterorum*, ac quorundam Epiſcoporum, qui aderant, conventu, de eo quæſtionem habet, ac diligenter examinat. Tum veritati cedere detrectantem ejicit ex Eccleſia.

(11) *Conc. Carthag. IV. Can. III.* Presbyter quum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manum ſuam juxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

Conſtit. Eccl. Alex. apud Bevereg. Not. in Can. Apoſt. *Can. II.* Quum vult Epiſcopus ordinare Presbyterum, manum ſuam capiti ejus imponat, ſimulque omnes Presbyteri illum tangant.

(12) *Conc. Illiber. Proœm.* Reſidentibus etiam viginti, & ſex, *al.* triginta & ſex presbyteris, adſtantibus Diaconibus, & plebe, Epiſcopi dixere. *Siricius Epiſt. II. ad Eccleſ. Mediol.* Facto *Presbyterio* conſtitit doctrinæ noſtræ, id eſt Chriſtianæ legi eſſe contraria.... unde omnium noſtrorum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam totius Cleri unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut Jovinianus, Auxentius &c. in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.

Syneſius Epiſt. LVII. Jam quibuſnam pœnis de *Conſilii ſententia* in Andronici furorem ſit animadverſum, attendite.

(13) *Nimirum Conc. Romanum ſub Hilario* ann. 461. Reſidentibus etiam univerſis Presbyteris. *Conc. Rom. ſub Felice* ann. 487. Ex Presbyteris Ruſtico, Laurentio &c. *hic recenſentur nomina ſeptuaginta ſex Presbyterorum, qui cum Epiſcopis ſederunt*. *Conc. Rom. ſub Symmacho* ann. 502. Reſidentibus etiam Presbyteris Projectitio, Martino &c. *hic nominantur Presbyteri triginta ſex, qui in ea Synodo ſederunt.*

Conc. Romanum ſub Symmacho an. 499. Subſcripſerunt Presbyteri numero LXVII. Cælius Archipresbyter tituli Praxedis hic ſubſcripſi, & conſenſi &c.

Conc. Rom. ſub Gregorio II. an. 725. Siſinnius Presbyter huic Conſtituto a nobis promulgato ſubſcripſi &c.

Conc. Toletanum I. Convenientibus Epiſcopis in Eccleſia.... conſidentibus Presbyteris, adſtantibus Diaconis.

Conc. Bracarenſe II. Conſidentibus ſimul Epiſcopis, præſentibus quoque Presbyteris, adſtantibuſque Miniſtris.

Digitized by Google

4. Non deſunt exempla, quæ Presbyteros etiam in Conciliis Generalibus cum Epiſcopis ſediſſe, ac definitionibus ſubſcripſiſſe indicant. Quod ſane Concilia Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſe potiſſimum præſeferre videntur (14); uti obſervavit doctiſſimus Habertus in Notis ad Librum Pontif. Græcorum. Ceterum in Conciliis Occidentalibus Œcumenicis Abbates, qui nonniſi meri Presbyteri ſunt, cum Epiſcopis ſediſſe, ac ſuffragium dediſſe neminem latebit, qui eorundem Acta perlegerit.

X. Hactenus explicatæ Presbyterorum Prærogativæ in cauſa fuere, cur multi honoris tituli ad Epiſcopos propius pertinentes Presbyteris quoque aliqua ratione tribuerentur. Hinc primo ipſos adpellatos invenies Προέδρους, Προεστῶτας, Προστάτας: quæ nomina tantundem valent ac *Præpoſiti*, *Præſides*, *Duces* (15); expreſſe *Præpoſiti* dicuntur in Epiſtolis Cleri Romani ad Cyprianum, & in Epiſtola Celerini ad Lucianum (16). Verum negandum non eſt *indicatis locis* Præpoſitorum nomine fuiſſe donatos, quod defuncti Epiſcopi vices gererent. Tum *Antiſtites* vocantur ab Hilario, & ab Auctore Quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti ſub nomine Auguſtini (17). Rectius Sidonius Apollinaris diſtinguit inter *Antiſtites Primi*, *& ſecundi Ordinis* (18). Quæ ſane diſtinctio, quotieſcunque Presbyteri dicuntur Antiſtites, Præpoſiti, Præſides &c. etiamſi expreſſe non addatur, ſemper tamen ſubintelligenda eſt.

XI. At fere oblitus omiſeram Optati teſtimonium: qui æque Presbyteros, ac Epiſcopos Sacerdotes, eorumque officium Sacerdotium nuncupat (19): Cum iſtoc tantum diſcrimine, ut *Diaconos in tertio*, *Presbyteros in ſecundo Sacerdotii gradu conſtitutos* dicat; dum Epiſcopi *omnium Apices*, *& Principes* ei audiunt. Quærenti autem curnam Optatus æque Presbyteris, ac Diaconis Sacerdotium tribuat, in promptu reſponſio eſt. Quia videlicet præcipuum Diaconorum munus perpetuo in eo fuit, ut Presbytero Sacris operanti proxime adſiſterent. Quinimmo juxta antiquos Eccleſiæ Canones, ut mox dicemus, non licebat Presbytero ſine Diacono Sacrificium offerre. Hinc æque Presbyteri, ac Diaconi, diverſo licet gradu, Sacrificium participare videbantur. His addeſis Diaconis ex Epiſcoporum, vel Presbyterorum delegatione ſemper licuiſſe quædam Sacerdotii munia obire, uti *Baptizare*, *Concionari*, *S. Euchariſtiam adminiſtrare*, *Pœnitentium exomologeſim recipere*, uti *Part. I. Cap. XIV.* jam vidimus. Ceterum tum ex Sacro Novi Fœderis Codice, tum ex antiquis Conciliorum Canonibus, ac Veterum Patrum Teſtimoniis illud omnino conſtat, nonniſi Epiſcopis, & Presbyteris, nunquam vero Diaconis Euchariſtiam offerre, ac SS. J. Chriſti Corpus, & Sanguinem conſecrare licuiſſe. Qua de re ſermo redibit *Lib. III.*

XII. Tandem Presbyteris honorificum *Mediatoris Deum inter*, *& homines* titulum datum fuiſſe ex Origene, Chryſoſtomo, Baſilio, aliiſque compluribus demonſtrat

(14) *Concilio Conſtantinopolitano I. una cum Epiſcopis tres etiam Presbyteri ſubſcribunt:* Tyrannus Presbyter Amorii. Auxanon Presbyter Apameæ. Helladius Presbyter Commanenſis. *In Concilio Chalced.* Philippus Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fert ſententiam. *In Concilio Nicæno I.* Leo Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, *ac etiam plurimi* Archimandritæ, & Hegumeni, ut Presbyteri *ſubſcribunt* &c. *Confer Habert. Not.* in Lib. Pontif. Græcorum.

(15) *Syneſius Epiſt. XII. Euſebius Lib. X. Cap.* 4. *Nazianzenus Orat. I. Baſilius Reg. Moralium Lib. LXX. Cap.* 36. *Chryſoſtomus Hom. XI. in I. Timoth. Cap.* 4. &c.

(16) *Epiſt. Cler. Rom. ad Cyprianum inter Cyprian. III. al. VIII. Celerinus Epiſt. XXI. inter Cyprian. Confer ſupr.* §. II. Not. 4.

(17) Ambroſius, ſive Hilarius Comment. in I. Timoth. Cap. 4. & Auctor Quæſtionum Vet. & Nov. Teſtamenti Cap. CI.

(18) *Sidonius Apollin. Lib. IV. Epiſt. XI. Confer* ſup. num. II. pag. 234.

(19) *Optatus Lib. I. pag.* 39. Quid commemorem Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos... Ipſi Apices, & Principes omnium aliqui Epiſcopi... Inſtrumenta divinæ legis impie tradiderunt.

ſtat Cotelerius (20). Quam ſane adpellationem licet in Parmeniano reprobaverit Auguſtinus, propterea quod non ſit alius quiſpiam mediator præter *Chriſtum Dominum* (21) ; eo tamen ſenſu illam uſurparunt Græci Patres, ut Sacerdotes tantummodo miniſterialis deprecationis mediatores agere ſignificarent, quo ſenſu Moyſen Mediatorem a Paolo adpellatum fuiſſe plerique Interpretes docent (22). Poſtremo adferre juvat verba Auctoris Conſtitutionum *Lib. II. Cap.* 25. quibus Sacerdotes adloquitur : *Vos eſtis*, inquit, *veſtris laicis Prophetæ, Principes, Duces, Reges, Mediatores Dei, & Fidelium ejus*.

XIII. At neque hic ommittendum, quod Morinus ex antiquis monumentis docet : *Part. I. de Sacris Ordinat. Exerc. VIII. cap. I.* eum nimirum antiquitus morem apud græcos æque, ac latinos obtinuiſſe, ut ſimul plures Presbyteri cum ſuo Epiſcopo celebrarent, dum interea Diaconi, ac reliqui clerici ſinguli in ſuo ordine ſacris myſteriis miniſtrarent. Atque hanc fuiſſe advertit laudatus Vir communionem eccleſiaſticam paſſim ab antiquis Patribus memoratam, cujus privatio pœna erat in Clericos delinquentes, utpote qui pro criminis ratione modo ad inferiorem ordinis gradum, modo ad infimum deducerentur. Quod ſi ita poſtulante facinoris gravitate omnino illius exſortes eſſent, ad laicam communionem redacti cenſebantur. Exſtat hodie hujus diſciplinæ veſtigium in ordinatione Epiſcoporum, & Presbyterorum, qui cum Epiſcopo ordinatore concelebrant.

§. III. *De quibuſdam Dignitatibus, & Officiis Presbyterorum propriis, ac primo de Archipresbyteris.*

XIV. Archipresbyterorum originem quod ſpectat, inde videtur deducenda, quod jam inde a primis Eccleſiæ ſeculis uſu recepta, & communis ea lex fuerit, ut inter ejuſdem Eccleſiæ Presbyteros, & Diaconos ille primus Presbyter, ſive *Archipresbyter*, & primus Diaconus, ſive *Archidiaconus* haberetur, qui ratione Ordinationis reliquos anteiret. Profecto ordinatis a Meletio Schiſmatico Presbyteris ſuum quidem ſervavit ordinem, & locum Synodus Nicæna, at ea conditione, ut inferiores ſemper eſſent Presbyteris ab Alexandro Epiſcopo Alexandriæ ordinatis: *Inferiores tamen eſſe omnibus Presbyteris, quos Alexander ordinavit: δευτέρους εἶναι πάντων*. Tum Sede Nolana vacante univerſa Plebs Felicem Presbyterum Epiſcopum enixe poſtulabat. At Felix meritis maximus, animi vero demiſſione non minor contendere cœpit, Quintum Conpresbyterum ſuum ſibi eſſe jure præferendum, utpote natu, & ordinatione majorem. Nimirum Quintus hebdomada omnino una ante Felicem Presbyter fuerat ordinatus.

Felicis nomen totum balabat ovile
. . . Velut indignus non audet honore
Creſcere, teſtaturque ſeni mage debita Quinto,
Quod prior ille gradum ſocii meruiſſet honoris
Presbyter, hac ſeptem diſtabat ſumma dierum.
Ergo ſub hoc etiam Felix Antiſtite vixit
Presbyter.

S. Paulinus *Nat. V. de S. Felice*.

XV. Primus qui Archipresbyterorum meminerit fortaſſe Hieronymus eſt ; qui Epiſt. ad Ruſticum : *Singuli*, inquit, *Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri*. Ubi obſervandum unum in unoquoque Epiſcopatu Archipresbyterum fuiſſe, cui omnes Presbyteri tam urbani, quam vicani ſubjiciebantur. At vero poſt Hieronymum

 Archi-

(20) *Coteler. Not. in Conſt. Apoſt.* Lib. II. Cap. 25.
(21) *Auguſtinus contra Parmen.* Lib. II. Cap. 8.
(22) *Baſilius de Spiritu S. Cap. XIV.* Data eſt lex diſpoſita per Angelos in manu *Mediatoris*, videlicet *Moyſis*, juxta adhortationem populi dicentis : Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Deus. *Theodor. Comm. in Galat. Cap. III. verſ.* 19. Lata eſt lex adminiſtrantibus Angelis, & ad eam ferendam Moyſe deſerviente. Ipſum enim *Mediatorem* adpellavit.

Archipresbyterorum crebra injicitur mentio apud Socratem, Sozomenum, alioſque (23).

XVI. Archipresbyteri dignitas antiquitus in Eccleſia num pro ætate, & antiquitate ordinationis, an vero pro perſonarum merito delata ſit, quæſtio eſt inter eruditos. Porro non eadem hac in re videtur fuiſſe Grecæ, & Latinæ Eccleſiæ diſciplina. In Latina enim ea religioſiſſime lex cuſtodiebatur, ut ſeniores junioribus præferrentur. Et ſane Leo Papa cum Doro Epiſcopo Beneventano graviter conqueſtus eſt, quod primum ante alios honoris gradum Epicarpio presbytero recens ordinato detulerit: quo facto Presbyterii ordinem turbatum ſcribit (24).

XVII. At in Græca Eccleſia contrariam viguiſſe conſuetudinem plura, quæ occurrunt, exempla demonſtrant. Et ſane Liberatus de quodam Proterio meminit, quem diſertis verbis ſcribit a Dioſcoro Epiſcopo Eccleſiæ Alexandrinæ Archipreſbyterum fuiſſe conſtitutum (25); tum Gregorius Naz. *Orat. XX.* de ſe narrat, quod Baſilio volenti ſibi primum inter presbyteros locum adſignare non adquieverit (26). Jam vero ſecutis temporibus mos inolevit, ut Epiſcopi in Archipresbyteris conſtituendis non ætatem ſpectarent, aut ordinationis antiquitatem, ſed potiſſimum pietatem, doctrinam, & ad munia exercenda dexteritatem.

§. IV. *De Præcipuis Archipresbyterorum muniis.*

XVIII. De Archipresbyterorum muniis pauca habent Canones; id quod, recte obſervante Thomaſſino *Part. I. Lib. II. cap.* 3. argumento eſt, ad omnia Epiſcopalia miniſteria, quæ a Presbytero exerceri queunt, ab Epiſcopo ſuo, prout ei videbatur, potuiſſe delegari. Igitur Archipresbyter erat Epiſcopi ceu Vicarius Generalis, & veluti proprius ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ Parochus, quæ ſola per plura Secula in Epiſcopali civitate fuit Eccleſia. Hoc autem intereſt inter veteres Archipresbyteros, & noſtros Vicarios generales, quod illi nonniſi abſente, ægrotante, aut alias occupato Epiſcopo ejuſdem miniſteria obirent, eaque peragerent, quæ ipſis præcipiebantur: præcipue vero miſſæ ſacrificium celebrare, fontem baptiſmalem benedicere, infirmos oleo perungere, populo ab Eccleſia dimittendo benedictionem impertiri, aliaque id genus. At noſtri Vicarii generales omnia, veluti proprio jure, implent munia præter ea, quæ ſibi reſervata Epiſcopus voluerit.

XIX. Porro ſunt etiam externa quædam munia a Canonibus Archipresbyteris concredita uti 1. Archipresbytero aliquando commiſſa videtur cura viduarum, pupillorum, peregrinorum: id præſcribit Concilium Carthaginienſe IV. (27).

2. Archipresbyteri cura erat providere, ne Judices ſeculares, quod jam facere cœperant, Parochias, aut monaſteria viſitarent, aut aliquid quocunque intuitu in iis præſumerent. Ita Concilium Cabilonenſe (28).

3. Archipresbyteri quoque poteſtati tributum

(23) *Socrates Lib. VI. Cap.* 9. Petrus quidem fuit Alexandrinæ Eccleſiæ Protopresbyter. *Sozomen. Lib. VIII. Cap.* 12. Objurgavit Theophilus eum, qui tunc erat Archipresbyter . . . At Petrus; id enim nomen erat Archipresbytero.

(24) *S. Leo Ep. LVII. ad Dorum Beneventi Epiſ.* Cognovimus apud te novo ambitu, fœdoque colluvio Presbyterii ordinem fuiſſe turbatum, ita ut unius feſtina, & immatura provectio, quædam eorum dejectio facta ſit, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat.

(25) *Liberatus Breviar. Cap. XIV.* Utique cui *Croterio* & Dioſcorus commendavit Eccleſiam, qui & eum Archipresbyterum fecerat.

(26) *Nazianzenus Orat. XX.* Quum ad eum veniſſem, & Cathedræ honorem, inſignioremque honoris locum inter Presbyteros τὴν τῶν πρεσβυτέρων προτίμησιν recuſaſſem, &c.

(27) *Conc. Carthag. IV. Can. XVII.* Ut Epiſcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, & peregrinorum non per ſeipſum, ſed per Archipresbyterum, vel per Archidiaconum agat.

(28) *Conc. Cabil. II. Can. XI.* Si judices publici præſumtione, vel poteſtate qua pollent, excepta invitatione Abbatis, vel Archipresbyteri, in ipſa monaſteria, vel parochias aliquid fortaſſe præſumſerint, a communione omnium ſacerdotum eos convenit ſequeſtrari.

burum eſt animadvertere in Presbyteros, Diaconos, ceteroſque Clericos, ſi quid in Eccleſiaſticos Canones committerent: adeo ut Concilium Turonicum II. in monaſterium detrudi jubeat Archipresbyterum, qui ſtrenuam operam non navaverit, ut Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi caſte viverent (29). Tum Synodus Antiſiodorenſis *Can. XX.* Archipresbytero præcipit, ut Epiſcopum moneat, ſi quando carnalibus inquinamentis ſeſe deturpent Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi. Si id negligat, annuam ei infligit pœnitentiam; *integro anno non communicet*.

4. Eadem Synodus a communione arcendos decernit laicos quoſcunque, qui Archipresbyteri monitis non paruerint; tum & ea pœna multandos, quam ejuſmodi contumaciæ Rex adſixerat (30).

5. Tandem ejuſdem Synodi *Canone* XLIII. excommunicationis pœna in judices illos laicos infligenda ſtatuitur, qui contumeliæ aliquid Clericis intulerint, vel injuria eos quacunque adfecerint, niſi jubente Epiſcopo, Archidiacono, vel Archipresbytero (31).

§. V. *De Archipresbyteris Ruralibus*.

XX. Jam vero tam ampla Archipresbyterorum dignitas aucto fidelium numero diviſionem ſubinde paſſa eſt; ita ut plures in una diœceſi Archipresbyteri eſſent, qui in Presbyteros extra civitatem, & clericos curam intenderent, dicti propterea *Rurales*, Archipresbytero urbano Presbyterorum ſolius Epiſcopalis civitatis cura reſervata. Porro Archipresbyteri Rurales *Decani* quoque dicti ſunt. Quum enim Diœceſes præſertim amplæ in plures dividi cœpiſſent regiones, ſic dictas *Decanias*, quod ſingulæ decem titulos complecterentur; atque uſu quoque inductum eſſet, ut ſingulis decaniis ſinguli præficerentur Archipresbyteri; hinc factum, ut hi *Decani* quoque dicerentur; quippe qui Presbyteris, & clericis determinatæ alicujus regionis præeſſent, ac eorundem curam gererent. Confer Thomaſſinum *Part. I. Lib. V. Cap.* 5.

XXI. At vero hic plura notanda occurrunt. 1. Archipresbyterum Urbanum, ſive Presbyteris civitatis Præpoſitum, ſemper unum fuiſſe: quum ex adverſo Archipresbyteri Rurales plures interdum fuerint, prout magis, minuſve Diœceſes paterent (32).

2. Archipresbyteros Rurales (dictos aliquando *Paſtores Paſtorum*, quippe Parochis ſui diſtrictus intenderent) nunquam habitos fuiſſe ceu ordinarios; quum duntaxat ex commiſſione, & delegatione Epiſcopi, tanquam jure delegato, eam poteſtatem acceperint.

3. Eoſdem ad perſonalem in ſuæ regionis limitibus reſidentiam potuiſſe compelli, utpote quibus obſervatio morum tam Presbyterorum, quam laicorum ſui diſtrictus commiſſa eſſet.

XXII. Archipresbyterorum Ruralium munia quod ſpectat, præcipua hæc ſunt 1. Parochias ſibi ſubjectas frequenter, ac exacte inviſere, ut corrigenda vel corrigerent, vel ad Epiſcopum referrent (33):

2. Pr-

(29) *Conc. Turonicum II. Can. XIX.* Illi vero Archipresbyteri, qui talem cautelam ſuper juniores ſuos habere noluerint, & non eos habuerint ſtudio diſtringendi, ab Epiſcopo ſuo detrudantur in cellam, ibique menſe integro panem cum aqua manducent.

(30) *Conc. Antiſiodor. Can. XLIV.* Si quis ex Secularibus inſtitutionem, aut commonitionem Archipresbyteri ſui contumacia faciente audire diſtulerit, tandiu a liminibus ſanctæ Eccleſiæ habeatur extraneus, quandiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere non ſtuduerit: inſuper & multam, quam glorioſiſſimus Dominus Rex præcepto ſuo inſtituit, ſuſcipiat.

(31) *Eadem Synodus Can. XLIII.* Quicunque judex, aut ſecularis Presbytero, aut Diacono, aut cuilibet de clero, aut junioribus abſque audientia Epiſcopi, Archidiaconi, aut Archipresbyteri injuriam inferre præſumſerit, anno ab omni Chriſtianorum conſortio habeatur extraneus.

(32) *Capitular. Toloſan. Cap. III.* Statuant Epiſcopi loca convenientia per Decanias, ſicut conſtituti ſunt Archipresbyteri.

(33) *Synodus Ticinenſis Can. XIII.* Archipresbyteri non ſolum imperiti vulgi ſollicitudinem gerant, verum etiam eorum Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumſpectione cuſtodiant, & qua unuſquiſque induſtria ſuum opus exerceat, Epiſcopo ſuo renuntient.

Digitized by Google

2. Publicorum criminum reos ad publicam ſubeundam Pœnitentiam excitare, Presbyteroſque, ſive Parochos deligere ad audiendas occultorum criminum confeſſiones. Ita *Synodus Ticinenſis* (34).

3. Fideles admonere, ut *ad Eccleſiam pergant ad Matutinas horas, Miſſam, & Veſperas: & nihil operis in diebus feſtis agant:* Regino *Lib. II. Cap. 69.*

4. Tandem per ſingulos menſes ſuorum Presbyterorum cœtus cogere, ut collatis conſiliis, quæ in Parochiis acciderint, agitarent. Quod quidem etiam Epiſcopis ſemper in more fuit, ut nimirum quotannis ſtatuta die omnes ſuæ Diœceſeos Archipresbyteros arceſſerent, atque cum illis, quæ magis ſaluti, & utilitati animarum expedire viderentur, decernerent (35).

§. VI. *De Præpoſitis.*

XXIII. Præpoſiti quoque munus ſemper Presbyterorum fuit proprium. Exeunte enim Seculo quinto, & ſexto ineunte in Hiſpania mos viguit, ut Parentes filios ſuos Eccleſiæ miniſterio adhuc puerulos offerrent, quos Epiſcopus gravi, ac prudenti cuidam Presbytero educandos tradebat, qui propterea Præpoſitus, ſive Magiſter diſciplinæ ſalutabatur: uti *in II. & IV. Concilio Toletano* videre eſt (36).

XXIV. Verum ſequiori ætate ille ex Presbyteris Præpoſiti nomine donatus eſt, ad quem ſpectabat Canonicorum, ſive Clericorum in communi viventium curam gerere, eorundem vivendi rationem moderari, tum delinquentes ſtatutis pœnis ad Canonum obſervantiam revocare. Hinc ad hujuſmodi munus nonniſi ſanctiſſimos, ac ſtrenuiſſimos Presbyteros adſumendos præſcribunt Capitularia Caroli M. & Synodus Aquiſgranenſis anno 816. (37). Ceterum quod ad jura, dignitatem, ac munia Præpoſitorum noſtrorum temporum, qui nonniſi umbram, ac nomen referunt antiquorum (tunc enim Præpoſitura officium erat, & quidem grave, modo primaria tantummodo dignitas) cujuſque Eccleſiæ ſtatuta, & conſuetudines attendendæ ſunt; uti in noſtris Canonicis Inſtitut. jam admonuimus *Lib. I. Tit. XXVI.*

§. VII. *De Vicario Generali.*

XXV. Quemadmodum Chorepiſcopi: de quibus ſupra, in ruralibus Parochiis generalem Epiſcopi vicariatum exercebant, unde illud Ferrandi, & Creſconii, *Chorepiſcopi*, ideſt *Vicarii Epiſcopi:* ita in Urbe generalem Epiſcopi delegationem obibant Presbyteri, quos ſeligebant Epiſcopi, ut in eos Epiſcopalis ſarcinæ partem aliquam rejicerent. Hi erant veluti Officiales, & Vicarii Generales noſtrorum temporum, potius nuncupandi Epiſcoporum Coadjutores, & quidem vel perpetui, vel duntaxat ad tempus: plerunque enim eligebantur, quum Epiſcopus vel adverſa valetudine, vel ſenectute, vel alia de cauſſa plebi ſibi commiſſæ regendæ non eſſet. Ejuſmodi fuiſſe videtur Gregorius Nazianzenus, quem Gregorius cognominis Epiſcopus Nazianzi jure patrio eremo abduxit, ac reluctantem adegit, ut regendæ Eccleſiæ ſibi adjutor accederet (38).

Chry-

(34) *Eadem Synodus Ticinenſis Can. V.* Oportet, ut plebium Archipresbyteri unumquemque conveniant, quatenus . . . qui publice crimina perpetrarunt, publice pœniteant: qui vero occulte deliquerunt, illis confiteantur, quos Epiſcopi, & plebeium Archipresbyteri idoneos ad ſecretiora vulnera mentium medicos elegerint.

(35) *Riculphus Sueſſionenſis Conſtit. Cap. XX.* Rationi conſonum eſſe ſanximus, ut in unoquoque menſe ſtatuta die per ſingulas decanias Presbyteri ſimul conveniant, & de iis, quæ in Parochiis ſuis accidunt, ſermonem habeant.

(36) *Conc. Tolet. II. Can. I.* De his, quos voluptas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio, vel monachali poſuit, pariter ſtatuimus . . . . in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia a Præpoſito ſibi debeant erudiri. *Eadem habet Concilium Tolet. IV.* Can. XXIII.

(37) *Capitular. Caroli M.* Cap. CXVI. & CXVIII. *Synodus Aquiſgran.* Cap. CXXXVIII.

(38) *Gregorius. Nazianz. Orat. ad Patrem:* Nunc quidem cum præclaro Parente curam hanc ſuſcipere non recuſo, velut magnæ Aquilæ, & altiſſime volanti pullus non incommodus e propinquo advolans . . . Ad breve tempus præfecturam quaſi hoſpites accepimus.

Chryſoſtomus quoque , ut ipſe teſtatur , abſente Flaviano, Epiſcopale munus Antiochiæ explevit (39). Tum ex Eccleſia latina plura ejuſdem rei exempla promi poſſent , ſi iſtuc Inſtituti noſtri ratio pateretur . Enimvero Simplicianum ab Ambroſio, Auguſtinum a Valerio, Eradium ab Auguſtino, Claudianum a Mamerto , alios ab aliis eo conſilio Presbyteros ordinatos fuiſſe conſtat , ut in eos vices ſuas, & ſollicitudinis magnam partem conferrent . Confer Thomaſſinum *Part. I. Lib. II. cap. 7.*

XXVI. Duo hic tantummodo animadvertenda. Primum: Eos plerunque ad Epiſcopatum fuiſſe evectos , quos defuncti Epiſcopi ſuos Vicarios elegiſſent, quippe id argumento erat , eos ipſorum judicio pares eſſe, ut Epiſcopale munus ſubirent. Confer *Part. I. Cap. XII. num.* 11. Epiſcopi enim nonniſi peritiſſimos ex Presbyteris ad hocce munus adſumebant . Ipſorum enim partes erant , ut Epiſcopi labores levarent qua conferendis Sacramentis, qua habendis concionibus, qua finiendis Clericorum, vel fidelium litibus : adeo quidem ut qui præ cæteris huic obeundo muneri adhibebatur , is haberetur dignitati Epiſcopali maturior.

XXVII. Alterum : Unum tunc temporis Generalem Epiſcopi Vicarium ea ſimul Epiſcopalia munia expleviſſe , quæ ſecutis deinde temporibus in plures Presbyteros diſpertiri cœperunt: uti e. g. Theſaurarii, Officialis, Pœnitentiarii, Theologi , Œconomi &c. iſtuc tum ex Nazianzeno perſpicuum eſt, tum ex Sidonio Apollinari. Namque ille in Baſilio Euſebii Epiſcopi Cæſareenſis (40), hic vero in Claudiano Mamerti Epiſcopi Viennenſis (41) Coadjutoribus ejuſmodi lineamentis Vicarii Generalis formam exprimunt, qua vix queas deſiderare perfectiorem.

§. VIII. *De Pœnitentiario.*

XXVIII. Opportuna hic ſeſe offert occaſio diſſerendi de Presbytero Pœnitentiario, qui & ipſe Vicarius erat Epiſcopi in Pœnitentia adminiſtranda. Namque ſæviente, quæ duriſſima fuit, Decii Perſecutione, uti Socrates *Lib. V. cap.* 19. refert, *Eccleſiarum Epiſcopi Canoni adjunxerunt, ut ſingulis Eccleſiis Presbyter quidam præeſſet, quo qui poſt baptiſmum lapſi fuiſſent, coram Presbytero ad eam rem deſignato peccata ſua confiterentur.* Eadem habet Sozomenus *Lib. VII. cap.* 16. Jam vero, & antequam Presbyter hic inſtitueretur, & etiam poſt, uti ex Patrum teſtimoniis, & Conciliorum Canonibus liquet, ſemper ad Epiſcopum pertinuit publica Pœnitentium reconciliatio. Namque Epiſcopi ſemper partes fuere, Pœnitentiæ leges ſtatuere, Canones condere, publice Pœnitentibus laborioſa opera injungere, & explorare quo ſtudio injunctis operibus incumberent : uti *Lib. IV.* opportunius videbimus.

XXIX. Igitur Pœnitentiarii munus in eo duntaxat verſatum videtur, ut eorum, qui poſt Baptiſmum lapſi eſſent, ſecretas audiret confeſſiones, ſecretaſque indiceret Pœnitentias. Si quis autem ejuſmodi patraſſet crimen, quod nonniſi publica Pœniten-

(39) *Chryſoſt. adverſus Anomæos apud Baron. ad ann.* 382. *n.* 48. Paſtor abeſt , & tamen oves ſuum ſervantes ordinem video. Profecto boni illius Paſtoris id quoque officium eſt, ut non modo illo præſente , verum etiam abſente , ovili ſtudium omne adhibeat.

(40) *Nazianz. Orat. II. in laudem Baſilii* Adeſſe, docere, dicto audientem eſſe , monere , quidvis denique illi eſſe , conſultor bonus , opitulator optimus , divinorum oraculorum explicator, rerum agendarum præmonſtrator, ſenectutis ſubſidium , fidei adminiculum, domeſticorum fideliſſimus , externorum ad res agendas aptiſſimus *&c.*

(41) *Sidonius Apollin. Lib. IV. Epiſt. XI.* Sed & ille *Mamertus* ſuſpiciebat hunc *Claudianum* granditer. habens in eo Conſiliarium in judiciis, Vicarium in Eccleſiis, Procuratorem in negotiis , Villicum in prædiis , Tabularium in tributis , in lectionibus Comitem , in expoſitionibus Interpretem , in itineribus Contubernalem. *Et alibi in Carmine de eodem Claudiano.*

Antiſtes fuit ordine in ſecundo
Fratrem faſce levans Epiſcopali.
Nam de Pontificis honore ſummi
Ille inſignia ſumſit, hic laborem.

Digitized by Google

nitentiæ elui poſſet, enm ad Epiſcopi tribunal remitteret; vel ipſe quidem publicam imponeret Pœnitentiam, at Epiſcopo vel abſente, vel mandante. Ita ex Synodis Illiberitana, & Carthaginienſi (42). Profecto moleſte olim tulit Cyprianus, quod Presbyteri ſe inconſulto Pœnitentes reconciliarent (43). Accidit vero Conſtantinopoli, Nectario ejus Eccleſiæ clavum tenente, ut Femina, poſt factam Pœnitentiario ſuorum criminum confeſſionem, palam, & publice confeſſa ſit, ſe a Diacono fuiſſe vitiatam. Id profecto, quod non poterat non grave ſcandalum concitare, ſine dubio illa fecit præter Præsbyteri conſilium. Nam ea tempeſtate etſi peccatorum etiam occultorum publica eſſet Pœnitentia, erat tamen occulta confeſſio, & nonniſi arbitraria eorundem publicatio. Tum vetitum erat ea ſcelera palam efferre, quæ utilius laterent: immo & ſecreto quoque occultorum criminum Pœnitentia peragebatur, ubi offendiculo foret, ſi publice fieret. Nectarius igitur, quod ex imprudenti Feminæ illius publica confeſſione Eccleſiaſtici homines dicteriis adpeterentur, ex Eudœmonis conſilio Presbyterum Pœnitentiarium abſtulit. In quo num recte, ac prudenter ſe geſſerit Nectarius, admodum diſputant Theologi clariſſimi Melchior Canus, Eſtius, aliique. Verum de hoc Capite agemus *Lib. IV.*

(42) *Synodus Illiber. Can. XXXII.* Apud Presbyterum, ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum.

Synodus Carthag. III. Can. XXXI. & XXXII. Ut Pœnitentibus ſecundum peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio Pœnitentiæ tempora decernantur. Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet Pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, vel neceſſitate cogente.

(43) *Cyprianus Lib. III. Epiſt. XIV.* Quod nec periculum metuere debemus de offenſa Domini, quum aliqui de presbyteris nec Euangelii, nec loci ſui memores, quod nunquam ſub antecelloribus factum eſt, cum contumelia, & contemtu Præpoſiti totum ſibi vindicent.

E X C U R S U S

De Protopapis.

§. I. *De Protopaparum Origine, & Antiquitate.*

I. Qui antiquitus in Græca Eccleſia Protopresbyter dicebatur, apud Græcos ſequiores *Protopapas*, vel *Protopappas* dici conſuevit. Profecto ex una parte apud Græcos in more videtur fuiſſe *Protos* in quæcunque officia frequenter inducere: unde quam frequenter æque in Officiis Palatii Græcorum Cæſarum occurrunt, *Protoſebaſti*, *Protoveſtiarii*, *Protoſcriniarii*, *Protopatritii*, *Proto a ſecretis*, & alii ejuſmodi; ac in Officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ invenies *Protoſyncellos*, *Protecdicos*, *Protonotarios*, *Protochirios*, *Protopſaltas*, *Protocanonarchas*, *Protothronos*, *Protopapas*, *Protodiaconos*, *Protepiſtolarios*, *Protochirios τῶν ἀνεγνωστῶν*, &c. (1); Tum ex altera parte, ut alibi jam obſervavimus, ſatis conſtat, *Papæ* vocabulum primis Eccleſiæ Seculis Epiſcopis quidem, ac præcipue Senioribus plerumque tributum, Presbyteris quoque nonnunquam fuiſſe collatum, quos etiam quodammodo *Patres* eſſe populus agnoſcebat. Id ex Actis SS. Martyrum Mammarii, aliorumque

(1) *De his confer Du-Cangium* Gloſſ. Med. Græcit. *Meurſium* apud Oudin Tom. III. *Voſſium* Lib. IV. de Hiſt. Græcor. *ac præcipue Clariſſ. Joſephum Moriſanum S. Metropolitanæ Regiæ Eccleſiæ Canonicum in ſua omni æque græca, ac latina eruditione refertiſſima Diatriba*, *quam* de Protopapis, & Deuteriis Græcorum, & Catholicis eorum Eccleſiis *inſcripſit*, *ac Neapoli paucis abhinc annis elegantiſſimis typis excuſam evulgavit; unde pleraque hauſimus, quæ in hoc Excurſu de Protopapis adſerere licuit.*

que MM. Africanorum, & ex Actis S. Theodori Ancyrani colligunt Mabillonius, & Ruinartius (2). Id quod etiam erui poſſe videtur ex Actis SS. MM. Juliani, & Baſiliſſæ (3), in quibus Præſes Martyrem interrogat an Papas ſit, an Diaconus, qui ſe laicum eſſe reſpondit. Demum in Actis Conc. Chalced. *Act. I.* Eutiches, & Abrahamius, qui Epiſcopi non erant, ſed duntaxat Presbyteri, & Archimandritæ *Papæ* titulo inſigniuntur. Poſtremo ſecutis temporibus quum generatim Presbyteri honorifico eo nomine uterentur, paulatim factum eſt, ut minoribus etiam Clericis tribueretur, qui & ipſi *Papæ*, vel *Piſimi*, vel *ſimplices Papæ* dici cœperunt: uti Moriſanus demonſtrat *ibidem*.

II. Duo hic animadvertere operæ pretium duco: Primum: Neminem ſeipſum, niſi Romanum Pontificem Papam nuncupare conſueviſſe. Profecto *Epiſt. VI. Siricii Papæ* hanc habet ἐπιγραφὴν· *Siricius Papa Orthodoxis per diverſas Provincias*. Confer Mabillonium de *Re diplomat. Lib. II.* & PP. Maurinos ad *Cangium* in voce *Papa*.

III. Alterum: Vocabulum *Papæ* ſecutis temporibus Presbyteris quidem æque, ac Epiſcopis fuiſſe tributum; at hoc potiſſimum diſcrimine, ut non pronuntiatione eadem, atque inflexione ad utroslibet ſignificandos a Græcis adhiberetur. Πάπας *Papas* enim Epiſcopus, Παπᾶς *Papas* Presbyter vocabatur. Iſque ſane pronuntiandi ritus, nec recentior quidem videri poſſet, ſi recta legendi ratio in vetuſtis MM. Actis conſervata eſſet. Actorum S. Theodori exemplar Græcum, inquit Ruinartius *ibid. pag.* 304. *hic habet*, ὁ Παπᾶς, *quo nomine donantur Fronto in Actis S. Theodori*, & *Antonius in Actis SS. Juliani*, & *Baſiliſſæ ex vetuſtiſſimo Lectionario Lexovicenſi*. In illis quoque S. Cononis eadem circumflexione notatur. Porro ex iiſdem Actis conſtat Antonium, Frontonem, & Cononem Presbyteros fuiſſe. Qua de re Πάπας primum Epiſcopis, dein Romano Pontifici reſervato, Παπᾶς vocabulum Græcis Presbyteris ita commune factum eſt, & vulgare, ut Παπάδες *Papades* corrupta inflexione hodiedum ab indigenis vocitentur. Tum præter Euchologium, nonnulla Græca Calabriæ Diplomata inſpicere licet apud eundem Moriſanum *ibidem Cap. IV.* in quibus Papæ, & Presbyteri voces promiſcue uſitatæ inveniuntur.

IV. Igitur quum Presbyteri *Papæ*, vel *Papates* nuncupari cœperint, hinc factum eſt, ut is Πρωτοπαπᾶς *Protopapas* diceretur, qui etſi Epiſcopus non eſſet, inter Presbyteros tamen primas obtineret partes, quaſi *Papatium Primus*. Sed tardius irrupit hæc vox, & quos primum Protopreſbyteros dixere Græci, collato Presbyteris *Papæ*, vel *Papatis* titulo, mox adpellarunt *Protopapas*. Et Πρωτοπαπᾶν *Protopapam* quidem dicendum *primum Sacerdotem*, qui non ſit Epiſcopus, non Πρωτόπαπαν *Protopapam*, ut eſt ſcriptum apud Balſamonem in *Pandectis Canonum Beveregii*, ne dubites. Etenim Πρωτοπαπάδαν apud Balſamonem legimus in *Jure Græc. Roman. Leunclavii*, ut ſphalma potius apud Beveregium irrepſiſſe putandum ſit: Moriſanus *ibidem Cap. IV.* Eadem fere Allatii, Cangiique ſententia fuiſſe videtur, qui Πρῶτον τῶν ἱερῶν *primum inter ſacerdotes* illud nomen interpretantur (4).

V. Illud ſane hic quæri poſſet, num vox Πρωτοπαπᾶς latine *Archipresbyter* jure reddatur? Porro licet nominis utriuſque notione inſpecta, vocis utriuſque eadem ſignificatio videatur; attamen, uti recte obſervat Thomaſſinus (5), neque Græcorum Protopresbyter, neque Protopapas ævi ſequioris cum Latinorum Archipresbyteris recte conſentiunt. Etenim Archipresbyter apud Latinos plurium unius re-

(2) *Mabillonius* Tom. IV. Analect. edit. Pariſ. 1723. pag. 181. *Ruinartius in Actis MM. ſinceris* in Actis S. Theodori.

(3) *Bollandiſtæ* ad diem 29. Maji num. 4.

(4) *Allatius* de Græc. Templ. pag. 135. *Cangius* in utroque Gloſſ. v. Πρωτοπαπᾶς, & *Protopapas*.

(5) *Thomaſſ.* Part. I. Lib. II. Cap. V. num. 11.

regionis Eccleſiarum curam gerit: at vero Protopresbyteri, ac Protopapæ apud Græcos primi duntaxat erant inter plures Presbyteros unius Eccleſiæ miniſterio mancipatos, cujuſmodi apud Latinos dicebantur Presbyteri Cardinales.

VI. Verum ſecutis temporibus in nonnullis Eccleſiis, ac præſertim in Eccleſia Conſtantinopolitana, & in Aula Auguſtorum Protopapæ amplam honoris magnificentiam adepti ſunt. Profecto in Eccleſia Conſtantinopolitana ex Anonymo Monchalliano apud Codinum in ſiniſtro Choro primum locum occupabat Protopapa. Cur autem in ſiniſtro, & non in dextro Choro primas ageret Protopapa illud dubio procul in cauſſa fuiſſe videtur, quod ſicut in utraque Eccleſia Græca, & Latina, ita potiori jure in Eccleſia Conſtantinopolitana Archidiaconi ob præclara illis collata officia, Presbyteris, ipſiſque Epiſcopis aliquando præminere viſi ſunt. Profecto, ut *Part. I. Cap. XVIII.* jam vidimus, in Concilio Chalcedon. Aetii Archidiaconi Conſtantinopolitani pro tuendis Patriarchæ Conſtantinopolitani juribus maximum ſtudium enituit.

§. II. *De Cathedralis Eccleſiæ Protopapæ juribus.*

VII. Jam vero licet Protopapas in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Choro alterum ab Archidiacono locum habuiſſe videatur; attamen, Patriarcha celebrante, maximæ, atque adeo potiores in altaris miniſterio Protopapæ partes erant. Id elucet ex eodem Anonymo Monchalliano, qui Protopapæ officia his verbis complectitur: *Protopapas, quum ſacrificat Pontifex, locum habet ſupra univerſos Archontes Eccleſiæ, & in divina Liturgia impertit Pontifici ſanctam communionem; ſimul & Epiſcopus Primo Sacerdoti. Sed & principatum obtinet in primatu Eccleſiæ, dominium pariter in Eccleſia, & locum Pontificis.* Eadem habet Allatianus Catalogus (6): *Protopapas ſtat ſuper officia, ſeu præeſt Officiis ſiniſtri Chori. Quum ſacrificat Pontifex, impertit ipſe ſanctam communionem Pontifici, ſimul & Pontifex Protopapæ, habens ſane in Eccleſia primatus omnes.* Tum Codinus *Cap. I. Pentad. VI. de Protopapa* hoc modo habet: *Protopapas Defenſor, ac primus in Bemate* πρῶτος τοῦ Βήματος, *& ſecundas a Patriarcha obtinens.* Demum in Græcorum Euchologio ubi deſcribitur ritus conſecrationis Chriſmatis, hæc habentur (7): *Defert autem Protopapas ſacra myſteria præcedens..... Protopapas autem unguentum ferens Patriarcham præſtolatur ad ſacras fores. Et occurrens Patriarcha recipit ab eo alabaſtrum ..... Quum vero ſancta perferri debent, ſtante coram ſacris foribus Protopapa, aſſumit Patriarcha unguentum, delatumque Protopapæ tradit.* Igitur Protopapas Conſtantinopolitanus videtur accedere ad Latinum Archipresbyterum urbanum, cui, collata Archidiacono temporalium Eccleſiæ redituum adminiſtratione, cura ſpiritualium, & in reliquos Presbyteros, inferioreſque Clericos poteſtas reſervata eſt.

§. III. *De Protopapis Ruralibus, ſive Plebium Curionibus.*

VIII. Porro ſicuti in Latina Eccleſia erant quoque Archipresbyteri rurales ſic dicti Decani, ita etiam in Græca erant quoque Protopapæ veluti rurales, ſic etiam dicti *Plebium Curiones*. Unde apud Nicetam *Lib. V. Theſaur. Orthod. fidei Cap. I.* Parœciæ vocantur Πρωτοπαπάδες, quod Protopapis ſubjicerentur; & Πρωτοπαπαδίκιον dignitas Protopapæ, vel Eccleſiæ Parochialis apud Balſamonem, & Πρωτοπαπαδίκια jura Protopapatus, vel jura Parochialia vocantur apud Cruſium in Turcogræcia. Quamobrem Innocentius III. Latinis Principibus jam Byzantii imperantibus, in ſuis ad Græciæ Epiſcopos datis Epiſtolis & *Papæ*, & *Papatus* nomina

(6) *Apud Du Cangium in* Gloſſ. med. Græc. v. Πρωτοπαπᾶς, *& apud Goar.* in Adnot. ad Cap. I. Codini num. 10.

(7) *Euchology.* Tit. de Magni unguenti compoſit. apud Martene de Ritib. Lib. IV. 32. §. 3. Ordine VIII.

Digitized by Google

mina retinuit ad Presbyteros, Parochias, & Præpoſituras, ſive Archipresbyteratus ſignificandos (8).

IX. Morinus quidem cenſet Protopapades apud Græcos eoſdem fuiſſe, ac Parochi ſunt inter Latinos; iiſdemque unius Parochiæ Presbyteros paruiſſe (9). At Moriſanus *ibidem Cap. VII.* ejuſmodi plebium Curiones, ſive in pagis, Protopapas tunc quidem invectos arbitratur, quum Chorepiſcopi eſſe deſierunt. Tum rectiſſime ſubdit: *Parochos fuiſſe rectiſſime oſtendit Morinus, at ubi plures in oppido Parochi fuerint, primo, ſeu excellentiori Eccleſiæ ceſſiſſe id nomen liquet, non certo ſolum præeminentiæ jure, ſed quadam etiam in Presbyteros Parœciæ, aut loci, quibus præerat, inſpectione, ac poteſtate.* Eadem videtur fuiſſe Clariſſ. noſtri Mazochii ſententia, qui Protopapæ vocabulum modo ad Chorepiſcopum, ſive Prælatum Epiſcopo inferiorem, modo ad Curionem, ſive Parochum ſignificandum adhibitum fuiſſe cenſet (10).

§. IV. *De Protopapa Palatino.*

X. Uti Conſtantinopolitana Cathedralis Eccleſia, ita etiam Aula Imperatorum ſuum habebat Protopapam. Hic *Magnus Protopapa*, vel *Magni Palatii Protopapa* paſſim audiebat. Quum enim Auguſtorum Palatium Conſtantinopoli ſuum haberet Clerum, qui divina in illo officia perſolvebat, ſacraque celebrabat myſteria, Præpoſito opus fuit, qui illi præſideret, ejuſdemque curam ageret. Porro Presbyterum, cui ejuſmodi cura commiſſa eſt, *Protopapam* placuit adpellare, quaſi Aulæ Imperatoriæ Parochum, & Clero Palatino Præſidentem.

XI. Jam vero evenit aliquando, ut qui M. Eccleſiæ Protopapas erat, is Imperatorum electione Cleri quoque Palatini ſimul Protopapas eſſet. Id teſtatur Codinus Cap. XVII. num. 39. *Protopſaltem*, inquit, *non habet Eccleſia, ſed domeſticum; Imperatorius Clerus utrumque habet.... Olim habebat Eccleſia alium Domeſticum præter illum Imperatoris: aliquando idem utrique Clero inſervit, quemadmodum Protopapas quoque. Habet Imperator Protopapam in ſuo Clero, habet & Eccleſia. Eſt quum idem utrique Clero adnumeratur.*

XII. Quænam fuerit Palatini Protopapæ auctoritas jure hic quæri poteſt. Verum uti Protopapæ Cathedralis S. Sophiæ Eccleſiæ, ſic etiam Protopapæ Palatino nonniſi ſpiritualia jura reſervata ſunt, dum interea Archidiaconi reliqua univerſa in Clerum Palatinum poteſtate fungerentur. Porro ſpiritualia Palatini Protopapæ jura haud levia fuiſſe conſtat. Nam 1. Imperatoris menſæ benedictionem impartiebatur. 2. In magno Paſchatis die Imperatorem ad Eccleſiam advenientem excipiebat Protopapas. 3. In ſolemniſſimo apud Græcos Epiphaniæ feſto Protopapas aquam benedicebat, eaque Aulam, Aulicoſque adſpergebat; ſi quidem ubi ejuſmodi cæremonia a Patriarcha Conſtantinopolitano non fieret, nec alius Patriarcha, cui cedendum fuiſſet, in Aula reperiretur. 4. In Lavipedio Magnæ Feriæ V. quod in Aula

(8) *Innocentius III. Lib. XV. Epiſt. LX. ad Thebanum Archiepiſc.* Canonici ejuſdem Eccleſiæ obtinuerunt ab eo medietatem omnium Monaſteriorum, & *Papatuum*: *Lib. XVI. Epiſt. 98. ad Epiſc. Amyclenſem*: Eccleſiarum, Abbatiarum, *Papatuum*, decimarum, & poſſeſſionum ad eorum Eccleſias pertinentium illicitos detentores. *Et Ep. CXV. ad Epiſc. Sardic.* Quia vero conſtitit nobis, quod Hoſpitalarii habebant ſeptem homines Eccleſiæ Sardicenſis, ſcilicet *Papam* Leonem, Joannem &c. Jubemus illos reſtitui. Præterea omnes Abbatias, & *Papatus*.

(9) *Morinus de Sacris Ordinat.* Part. III. Exercit. XV. Cap. 2. num. 6.

(10) *Mazochius Diſſert. de Cathedr. Eccleſ. Neap. pag.* 110. Fuere, qui aliter ſubductis apud ſe rationibus, non alterum minorem Epiſcopum, ſive Chorepiſcopum Græcis Neapolitanis præficerent, ſed Protopapam, hoc eſt Archipresbyterum, idque aliarum Eccleſiarum exemplo... Poſſet hoc ferri, ſi ullum Neapolitani Protopapæ veſtigium uſquam occurreret, ſicut revera Meſſanenſis Protopapæ plurima paſſim mentio exiſtit. Sic etiam de Corcyrenſi Protopapa legi poteſt Andreæ Marmora Hiſt. Corcyr. *Lib. IV.* Hoc quidem de Protopapa quatenus eſt Prælatus Epiſcopo inferior. ... Ceterum quatenus ea vox non Prælatum, ſed merum Curionem, ſive Parochum notat (tametſi recentior ſit ea notio) poterat eo ſignificatu non uni modo, ſed pluribus Protopapis Neapoli locus eſſe; ubi ſex Græcorum præcipue Eccleſiæ &c.

Aula ab Imperatoribus fiebat, Protopapæ Palatini præcipuæ partes erant. 5. Enthroniſmo novi Patriarchæ lu *pedum*, ſive virgam, aut baculum, quo ab Imperatore donabatur, benedictionem pronuntiabat. 6. Demum Protopapæ jus erat cum ſanctiſſimo Crucis Ligno, aliiſque SS. MM. lipſanis, quum oporteret, ad exercitum prodire, & ad jusjurandum, quod in illo præſtabatur, milites adigere ad Religionem, ac Imperium etiam ſanguinis impendio tuendum. Confer Moriſanum *ibidem Cap. VIII.*

§. V. *De Protopapis in Regno Neapolitano.*

XIII. Vigente in noſtra Calabria ritu Græco, jam inde ab Seculo IX. non vicos modo, & pagos ſuos habuiſſe Protopapas rurales, ſive Curiones, verum & in Cathedralibus Eccleſiis Protopapas urbicos viguiſſe contendit Moriſanus *ibid. Cap. XIII.* Id colligit 1. ex Biographo S. Leonis Ep. Catanenſis, ſic dicti Thaumaturgi, qui poſtquam hujus S. Præſulis ad ſingulos ordinum gradum promotionem per Cyrillum Epiſcopum Reginum deſcripſit, ſtatim ſubnectit: *Ordinatum ad Presbyteratus officium poſt ſe miſſas tenere, res Eccleſiaſticas diſpenſare, hoſpitum curam gerere, pauperibus miniſtrare, Clero providere, erudire populum* Cyrillus *inſtituit*. Hic ſane quin Protopapatus, ſive Protopapæ munia adcurate depingantur, dubitandum haud reor. Profecto tum in Regina, tum in aliis Græcis Eccleſiis quum ritus antea latinus viguerit, ex cujus præſcripto ſingulæ Cathedrales Eccleſiæ ſingulos habebant Archipresbyteros, & quidem ex antiquiſſima Eccleſiaſtica diſciplina, uti *Cap. I. §. III.* ex Hieronymo jam animadvertimus; hinc inducto ritu Græco vero nihil ſimilius eſt, quam ut Archipresbyteratui Protopapatus ſuccederet; præſertim quum in producto laudati Biographi teſtimonio præcipua Archipreſbyteri munia, quæ *ibidem* §. *IV.* jam a nobis deſcripta ſunt, diſerte efferantur.

2. Colligit ex Vita S. Eliæ Ennenſis conſcripta ab Auctore vel ſynchrono, vel ſuppare. Is enim de prædictionibus Eliæ agens, inter alia hæc habet; *Quum Regii aliquando eſſet, dum matutinæ preces perſolverentur ad quendam nomine Demetrium, qui primas inter Presbyteros tenebat, accedens ſcite: Nobis, inquit, benedic Epiſcope*, &c. Hunc ſane Demetrium Metropolitanæ Reginæ Eccleſiæ Protopapam fuiſſe vero oppido ſimile videtur.

XIV. Quum vero Latinus ritus in Regium induci cœpiſſet, ac latinus propterea Archiepiſcopus inſtitutus eſſet: tum quidem quum ibi magna Græcorum copia verſaretur, nihil opportunius viſum eſt, quam ut omnes Græci Presbyteri uni Eccleſiæ addicerentur. Atque hinc factum eſt, ut commune corpus, ſive Græcorum Collegium conſtitueretur, atque huic Protopapas præficeretur: omnium nimirum Curator, & Præpoſitus, qui ſuo comitatus Deutereo non modo Græcis ſive indigenis, ſive advenis, invigilaret, verum etiam ritum Græcum ſervaret. Ejuſmodi Eccleſiam *Catholicæ S. M. Virginis* titulo decoratam, a Sereniſſimo Comite Rogerio Northmanno fuiſſe extructam conſtat ex celebratiſſimo ejuſdem Comitis Diplomate, quod olim ex Græca ejuſdem Comitis Cancellaria datum, & quidem Græco idiomate; demum anno MCCCCXCVIII. Nicolaus Spano ejuſdem Eccleſiæ Protopapas ab Conſtantino Laſcari tunc Meſſanæ Grecæ Linguæ Anteceſſore latine vertendum curavit. Ejus exemplar habes apud Moriſanum *ibidem Cap. XV.*

XV. Cenſet Moriſanus *ibidem* ejuſmodi Catholicam Græcorum Eccleſiam antiquam eſſe Cathedralem Reginam ſub Græcis Archiepiſcopis; quæ tamen a Rogerio, conſtituto jam Regii Latino Archiepiſcopatu, Græcis ampliorem tunc Urbis partem agentibus fuerit adſignata. Tum contendit Rogerium eidem Eccleſiæ græcanicam præpoſuiſſe dignitatem Protopapæ, & quidem ab Archiepiſcopo exemti, ut jurgia, quæ ex intimo, inveteratoque inter utramque gentem odio haud raro exoriebantur, vitari aliqua ratione poſſent. Demum *Catholicæ* nomen eidem Eccleſiæ tributum eſt, quod omnium Græcorum cura illi ſubeſſet.

XVI.

Digitized by Google

XVI. In ejuſmodi Eccleſia ritus Græcus ſervatus eſt ferme ad Seculum uſque XVII. uti conſtat ex Actis primæ Viſitationis Hannibalis de Afflictis Regini Archiepiſcopi (11): At vero jam inde ab Seculo XVI. ineunte Protopapæ ex Latinis Presbyteris ſeligi cœperant. Quæ ſane viciſſitudo inde potiſſimum profecta fuiſſe videtur, quod Protopaparum electiones ex indicato Rogerii Diplomate non ad ipſum Clerum græcum, ſed ad Reginæ Urbis *Commune* pertinerent. Nihil enim facilius fieri potuit, quam ut populo ſuaderetur, nullo jure ipſum eſſe obſtrictum, ut Græcum hominem eligeret. Ipſorum quidem Proregum exemplum ſatis erat, ut id ſibi licere animum inducerent. Hi enim (quippe Regio nomine Protopaparum electiones confirmarent) haud raro ſuam interpoſuerunt auctoritatem, ut Capellani ſui, vel Eleemoſynarii a communi populo Civitatis eligerentur (12). Qua de re, quum Protopapæ latini ritus eſſe cœpiſſent (13), & haud raro exteri, qui vix Regii reſiderent, id præſertim in cauſſa fuit, quamobrem in ejus Eccleſiæ Clero græcarum litterarum cultura, quæ a Protopapis potiſſimum alenda, ac fovenda fuiſſet, eorundem abſentia, ac oſcitantia primo defecerit, deinde magis magiſque delapſa, donec tandem omnino peſſum iverit.

XVII. Jam vero præter Catholicum Reginæ Urbis Protopapam, in eadem Regina Diœceſi Protopapæ etiam veluti Rurales, ſive Curiones, ac Deuterei conſtituti ſunt. Quum enim in nonnullis hujus Diœceſeos oppidis ritus græcus fuerit ſervatus, hinc eorundem oppidorum plebibus Protopapas, ac Deutereos præficere conſultum viſum eſt, ut illis Majores, his vero minores Eccleſiæ regendæ concrederentur: omnes tamen vicani ſive Protopapæ, ſive Deuterei unum conſtituerent majoris Catholicæ Eccleſiæ Collegium, quod deinde a Reginis *Comonia* dicta eſt. Qua de re Regii hodiedum non modo in urbana S. M. de Victoria Protopapa viget cum ſuo Deutereo, verum & in ea auſtrali Diœceſeos parte, quæ Bovenſi eſt contermina tum in *Civitate S. Agathæ*, tum & in quatuor oppidis, nimirum *S. Laurentii*, *Mothæ S. Joannis*, *Montisbelli*, & *Pentidactyli* Protopapæ adhuc exſtant, qui cum ſuis Deutereis plebium cuſtodiam partitam habent, quamvis ritu latino nunc utantur.

XVIII. At in aliis etiam Calabriæ Diœceſibus Protopapas obtinuiſſe conſtat. Nimirum 1. in Diœceſi Bovenſi, ubi præter primam Cathedralis Eccleſiæ dignitatem, quæ græca voce Protopapatus, & Protopapia audit, id adteſtante Ughello *in Episc. Bovenſ.* Protopapæ quoque audiunt, quicunque potiorem quandam gerunt curam animarum in Oppidis *Amendoliæ*, *Palitii*, *Brancaleonis*, *Mothæ Rochudi*, *Africi*, &c.

2. In Jeracenſi Diœceſi græcanica hæc dignitas in præcipua tantum Eccleſia *Caſtri veteris*, ubi olim *Cauloniam* fuiſſe putant, adhuc reperitur; cur autem in oppidis Protopapatus prorſus occiderit, illud fortaſſe in cauſſa fuit, quod non defuerint, qui græcum ritum funditus delere ſategerint.

3. In Diœceſi Oppidenſi viget Protopapa duntaxat in oppido *S. Chriſtinæ*, antiquo græcorum monachorum cœnobio ſatis celebri; quo, quum Saraceni Regio cladem inferre minarentur, ſanctiſſimos Monachos Eliam, & Danielem contendiſſe eorundem Biographus teſtatur.

4. In Seminaria, quæ civitas eſt ex Tauria-

(11) *Vol. I. fol. 65. die 25. Novembr. 1594.* Aceeſſit ad Collegiatam Eccleſiam Græcorum S. Mariæ *della Cattolica* nuncupatam, quæ eſt inſignior Parochialis hujus Civitatis, & licet ibi celebrentur divina officia ritu græco, Archipresbyter tamen, ſive Protopapa eſt latinus, & Sacramenta omnia miniſtrantur ritu latino, & Romano.

(12) *Anno MDCXLIX. electus eſt Protopapa* Alphonſus de Samano D. Petri de Toledo Proregis Capellanus. *Anno MDCXC. electus eſt* Joannes Sabaterius Comitis Mirandæ Proregis Capellanus.

(13) *Eodem anno MDCXC. quum Sabaterius ſuum Protopapatum cum pluribus, ut vocant, ſimplicibus Beneficiis permutaſſet, in ejus locum ſuffectus eſt* Hannibal Logotheta; *at hic licet indigena, latini tamen ritus homo erat.*

Taurianæ græcæ urbis reliquiis ædificata, non deſunt veſtigia Protopapatus. Profecto exſtat monumentum juriſdictionis anno 1502. delegatæ in Joannem Trigamum Seminariæ Protopapam. Ejuſmodi monumenti exemplar produxit Cl. Apologiſta Jurium Epiſcopalium in Monaſterium SS. Trinitatis Mileti in ſua *Hypercritica Apologia edita Neap. ann.* 1762. *fol.* 207.

5. In Caſſanenſi Diœceſi, olim Reginæ Metropolitanæ ſuffraganea, viguiſſe aliquando Protopapam, & quidem in Oppido Altimontis, conſtat ex quodam Inſtrumento, quod in lucem extulit Vir Cl. Sebaſtianus Paulus in *Diſſert. De Ritu Ecclеſ. Retinæ exorcizandi aquam pag. III.* in quo Archipresbyter Eccleſiæ Sancti Jacobi, quæ fortaſſe primaria illius loci erat, in hunc modum ſubſcribit: *Ἀνδρέας ὁ Πρωτοπαπᾶς Andreas Protopapas.*

6. In Diœceſi Roſſanenſi exſtat adhuc Protopapa, & ritu, & nomine Græcus; qui ceteris ejuſdem ritus Presbyteris præeſt. In hac enim Diœceſi adhuc plures ſunt pagi, qui ab Epirotis incoluntur græci, & idiomatis, & ritus, & moris tenaciſſimis.

7. Urbem Neapolitanam quod ſpectat, ex Mazochii noſtri ſententia Neapolitani Protopapæ veſtigium numquam occurrit: quamvis, ſi vox Protopapæ ea notione accipiatur, qua non Prælatum, ſed Curionem, ſive Parochum notat, potuiſſet non uni modo, ſed pluribus Protopapis Neapoli locus eſſe, ubi ſex Græcorum præcipuæ Eccleſiæ fuiſſe leguntur. *Confer Notam* 10. pag. 227.

§. VI. *De Protopapis in Inſula Siciliæ.*

XIX. Juvat hic pauca ſubnectere de Protopapis Siculis. Profecto Siciliæ Inſulam græcis incolis, græciſque litteris, moribus, ritu, Eccleſiaſticoque regimine olim florentiſſimam plures antiquitus habuiſſe Protopapas dubitandum haud videtur. At quum ab an. DCCCXXVII. per annos ferme CCL. duro Saracenorum jugo oppreſſa gemuerit, mirandum haud eſt, ſi veterum Protopaparum veſtigia vix occurrant; præſertim quum tandem annum circiter MLXXII. occupata a Northmannis græcitatem paulatim exuerit.

XX. At vero in duabus præcipuis Siciliæ urbibus, ſcilicet Panormi, & Meſſanæ græcus ritus diu poſtea ſuperſtes fuit. Qua de re Panormitanorum, & Meſſanenſium Protopaparum monumenta non deſunt.

XXI. Ac primo Panormitanum Protopapam quod ſpectat, Canonicus Joannes de Joann. *De Divin. Sicul. Offic. Cap. IV.* meminit cujuſdam *Chriſtoduli de Calos Civitatis Panormi Protopapæ*, qui anno MCLXIV. interfuit cuidam alienationi bonorum, eidemque ſubſcripſit, uti conſtat ex Monumentis Hiſtoricis SS. Trinitatis *Cap. V. fol.* 40. Tum ſubdit in Archivo Cœnobii Monialium SS. Salvatoris exſtare inſtrumentum græcis litteris conſcriptum anno MCXC. in quo Gualterio Archiepiſcopo Panormitano Baſilius quidam dimidium vendit *collis Billione cum licentia Sacratiſſimi Protopapæ Civitatis Panormi Domini Conſtantini*. Deum anno DCCXL. *Matthæus Sacerdos, & Rector Cleri græcorum* Willelmo Regiæ S. Petri Capellæ Canonico hortum vendidit; uti conſtat ex membrana græcis litteris conſcripta, quæ, adteſtante eodem Canonico de Joan. in Archivo ejuſdem Regiæ Capellæ ſervatur.

XXII. At illuſtrior præ reliquis ſemper fuit, eſtque hodie Protopapa Meſſanenſis, de cujus origine confer Moriſanum *ibidem*. Hic tantummodo indicare ſatis eſto hujus Protopapæ dignitati non minimum acceſſiſſe ſplendoris, poſtquam in Concilio Lateranenſi IV. anno MCCXV. ſancitum eſt, ut quum *in eadem Civitate, vel Diœceſi permixti ſunt populi diverſarum linguarum habentes ſub una fide varios ritus, ac mores... ſi urgens neceſſitas poſtulaverit, Pontifex loci Catholicum Præſulem nationibus illis conformem provida deliberatione conſtituat ſibi Vicarium..... qui ei per omnia ſit obediens, atque ſubjectus.* Igitur aucto Meſ-

ſanæ,

ſanæ, ex commercio ob portus celebritatem frequentiſſimo, græcorum populo; aut ſaltem Græcis in Sicilia diſperſis eadem ex cauſſa eo confluentibus, nihil conſultius duxere Archiepiſcopi Meſſanenſes, quam Protopapam, veluti ſui Vicarium Clero, Populo, & Eccleſiis græcorum conſtituere. Ita de Protopapa Meſſanenſi ſcribunt ex Antonio Caracciolo Ughellus, & Sabbatinius (14). Ejuſmodi habebat olim præter Eccleſiam *S. M. de Grapheo*, in qua reſidet, alias vigintiſeptem Eccleſias, quæ ipſi parebant. At hæ ſecutis temporibus Latinis conceſſæ ſunt, reſervatis tantummodo Protopapæ nonnullis in eas juribus. Hactenus de Protopapis potiſſimum ex Moriſano, cujus Diatribæ ſpecimen hic exhibere nobis animus fuit.

(14) *Antonius Caracciol.* de Sacr. Eccleſ. Neap. Monum. Cap. XXXV. Sect. II. *& ex eo Ughellus Tom. VI. in Archiepiſc. Neap.* Viget hodie in Archiepiſcopatu Meſſanenſi dignitas Protopapæ, qui veluti Archiepiſcopi Subſtitutus Græcis præeſt. *Et Cl. Sabbatinius in Kalend. Marmor. Neap. ad diem* 23. *Apr.* Anche al preſente nella Gran Città di Meſſina nel Regno di Sicilia evvi il Capo de' Greci, ch' eſſi chiamano Protopapa. Queſti è ſuperiore de' Greci; ma sì i Greci, che il Protopapa è ſoggetto all' Arciveſcovo di quella Metropoli.

CAPUT II.

De Diaconis, et Archidiacono.

§. I. *De Diaconorum titulis.*

I. NOmen *Diaconi* æque in Sacro Novi Fœderis Codice, ac apud veteres Patres nonnunquam Epiſcopis, & Presbyteris tributum reperitur (1). Verum peculiari ſenſu ſemper pro tertio Clericorum ordine uſurpatum eſt. S. Ignatius M. haud ſemel in ſuis Epiſtolis ipſis miniſterium Jeſu Chriſti fuiſſe concreditum ſcribit: tum populos adhortatur, ut eos revereantur, ut Jeſum Chriſtum, hoc eſt uti Miniſtros cultui ejus intentos (2). Similia reperies apud Cyprianum, Tertullianum, alioſque veteres (3). Immo Optatus, & Auguſtinus tandem de eis habuerunt opinionem, ut ille Diaconos *in tertio Sacerdotii gradu* conſtituerit, hic vero *Præſidium Conſacerdotis* nomine ſalutaverit, qui nonniſi Diaconus erat, ut ex Hieronymi proxime ſequenti Epiſtola conſtat (4). Hinc patet quam a veritate aliena ſit ſingularis Patrum Concilii Trullani *Can. XVI.* opinio, qua crediderunt per ſeptem Diaconos, de quibus in Actis Apoſtolorum ſermo fit, non eos eſſe intelligendos, *qui miniſtrent myſteriis*: ſed eos, qui eſſent *de miniſterio, quod in uſum menſarum adhibebatur*.

II. Jam vero plerumque a Sacerdotibus Levi-

(1) *Actor.* I. 25. II. *ad Corinth.* VI. 4. II. *ad Timoth.* IV. 5. I. *ad Corinth.* III. 5. *Ad Epheſ.* III. 7. *Chryſoſt. Hom. I. in Philipp. cap. I.* Tunc nomina adhuc erant communia, atque ipſe etiam Epiſcopus vocabatur Diaconus.

(2) *S. Ignatius Epiſt. ad Trall. num. II.* Diaconi ſunt myſteriorum Jeſu Chriſti ... Non enim ciborum, & potuum ſunt Diaconi, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri. *Et in Epiſt. ad Magneſ. num. VI.* Diaconis dulciſſimis mihi, quibus creditum eſt miniſterium Chriſti Jeſu. *Eadem habet ad* Trall. num. III. ad Policarp. num. VI. *& alibi*.

(3) *S. Cyprianus Epiſt. LXV.* Diaconos poſt adſcenſionem Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros. *Tertullianus de Fuga Cap. XI.* Quum ipſi auctores, ideſt ipſi Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit? *Hic profecto Tertullianus* Diaconos, *æque ac Epiſcopos, & Presbyteros*, Laicorum Duces, & gregis Chriſti Paſtores, & Inſpectores *aliquo ſenſu dici poſſe cenſet*.

(4) *Optatus Lib. I.* Quid commemorem Diaconos in tertio Sacerdotio conſtitutos? *Auguſtinus Epiſt. XVI.* Domino Beatiſſimo, & merito venerando fratri, & *Conſacerdoti* Præſidio &c. *Hieron. Epiſt. XVII. inter Epiſt. Auguſtini*: Nunc quoque per ſanctum fratrem meum Præſidium Diaconum &c.

Levitarum, & Miniſtrorum nominibus diſtinguebantur. Ita Hieronymus, Auguſtinus Perſonatus, Hilarius Sardus, Salvianus, Concilia Nicænum, Carthag. IV. Illiberit. Turonenſe &c. (5). Unde cum Optato, & Auguſtino non niſi eo ſenſu Sacerdotium participare dicendi ſunt, quod Presbyteris, & Epiſcopis in ſacro Altaris miniſterio proxime adſiſtant, ac iis fungantur officiis, quæ ad inferioris gradus ſacerdotium jus ipſi tribuere videntur. Ob hanc cauſſam Diaconi ordinatio ab ordinatione Presbyteri multum differt: at vero præcipue in eo, quod ubi ordinatur Presbyter, reliqui, qui præſentes ſunt Presbyteri, manus ei cum Epiſcopo imponunt: Diaconus vero a ſolo Epiſcopo ordinatur: *Quia*, uti Concilium Carthaginienſe *indicato Canone* id exprimit, *non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*. Semper autem per manuum Impoſitionem, ejuſque comitem Orationem Diaconorum Ordinationem fuiſſe peractam ex Auctore Conſtitutionum, & ex Concilio Carthag. IV. perſpicue liquet, ut ſuo loco dicemus.

§. II. *De Diaconorum Muneribus*.

III. Ac primo ad Diaconos ſemper pertinuit, uti modo indicavimus, Epiſcopo, & Presbytero in Altaris miniſterio præſto eſſe, ac ſubſervire: tum vaſorum, ac omnium ad Sacram Menſam pertinentium ornamentorum curam gerere. Poſterius hoc munus in Majoribus Eccleſiis ſaltem ex parte ad inferiores Clericos aliquando devolvebatur (*6*): verum in aliis ita Diaconorum erat proprium, ut Hypodiaconis, ceteriſque inferioribus Clericis in Secretarium intrare, ac vaſa Sacra contingere non liceret. Ita Synodi Agathenſis, Laodicena &c. (7).

2. Diaconi Oblationes Populi accipiebant, eaſque Sacerdoti offerebant; moxque Diaconus offerentium nomina recitabat; quod *offerre nomina* dicebatur, uti ex Cypriano colligunt Rigaltius, & Card. Bona. Idem quoque exprimi poſſe videtur ex Hieronymo (8).

3. In pleriſque Eccleſiis Euangelium in Liturgia publice lectitabant: ita auctor Conſtitutionum, Hieronymus, Concilium Vaſenſe &c. (*9*). Verum Conſtantinopoli in majoribus feſtis diebus Epiſcopus Euangelium legebat: ita ex Sozomeno (10). At in Africanis Eccleſiis, ſaltem tempore Cypriani, uti ceteros Scripturæ libros, ita quoque Euangelium legere Lectorum munus erat (11).

4. Epiſcopis, ac Presbyteris in Euchariſtiæ

(5) *Hieron.* Epiſt. XVII. *Auguſtinus, ſive Auctor Quæſt. Vet. & Nov. Teſt.* Q. XLVI. *Hilarius* Comment. in Epheſ. IV. *Salvianus* ad Eccleſ. Cathol. Lib. II. *Concilia Nicænum* Can. XVIII. Illiberitanum Can. XVIII. *Carthag. IV.* Can. IV. *Turonicum I.* Can. I. *&c.*

(*6*) *Auctor Quæſt. Vet. & Nov. Teſt. Quæſt. IV. cap.* 6. Ut autem non omnia miniſteria obſequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum. Nam utique & altare portarent, & vaſa ejus in manus funderent Sacerdoti; ſicut videmus per omnes Eccleſias.

(7) *Conc. Agath. Can. LXVI.* Non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in Secretarium (quod Græci Diaconicon adpellant) ingredi, & contingere vaſa ſacra. *Conc. Laodic. Can. XXI.* Quod non oportet Miniſtros locum habere in Diaconico, & Dominica ſacra contingere. *Balſamon Not. in hunc Canonem*: Miniſtros hic Hypodiaconos nominat, quos quidem Canon in Diaconico locum habere negat oportere.

(8) *Cyprianus Ep. IX. al. XVI.* Ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, nondum pœnitentia acta *&c. Rigaltius Not. in Cypr.* Epiſt. LX. *Card. Bona* Rer. Liturgic. Lib. II. Cap. 8. num. 7.

Hieronymus Comm. in Ezech. Cap. XVIII. Multos conſpicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt.... publiceque Diaconus in Eccleſia *recitet offerentium nomina: tantum offert ille, tantum ille pollicitus eſt*; placentque ſibi ad plauſum populi torquente conſcientia.

(*9*) *Auctor Conſtitut. Lib. II. Cap.* 57. Diaconus, vel Presbyter legat Euangelia. *Hieron. Epiſt. LVII. ad Sabin.* Euangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas. *Conc. Vaſenſe II. Can. II.* Si digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere, quare *&c.*

(10) *Sozom. Lib. VII. cap.* 19. Et illic quidem *Alexandriæ* ſolus *Archidiaconus* ſacrum illum Codicem legit: alibi vero *Diaconi*. In multis autem Eccleſiis ſoli duntaxat *Presbyteri*. Alicubi in præcipuis feſtivitatibus *Epiſcopi* legunt, & Conſtantinopoli primo die paſchalis feſtivitatis.

(11) *Cyprianus Epiſt. XXXIV.* Legat *Lector* Præcepta, & Euangelia Domini.

riſtiæ adminiſtratione aderant: tum ipſis jubentibus Populo miniſtrabant, & abſentibus etiam perferebant. Ita Juſtinus M. Auguſtinus Perſonatus, Concilium Carthag. IV. &c. (12). Plerumque vero Calicem populo porrigebant, Epiſcopo, vel Presbytero ſanctum corpus miniſtrante. Ita Auctor Conſtitutionum, & Acta S. Laurentii M. (13). Ejuſmodi Diaconorum Actio *oblatio* aliquando dicta eſt. Ita Cyprianus, & Concilium Ancyranum (14).

IV. Hic tria notanda. Primum: Diaconos nunquam S. Euchariſtiam conſecrandi p teſtatem habuiſſe: ita Hieronymus, Juſtinus, Hilarius &c. (15), ac præſertim Synodus Nicæna, quæ Can. XVIII. Diaconis vetuit *S. Euchariſtiam Presbyteris dare, quod nec Canon, nec conſuetudo tradit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Chriſti*. Alterum: Diaconos quoſdam Seculo quarto ineunte offerre præſumentes Concilii Arelat. I. *Can. XV.* fuiſſe ſevere coercitos (16). Tertium: Quod Cyprianus, & Synodus Ancyrana Diaconis offerendi poteſtatem adſcribant; id ita intelligendum prorſus eſt, vel quod Plebis Oblationes Sacerdoti obtulerint, ſive porrexerint, vel quod conſecrata Sanctæ Euchariſtiæ elementa populo diſpenſarint. Poſterior iſtæc interpretatio magis conſona Cypriano videtur, cujus verba hæc ſunt: *Sollemnibus adimpletis calicem offerre Diaconus cœpit* (17).

5. Baptizandi quoque poteſtate in nonnullis duntaxat Eccleſiis Diaconi fruebantur; *at non ſine Epiſcopi auctoritate*, uti Tertullianus, & Hieronymus loquuntur (18). Verum ex Synodo Illiberitana, & ex Cyrillo Jeroſolymitano illud erui poſſe videtur, Diaconos Eccleſiis, ſive Decaniis in parvis vicis, vel pagis præfectos ordinariam baptizandi poteſtatem habuiſſe generali ab Epiſcopo juſſione ſemel accepta (19).

6. Plebem ad preces adhortabantur certis quibuſdam verborum formulis, Catechumenis, Pœnitentibus, Fidelibus indicantes quando accedere, preces facere, ac rurſus abire deberent. Hinc Ἱεροκήρυκας *Sacri Præcones* a Syneſio & Chryſoſtomo dicti ſunt (20). Quæ functio a Latinis *Oratio*, & *Prædicatio* vocata eſt: uti ex Concilio Toletano IV. cujus Canon IV. hæc habet: *Unum Orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero propter quod orat, id eſt prædicat*. Verum de hoc capite opportunior redibit ſermo *Lib. II.* Hinc patet cur præcipuum Diaconi ornamentum dictum ſit *Orarium*.

7. Permittente Epiſcopo concionabantur: cujus poteſtatis primum exemplum habemus in Stephano, & Philippo. Porro jam alibi demonſtravimus diverſam hac in re Eccleſiarum praxin fuiſſe (21).

(12) *Juſtinus Mart.* Apolog. II. Qui apud nos vocantur Diaconi, atque miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt. *Eadem habent Auctor Quæſt. vet. & Nov. Teſt.* Cap. CI. *Concilium Carthag. IV.* Can. XXXVIII.

(13) *Auctor Conſtitut. Apoſt.* Lib. VIII. Cap. 23. *Acta Martyr. S. Laurentii apud S. Ambroſium* Officior. Lib. I. Cap. 41.

(14) *Cyprianus Lib. de Lapſis:* Sollemnibus adimpletis Calicem Diaconus *offerre* præſentibus cœpit.

Conc. Ancyranum Can. II. Diaconi ſimiliter, qui immolaverint, honorem quidem habeant: ceſſare vero ab omni ſacro miniſterio, ſive *a pane*, ſive *a calice offerendo*, vel prædicando.

(15) *Hieron.* Epiſt. LXXXV. ad Evagrium, *Juſtinus* Apolog. II. *Hilarius* Frag. pag. 129.

(16) *Conc. Arelat. I. Can. XV.* De Diaconibus, quos cognovimus multis in locis offerre, placuit minime fieri oportere.

(17) *Confer Habert.* in Pontific. Part. IX. *Petavium* Diatr. de Poteſtate conſecrandi Cap. III. *Hoſpinianum* Hiſt. Sacram. Lib. II. Cap. I.

(18) *Tertull.* de Baptiſmo Cap. XVII. & *Hieron.* Dialog. contra Lucifer. Cap. IV.

(19) *Concilium Illiber. Can. LXXVII.* Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquem baptizaverit, Epiſcopus per benedictionem eos perficere debebit.

(20) *Syneſius* Epiſt. LXVII. & *Chryſoſtomus* Hom. XVII. in Epiſt. ad Hebr. Cap. IX.

(21) *Confer Lib. I. Part. I. Cap. XIV.*

8. Urgente extrema neceſſitate Pœnitentes reconciliatoria manuum impoſitione in gremium Eccleſiæ recipiebant: uti *Lib. III.* opportunius videbimus.

9. Adhæc in quibuſdam ſaltem græcis Eccleſiis abſente Presbyter Hypodiaconos, alioſque inferiores Clericos ad tempus ab officio prohibebant. Ita Auctor Conſtitutionum (22).

10. In Conciliis Generalibus Epiſcopum ſuum comitabantur Scribarum, & Diſputatorum munus obeuntes, prout Epiſcopo videbatur; nunquam vero cum Epiſcopis ſediſſe, vel ſuffragia dediſſe conſtat: quod tamen ipſis conceſſum eſt, quum veluti Procuratores, loco Epiſcoporum, a quibus miſſi fuerant, Concilio intereſſent. Hic autem diſcrimen illud advertendum eſt, quod in Conciliis Orientalibus, ſi Diaconus Patriarcham, vel Metropolitanum repræſentaret, eodem ipſius loco ſedebat, & ſubſcribebat: at contra in Occidentalibus ſemper poſt omnes Epiſcopos (23). In Provincialibus vero Synodis, & Diœceſanis æque ac Presbyteros ſuo ipſorum nomine aliquando ſuffragia dediſſe probant Concilia Romana ſub Symmacho, & Gregorio II. apud Juſtellum *Bibliotheca Juris Canonici*.

11. Olim antequam inferiores Ordines inſtituerentur (24), Diaconi omnia inferiorum ordinum officia exſequebantur. Quod quidem etiam ſequiori ætate in nonnullis Eccleſiis obtinuit, quæ frequentiorem Clerum non alebant. Hinc Euſebius *Romanum M.* Diaconum ſimul, & Exorciſtam fuiſſe ſcribit (25). Tum Procopius M. Eccleſiæ Scythopolitanæ eodem tempore erat Lector, Exorciſta, & Interpres (26). Demum in Eccleſia Græca antiquitus Diaconi Janitorum munere fuiſſe functos conſtat ex Auctore Conſtit. Apoſt. (27).

12. Poteſtatem habebant reprehendendi, & corrigendi eos, qui in Eccleſia inordinate ſe gererent; ita ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, ex Chryſoſtomo &c. (28). Iſtoc munus a Cæciliano Diacono Carthaginienſi ſtudioſe adimpletum præcipua fuit Schiſmatis Donatiſtarum occaſio (29).

13. Erant etiam Epiſcoporum Subeleemoſynarii, ſeu Vicarii ſtipibus erogandis Orphanis, Viduis, Confeſſoribus, aliiſque infirmis, & pauperibus, qui ex publicis Eccleſiæ reditibus alebantur. Archidiaconus quidem Epiſcopi quaſi erat theſaurarius: at Diaconi veluti diſpenſatores eleemoſynas diſtribuebant. Id ex diverſis Cypriani, Dionyſii Alexandrini, aliorumque Patrum

(22) *Auctor Conſtit. Apoſtolic. Lib. VIII. cap.* 28. Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, & Cantorem, & Diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit abſente Presbytero. Hypodiacono non licet excommunicare Lectorem, aut Cantorem, aut Diaconiſſam, aut Clericum, aut Laicum: Miniſtri enim ſunt Diaconorum.

(23) *Confer Chriſtianum Lupum* Not. in Can. VII. Concilii Trullani.

(24) *Profecto ætate Apoſtolica quum non adhuc inferiores Ordines inſtituti fuiſſent, omnia inferiorum ordinum munia ab ſolis Diaconis exerceri oportebat. Certe S. Ignatius M. nullum alium Ordinem memorat, qui Diaconatu inferior ſit.*

(25) *Euſebius de Martyribus Palæſt. cap. II.* Hic Romanus genere Palæſtinus, Cæſareenſis Eccleſiæ Diaconus, & Exorciſta.

(26) *Acta Procopii apud Valeſium in Euſebium de Martyribus Palæſt. cap. I.* Ibi Eccleſiæ tria miniſteria præbebat. Unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione ſermonis, & tertium adverſus Dæmonas manus impoſitione conſummans.

(27) *Auctor Conſtit. Apoſt. lib. VII. Cap.* 11. Diaconi ſtent ad januas, quibus viri in templum ingrediuntur, & Hypodiaconi ad januas, quibus mulieres.

(28) *Conſtit. Apoſt. lib. II. Cap.* 57. Si quis repertus fuerit, qui ſedeat loco non decenti, increpetur a Diacono, tanquam a nauclero... Diaconus ſpeculetur populum; ne quis murmure obſtrepat, dormitet, aut rideat, aut nutus faciat. Oportet enim in Eccleſia ſtare ſapienter, ſobrie, vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis. *Eadem habet Chryſoſtomus* Hom. XXIV. in Act.

(29) *Optatus lib. I.* Quum correptionem Archidiaconi Cæciliani *Lucilla* ferre non poſſet, irata diſceſſit. Iraſcenti, & dolenti, ne diſciplinæ ſuccumberet, occurrit ſubito perſecutionis enata tempeſtas.

Patrum teſtimoniis intelligimus (30). Ac præcipue Auctor Conſtitutionum de ejuſmodi Diaconorum officio perinde loquitur, atque ad Diaconos pauperibus, & calamitoſis vitæ ſubſidia præbere generatim ſpectarit (31).

14. Tandem ex iiſdem ſæpe laudatis Apoſtolicis Conſtitutionibus conſtat Diaconorum quoque partes fuiſſe de gravioribus Populi criminibus, quibus per ſe ipſi mederi non potuiſſent, Epiſcopum certiorem reddere (32). Hinc quamſæpius dicti *Epiſcoporum Os*, *Angeli*, *Prophetæ* (33).

§. III. *De Diaconorum Numero*, *Ætate*, *Prærogativis*.

V. Antiquitus in quibuſdam Eccleſiis, quæ Jeroſolymitanam æmulari ſtudebant, Diaconi ſeptem omnino erant: quod & Concilium Neocæſareenſe Canone ſtabilivit (34); & Eccleſia Romana ſemper ſervavit, uti ex Epiſtola Cornelii, ex Prudentio, Sozomeno, Ambroſio (35). Verum ipſomet Sozomeno (36) teſte *apud alios haudquaquam definitus erat Diaconorum numerus*; & in Eccleſia Alexandrina conſtat ineunte Seculo IV. plures quam ſeptem fuiſſe Diaconos (37). Demum Conſtantinopoli tempore Juſtiniani adeo excrevit, ut eos idem Imperator ad centum redegerit (38).

VI. Ætatem quod ſpectat, anno vigeſimoquinto, & non ante eos ordinare licebat. Hæc ætas lege conſtans adeo erat, ut vix Diaconum in univerſa Eccleſiaſtica Hiſtoria adoleſcentiorem ordinatum reperias (39).

VII. Poſtremo illud hic obſervare juvat maximam fuiſſe obſervantiam, quam Epiſcopis æque, ac Presbyteris debebant Diaconi. Hinc 1. nunquam ipſis licuit una cum Epiſcopo, ac Presbyteris in Eccleſia ſedere. Ita expreſſe Nicæna Synodus, Nazianzenus, & Auctor Conſtitutionum (40).

2. Synodi Laodicena, & Carthag. IV. Diaconis, præſente Presbytero, ubicunque eſſent, ſedere interdicunt, niſi ipſe illis permiſerit (41).

3. Diaconis non minus Presbytero, quam Epiſcopo in omni divinorum officiorum parte miniſtrandum erat: neque ullum Eccleſiaſtici miniſterii munus, præſente Presbytero, a Diacono peragi poterat,

Gg 2

(30) *Cyprianus* Epiſt. XLIX. al LII. ad Cornelium, *Dionyſius apud Euſebium* Lib. VII. Cap. I.

(31) *Auctor Conſtit. Apoſt. Lib. II. Cap.* 32. Si quem ergo, Diacone, ſcis inopia premi, admonito prius Epiſcopo, ſuppedita ei. *Et Lib. III. Cap.* 19. Oportet igitur, uti vos Diaconi omnes viſitetis, quibus viſitationis opus eſt, & de calamitoſis, & adflictis nuntiare Epiſcopo veſtro.

(32) *Conſtit. Apoſt. Lib. II. Cap.* 44. Diaconus quæcunque poteſt, moderetur per ſe.... Quæ vero majora ſunt, Epiſcopo referat.

(33) *Conſtit. Apoſt. ibidem*. Sit Diaconus Epiſcopi auris, & oculus, & item cor, os, & anima. *Et* Cap. 30. Diaconus Angelus, & Propheta Epiſcopi. Similia habentur *apud Perſonatum Clementem* Epiſt. ad Jacobum, *& apud Iſidorum Peluſiotam* Lib. I. Epiſt. XXIX.

(34) *Concil. Neocæſar. Can. XV.* Diaconi ſeptem ſint ſecundum Canonem, etiamſi magna civitas ſit.

(35) *Epiſt. Cornelii* apud Euſebium Lib. VI. cap. 43. *Prudentius* Hymn. de S. Laurentio, *Sozomenus* Lib. VII. cap. 19. *Ambroſius* Comm. in I. Timoth. cap. III.

(36) Sozomenus *Lib. I. cap.* 19. Apud alios definitus non eſt Diaconorum numerus.

(37) *Alex. Epiſt. Encycl.* apud Theodor. *Lib. I. cap.* 4. Diaconi vero Achillas, Euzoius, Aithalas, Lucius, Sarmates, Julius, Mena, Arius alter, & Helladius.

(38) *Juſtinianus* Novella CXXIII. Cap. 13.

(39) *Conc. Agath.* Can. XVI. *Carthag. III.* Can. IV. *Trullanum* Can. XIV. *Toletanum IV.* Can. XX.

(40) Conc. Nicænum Can. XVIII. Gregorius Nazianzenus Somn. de Eccleſ. Anaſtaſ. Conſtit. Apoſtolic. *Lib. II. cap.* 57. *Confer* Cap. I. Not. 6. pag. 6.

(41) *Conc. Laodicen. Can.* XX. Quod non oportet Diaconum ante Presbyterum ſedere, ſed ſedere cum juſſione Presbyteri. *Synod. Carthag. IV. Can.* XXXIX. Diaconus quolibet loco jubente Presbytero ſedeat.

Digitized by Google

erat, niſi peculiaris id ratio ſuaſiſſet.

4. Ne in Domeſticis quidem conviviis, cui Presbyter interfuerit, Diaconus benedictionem impertiri poterat, uti ex Hieronymo (42).

VIII. Porro inferioribus Clericis id præſcriptum erat, ut Diaconos honore proſequerentur, a quibus uti ſupra notavimus, pœna eccleſiaſtica affici poterant. Tandem Hieronymus videtur innuere Diaconos aliquando largiores ab Eccleſia ſumptus percepiſſe, quam Presbyteros; quod ſane illos elatiores reddidit (43).

§. IV. *De Archidiacono.*

IX. Quamquam Archidiaconus poſterioribus ſeculis plerumque ex Presbyteris eligeretur; attamen antiquitus nonniſi Diaconus erat. Hieronymus Archidiaconum *ex Diaconis electum*, & *Principem Diaconum* in quavis Eccleſia fuiſſe ſcribit (44), & Cæcilianus Archidiaconus Carthag. teſte Optato (45), nonniſi Diaconus erat.

X. Num Archidiaconus Senior ſemper fuerit Diaconus, an vero is, quem ex Diaconis vel Epiſcopus, vel ipſi Diaconi, at Epiſcopo jubente, elegerint, quæſtio eſt inter eruditos. At ex his, quæ de Athanaſio ſcribit Theodoretus, & ex Hieronymo, illud colligi poſſe videtur, Archidiaconatum electivum potius fuiſſe (46). Quamvis Seniori plerunque Diacono collatus fuerit, ſi huic officio vere idoneus exiſteret; quod ex Concilio Agathenſi (47) eruitur.

XI. Archidiaconi munus tantam ſemper olim habuit dignitatem, ut poſt Epiſcopum univerſæ Eccleſiæ oculi in ipſum converſi fuerint. Hinc plerumque præ ipſis Presbyteris Epiſcopi Succeſſor deligebatur; quod Athanaſii, Cæciliani, aliorumque veterum exempla probant. Profecto Archidiaconorum Poteſtas, & Privilegia ejuſmodi erant, ut mirificam ipſis occaſionem in Clericorum, ac plebis benevolentiam ſeſe inſinuandi præberent. Et ſane adeo proxime Epiſcopo præſto erant, *ut nunquam ab ejus latere recederent*, ut Hieronymi phraſi utar: *Comment. in Ezech. Cap. XLVIII.* Hinc nobiliora Diaconorum munera plerunque Archidiaconus exſequebatur. Ac præſertim quæ ad inferiores Clericos pertinebant officia, ac miniſteria, ipſe, tanquam Vicarius Epiſcopi, diſponebat, ac moderabatur.

XII. Præcipue vero 1. Eccleſiæ redituum ſollicitam curam agebat, & ſub Epiſcopo eorundem diſpenſationi præerat, ut Pauperibus, Viduis, Orphanis pro ſingulorum neceſſitate eleemoſynæ diſtribuerentur: in quo munere Diaconorum miniſterio utebantur. Id ex Concilio Carthag. IV. ex Prudentio, Ambroſio, aliiſque conſtat (48).

2. Præ

(42) *Hieron. Epiſt. LXXXV. ad Evagr.* Licet increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conviviis Benedictiones coram Presbyteris dare *&c.*

(43) *Hieron. indic. Epiſt.* Presbyter noverit ſe lucris minorem, ſacerdotio eſſe majorem. *Et in Comment. in Ezech. Cap. XLVIII.* Diaconi ultra Sacerdotes, hoc eſt Presbyteros intumeſcunt: & dignitatem non merito, ſed divitiis æſtimant.

(44) *Hieron. indicat. Epiſt. LXXXV.*

(45) *Optatus* Lib. I. pag. 30. Edit. Pariſ.

(46) *Theodoret. Lib. I. cap. 26.* Athanaſius verſabatur in comitatu eximii Alexandri, ætate juvenis ipſe quidem, ſed Princeps ordinis. *Hieronymus Ep. LXXXV. ad Evagrium:* Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.

(47) *Conc. Agath. Can. XXIII.* Si officium Archidiaconatus propter ſimpliciorem naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci ſui nomen teneat; & ordinationi Eccleſiæ, quem Epiſcopus elegerit, præponatur.

(48) *Conc. Carthag. IV. Can. XVII.* Ut Epiſcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per ſeipſum, ſed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat. *Ejuſmodi munere S. Laurentium Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum fidelitate quanta maxima fuiſſe functum teſtantur Prudentius* Hymn. de S. Laurentio, *Ambroſius* de Officiis Lib. II. cap. 28. *Auguſtinus* Serm. CXI. de diverſis. *Tum Auguſtinus ipſe in Brevic. Collat. III.* cap. 14. *tradit Cæcilianum fuiſſe a Donatiſtis accuſatum*, tum quia fuiſſet a traditoribus ordinatus, tum quia, quum eſſet Diaconus, victum afferri martyribus in cuſtodia conſtitutis prohibuiſſet.

Digitized by Google

2. Præ reliquis Diaconis ab Epiſcopo ſeligi conſuevit, ut ejus loco conciones ad populum haberet. Atque ita intelligi poſſe videntur verba Hieronymi *Comment. in Ezech.* Cap. XLVIII. *Primus miniſtrorum per ſingula concionatur ad populum*.

3. Epiſcopum ordinandis Inferioribus Clericis plerumque ſublevabat. Hinc ex Concilio Carthag. IV. *Can. V.* habemus, non oportere, ut Hypodiaconi, Acolythi &c. per impoſitionem manuum ordinentur, ſed ut tantummodo vaſa quædam Eccleſiæ e manibus partim Epiſcopi, partim Archidiaconi accipiant: Confer *Cap. ſeq.*

4. Tandem Archidiacono jus erat, ut reliquos Diaconos, alioſque Inferiores Clericos pœna Eccleſiaſtica multaret. Ita ex Actis Concilii Chalcedonenſis Act. X. *Religioſiſſimus Epiſcopus Ibas dixit.... Maras ſecundum veritatem* excommunicatus eſt a proprio Archidiacono (*non enim a me excommunicatus eſt*) *quoniam injuriam fecit Presbytero*; *ob hoc eum a communione ſuſpendit*. An ullam in Presbyteros poteſtatem habuerit, diſputant eruditi. Illud autem vero ſimilius videtur Archidiaconos paulatim auctoritatem in Presbyteros tum uſurpaſſe, quum jam e Presbyterorum ordine adſumi cœpiſſent: quod nono duntaxat Seculo primum obtinuit. Verum neque ſecutis temporibus in Archipresbyterum urbanum unquam poteſtate uſi ſunt, licet in Archipresbyteros rurales, ſive Decanos auctoritatem exercuerint.

XIII. Illud quoque recte quæri poteſt, num Archidiaconi ſuper omnem Diœceſin olim poteſtatem protulerint. Medio ævo in omnes Diœceſeos Parochias poteſtatem habuiſſe perſpicue conſtat ex Iſidoro Hiſpalenſi *Epiſt. ad Ludifr.* qui Seculo nono ineunte vixit. Is ſcribit: *Sollicitudo quoque Parochitanorum* (al. Parochiarum) *& ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis Diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti: ipſe inquirit Parochias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta, vel res Baſilicarum Parochitanorum* (al. Parochiarum) *& libertatum Eccleſiaſticarum ipſe ſuggerit Epiſcopo* (49).

XIV. Valeſius *Not. in Theodor. Lib. I. cap.* 20. cujuſdam Joannis Abbatis auctoritate ductus, exiſtimat Archidiaconum aliquando nuncupatum *Cor-Epiſcopi*. Hujus autem nominis cauſſa non ea eſt, quam ipſe profert, nimirum quia Chorepiſcoporum poteſtas ſequiori ætate in Archidiaconos ſit derivata. Siquidem eo nomine donati fuerint, potius dixerim propterea *Cor-Epiſcopos* dictos fuiſſe, quia ipſis utebantur Epiſcopi, ut ſuam mentem, ac voluntatem populo ſignificarent. Eadem ſane ratione, qua olim omnes Diaconos *Epiſcopi Oculos*, *Aures*, *Os* &c. adpellatos fuiſſe legimus.

XV. Tandem ad primam nominis, & Officii Archidiaconorum originem quod ſpectat, Fellus in Not. ad Cypriani *Epiſt. LII. al. XLIX.* cenſet ex Seculo tertio eſſe deducendam. Quamvis enim Cornelius, & Cyprianus in ſuis Epiſtolis nullam Archidiaconi mentionem faciant: at Optatus de Cæciliano loquens ipſum Archidiaconum adpellat: quod nomen poſtea apud Scriptores IV. Seculi frequenter occurrit. Tum Habertus, aliique ab ipſa Diaconorum inſtitutione derivant, ac Stephanum Primum Eccleſiæ Archidiaconum conſtituunt. Iſtæc Haberti ſententia vera profecto erit, ſi ita explicetur, ut jam inde ab Apoſtolorum ævo inter Diaconos unus extiterit, qui præ ceteris ab Epiſcopo obeundis Eccleſiaſticis miniſteriis adhibitus ſit, vel quia ætate ſenior, vel quia ſapientia, ac pietate illuſtrior. Quod ſane de Stephano recte dici quiverit, quippe qui præ ſuis in Diaconatus munere ſociis

(49) *Jam inde a V. Seculo Archidiaconos eadem poteſtate fuiſſe uſos contendit Habertus* in Pontif. Part. IX. Obſerv. VI. *Id probaturus adfert locum e Concilii Chalcedonenſis* Actione X. *in qua* Abrahamus Diaconus Edeſſenus *dicitur* Diaconus Ἀπαντίτης Apantita: *qua adpellatione* Univerſalem Eccleſiæ inſpectorem *putat deſignari. At omnino fallitur.* 1. *Quia Abrahamus Diaconus duntaxat erat; eadem enim* Actione *alius cujuſdam Edeſſeni Archidiaconi fit mentio.* 2. *Quia textus græcus authenticus in editione Labbei non habet* Διάκονος ἀπαντίτης; *ſed* Διάκονος ἀπ' αὐτῆς τῆς ἡμετέρας ἐκκλησίας: Diaconus ipſius noſtræ Eccleſiæ.

ciis ſolus legitur ſtatim poſt ſuam ordinationem concionandi, ac diſputandi officium fuiſſe adgreſſus. De S. Laurentio ſcribens Prudentius ipſum adpellat *primum e ſeptem viris, qui ſtant ad aram proximi*. Id vero nil commune habet cum Archidiaconi dignitate, cui per ipſos Eccleſiæ Canones primum Seculo IV. poteſtas adnexa fuiſſe videtur.

E X C U R S U S

De Diaconissis.

I. Diaconiſſarum inſtitutio jam inde ab Apoſtolorum ætate deducenda eſt, quum earundem in Sacro Novi Fœderis Codice haud ſemel injiciatur mentio. Paulus *Ad Rom. XVI. Phœben* adpellat Διάκονον *miniſtram Eccleſiæ Cenchreenſis*: & Tertullianus *Lib. I. ad Uxor. cap.* 7. in illud ejuſdem Apoſtoli ad Timotheum: *Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor*: hæc ſcribit: *Quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat, quum bigamos non ſinit præſidere, quum Viduam adlegi in Ordinem, niſi univiram, non concedit*. In Concilio Laodiceno, & ab Epiphanio dicuntur Πρεσβύτιδες *Seniores*, eo quod nonniſi Viduæ Seniores ad tale officium cooptabantur (1). Hinc Tertullianus *De velandis Virg. Cap. IX.* de Virgine quadam in Diaconiſſarum claſſem recepta, tanquam *de miraculo, & monſtro in Eccleſia* loquitur. Verum ex Ignatio, Epiphanio, Auctore Conſtitutionum, & ex quadam Juſtiniani Novella conſtat ex alterutro Virginum, aut Viduarum ordine eligi debuiſſe (2). Profecto Gregorius Nyſſen. de ſorore ſua Macrina, quæ Virgo erat, ita loquitur, ut manifeſto eam Diaconiſſam fuiſſe indicet. Idem etiam de alia quadam Virgine Lampadia teſtatur (3). Tum Chryſoſtomus celebrem quandam Virginem Nicareten dictam ad Diaconiſſæ officium provehere volebat; quod tamen illa recuſavit, *quod ob modeſtiam animi, ac Philoſophiæ ſtudium perpetuo latere mallet* (4).

II. Ubi Viduæ eligebantur, ejuſmodi Viduas eſſe oportebat, quæ liberos habuiſſent. De iſtac lege, tanquam de conſuetudine ſuo tempore religioſe ſervata, loquitur Tertullianus (5). Sozomenus refert legem quandam Theodoſii in hunc finem latam, quæ idem præſcribit (6). Tum quoque ante ſexageſimum ætatis annum plerumque non conſtituebantur. Id ex eodem Tertulliano *ibidem* colligitur. Ve-

(1) *Conc. Laodicenum. Can. XI.* Non oportet eas, quæ dicuntur Πρεσβύτιδες *Presbyteræ*, & Προκαθημέναι *Præſidentes*, in Eccleſiis conſtitui.

Epiph. Hæreſ. LXXIX. num. 4. Diligenter obſervandum eſt ſolum *Diaconiſſarum officium* ad Eccleſiaſticum ordinem neceſſarium eſſe; ac *Viduas* quidem nominatim expreſſas, & inter illas, quæ anus eſſent, *Presbytidas* vocatas, nunquam *Presbyteridas*, aut *Sacerdotiſſas* eſſe factas.

(2) *S. Ignatius Epiſt. ad Smirn. num. XIII.* Saluto Virgines vocatas viduas. *Cotelerius in hunc locum*: Viduæ vocabantur, quia in gradu viduali, ſeu Diaconico erant conſtitutæ. *Conſtit. Apoſtolic. Lib. VI. Cap.* 18. Diaconiſſa eligatur Virgo pudica; ſin autem non fuerit Virgo, ſit ſaltem vidua, quæ uni nupſerit, & fidelis; atque honorata ſit. *Epiphanius Expoſit. Fidei num. XXI.* Diaconiſſæ vel univiræ, vel viduæ. *Juſtinianus Novell. VI. cap.* 6. Diaconiſſæ aut Virgines conſtitutæ, aut unius viri, quæ fuerant uxores.

(3) *Gregor. Nyſſen. Vit. Macrinæ* Tom. II. pag. 180.

(4) *Apud Sozomen.* Lib. VIII. Cap. 23.

(5) *Tertullianus de Velandis Virg. Cap. IX.* Ad quam ſedem præter annos ſexaginta non tantum univiræ, id eſt nuptæ, aliquando eliguntur, ſed & matres, & quidem educatrices filiorum: ſcilicet ut experimentis omnium adfectuum ſtructæ facile norint ceteras & conſilio, & ſolatio juvare.

(6) *Lex Theodoſii* apud Sozomenum Lib. VII. Cap. 16. *& in Codice Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 27. Nulla, niſi emenſis ſexaginta annis, cui votiva domi proles ſit, ſecundum præceptum Apoſtoli ad Diaconiſſarum conſortium transferatur.

Verum Juſtinianus in Novella quadam *quinquaginta*, & in alia *quadraginta* tantum *annos* requirit: cui ætati Concilium quoque Chalcedonenſe inſtiterat (7). At non deſunt exempla Diaconiſſarum, quæ juvenili adhuc ætate electæ fuerint: in quo ſane Epiſcopi potius virtutis, & modeſtiæ, quam ætatis rationem habuere (8). Illud poſtremo requirebatur, ut iſtiuſmodi viduæ uni tantum viro nupſerint ex præſcripto Apoſtoli *I. ad Tim. V.* Quæ regula ita prorſus intelligenda, ne Diaconiſſa eligatur, quæ duobus maritis, etiam alteri poſt alterius obitum, copulata fuerit. Ita Tertullianus, Epiphanius, Auctor Conſtitutionum, & Juſtinianus (9).

III. Quæret autem hic fortaſſe quiſpiam; num Diaconiſſæ prioribus Sæculis per manuum impoſitionem conſtituerentur. Baronius, Valeſius, aliique cenſent tempore Concilii Nicæni ſine ulla manuum impoſitione fuiſſe conſtitutas: idque effici credunt ex *Canone XIX.* ejuſdem Nicænæ Synodi, cujus poſtrema verba, quæ ad rem faciunt, hæc ſunt: *Similiter autem & de Diaconiſſis, & omnino de omnibus, qui inter Clericos adnumerantur, eadem forma ſervabitur. Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec ullam habent manuum impoſitionem, ut inter laicos omnino illæ connumerentur.* Verum contrariam ruentur ſententiam Albaſpinæus, Lupus, Fabrotus (10), aliique Canonem Nicænum de ſolis Pauliniſtarum Diaconiſſis interpretantes, quippe quæ ſine ulla antegreſſa conſecratione Diaconiſſarum veſtitum ſumſiſſent. Et ſane iſtuc præſeferre videntur Canonis verba. Tum Concilia Chalcedonenſe, Trullanum, Wormatienſe; tum & Auctor Conſtitutionum, Sozomenus, aliique de Diaconiſſis, tanquam per manuum impoſitionem conſtituendis, loquuntur (11).

IV. At nemo inde colligat ullam ipſis poteſtatem fuiſſe collatam, qua ſacrum aliquod officium Clericorum proprium in Eccleſia peragerent. Namque Auctor Conſtitutionum praxim Ethnicam vocat ordinare *Sacerdotes Feminas, aut ſacrum aliquod officium ipſis permittere* (12). Et Tertullianus obſervat contra Apoſtolorum regulas nonnullos ſui ævi hæreticos feminis permiſiſſe in Eccleſia docere, exorcizare, & baptiſmum adminiſtrare (13). Tum Epiphanius *Pepuzianis*, & *Collyridianis* id in primis crimini vertit, quod perverſe abuſi Apoſtoli verbis; *In Chriſto Jeſu, neque mas eſt, neque femina*; mulieres ad Epiſcopatus, & Sacerdotii gradus eveherent (14).

V. Tandem quænam fuerint Diaconiſſarum munera paucis dabimus. 1. Epiſcopo, vel Presbytero feminas baptizanti aderant, ut decoris gratia veſtes eis exuerent,

Mi-

(7) *Juſtinianus* Novell. VI. Cap. 6. & Novell. CXXIII. Cap. 13. *Conc. Chalced.* Can. XIV.

(8) *Sozomenus Lib. VIII. cap. 6.* Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Olympiam quamvis juvenili ætate viduam, quia tamen juxta Eccleſiæ leges egregie philoſopharetur, Diaconiſſam ordinavit.

(9) *Tertullianus ad Uxorem Lib. I. Cap. 7.* Viduam adlegi in ordinationem, niſi *univiram* non concedit. *Idem ſcribit* de Velandis Virg. *Cap. III.* vide Not. (5). *Epiphanius Expoſit. Fid. num. XXI.* Diaconiſſæ *univiræ*, vel poſt unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines. *Idem præſcribunt Conſtit. Apoſtolic.* Lib. VI. Cap. 18. *Juſtinianus* Novell. VI. Cap. 6.

(10) *Albaſpinæus* Not. in Can. XIX. Conc. Nicæn. *Suicerus* Theſaur. in voce Διακόνισσα. *Fabrotus* Not. ad Balſam. Collect. Conſtit. *Lupus* Schol. in eundem Canonem Nicænum.

(11) *Conc. Chalcedonenſe* Can. XV. *Trullanum* Can. XIV. *Auctor Conſtitut. Apoſtolic.* Lib. VIII. Cap. 19. *Sozomenus* Lib. VIII. Cap. 9. *Profecto in his, aliiſque ejuſmodi antiquis monumentis expreſſe Χειροτονίας, vel Χειροθεσίας in Diaconiſſarum ordinatione adhibitæ mentio occurrit. Concilium Wormatienſe* Can. LXXIII. *indicatum* Chalcedon. Canonem *repetit*, & *Fortunatus* Vit. Radegund. apud Surium die XIII. Auguſti *ſcribit Radegundem a Medardo Epiſcopo* manu ſuperpoſita fuiſſe Diaconam *ordinatam*.

(12) *Conſtit. Apoſtol.* Lib. III. Cap. 9.

(13) *Tertull. de Præſcript. Cap. XLI.* Ipſæ *mulieres hæreticæ* quam procaces, quæ *audeant docere*, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tinguere. *Tum idem argumentum fuſius pertractat in* Lib. de Baptiſmo Cap. XVII.

(14) *Epiphanius* Hæreſ. LXIX. num. 2.

Miniſtro in immergendo, ac elevando Catechumenæ corpore opem ferrent, atque ita ſingula expedirent, ut univerſus actus ea decentia, qua par erat, poſſet peragi. Auctor Conſtitutionum (15) addit, Diaconiſſas Catechumenæ corpus, antequàm ritus immerſionis perageretur, oleo ſancto illeviſſe, quum Diaconus frontem tantum unxerit. Quod etiam Juſtinianus videtur innuere (16). Hanc fuiſſe olim Græcæ Eccleſiæ conſuetudinem late demonſtrat Cotelerius (17).

2. Catechumenas in præcipuis Chriſtianæ Religionis Capitibus privatim erudiebant (nam publice in Eccleſia docere ipſis erat vetitum): ita Concilium Carthaginienſe IV. & Perſonatus Hieronymus (68).

3. Feminas ægrotas, & afflictas inviſebant, iiſdemque miniſtrabant: ita Epiphanius (19). Tum ex Auctore Conſtitutionum colligimus aliquando etiam fuiſſe adhibitas, ut Epiſcopi mandata ad feminas bene valentes deferrent, ad quas Diaconos mittere opportunum non erat (20).

4. Martyribus, & Confeſſoribus in carcere detentis miniſtrabant. Ipſæ enim facilius, quam Diaconi, aut alii Eccleſiæ miniſtri, ab Ethnicis aditum ad eos impetrabant. Id ex locis quibuſdam Luciani, & Libanii colligunt Cotelerius, & Gothofredus (21).

5. In Eccleſia Græca ad introitus feminarum in templa præſtolari debebant. Hinc ab Auctore Conſtitutionum, & ab Pſeudo-Ignatio *Cuſtodes Sanctarum Portarum* nuncupantur (22). Verum hic mos, obſervante Uſſerio (23), fortaſſe in iis tantum Templis obtinuit, ubi inter portas marium, & portas feminarum fuerit diſtinctio. Et ſane Auctor Conſtitutionum *Lib. II. cap.* 57. ſic habet: *Janitores ſtent ad introitum virorum cuſtodiendi cauſſa, Diaconiſſæ vero ad mulierum.*

6. Feminis in Eccleſia ſuum cuique locum adſignabant, eaſque ſubmonebant, quomodo ſeſe gerere oporteret. Tandem reliquis Viduis præerant, & earundem neceſſitatibus, ubi opus eſſet, ſuccurrebant. Unde in quibuſdam Canonibus dicuntur *Præſidentes*, & *Gubernantes* (24). Demum ſi qua mulier aliquid ad Diaconum, Presbyterum, vel Epiſcopum deferre deberet, Diaconiſſæ erat eam introducere. Ita Auctor Conſtitutionum (25).

VI. Quamdiu perduraverint Diaconiſſæ, ſi quæras; reſpondeo in Eccleſia Græca ad finem uſque Seculi duodecimi viguiſſe. Namque Ball'amon de ipſis loquitur, tanquam ſuo ævo in Eccleſia Conſtantinopolitana

(15) *Conſtit. Apoſtolic. Lib. III. cap.* 15. Primum quidem quum mulieres baptizantur, unget quidem eis Diaconus frontem tantum oleo ſacro, poſt eum vero *illinet eas Diaconiſſa.*

(16) *Juſtinianus Novell. VI. cap.* 6. Ad ſacrum venire miniſterium, & adorandis miniſtrare baptiſmatibus, & aliis adeſſe ſecretis, quæ in venerabilibus miniſteriis per eas Diaconiſſas rite aguntur.

(17) *Cotelerius in productum* Conſtit. Apoſt. locum.

(18) *Conc. Carthag. V. Can. XII. Diaconiſſæ* tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint *apto, & ſacro ſermone docere* imperitas &c.

Perſonatus Hieron. Comm. in Epiſt. ad Rom. Cap. XVI. Sicut etiam nunc in Orientalibus Diaconiſſæ mulieres in ſuo ſexu miniſtrare videntur in baptiſmo, ſive *in miniſterio verbi*, quia *privatim docuiſſe feminas* invenimus.

(19) *Epiphan. Expoſ. Fid. num. XXI.* Diaconiſſæ mulierum decoris, & honeſtatis cauſſa ſint adminiſtræ.

(20) *Conſt. Apoſtolic. Lib. III. Cap.* 15. Eliges Diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus. Evenire enim ſolet, ut non poſſis propter inſideles mittere Diaconum, mittere vero poſſis Diaconiſſam propter cogitationes improborum.

(21) *Cotelerius* Not. in Conſtit. Apoſt. Lib. III. Cap. 15. *Gothofredus* Comm. in Codic. Theodoſ. Lib XVI. Tit. II. Leg. 27.

(22) *Conſtit. Apoſt.* Lib. VIII. cap. 28. *Pſeudo-Ignatius* Epiſt. ad Antioch.

(23) *Uſſerius* Diſſert. XVI. apud Cotelerium.

(24) *Conc. Laodic.* Can. XI. *Confer* Not. (1) pag. 234.

(25) *Conſtit. Apoſtolic. Lib. II. Cap.* 26. Ad Diaconum, aut Epiſcopum nulla mulier ſine Diaconiſſa accedat.

litana adhuc miniſtrantibus. At idem eas in aliis Eccleſiis jam deſiiſſe tradit (26). Profectò Conc. Laodicenum *Can. XI.* diſerte jubet: *Non oportere eas, quæ dicuntur* Presbyteræ, *&* Præſidentes *in Eccleſiis conſtitui*. Et ſane in pleriſque latinis Eccleſiis jam inde ab V. Seculo fuiſſe ab uſu remotas probant Conciliorum Arauſicani I. Aurelianenſis, & Epaonenſis Canones (27). At in aliquibus Occidentalibus Eccleſiis ad Seculum uſque VIII., & etiam poſt id temporis fuiſſe retentas, evincunt tum perſpicua Venantii Fortunati, & Concilii Wormatienſis teſtimonia; tum quoque Ordo Romanus, aliique Rituales libri tunc temporis in Eccleſia uſitati; uti late demonſtrat Card. Bona, qui nonniſi Seculo decimo, vel undecimo Diaconiſſarum ordinationem, & miniſterium ubique in Eccleſia ceſſaſſe exiſtimat (28).

VII. Poſtremo illud hic juvat animadvertere Diaconiſſæ nomen a Scriptoribus Eccleſiaſticis aliquando fuiſſe adhibitum adſignificandum non veri nominis Diaconiſſam, at vero Diaconi cujuſdam uxorem; eo ſenſu, quo *Presbytera* uxorem Presbyteri, & Conjugem Epiſcopi *Epiſcopa* denotabat. Hoc ſenſu vocabula *Epiſcopæ*, *Presbyteræ*, *Diaconiſſæ*, ac *Subdiaconiſſæ* uſurpata leguntur in Conciliorum Turonenſis, & Antiſiodorenſis Canonibus (29).

(26) *Balſamon* Reſp. ad Interrog. Marci Cap. XXXV. *apud Leunclav. Jur. Græc. Rom. Tom. I. pag.* 381. Olim aliquando ordines Diaconiſſarum cogniti fuere . . . In ſanctiſſima autem Eccleſia S-dis Conſtantinopolitanorum Diaconiſſæ deliguntur *&c.*

(27) *Conc. Arauſ. I. Can. XXVI.* Diaconæ omnimodis non ordinandæ. *Eadem habent Conc. Epaon.* Can. XXI. *Aurelian. II.* Can. *XVIII.*

(28) *Card. Bona* Rerum Liturgic. Lib. I. Cap. 25.

(29) *Conc. Turon. II. Can. XIII.* Epiſcopum Epiſcopam non habentem nulla ſequatur turba mulierum. *Et Can. XIX.* Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera, & Diaconus cum ſua Diaconiſſa, & Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſſa, annum integrum excomunicatus habeatur. *Eadem habet Conc. Antiſiodorenſ.* Can. XXI.

CAPUT III.

De Inferioribus Ordinibus.

§. I. *De Inferiorum Ordinum Origine, & Antiquitate.*

I. Gravis inter eruditos agitatur quæſtio divinæ ne, & Apoſtolicæ, an vero Eccleſiaſticæ inſtitutioni adſcribendi ſint Inferiores Ordines. Baronius, & Bellarminus (1) quinque omnino ſemper fuiſſe, ac omnes ex æquo ab Apoſtolis inſtitutos docuere. Card. Bona (2) Hypodiaconatus Chriſto, vel Apoſtolis, reliquorum vero inſtitutionem Eccleſiæ tribuit. Idem ſentire videtur Duarenus (3), dum ſcribit: *in veteri Eccleſia non erat hæc munerum diſtinctio, ut alii Oſtiarii dicerentur, alii Lectores . . . ſed Diaconorum, Hypodiaconorumque munere conjuncta erant hæc omnia*. Morinus (4) probare ſatagit non fuiſſe inter Græcos proxima ab Apoſtolis ætate Acolythos, Exorciſtas, Oſtiarios. Tandem Habertus (5), *Conſultius*, ſcribit, *meo judicio Ordines Hierarchicis inferiores, ipſumque adeo Hypodiaconatum, & a Sacramentorum uſu expungere, & ad inſtitutionem duntaxat Eccleſiaſticam cum antiquis Theologis referre*. Et ſane eadem videtur fuiſ-

(1) *Baronius* an. XLIV. num. 78. *Bellarminus* de Clericis Lib. I. cap. I. *Schelestratus* Conc. Antioch. Reſtit. Diſſert. IV. Cap. XVII. artic. 2.

(2) *Card. Bona* Rerum Liturgic. Lib. I. cap. 25.

(3) *Duaren.* De Miniſter. & Benefic. Eccleſ. Lib. I. cap. 14.

(4) *Morinus* de Ordinat. Exercit. XIV. cap. I.

(5) *Habertus* Archieratic. Part. V. Obſervat. 1.

fuiſſe ſententia S. Thomæ Aquinatis, Amalarii Fortunati, Petri Lombardi, aliorumque (*6*).

II. Verum doctiſſimi Thomaſſini ſententiam ceteris anteferendam puto, qui in ſua Nova & Antiqua Eccleſiæ Diſciplina (7) plura ſtatuit. 1. In Scriptura Epiſcoporum duntaxat, Presbyterorum, & Diaconorum mentionem occurrere: unde colligere datur, quod quam certum eſt ejuſmodi Ordines inſtitutionis eſſe Divinæ, tam veriſimile eſt alios omnino non eſſe. 2. Concilia, & Patres de tribus illis Ordinibus conſentire ad unum omnes de ceteris vero penitus diſſentire. 3. Inferiorum ordinum numerum non eſſe conſtantem: ab aliis enim alios adpoſitos fuiſſe videmus, quos poſteri non acceperint: & rejici alios, quos ætas poſterior probaverit. 4. Certo definiri non poſſe tempus, quo primum cœperint ſinguli hi minores Ordines. Ex his autem efficitur 1. veroſimilius ſtatui poſſe Inferiores ordines non eſſe, quam veluti quaſdam Diaconatus portiones aliis aliiſque temporibus, & neceſſitatibus ab eo decerptas; hoc eſt, quæ erant propria Diaconorum munia aliis ſingillatim clericis adſcripta fuiſſe. 2. Aliquo ſenſu recte dici poſſe minores ordines, ſi originem inſpicias, inſtitutionis eſſe divinæ, quippe in Diaconatu radices agunt, unde tanquam ſurculi ſcaturierunt. Miniſterii enim Sacerdotalis partes ſunt, & ſegmenta, quod totum eſt in Diaconatu. 3. Id omnes perſuaſiſſimum habuiſſe, Diaconatum ex ipſa ſui origine ad Sacrificium referri per ſeſe, quum eo (ad Diaconatum) minores Ordines primario, & per ſeſe referantur. Hæc doctiſſ. Thomaſſinus. Eadem prorſus videtur fuiſſe ſententia S. Thomæ, qui *loco indicato* de Ordinibus minoribus hæc ſcribit: *In primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur, ut patet per Dionyſium Eccl. Hier. cap. 3. ubi dicit*. Miniſtrorum alii ſtant ad portas Templi clauſas, alii aliud proprii Ordinis operantur, alii autem Sacerdotibus proponunt ſuper altare ſacrum panem, & benedictionis calicem. *Nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicite in una Diaconi Poteſtate: & ſecundum hoc dicit Magiſter in littera* (loc. ſup. cit.) *quod Eccleſia alios Ordines ſibi inſtituit*.

§. II. *De Inferiorum Ordinum Numero*.

III. Canones Apoſtolici tres tantum recenſent inferiores Ordines *Hypodiaconatum*, *Lectoratum*, & *Cantoratum* (8). Auctor vero Conſtitutionum quatuor; dum *Hypodiaconis*, & *Lectoribus Pſaltes*, & *Oſtiarios* adjungit (9): de Exorciſtis quoque *ibidem* loquitur; attamen Eccleſiaſticum Ordinem fuiſſe diſerte negat. Auctor Epiſtolæ ad Antiochenos ſub nomine Ignatii ſex numerat: *Hypodiaconos*, *Lectores*, *Cantores*, *Oſtiarios*, *Copiatas*, *&* *Exorciſtas* (10). Auctor ſub nomine Hieronymi quatuor memorat: *Hypodiaconos*, *Lectores*, *Oſtiarios*, *Copiatas* (11). *Acolythorum* neque Epiphanius meminit, ſed eorum in locum *Interpretes*, & *Copiatas*, ſive *Laborantes* ſubſtituit (12). Igitur in omnibus antiquis Eccleſiæ Græcæ monumentis nihil prorſus invenitur de *Acolythis*; uti neque in recentioribus. Pro-

(6) *S. Thomas Supplem. Part. III. Quaſt. XXXVII. Art. 2. Petrus Lombardus* Sentent. Lib. IV. Diſtinct. 24. *Amalarius* de Officiis Eccleſ. Lib. II. cap. VI. *aliique vetores Theologi*.

(7) *Thomaſſinus* Part. I. Lib. II. cap. 30.

(8) *Can. Apoſt. Can. XLIX.* Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor ſanctam Quadrageſimam non jejunat *&c.*

(9) *Conſtit. Apoſt. Lib. III. Cap. II.* Sed neque reliquos baptiſmum conſerre volumus, veluti *Lectores*, aut *Pſaltes*, aut *Janitores*, aut *Miniſtros*, niſi ſolos Epiſcopos, & Presbyteros miniſtrantibus Diaconis... Ipſe egomet de Exorciſta conſtituo. Exorciſta non ordinatur.

(10) *Pſeudo-Ignatius* Epiſt. ad Antioch. num. XII.

(11) *Pſeudo-Hieronymus* de ſeptem Ordin. Eccleſ.

(12) *Epiphan. Expoſ. num. XXI.* Poſt illos omnes ordines deinceps *Exorciſtæ* ſequuntur, & *linguarum Interpretes* tam in lectionibus, quam in concionibus. Sequuntur *Laborantes*, qui mortuorum corpora curant. Tum *Janitores*, ac reliqui diſciplinæ cauſſa ordines inſtituti.

Profecto nulla eorundem mentio injicitur in Conciliis Laodiceno, Antiocheno, & Chalcedonenſi; etſi de *Hypodiaconis*, *Lectoribus*, *Cantoribus*, *Exorciſtis*, *& Janitoribus*, *ſive Oſtiariis*, tanquam de Eccleſiaſticis Ordinibus expreſſe loquantur. De Eccleſia Græca ſatis: nunc de Eccleſia Latina pauca ſubnectam.

IV. Ac primum Tertullianus functionibus Clericorum adcenſet *Exorciſmum agere* (13); tum *ibidem Lectorum* meminit, quum hæreticos ſui temporis eo nomine inſectatur, quod apud ipſos *hodie Diaconus*, *qui cras Lector*. In Epiſtolis Cleri Romani, & Cypriani nonnisi *Subdiaconorum*, & *Lectorum* fit mentio. Verum in Epiſtola Cornelii medio fere tertio Seculo ſcripta præter Superiores Ordines recenſentur *Subdiaconi*, *Acolythi*, *Exorciſta*, *Lectores*, *& Oſtiarii* (14). Quum igitur Eccleſia Romana ſemper ab omni innovatione abhorruerit, profecto credendum jam inde ab Apoſtolorum ævo tot agnoviſſe inferiores ordines, quot etiamnum retinet. Idem ſtatuendum de Eccleſia Africana, quum parem ipſorum numerum exhibeat Concilium Carthag. IV. *Cantores* quidem adjungit; at quum Cantores creare Presbyteris permittat etiam inconſulto Epiſcopo, hinc dubium injicitur, Officium ne magis fuerit, quam Ordo: præſertim quum *ibidem* dicatur *Officium cantandi* (15).

V. Tria hic omnino ſubnectenda. Primum: Inferiores Ordines non ea ſolum de cauſſa fuiſſe inſtitutos, ut Diaconos aliqua ex parte Eccleſiaſtico miniſterio levarent, verum etiam, ut eſſent Superiorum Ordinum veluti tyrocinium: plerumque enim, ut alibi obſervavimus, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ex ipſis conſtituebantur. Quum enim tunc temporis non adhuc Eccleſiaſticæ Academiæ in uſu eſſent, Epiſcopi eos, qui ſacris initiari vellent, in quibuſdam prius inferioribus ordinibus exercebant, ut ſic ejuſmodi diſciplina inſtructi ad ſublimiora Eccleſiæ munia obeunda aptiores redderentur (16).

VI. Alterum: In Conciliis Chalcedonenſi, Turonico, & Triburicenſi illud indicari: nimirum Inferiores Clericos ita perpetuo Eccleſiæ miniſterio fuiſſe addictos, ut nullatenus ipſis licuiſſet ad mere ſecularem vitam pro lubitu ſuo redire (17).

VII. Tertium: Inferiores Ordines a Superioribus diſcrepaſſe 1.° nomine: hi enim *Sacrati* Ἱερώμενοι: unde Hierarchiæ nomen ſemper in Eccleſia uſurpatum eſt ad ſignificandum tantummodo Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos: illi vero *Inſacrati* dicti ſunt, quo nomine in Concilio Agathenſi donantur (18). 2. Ordinationis ritu: Superiores enim coram altari cum ſollemni manuum impoſitione conferebantur, Inferiores vero non item. Hinc Baſilius *Epiſt. Can. LI.* Inferiores Ordines *inferius miniſterium ſine impoſitis manibus conſecratum* nuncupat. 3. Quia diverſa omino erant officia; diverſæ ordinum functiones, uti ex ſequentibus patebit.

§. III. *De Hypodiaconis*.

VIII. De Hypodiaconorum Antiquitate ſatis §. *I.* Illud hic duntaxat paucis obſervandum: nimirum Subdiaconatum antiquiorem eſſe in Latina, quam in Græca Eccleſia. Etenim inter veteres Græcos Patres Athanaſius primus occurrit, qui Hypodia-

Hh 2

(13) *Tertull.* de Præſcr. Cap. 41. *Confer* Not. 14. pag. 239.

(14) *Cornelius Epiſt. ad Fab. apud Euſebium Lib. VI. Cap.* 43. In qua ſciebat Presbyteros quidem eſſe quatuor, & quadraginta: ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos & quadraginta, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos.

(15) *Concilium Carthag. IV.* Canon. X.

(16) *Conc. Sardic. Can. X.* Per ſingulos gradus, ſi dignus eſt, adſcendat ad culmen Epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt prolixum tempus probari, qua fide ſit, qua modeſtia, qua gravitate *&c.*

(17) *Conc. Chalced. Can. VII.* Eos, qui in clero ſemel ſunt ordinati . . . ſtatuimus, nec ad militarem expeditionem, nec ad ſecularem dignitatem poſſe venire. *Eadem habent Conc. Turonic.* I. Can. V. *& Triburic.* Can. XVII.

(18) *Conc. Agath. Can. LXVI.* Non oportet *inſacratos* miniſtros *&c.*

podiaconorum meminerit : quum contra eorundem diſerte mentionem faciant apud Latinos Cyprianus , & Cornelius (19). Adhæc illud quoque juvat hic adnotare æque in Græca , ac in Latina Eccleſia ſemper ſine manuum impoſitione fuiſſe ordinatos. Id quod etiam prodit ab Apoſtolis non fuiſſe inſtitutos. Hi enim in nulla ordinatione χειροτονίαν non adhibuerunt: unde Baſilius, uti modo obſervavimus, de univerſis inferioribus Ordinibus loquens , ipſos ἀχειροτονήτους nuncupat. Et in Concilio Carth. IV. *Can. V.* ritus ordinationis eorundem ſic exprimitur. *Subdiaconus , qui ordinatur , quia manus impoſitionem non accipit, patinam de manu Epiſcopi accipiat vacuam , & calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua , & mantile , & manutergium.*

IX. Quod vero ad Hypodiaconorum officia ſpectat : 1. Sacra Altaris vaſa , & utenſilia aptabant, præparabant, & divini cultus tempore Diaconis tradebant. Ipſis vero omnino erat vetitum coram altari miniſtrare, aut circumductos ei cancellos ingredi . Profecto Conc. Laodicenum omnino interdicit Hypodiaconis primo panem dare, vel calicem benedicere; tum locum habere in Diaconico, & ſacra vaſa tangere : demum *orarium ferre* (20), quo nonniſi Diaconis uti permiſſum erat, quum de faciendis precibus, & aliis Eccleſiæ miniſteriis catechumenos, pœnitentes &c. admonebant, ac quocunque ſacro munere in altari defungebantur . At vero ſecutis temporibus iiſdem permiſſum eſt ſacra vaſa tangere , altaris cancellos ingredi, & propius ad altare miniſtrare , ut *Lib. II.* opportunius videbimus.

2. Foribus Eccleſiæ , dum ſacra communio celebrabatur, aderant, tum ut ingredientes ad ſuam quemque ſedem deducerent, tum ut obſervarent, ne quis tempore oblationis egrederetur (21).

3. Legationem Epiſcopi accepiis ab eo Epiſtolis ad extraneas Eccleſias obibant. Id conſtat ex pluribus Cypriani Epiſtolis, & ex Epiſtola Cleri Romani ad eundem, quas per Subdiaconos tranſmiſſas ipſæmet indicant Epiſtolæ. Iſtæc antiquitus præcipua fuere Hypodiaconorum munia. Ceterum nuſquam ipſis propria Diaconorum munia ne ex delegatione quidem commiſſa invenies.

§. IV. *De Acolythis.*

X. Acolythorum Ordo , uti modo vidimus, nunquam in Eccleſia Græca obtinuit: & quamvis in quibuſdam recentioribus græcis ritualibus aliquoties occurrant; iidem tamen ipſi ſunt , ac Hypodiaconi, uti monet Scheleſtratus (22). Acolythorum Ordinationis formulam, necnon aliquam officii eorundem ſignificationem habemus in Concilii Carthaginienſis *Can. VI.* cujus hæc ſunt verba : *Acolythus quum ordinatur , ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat : ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad incendenda luminaria mancipari . Accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtia ſanguinis Chriſti .* Hinc Acolythorum officium in his duobus muniis conſtitiſſe videtur.

XI. Verum ſecutis temporibus duplex aliud munus Acolythis commiſſum eſt: nimirum deferendi luminaria accenſa in miſſa, & officio ſollemni ; tum Diaconis , ceteriſque Clericis thuribulum manibus geſtando præire . Ad vocis etymon quod

(19) *Cyprianus* Hypodiaconorum *quamfrequenter meminit in ſuis Epiſtolis* ; *ac præcipue* in Epiſtolis *VIII. XX. XXIX. XXXIV. XXXV. XLV. LXXVIIII. LXXIX. Cornelius Papa* nuper indicata Epiſt. ad Fabium Antioch.

(20) *Concilium Laodicenum Can. XXV.* Quod non oporteat Subdiaconos panem dare , vel calicem benedicere .

Can. XXI. Quod non oporteat miniſtros locum habere in Diaconico, & ſacra vaſa tangere. *Can. XXII.* Quod non oporteat Subdiaconum uti orario, nec oſtia derelinquere .

(21) *Conſt. Apoſt. Lib. VIII. cap. II.* Hypodiaconi *ſtent* ad januas , quibus mulieres *ingrediuntur* , ne quis ingrediatur ; nec aperiantur tempore oblationis.

(22) *Scheleſtratus* de Conc. Antiocheno *Diſſert. IV. Cap.* 17.

quod ſpectat, Heſychio interprete, ἀκόλουθος idem eſt, ac *juvenis ſervus*, ſive *pediſſequus*, qui aſſiduus aliquem comitatur, eique miniſtrat. Et ſane Euſebius meminit quorundam Acolythorum, qui Epiſcopos ad Concilium Nicænum proficiſcentes ſecuti ſunt (23). Nec abſimili ratione veteres profani Græci auctores τῷ Ἀκολούθου vocabulum adhibuere (24).

§. V. *De Exorciſtis.*

XII. Poteſtatem exorcizandi, ſeu ejiciendi Dæmones ad tertium uſque Seculum donum fuiſſe Spiritus Sancti, non Clericis, aut uni cuidam eorum ordini peculiare, ſed laicis etiam Chriſtianis commune, periude atque alia extraordinaria Spiritus S. dona, perſpicua evincunt Origenis, Juſtini, Arnobii, Minucii, aliorumque veterum Patrum teſtimonia (25). Non abnuerim vero in animum inducere ſpeciali quadam ratione Epiſcopis, ac Presbyteris tantum Spiritus Sancti donum fuiſſe a Deo collatum, eoſdemque frequentius in Eccleſia exorcizandi facultatem exercuiſſe. Quod quidem erui poſſe quibuſdam videtur ex Cypriani, Tertulliani, & Firmiliani verbis. Cyprianus enim *Epiſt. LXXV.* al. *LXXIX.* ſcribit: *Quod hodie etiam geritur, ut per Exorciſtas voce humana, & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus.* Tum Tertullianus *de Spectaculis Cap. XXVI.* de Chriſtiana quadam femina a dæmone obſeſſa loquens: *Theatrum*, inquit, *adiit, & inde cum Dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo quum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi: conſtanter, & juſtiſſime quidem* (inquit) *fieri, in meo enim inveni*. Demum Firmilianus *Epiſt. LXXV.* inter Cyprianicas: *Unus de Exorciſtis ... erexit ſe contra ſpiritum illum nequam revincendum . . . Tamen ille Exorciſta inſpiratus Dei gratia fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum ſpiritum, qui prius ſanctus putabatur, oſtendit*. Hæc ſane monumenta licet manifeſto non evincant jam tum *Exorciſtas* diſtinctum inter Clericos ordinem in Eccleſia conſtituiſſe, non obſcure tamen indicant Clericos potiſſimum eo tunc munere fuiſſe functos.

XIII. Verum quum extraordinaria exorcizandi poteſtas ſublata eſt, tum demum Exorciſtarum Ordo introductus eſt; & quidem gradatim, nec eodem tempore in omnibus Eccleſiis. Cornelius enim in ſepius *laudata Epiſt. ad Fabium* inter inferiores Romanæ Eccleſiæ Ordines *Exorciſtas* recenſet; attamen Auctor Conſtitutionum *Lib. VIII. Cap.* 26. ipſos non peculiarem Eccleſiaſticum Ordinem conſtituere; ſed Deum exorcizandi donum, cuicui velit, largiri ſcribit. Illud certum eſt, ab ineunte Seculo quarto exorcizandi facultatem peculiari in Eccleſia ordini tum apud Græcos, tum apud Latinos fuiſſe adſcriptam; uti ex Synodis Antiocheno, & Laodiceno, & ex Epiphanio, Paulino, Sulpitio Severo, & ex quibuſdam Gratiani, & Theodoſii Reſcriptis colligere eſt (26).

XIV.

(23) *Euſebius Lib. III. Cap.* 8. Presbyterorum, qui eos *Epiſcopos* comitati ſunt, Diaconorum, Acolythorum, aliorumque complurium numerus vix iniri poteſt.

(24) *Demoſthenes contra Mediam*: ἀκολούθους τρεῖς, ἢ τέτταρας αὐτὸς ἔχων: Comites, ſive pediſſequos tres, vel quatuor ipſe habens. *Et Lucianus in Nigrino*: φορτικὸς ἀκολούθων ὄχλῳ: inviſus ob comitum turbam.

(25) *Origenes contra Celſum Lib. VII.* Non pauci Chriſtiani ejiciunt ex obſeſſis corporibus ſolis precibus . . . . Nam plerumque *plebeji homines* hæc faciunt per verbum ſuum coarguentes Dæmonum infirmitatem Chriſti gratia. Eadem habent *Juſtinus* Apolog. I. *Irenæus* Lib. II. Cap. 56. & 57. *Arnobius* contra Gentes Lib. I. *Minucius Felix* in Octavio.

(26) *Concilia Antioch. Can. X* Chorepiſcopi conſtituant Lectores, Hypodiaconos, Exorciſtas. *Laodic. Can. XXIV.* Quod non oporteat quemlibet Eccleſiaſtici ordinis uſque ad Miniſtros, vel Lectores, vel Cantores, vel *Exorciſtas*, vel Oſtiarios &c. Idem evincitur ex *Epiphanio* Expoſit. Fidei num. XXI., *Paulino* Nat. IV. S. Felicis, *Sulpitio Severo* Vit. S. Martini Cap. V. *Codic. Theodoſ.* Lib. XII. Tit. I. Leg. 121. & Lib. XVI. Tit. II. Leg. 24.

XIV. Exorciſtarum Ordinatio, & Officium a Concilio Carthaginienſi IV. *Can. VII.* ſic deſcribitur: *Exorciſta quum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum ſive baptizatum, ſive catechumenum.* Præcipue igitur ἐνεργουμένων, ſive hominum, quorum corpora a maligno ſpiritu oppreſſa poſſidentur, Exorciſtis cura dabatur. Quamvis enim pro his in omnibus Eccleſiaſticis conventibus, ut inferius opportunius dicemus, preces Deo funderentur; tamen Exorciſtarum erat aliis temporibus, ubi nullus in templis conventus erat, impoſitis manibus pro eis precari; tum eoſdem innocuis quibuſdam occupationibus, uti e. g. verrendis Templis, aliiſque ſimilibus diſtinere, & quotidianum ipſis victum procurare, ubi Domo Dei adſiderent (27); quæ fortaſſis cauſſa fuit, cur habitationis quoque locus ipſis præberetur, uti indicare videtur Synodi Carthag. IV. *Canon XCII.* (28).

XV. Num Exorciſtarum quoque munus fuerit Cathecumenos ante Baptiſmum exorciſmis adjurare, quæſtio eſt inter eruditos. Valeſius, & Gothofredus (29) iſtanc quoque functionem Exorciſtis tribuunt; quam duplici tantum in caſu ipſis adſignat Binghamus (30); nimirum vel ubi Catechumenus eſſet etiam energumenus, vel ubi Exorciſta Catechiſta quoque eſſet. Et ſane Catechiſtæ munus modo Presbyteri, modo Diaconi, aliive inferiores Clerici obibant, ceu illud, quod ab Exorciſtarum officio omnino erat diverſum: hinc de Catechiſtis diſtincte ſuo loco agemus.

§. VI. *De Lectoribus.*

XVI. Primus, qui de Lectoribus, tanquam de Ordine jam ſuo ævo in Eccleſia inſtituto loquitur, eſt Tertullianus. Is enim hæreticis exprobrat, quod eorum ordines deſultorii ſint, & inconſtantes: *Hodie Diaconus, qui cras Lector* (31). Poſt Tertullianum eorumdem crebra injicitur mentio apud veteres Chriſtianos Scriptores, & præſertim apud Cyprianum, qui de ejuſmodi Ordine, ceu de officio præ ceteris in Eccleſia honorifico verba facit. Quoſdam enim Confeſſores ob ſingularia eorum merita Lectores ordinaſſe ſcribit (32).

XVII. Antequam Lectorum ordo inſtitueretur, cujuſnam partes fuerint Sacras Scripturas in Eccleſiaſticis conventibus legere, recte hic quæri poſſet. Baſnagius exiſtimat in primitiva Eccleſia Lectoris munus potiſſimum a Presbyteris, & Diaconis fuiſſe peractum (33): ita tamen, ut mandante Epiſcopo quivis alius etiam laicus illud obire potuerit. Verum in hac re nimia prorſus obſcuritate involuta ſi quid conjectari licet, vero ſimilius videtur primis duobus Eccleſiæ Seculis ad ſolos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos illud officium pertinuiſſe: præſertim quum in pleriſque Eccleſiis etiam poſt Lectorum inſtitutionem Diaconos Euangelii Lectionem continuaſſe reperiamus, in aliis Epiſcopos, & Presbyteros (34).

Neque

(27) *Conc. Carthag. IV. Can. XC.* Omni die Exorciſtæ energumenis manus imponant; & *Can. XCI.* Pavimenta domorum Dei Energumeni verrant.

(28) *Conc. Carthag. IV. Can. XCII.* Energumenis in domo Dei adſidentibus victus quotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.

(29) *Valeſius Not. in Euſebium* de Martyr. Palæſt. Cap. II. *Gothofredus Not. in Codic. Theodoſ.* Lib. XVI. Tit. II. Leg. 24.

(30) *Binghamus* Lib. III. Cap. IV. §. 8.

(31) *Tertull.* de Præſcript. Cap. XLI.

(32) *Cyprianus Epiſt. XXIV.* al. *XXIX.* Feciſſe me ſciatis *Lectorem* Saturum. *Tum Epiſt. XXXIII.* al. *XXXVIII.* Merebatur Aurelius clericæ ordinationis ulteriores gradus, & incrementa majora . . . placuit ut ab *officio Lectoris* incipiat. *Demum Epiſt. XXXIV.* al. *XXXIX. de Celerino Confeſſore recens ordinato Lectore ſcribit:* Referimus ad vos Celerinum . . . Clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed divina dignatione conjunctum.

(33) *Baſnagius* Exercit. in Baronium ad annum XLIV. pag. 623.

(34) *Confer ſupr.* Cap. II. num. III. 3. pag. 232.

Neque enim aliquid negotii faceſſit, quod de Eccleſia Alexandriæ ſcribit Socrates, nimirum ibi Lectorum officium abſque ullo diſcrimine obiiſſe tam Catechumenos, quam Fideles: nam iſtuc Eccleſiæ Alexandriæ peculiare fuit, neque inde de univerſalis Eccleſiæ praxi aliquid firmiter ſtatui poteſt (35).

XVIII. Quod ad ritum ordinationis attinet, quamvis Auctor Conſtitutionum certam precum cum manuum impoſitione recitandarum formulam præſcribat; attamen Concilium Carthaginienſe IV. *Can. VIII.* de ea ſolum loquitur cæremonia, qua Epiſcopus præſente populo Sacra Biblia manibus ejus tradere, & his eum verbis adloqui debeat: *Accipe*, *& eſto Lector verbi Dei*, *habiturus*, *ſi fideliter*, *& utiliter impleveris officium*, *partem cum eis*, *qui verbum Dei miniſtraverunt*.

XIX. Hic duo notanda. Primum: Lectoris haud fuiſſe Scripturas legere coram altari, ſed tantum e ſuggeſtu, ſive pulpito: Unde *ſuper pulpitum imponi*, vel *ad pulpitum venire* phraſes erant a Cypriano adhibitæ ad Lectoris officium denotandum; & ex eodem Cypriano docemur Lectores æque Euangelia, ac alias Scripturæ partes in Eccleſia conſueviſſe legere (36). Alterum: Quarto potiſſimum, & quinto Seculo frequentius oppido puerulos fuiſſe Lectores ordinatos; cujus rei ſatis obvia in Eccleſiaſtica Hiſtoria exempla habentur (37). Verum exſtat quædam Juſtiniani Novella, quæ Lectores ante annos duodeviginti integros completos diſerte prohibet ordinari. Quæ ſane Lex ſecutis temporibus pleriſque in Eccleſiis obtinuit (38).

§. VII. *De Oſtiariis*.

XX. Oſtiariorum, ſive Janitorum nulla mentio habetur apud Tertullianum, & Cyprianum, ſed tantummodo in Cornelii Romani Pontificis Epiſtolis, & poſt in Conciliis Laodiceno (39), & Carthaginienſi IV. *Can. IX.* quod & modum eos ordinandi eodem Canone præſcribit: nimirum *Epiſcopus claves Eccleſiæ manibus initiandi tradat dicens*: *Sic age*, *quaſi redditurus Deo rationem de his rebus*, *quæ his clavibus recluduntur*.

XXI. Oſtiariorum munia erant: 1. Durante miſſa catechumenorum januas Eccleſiæ cuſtodire; tum Fideles, & Catecumenos ab excommunicatis, aliiſque ab Eccleſia excludendis diſtinguere, ut *cathecumenorum Miſſa* recte, ac ordinate celebrari poſſet (40). Quæ enim diſtinctio in altera cultus divini parte, *Miſſa Fidelium* dicta, adhibebatur, ea, ut ſupra diximus, Diaconorum, Hypodiaconorum, & Diaconiſſarum miniſterio fiebat. 2. Debitis temporibus Templi januas aperire. 3. Adhæc Oſtiarii munus erat curare, ne quid periret eorum, quæ in Eccleſia ſervabantur: unde Theſaurarii munus, quod præſtantiſſimum habitum fuit,

(35) *Socrates Lib. V. cap.* 22. In eadem urbe Alexandria *Lectores*, & Pſaltæ abſque ullo diſcrimine fiunt tam Catechumeni, quam fideles.

(36) *Cyprianus Epiſt. XXXIV.* al. *XXXIX.* Quid aliud, quam ſuper pulpitum, ideſt tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus legat præcepta, & Euangelium Domini, quæ fortiter, & fideliter ſequitur.

(37) *Ennodius Vit. Epiph.* Annorum ferme octo Lectoris Eccleſiaſtici ſuſcipit officium.
Vita S. Caeſar. apud Surium: Clero adſcriptum inter ipſa infantiæ rudimenta poſt exactæ ætatis ſeptennium.
Victor. Uticenſ. de Perſecut. Vandal. Lib. III. *triumphum deſcribit duodecim Lectorum*, *ſeu Pſalmiſtarum tenellæ adhuc ætatis*: Clericos duodecim infantulos, vocales, ſtrenuos, atque aptos modulis cantilenæ. *Tum ibidem*: Inter quos quamplurimi erant lectores infantuli, qui gaudentes in Domino procul exſilio crudeli funduntur.

(38) *Juſtinian. Novell. CCXXIV, cap.* 13. Fieri non permittimus . . . Lectorem minorem decem & octo annorum.

(39) *Confer ſupr.* Not. 26. pag. 245.

(40) *Alcuinus de Divinis Offic. pag.* 269. Oſtiarius debet prævidere, ne ullo modo paganus ingrediatur Eccleſiam.

fuit, olim ad Oſtiarios pertinuit (41). 4. Demum ſtata precationum, & conventuum Eccleſiaſticorum tempora indicere. Quod durante Perſecutione peculiare requirebat ſignum, ne forte detegerentur. Et hæc fortaſſis prima hunc Ordinem in Eccleſia inſtituendi fuit cauſſa.

§. VIII. *De Pſaltibus, ſive Cantoribus.*

XXII. Illud cum Thomaſſino conſtituiſſe meminimus: nimirum ex Ordinibus Inferioribus alios ab aliis adjunctos fuiſſe, quos poſteri non acceperint, & rejectos alios, quos ætas poſterior probavit. Hinc mirum non videbitur, ſi in inferiorum Ordinum Claſſem recenſeamus *Pſaltes*, ſive *Cantores*, *Copiatas*, & *Parabolanos*. Et ſane Cantorum, ſive Pſalmiſtarum æque, ac Hypodiaconorum; & Lectorum meminere Canones Apoſtolici, Auctor Conſtitutionum, Conc. Laodic. Ephrem Syrus, Auctor Liturgię S. Marci, Ignatius perſonatus, & Juſtinianus (42). Prę ſertim quum non abſimili prorſus ratione de Cantoribus verba faciant, de iiſdemque decreta ediderint, quam de reliquis Clericis, a quibus illos expreſſe diſtinguunt: *Hypodiaconus* (ſic Canon Apoſtolicus LXIX.) *vel Lector*, *vel Cantor ſimilia faciens*, *vel ceſſet*, *vel ſegregetur*. Et Concilium Laodicenum *Can. XXIV. Quod non oportet Sacratos a Presbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici Ordinis uſque ad miniſtros, vel Lectores, vel* Cantores, *vel Exorciſtas*, *vel Oſtiarios*, *vel Exercitatorum Ordinis in cauponam ingredi*. Tum Conſtitutiones Apoſtolicę *Lib. III. Cap. II. Sed neque reliquos Baptiſmum conferre volumus, veluti Lectores*, *aut Pſaltes*, *aut Janitores*, &c.

XXIII. In Concilio Carthag. IV. *Canone X.* eorumdem Ordinationis forma prę ſcribitur: *Pſalmiſta*, *ideſt Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi*, *dicente ſibi Presbytero: Vide*, *ut quod ore cantas*, *corde credas*, *& quod corde credis*, *operibus comprobes*. Quod Patres Carthaginienſes facultatem Presbytero conceſſerint etiam inſcio Epiſcopo Cantores ordinandi, iſtęc fortaſſis peculiaris Eccleſię Africanę praxis fuit.

XXIV. Cur autem Cantorum Ordo inſtitutus fuerit, illud videtur in cauſſa fuiſſe; videlicet, ut vetus pſalmodia reſtitueretur, & emendaretur. Quum enim eſſet populus negligentię ſuę culpa ad peragendam hanc cultus divini partem haud idoneus, neceſſarium viſum fuit, ut quis ſollertior peritiorque prę eundo illum regeret, ac juvaret, hoc eſt, prę centor eſſet. Atque hinc patet, cur dicti fuerint Ὑποβολεῖς, ideſt *Monitores*, ſive *Inſpiratores*: ab eorum nimirum Officio, quod erat Plebi cantu prę ire.

§. IX. *De Copiatis*, *ſive Foſſariis*, *vel Lecticariis*,

XXV. *Copiatas*, ſive *Foſſarios* Primitivę Eccleſię Clericis fuiſſe adnumeratos perſpicua probant Epiphanii, Auctoris Epiſtolę ad Antiochenos, & Juſtiniani teſtimonia (43). Tum Auctor ſub nomine

(41) *Alcuinus ibid.* Oſtiarius debet etiam cuſtodire ea, quæ intra Eccleſiam ſunt, ut ſalva ſint.

(42) S. *Ephrem Syr.* Serm. XCIV. de Secundo Adventu.

Liturgia S. Marci Biblioth. Patr. Græc. Lat. Tom. II. pag. 35. Memento etiam ubique degentium orthodoxorum Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, *Cantorum* &c.

Pſeudo-Ignatius Epiſt. ad Antioch. num. XII. Saluto ſubdiaconos, lectores, *Cantores*, oſtiarios, laborantes, exorciſtas.

Juſtinian. Novell. III. Cap. I. Lectores centum, & decem, *Cantores* vigintiquinque.

(43) *Epiph. Expoſit. Fidei num. XXI.* Sequuntur *laborantes*, tum janitores, ac reliqui diſciplinæ cauſſa ordines inſtituti.

Pſeudo-Ignat. loc. ſup. cit.

Juſti-

Digitized by Google

mine Hieronymi, ac ipſe Hieronymus eos expreſſe Clericos nominat (44). Clerici quoque adpellantur in pluribus Imperatoriis Legibus, quæ in *Codice Theodoſiano* proſtant (45). Immo ex Perſonati Hieronymi auctoritate illud quoque effici videtur eoſdem aliqua peculiari formula, æque ac ceteros Clericos, fuiſſe ordinatos. Sic enim ſcribit: *Primus in Clericis Foſſariorum Ordo eſt, qui in ſimilitudinem Tobiæ Sancti ſepelire mortuos admonentur*. Hic ordo Conſtantini tempore primum inſtitutus eſt: tum quia Conſtantius ejus Filius de eo, tanquam noviſſime inſtituto loquitur (46), tum etiam quod nullus priorum trium ſeculorum ſcriptor ſit, qui ullam ejus injecerit mentionem.

XXVI. Igitur Foſſariorum officium erat univerſam exſequiarum curam habere, & dare operam, ut omnes decenter, & honeſte ſepelirentur. Speciatim pauperibus ſine ulla ſpe mercedis hoc officium præſtare debebant. Quod Conſtantinopoli potiſſimum obtinuiſſe, vel inde patet, quod Imperator Anaſtaſius tum de victu, & veſtitu, tum de univerſis exſequiarum impenſis abunde ipſis providerit. Id quod Juſtinianus non modo confirmavit, verum & abuſum, qui irrepſerat (nimirum, quod lege Anaſtaſii non obſtante, ſtipendia pro Exſequiis exigerentur) publicata Novella ſua, quæ eſt LIX. corrigere voluit (47).

§. X. *De Parabolanis*.

XXVII. *Parabolani* quoque in antiqua Eccleſia, seu Clerici habebantur. Theodoſius junior tum eos expreſſe Clericos nominat, tum Epiſcopi juriſdictioni ſubjicit (48). Eorum Officium, uti patet ex quadam ejuſdem Theodoſii Lege *ibidem Leg.* 43. præcipue in eo erat, *ut debilium corpora curarent*.

XXVIII. Hunc Ordinem ſub Conſtantino fuiſſe inſtitutum probabilis conjectura ſuadet: tum profecto, quum peculiaria quædam chriſtianæ caritatis officia primum pro ſtudio pietatis ſponte a fidelibus peracta, dein in ordinarium abierunt munus, ac certum hominum genus ad eadem præſtanda ſpeciatim fuit delegatum. Ad nominis Etymon quod ſpectat præ cæteris eruditorum ſententiis ve-

Juſtinianus Novell. XLIII. Quia tam piæ memoriæ Conſtantinus, quam etiam pientiſſimus Princeps Anaſtaſius *Lecticariorum*, ſeu *Decanorum* (ut vocat) numerum ad certam menſuram redegerunt.

(44) *Pſeudo-Hieron. De ſeptem Ordin. Eccleſ.* Primus in clericis *foſſariorum* ordo eſt.

Hieron. Epiſt. ad Innocent. de muliere ſepties icta: *Clerici, quibus* id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes ex more tumulum parant.

(45) *Codic. Theodoſ. Lib. VII. Tit. XX. Leg.* 12. Dum ſe quidam vocabulo Clericorum, & infauſtis defunctorum obſequiis occupatos . . . defendunt *&c.* & *Lib. XIII. Tit. I. Leg.* 1. Clericos excipi tantum, qui *Copiatæ* adpellantur: *& Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 15. Clerici vero, vel hi, quos *Copiatas* recens uſus inſtituit nuncupari.

(46) *Modo indicata Leg.* 15.

(47) *Juſtinianus Novella LIX.* Conſtantino piæ memoriæ nongentis quinquaginta ergaſteriis ex diverſis corporibus feliciſſimæ hujus urbis ſine tributis dante ſanctiſſimæ majori Eccleſiæ: Anaſtaſio vero p. m. reditum certum largiente per duas pragmaticas formas, quatenus quod ex ipſo reditu aurum colligatur, proficiat ad ea, quæ dantur a Deo amabilibus œconomis his, qui ad hoc laborant; plurimi plerumque adierunt nos, dicentes non ſimiliter cauſſam procedere, neque ſine mercede fieri defunctorum exſequias, ſed exigi amare, & inveniri plurima foris nomina, & corpora, quæ etiam invitos exigunt lugentes, & cogunt dare non habentes, hæc omnia juſtum judicavimus competenti correctione digna facere *&c.*

(48) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 42. Quia inter cetera Alexandrinæ legationis inutilia, hoc etiam decretis ſcriptum eſt, ut reverendiſſimus Epiſcopus de Alexandrina civitate aliquos non exire (quod quidem terrore eorum, qui parabolani nuncupantur, legationi inſertum eſt) placet noſtræ clementiæ, ut nihil commune clerici cum publicis actibus, vel ad curiam pertinentibus habeant. *Gothofredus in hunc loc.* Sane clericorum eos numero fuiſſe, tum hujus legis principium, tum utraque hæc lex, & ſequens ſub hoc titulo collectæ oſtendunt.

vero ſimilior videtur Duareni, & Gothofredi opinio (49); nimirum quod vocati ſint Parabolani, quia Παράβολον ἔργον *Rem periculoſiſſimam* tractabant, miniſtrando ægrotis, ſpeciatim contagioſo morbo, & gravi peſtilentia correptis. Et ſane quos Romani *Beſtiarios* (ideſt *in Amphitheatro cum Beſtiis certantes*) vocabant, eoſdem Græci Παραβόλους dicebant, uti patet ex Socrate (50); & Chriſtianos, quod alacriter pro Chriſto vitam ſuam profunderent, generatim ab Ethnicis *Parabolanos* dictos fuiſſe alibi notavimus (51). Eodem igitur ſenſu hi veteris Eccleſiæ Clerici, quod in hoc obeundo munere vitam mortis periculo exponerent, inde probabiliter Parabolani dicti ſunt.

§. XI. *De ſingularibus quibuſdam functionibus, quas Inferiores Clerici plerumque in Eccleſia obiere.*

XXIX. Ac primo de Chatechiſtæ munere, quo Catechumeni primis Religionis elementis inſtituebantur, & ſic ad recipiendum Baptiſma præparabantur. Eo Presbyteri aliquando, & Diaconi perfuncti ſunt, uti ex Chryſoſtomo, & Auguſtino patet (52): interdum vero etiam Lectores, & alii inferiores Clerici; uti de Optato Lectore Cyprianus *Epiſt. XXIV. al. XXIX.* & de Origene non adhuc facto aliquo Eccleſiaſtico Ordine inſignito Euſebius *Lib. VI. cap. 3.* & Hieronymus *de Script. Eccleſ. in Origene* teſtantur. Ipſi quoque Epiſcopi nonnunquam Catechumenos baptiſmati proximos ſtatuta aliqua die, plerumque Dominica Palmarum, publice in Eccleſia catechizabant: quod & quædam Ambroſii Epiſtola, & Theodori Lectoris Collectanea perſpicue produnt. Verum de hoc capite redibit ſermo, ubi de Catechumenis agemus.

XXX. Clemens Perſonatus in Epiſtola ad Jacobum, & Auctor Conſtitutionum Apoſtol. Eccleſiam cum Navi, & Clericos cum nautis comparantes, Catechiſtas *nautologorum*, & *nauſtologorum* nomine donant (53). Et quidem haud ſecus ac *nauſtologi* vectores in navim recipiunt, cum illiſque de naulo paciſcuntur, ita Catechiſtæ Catechumenos inſtituentes eoſdem admonebant, quænam ipſis præſtandæ eſſent conditiones, nimirum Pœnitentia, Fides, Spes, Caritas &c. ut in Chriſtianam navim, ideſt, Eccleſiam, tuto conſcendere poſſent.

XXXI. Num Catechiſtæ publice in Eccleſia docendi munus ubique habuerint jure hic quæri poteſt. Porro hac in re non eadem omnium Eccleſiarum diſciplina fuiſſe videtur. Profecto Demetrius Epiſc. Alexandr. Alexandro Jeroſolym. & Theoctiſto Cæſareenſi crimini vertit, quod Origeni publice in Eccleſia concionandi facultatem impertierit, quum nondum Presbyter eſſet (54). Quod ſane

(49) *Duarenus* de Miniſtr. & Benef. Lib. I. Cap. 19. *Gothofred.* Not. in Cod. Theodoſ. indic. Leg. 42.

(50) *Socrates Lib. VII. cap.* 22. Populus vociferari cœpit: Cum fera beſtia audax quidam *parabolus* pugnet:

(51) *Confer* Lib. I. Part. I. Cap. X. §. III. num. VIII.

(52) *Chryſoſt.* Hom. XXI. ad Pop. Antioch. *quæ inſcribitur* Catecheſis ad illuminandos, h. e. ad candidatos, *quæque ab Chryſoſtomo habita eſt Antiochiæ, quum Presbyter eſſet.* *Auguſtinus* de catechiz. rudibus Cap. I. *memorat Deogratias* catechiſtem, *qui erat Diaconus Carthaginienſis.*

(53) *Clemens Epiſt. ad Jacobum num. XIV.* Adſimilentur proreta Epiſcopo, nautæ presbyteris, præfecti laterum Diaconis, nautologi Catechiſtis.

Cotelerius Not. in Conſtit. Lib. II. cap. 57. *ſcribit ſe in quadam Regis Galliarum Bibliotheca Manuſcriptum inveniſſe, in qua eadem comparatio occurrit, & quidem ex Conſtitutionibus citata his verbis*: Ex Conſtitutionibus . . . Similis eſt Eccleſia navi, Rector navis Chriſtus eſt, proreta Epiſcopus, nautæ presbyteri, præfecti laterum diaconi, nauſtologi lectorum, & miniſtrorum ordo.

(54) *Euſebius Lib. VI. cap.* 19. Palæſtinam petiit, & Cæſareæ domicilium fixit; ubi etiam

ſane argumento eſt in Eccleſiis Palæſtinæ quidem fuiſſe ſaltem aliquando Catechiſtis tributum publice in Eccleſia docere: haud vero in Eccleſiis Ægypti. Et ſane loca quædam erant ſic dicta χατηχέμια, ſive privata quædam auditoria, ubi Catechiſtæ Catechumenos inſtituebant, quæque ad exteriora Eccleſiæ ædificia ſpectabant, uti *Lib. II.* fuſius videbimus.

XXXII. Inter Eccleſiaſtica Officia erant quoque illa *Defenſoris Pauperum*, & *Defenſoris Eccleſiæ*. *Defenſoris pauperum* munus in eo erat, ut ſi quis ex pauperibus, virginibus &c. ad Eccleſiam pertinentibus a divite quodam injuriam pateretur, vel opprimeretur, ei ſuccurreret, & ad magiſtratus de adtribuendo illi jure adiret. Hac de re Synodi Carthaginienſis V. *Canon. IX.* in hunc modum decernit: *Ab Imperatoribus univerſis viſum eſt poſtulandum, propter adflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.*

XXXIII. Tum *Defenſoris Eccleſiæ* munia illa potiſſimum erant. 1. Eccleſiæ, vel cujuſvis Eccleſiaſtici cauſſam agendam ſuſcipere, ubi quis ex Clericorum cœtu injuria affectus, vel oppreſſus a civili quodam judicio in integrum reſtitui opus haberet. Immo & ipſos quoque Imperatores adibant, ſi id cauſæ ratio poſtularet: uti ex Lege quadam Arcadii, & Honorii liquet (55).

2. Jura Legibus Imperatoriis Eccleſiæ conceſſa tueri, ac eorundem violatores coram magiſtratibus perſequi: uti ex eadem Lege.

3. Per Canonem quendam Concilii Chalcedonenſis poteſtate quoque inſtructi erant otioſos Monachos, & Clericos admonendi, qui ſine venia, vel mandato Epiſcopi ſui in regiam Civitatem Conſtantinopolim commeabant: immo etiam vi inde expellere poterant, & ad lares ſuos repetendos adigere, ſi admoniti nihilo ſecius ibi commorari pergerent (56).

4. Copiatarum cura Defenſoribus commiſſa erat, tum ut ipſis proſpicerent, tum ut caverent, ne præter leges ipſorum munia, ac reditus inde percepti adminiſtrarentur (57).

5. Tandem inquirebant in Clericos ad Eccleſiam pertinentes, num matutinæ pariter, ac veſpertinæ Liturgiæ intereſſent; & ad Epiſcopum referebant de iis, qui eam neglexiſſent (58). Atque iſtæc

 præ-

jam ab illius regionis Epiſcopis rogatus eſt, ut publice in Eccleſia diſſereret, & divinas ſcripturas, tametſi nondum presbyter ordinatus, exponeret. Atque id manifeſtum fuerit vel ex iis quæ Alexander Jeroſolymorum, & Theoctiſtus Cæſareenſis Epiſcopus ad Demetrium pro hujus facti defenſione ſcribunt.

Valeſius in hunc Euſebii locum ſic commentatur: Hinc colligitur Origenem, qui catecheſes fuerat Alexandriæ, in privato auditorio, non autem in Eccleſia catechumenos inſtituiſſe. Neque enim Alexandro, & Theoctiſto Epiſcopis id objiceret Demetrius, ſi Alexandriæ idem ab Origene factum fuiſſet.

(55) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 38. Privilegia, quæ Eccleſiis, & clericis legum decrevit auctoritas, hac quoque præceptione ſancta, & inviolata permanere decernimus... quæcunque ad Eccleſiam tantum pertinentia ſpecialiter fuerint impetrata non per coronatos, *id eſt*, clericos, *ut recte explicat Gothofredus hic*, ſed ab advocatis eorum arbitratu, & judicibus innoteſcant, & ſortiantur effectum.

(56) *Conc. Chalced. Can. XXIII.* Quidam clerici, & monachi ... pervenientes ad urbem regiam Conſtantinopolitanam in ea diutius immorantur ... Decrevit ſancta Synodus, hujuſmodi primo quidem per defenſorem Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ commoneri, ut egrediantur ab urbe regia. Quod ſi iiſdem negotiis impudenter inſiſtant, etiam nolentes idem defenſor expellat, ut ad propria loca perveniant.

(57) *Juſtinianus Novella LIX.* Quatenus quod ex ipſo reditu colligitur aurum, proficiat ad ea, quæ dantur a Deo amabilibus *Œconomis* his, qui ad hoc laborant.

(58) *Juſtinianus Lib. I. Tit. III. Leg.* 42. Clericos pſallere jubemus. & ipſos inquiri ab Epiſcopis ... & ab eo, qui vocatur archos, vel exarchos, & ab *Ecdico* ſive *Defenſore* cujuſque ſanctiſſimæ Eccleſiæ, & eos, qui inventi non fuerint inculpate in liturgia perſeverantes, extra clerum conſtitui.

Digitized by Google

præcipua fuere in veteri Eccleſia defenſorum munia. Nulla namque ſpirituali in Clericos poteſtate fruebantur.

XXXIV. Illud hic ex ordine videtur excutiendum *Defenſores* ex Clericis ne ſemper fuerint, an vero ex Laicis. Petavius ſemper Laicos fuiſſe credit. At Morinus, & Gothofredus probabilius exiſtimant initio quidem generatim Clericos fuiſſe; verum Seculo V. ineunte ex peculiaribus quibuſdam rationibus laicos conſtitui cœpiſſe (59): quod ſane *Canon LXIV.* Concilii ſic dicti Africani, & Epiſtola Zoſimi indicare videntur (60): tandem etiam poſt Clericis haud ſemel idem officium fuiſſe commiſſum exempla plura confirmant, ac præcipue Joannis cujuſdam Presbyteri, & Confeſſoris, cujus crebra occurrit mentio in priori Synodi Chalcedonenſis Actione, & Joannis itidem Diaconi, & Defenſoris, cujus meminit Theodorus Lector apud Damaſcenum (61).

XXXV. Quamvis antiquitus redituum Eccleſiaſticorum cura ad Epiſcopum unice ſpectaſſet, qui in iiſdem Clericis, vel pauperibus diſpenſandis Archidiaconi opera utebatur; attamen quarto, & quinto Seculo reditibus augeſcentibus, atque Epiſcopo, ipſiuſque Archidiacono gravioribus negotiis implicatis, Miniſtri in hunc finem *Œconomorum Eccleſiæ* nomine inſtituti ſunt, quibus ea cura demandata eſt. Verum in quibuſdam Eccleſiis eo quoque conſilio conſtitui cœperunt, ne Epiſcopi diſſipatorum Eccleſiæ redituum nomine a laicis, vel etiam a Clericis accuſarentur: uti ex Fragmentis Concilii Tyrii, & ex Concilii Chalcedonenſis *Canone XXVI.* colligitur (62). Iidem hi Canones illud quoque diſertis verbis præcipiunt, ut Œconomi ex Clero eligantur; quæ ſane conſtans videtur fuiſſe Eccleſiæ praxis; uti ex Actis Concilii Epheſini, ex Liberato, Poſſidio, Socrate, aliiſque manifeſto evincitur (63).

XXXVI. Duo hic notanda. Primum: Speciatim Sede vacante Œconomi partes fuiſſe redituum Eccleſiæ curam gerere, ac proſpicere, ut Epiſcopo eligendo integri reſervarentur. Ita Concilium Chalced. *Can. XXV.* (64) Alterum: Œconomos communi Clericorum ſuffragio fuiſſe eligendos, quippe qui redituum ad univerſum Clerum pertinentium curam gererent. Hinc Theophilus Epiſcopus Ale-

(59) *Petavius* Not. in Epiph. Hæreſ. LXII. num. 10. *Morinus* de Ordinat. Eccleſ. Exercit. XVI. Cap. VI. num 16. *Gothofredus* Not. in Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg. 38.

(60) *Conc. Chartag. ann. CCCCVII. in Cod. Afric. Can. XCVII.* Petant a glorioſiſſimis Imperatoribus, ut dent facultatem *Defenſores* conſtituendi *Scholaſticos*, qui in actu ſunt, vel in munere defenſionis cauſſarum. *Ejuſmodi Synodicæ petitioni ſatis fecit Honorius Imper. Leg. nuper producta* Not. 55. *pag.* 251.

Zoſimus Pap. Epiſt. I. cap. 3. Defenſores Eccleſiæ, qui ex laicis fiunt, ſupra dicta obſervatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine clericatus.

(61) *Conc. Chalced. Act. I.* Joannes religioſiſſimus Presbyter, & Defenſor. *Fragm. Theodor. Lectoris apud Damaſcenum* Orat. III. *& edita a Valeſio pag.* 583. Joannes quidam Diaconus, ac *Defenſor* ſupra memoratæ Eccleſiæ.

(62) *Frag. Conc. Tyrii an. CCCCXLVIII. inſerta Conc. Chalced. Act. IX.* Placuit Epiſcopo Ibæ *a nonnullis diſſipatorum Eccleſiæ redituum nomine accuſato* ex propria voluntate promittere, quod de cetero ſecundum formam Antiochenæ maxime civitatis gubernarentur res per Œconomos ex clero ordinatos ab ejus religioſitate.

Eadem Syn. Chalced. Can. XXIV. Placuit omnem Eccleſiam Epiſcopum habentem ex proprio clero Œconomum habere, ut nec ſine teſtibus ſit Eccleſiæ adminiſtratio, nec ideo res ejus diſſipentur, & probrum, & dedecus Sacerdotio inuratur.

(63) *Conc. Epheſin.* Act. I. A Chariſio presbytero, & *Œconomo* Philadelphiæ. *Liberatus* Breviar. *Cap. XVI.* Cum quibus erat Joannes ex *Œconomo* presbyter factus Tabenneſiotis . . . factuſque eſt iterum *Œconomus* habens cauſſas omnium Eccleſiarum. *Poſſidius* Vit. Auguſt. *Cap. XXIV.* Domus Eccleſiæ curam valentioribus clericis delegabat . . . ab eiſdem domus præpoſitis cuncta accepta, & erogata notabantur. *Socrates* Lib. VI. cap. 6. Quum igitur clericos eos ordinaſſet, *diſpenſationem rerum Eccleſiæ* illis commiſit *&c.*

(64) *Conc. Chalced. Can. XXV.* Viduæ Eccleſiæ reditus apud Eccleſiæ Œconomum ſalvus cuſtoditor.

Digitized by Google

Alexandriæ in Epiſtolis ſuis (*65*) Canonicis de Œconomi Electione hæc habet: *Ut totius ſacerdotalis Ordinis ſententia alius renuntietur Œconomus , in quo Apollo Epiſcopus conſentiat , ut bona Eccleſiæ in ea , quæ oportet , impendantur.*

XXXVII. In Concilii Chalcedonenſis *Canone II.* Παραμοναρίων *Paramonarii* (alius ad Eccleſiam ſpectantis miniſtri) occurrit mentio (*66*). In Eccleſia Romana olim Paramonarii iidem videntur fuiſſe, ac Manſionarii , ſive Oſtiarii , quum in vetuſta Dionyſii Exigui verſione Παραμονάριοι Canonis Chalcedonenſis reddatur Manſionarius , & in lectione ad marginem explicetur per vocabulum *Oſtiarius*. Tum Gregorius M. loquens de quodam Abundio Manſionario , Cuſtodem Eccleſiæ eum adpellat : & alibi etiam Manſionarii officium dicit eſſe lampades, ſive candelas Eccleſiæ accendere (*67*). Attamen Juſtello Παραμονάριος *Paramonarius* idem eſt , ac *Villicus* , ſive *Actor poſſeſſionum*. Beveregius *rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratorem* reddit (*68*): quod ferme idem eſt. Quorum ſententia Gothofredo , Voſſio , Cujacio , aliiſque viris doctis probatur. Ex ipſa nominis interpretatione elucet quodnam Παραμοναρίου *Paramonarii* Officium fuerit.

XXXVIII. Leges Civiles aliquando mentionem injiciunt *Cuſtodum Eccleſiarum* , & *Cuſtodum locorum Sanctorum* : quos etſi Scriptores aliquando confundant, Gothofredus (*69*) tamen inter eos diſtinguit ; adeo ut Cuſtodes Eccleſiarum iidem fuerint , ac *Oſtiarii* , vel *Æditui* ; Cuſtodes vero locorum Sanctorum ea potiſſimum loca cuſtodiverint , quæ ſpecialiori *Locorum Sanctorum* titulo ornabantur; Uti Bethlehemum, Golgotha , Locus Sepulturæ Chriſti , Mons olearum &c. quæ, ut alibi videbimus, a Chriſtianis quam frequentiſſime inviſebantur.

XXXIX. Proxime ab his propter officii ſimilitudinem commemorandi *Sceuophylaces*, ſive ut alias vocantur , κειμηλίων φύλακες , *Cuſtodes vaſorum Sacrorum utenſilium* , *&* *rerum pretioſarum*, quæ in ſcriniis Eccleſiæ repoſita ſervabantur . Ejuſmodi officium plerumque Presbytero committebatur; uti ex Theodoro , Sozomeno, aliiſque conſtat (70). *Sceuophylax* unum idemque videtur fuiſſe ac *Chartophylax*, quum Codicilli, & Archiva pars ſacrorum Eccleſiæ ſcriniorum fuerint . Adhæc, obſervante Suicero (71), apud Photium unus idemque homo Sceuophylax , & Chartophylax eſt . Ex recentioribus Eccleſiæ Græcæ legibus, uti ex Balſamone (72), Chartophylax ceu Supremus ſub Patriarcha Eccleſiaſticus judex

(*65*) *Theoph. Alexandr.* apud Bevereg. Can. IX.

(*66*) *Conc. Chalced. Can. II.* Si quis Epiſcopus . . . . propter pecunias promoverit œconomum , vel defenſorem , vel *paramonarium* &c.

(*67*) *S. Gregor. M. Dialog. Lib. III. cap.* 35. de Abundio *manſionario* Eccleſiæ beati Petri . . . *Cuſtos Eccleſiæ* Abundius dictus eſt magnæ gravitatis, & humilitatis vir.

Idem Dialog. Lib. I. cap. 5. Conſtantinus *manſionarius* quadam die dum in eadem Eccleſia oleum deeſſet , & unde *lampades accenderet* , non haberet , omnes lampades Eccleſiæ implevit aqua.

(68) *Juſtellus* Biblioth. Juris Canon. Tom. I. pag. *91*. *Beveregius* Not. in Conc. Chalced. Can. II. pag. 109.

(*69*) *Gothofredus* Not. in Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg. 26.

(70) *Theodorus Lector Lib. II.* Imperator Macedonium quendam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ *Presbyterum*, & *vaſorum cuſtodem* ad Epiſcopatum promovit.

Sozomenus Lib. V. cap. 8. Solus Theodorus *Presbyter* remanſit in civitate, quem ille utpote *ſacrorum vaſorum cuſtodem* &c.

(71) *Suicerus Theſaur. Tom. II.* Σκευοφύλαξ . . . Σκευοφύλαξ dictus , qui ſacra Eccleſiæ vaſa cuſtodiebat . . . Dicebatur interdum & χαρτοφύλαξ . Unde iſte Eulampius , ad quem Photius ſcripſit, alibi vocatur χαρτοφύλαξ.

(72) *Balſamon Not. in Can. IX. Conc. Nicæn. II:* Qui pro tempore eſt Chartophylax ſanctiſſimi tempore Patriarchæ , jura omnia , quæ ad eum pertinent , ut Epiſcopum , exercet : etenim excommunicat , animæ delicta corrigit , Diaconos , & Sacerdotes ordinari permittit , ſacrorum miniſteriorum pittacia exponit, & quædam hujuſmodi alia.

dex ſedet, vel potius Patriarchæ vices agit; quod ſane ad Officium Scevophylacis non reperimus primis temporibus ſpectaſſe.

XL. Sequuntur Notarii, quos Latini exceptores, græci vero Ὀξυγράφους, & Ταχυγράφους dicunt, quod per notas, & compendia, quæ eorum miniſterium poſtularet, conſcriberent. Primus eorum uſus in eo videtur fuiſſe, ut ea exſcriberent, quæ in Martyrum Examinatione, & Paſſione acciderent, quæque in Acta relata *Geſta Martyrum* appellabantur. Jam vero quamvis jam inde ab Eccleſiæ incunabulis iſtiuſmodi Officium iis, quorum ſedulitas huic muneri obeundo par erat, fuerit concreditum, uti ex Ignatii, Polycarpi, aliorumque veterum Martyrum ſinceris Actis adparet; attamem ex antiquiſſimo Romanorum Pontificum catalogo (73) Fabianum primum fuiſſe colligitur, qui publicum, & peculiare Notariorum munus inſtituerit. Jam vero ſecutis temporibus ad ſcribenda Conciliorum Acta ſunt adhibiti; uti ex Euſebio, Socrate (74), aliiſque manifeſtum eſt. Diaconi plerumque hoc munere fungebantur, quibus unus e Presbyteris præficiebatur. Hinc in Actis Conciliorum Epheſini, & Chalcedonenſis frequens *Aetii Diaconi*, *& Notarii*, *& Petri Presbyteri Alexandrini*, *& Primicerii Notariorum* occurrit mentio (75). Erat quoque aliud Notariorum genus, ii nempe, qui celebriorum Oratorum conciones excipientes deſcribebant; quo pacto plures Chryſoſtomi, & Attici Succeſſoris ejus conciones conſervatas eſſe ex Socrate alibi obſervavimus. Tandem etiam Epiſcopi ſuos privatos habebant Notarios, quos inter fuere Alexandro Athanaſius, & Attico Proclus; uti de priore Sozomenus, de altero Socrates teſtantur (76).

XLI. Poſtremo occurrunt Aprocriſarii, ſive Reſponſales, quorum officium illud erat, ut in civitate Regia incolentes omnes Eccleſiarum, & Epiſcoporum ſuorum cauſſas in aulą Imperatoris agerent. Munus hoc tempore Conſtantini, vel non multo poſt inſtitutum eſt. At quum frequentius Epiſcopi per ſeipſos proprias vel Eccleſiarum ſuarum cauſſas apud Imperatores tractarent, hinc pluribus veterum Conciliorum Canonibus ſancitum fuit, (quod & Juſtinianus in *Novella VI. cap.* 2. firmavit), *ut Epiſcoporum nullus diu ab Eccleſia ſua abeſſe audeat, niſi id per Imperialem juſſionem fiat, at ſi quando propter Eccleſiaſticam occaſionem inciderit neceſſitas, hanc aut per Apocriſarios, aut per aliquos Clericos huc deſtinatos, aut Œconomos ſuos notam Imperio faciant*. Apocriſarii plerumque e Clericorum numero fuere, uti ex Liberato & Evagrio (77). Monaſteria quoque ſuos habuiſſe Apocriſarios ex Juſtiniani *Novella LXXIX. cap.* 1. docemur; quorum munus erat Monaſterii, vel cujuſdam e Monachis procuratorum more cauſſas agere; ubi ante Epiſcopum, cujus juriſdictioni ſuberant, in jus ire neceſſum eſſet: & hi nonnunquam etiam e Clericis eligebantur. Hinc in Concilio V. Generali

(73) *Catalogus Rom. Pontificum in Fabiano:* Hic fecit ſex, vel ſeptem ſubdiaconos, qui ſeptem *notariis* imminerent, ut geſta martyrum fideliter colligerent.

(74) *Euſebius Lib. VII. cap.* 30. Hic *Malchion* adverſus Paulum ſuſcepta diſputatione, excipientibus cuncta *notariis* (quæ quidem diſputatio etiamnum exſtat) *&c.*

Socrates Lib. II. cap. 30. Baſilius in certamen deſcendit cum Photio *notariis* verba eorum excipientibus.

(75) *Conc. Epheſinum* in Act. I. Conc. Chalcedonenſis.

(76) *Sozomenus Lib. II. cap.* 17. Non multo poſt Athanaſium in contubernium ſuum adſcivit *Alexander*, eumque *notarium* deinceps habuit.

Socrates Lib. VII. cap. 41. Verſabatur aſſidue cum Attico Epiſcopo *Proclus*, ejuſdemque *notarius* fuit.

(77) *Liberatus Breviar. cap. XII.* Anatolius Diaconus, qui fuit Conſtantinopoli *Apocriſarius* Dioſcori.

Evagrius Lib. IV. cap. 38. Eutychius, qui ... erat etiam tum *Apocriſarius* Epiſcopi Amaſenorum .... Quod quum Juſtinianus intellexiſſet, Eutychium paulo poſt ad Pontificalem Urbis Regiæ Sedem promovit.

Digitized by Google

rali Act. I. *Theonas Dei miſericordia Presbyter*, *& Apocriſarius Monaſterii Montis Sinai* dicitur. Suicero obſervante Tom. II. *Succeſſu temporis* quemvis Legatum Apocriſarium vocabant. Unde Nicetas in Manuele Comneno Lib. VI. *Miſſis ad Imperatorem* apocriſariis, *rurſus de Pace loquitur*. Et Iſidorus Peluſiot. Ep. CXLIII. Lib. IV. *Quum venerandum mandatum . . . Præfecti magni Imperatoris noſtri primum quidem per imperatorium apocriſarium cognoviſſemus*. Igitur Imperatoris Legati *Apocriſarii* dicti ſunt. Quod hic omnino fuit notandum, ne quis civilem, & Eccleſiaſticam nominis *Apocriſarii* acceptionem confundat.

XLII. Ultimo loco Hermeneutas recenſere ſupervacaneum non erit, quorum Epiphanius, & Acta Procopii meminerunt (78): tradunt enim in quibuſdam Eccleſiis *Hermeneutas*, ſive Linguarum Interpretes inter Eccleſiæ miniſtros fuiſſe recenſitos. Iſtoc officium in iis præcipue Eccleſiis obtinuiſſe videtur, ubi Populus diverſas linguas loquebatur. Hermeneutæ enim Scripturarum Lectiones, Concioneſque de alia in aliam linguam transferebant, ut percipi poſſent ab iis, qui ob linguæ inſcitiam non intelligerent. Atque iſtæc de præcipuis Eccleſiaſticis officiis Clericis plerumque in Eccleſia concreditis ſatis dicta ſunto.

(78) *Epiphanius Expoſit. Fidei num. XXI.* Hermeneutæ linguam aliam in aliam tam in lectionibus, quam in concionibus *transferunt*.
Acta Procopii apud Valeſium Not. in Euſeb. de Martyribus Palæſt. *cap. I.* Ibi Eccleſiæ tria miniſteria præbebat. Unum in legendi officio, alterum in *Syri interpretatione ſermonis*, & tertium adverſus Dæmones manus impoſitione conſummans.

CAPUT IV.

De Sacris Clericorum Electionibus.

§. I. *In Clericorum Electionibus Cleri, Populique Teſtimonium olim exquirebatur.*

I. Antiquitus Epiſcopo Cleri, quin & populi teſtimonium exquirendum erat de natalibus, vita, converſatione, moribuſque eorum, qui ordinandi erant: adeo ut penes plebem jus eſſet teſtimonium ferendi de Clerico ſive ordinando, ſive ab ordinatione rejiciendo. Ad rem S. Cyprianus Ep. LXVIII. *Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui Sacerdotem, ideſt inſtruit, & oſtendit ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi adſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur*. Et Siricius *Epiſt. ad Himerium Tarrac. cap. X.* docet Diacono Presbyterium, vel Epiſcopatum dari, *ſi eum cleri, & plebis evocaverit electio*. Tum Auguſtinus, auctore Poſſidio in ejus Vita Cap. XXI. *In ordinandis Sacerdotibus, & Clericis conſenſum majorem chriſtianorum, & conſuetudinem Eccleſiæ ſequendam eſſe arbitratus eſt*. Quinimmo ipſummet Auguſtinum, & Paulinum Nolanum, teſtimonio, atque adeo vi inflammatæ plebis id petentis, ſummoque ſtudio, & clamore flagitantis, presbyteros ſacratos fuiſſe narrant Poſſidius, & Paulinus (1). Porro Plebs ſuum teſtimonium dabat per voces Ἄξιος *dignus eſt*, Ἀνάξιος *indignus eſt*: Conſt. ſic dictæ Apoſt. Euſebius, Ambroſius, Auguſtinus, aliique

(1) *Poſſidius Vit. Auguſt. Cap. IV.* Eum tenuerunt, &, ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno conſenſu, & deſiderio fieri perficique petentibus, magnoque ſtudio, & clamore flagitantibus, ubertim eo flente. *Paulinus Epiſt. XXXV. inter Epiſtolas Auguſtini*: A Lampadio apud Barcinonam in Hiſpania per vim inflammatæ ſubito plebis ſacratus.

Digitized by Google

que (2). Hæc Chriſtianæ Eccleſiæ conſuetudo ipſis etiam Rom. Ethnicis Imperatoribus adeo probata eſt, ut non dubitarent illam laudibus extollere, atque in civilium magiſtratuum electione ſibi imitandam proponere. Id de Alexandro Severo teſtatur Lampridius: *Vit. Alex. Sev. cap.* 45. (3).

II. Porro ejuſmodi teſtimonium deinde loco cleri, & plebis, ut præſtaret Archidiaconus, uſus invaluit (4): Qua de re Archidiaconi præcipuæ partes erant in ordinandorum inſtitutione, examinatione, & ad Epiſcopum præſentatione.

§. II. *De qualitatibus, quas in Ordinandis Primitiva Eccleſia requiſivit, ac primo de Fide, & Moribus.*

III. Quæ de Perſona eligenda electoribus, & conſecratoribus diſquiſitiones inſtituendæ erant, ad hæc tria genera referri poſſunt; diſquirebatur enim, vel de Fide, vel de Moribus, vel de Conditione ejus in ſocietate civili. In Fidem, & Mores exactiſſime inquirebatur; tum de externo quoque ſtatu, & conditione diſquiſitionem peculiarem antiquorum temporum Ratio poſtulabat.

IV. Ac primo ad fidem quod ſpectat, vel eligentes publicum de Perſonæ electæ orthodoxia teſtimonium exhibebant, vel ipſe electus ad quæſtiones de Fide ſibi propoſitas reſpondebat, vel certis fidei capitibus, ubi ordinandi eſſent, ſubſcribebant. Triplicem hanc Fidei probandæ rationem habemus partim ex Concilio Carthaginienſi IV. partim vero ex Legibus Juſtiniani (5).

V. At inquiet fortaſſe quiſpiam: Syneſium Epiſcopum eſſe conſtitutum, quum dogma de reſurrectione, aliaque doctrinæ Chriſtianæ capita ſe non poſſe credere palam profiteretur. Profecto ſcribit Evagrius *Lib. I. cap.* 15. Chriſtianos Syneſio perſuaſiſſe, *ut ſalutare regenerationis lavacrum perciperet, & ſacerdotii jugum ſubiret, tametſi reſurrectionis doctrinam nondum ſuſcepiſſet*. Tum ipſe Syneſius *Epiſt. CV.* ad Evoptium fratrem ſuum ſcribit: *Scis philoſophiam cum pleriſque ex pervulgatis iſtis decretis pugnare. Etenim nunquam profecto mihi perſuadeo animam origine eſſe poſteriorem corpore . . . Tritam illam, ac decantatam reſurrectionem* ſacrum quidpiam, atque arcanum ἱερὸν τι καὶ ἀπόῤῥητον *arbitror, longeque abſum ab vulgi comprobandis opinionibus . . . Sed ſi ad Epiſcopale munus vocer, nolo ementiri dogmata. Horum Deum, horum homines teſtes facio.*

VI.

(2) *Conſtitutiones Apoſtolicæ Lib. VIII. cap.* 4. Qui inter reliquos præcipuus eſt, interroget Presbyterium, ac plebem, an ipſe eſt, quem in Præſidem poſtulant. Et illis adnuentibus iterum roget, an ab omnibus teſtimonium habeat, quod *dignus ſit* ἄξιος εἶναι . . . Quumque univerſi pariter . . . teſtificati fuerint talem eum eſſe . . . rurſus tertio ſciſcitentur, *an vere dignus ſit* εἰ ἄξιός ἐστι miniſterio, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum, atque iis tertio adſentientibus *dignum eſſe*; a cunctis petatur ſignum adſenſionis, & alacriter dantes audiantur: *&c.*

Euſebius Lib. VI. cap. 29. Permotus populus, ac divino ſpiritu incitatus ſumma cum alacritate uno conſenſu ſimul omnis exclamare cœpit *dignum eſſe*.

Ambroſius de Dignit. Sacerd. Cap. V. In ordinationibus eorum clamant, & dicunt: *Dignus es, & juſtus es*.

Auguſtinus Epiſt. CX. Dignus, & juſtus eſt, dictum eſt vicies.

(3) *Confer* Part. I. Cap. XXI. Not 2. pag. 204.

(4) *Conc. Carthaginienſe IV. Can. IX.* Poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in Domo Dei debeat converſari, *ad ſuggeſtionem Archidiaconi* tradat ei Epiſcopus *&c.*

(5) *Concilium Carthaginienſe IV.* Can. I. *formulam quandam exhibet, qua plures ab Epiſcopo ordinando proponendæ interrogationes præſcribuntur fidei ſymbolum præcipue ſpectantes, ac doctrinas contra notiſſimas hæreſes tum quidem adhuc ſerpentes directas*: Qui Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur, ſi natura ſit prudens, ſi docibilis, ſi moribus temperatus . . . ſi in lege Domini ſit inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitus *&c. Et Juſtinianus* Novell. CXXXVII. cap. 2. *præcipit, ut quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari* Clerici, & optimates Civitatis ſuper tribus perſonis decreta faciant, propoſitis facro-

VI. Verum Baronius *ad ann. CCCCX. num.* 5. Habertus *Archier. pag.* 500. aliique etiam ex Heterodoxis cenſent ejuſmodi Syneſii profeſſionem ſimulatam fuiſſe ad impediendum, quominus Epiſcopus ordinaretur. At contra Valeſius in *Notis ad indicatum Evagrii locum*, & Petavius *Vit. Syneſii pag.* 4. cenſent veroſimilius eſſe Syneſium ſuam, quam in animo habebat, ſententiam propoſuiſſe: poſtea vero ab Theophilo, aliiſque doctis viris perſuaſum ab ea diſceſſiſſe, antequam Epiſcopus fieret. Verum quacunque ratione libeat Theophili in Syneſii ordinatione ſervatam œconomiam excuſare, profecto ejuſmodi exemplum prorſus ſingulare eſt nulla nunquam imitatione expreſſum, quum ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine in Epiſcopo ordinando orthodoxia nunquam requiſita non ſit. Fortaſſe Theophilus, ob admirabiles virtutes, & excellentes animi dotes, quibus Syneſius ornabatur in eam ſpem adductus eſt, fore ut per manuum impoſitionem falſas illas exueret opiniones: quæ ſane ſpes eventu ad irritum haud cecidiſſe videtur. Subnectit enim ibidem Evagrius: *Recte omnino conjicientes, ad reliquas ejus viri virtutes iſta acceſſura, quum divina gratia nihil imperfectum habere ſuſtineat. Nec ſpes eos ſefellit.*

VII. Deinde in mores inquirebatur, dum generatim ii ſoli eligebantur, quos Plebs univerſa noſſet, adeoque de ipſis teſtimonium poſſet dicere. Tertullianus Apolog. Cap. XXXIX. *Præſident apud nos probati quique Seniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*. Et Cyprianus Epiſt. LXVIII. al. LXVII. *Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit*. Hinc 1. Nullus Peregrinus in extranea Eccleſia ordinari poterat. Synodus Illib. *Can. XXIV.* ita ſtatuit: *Eo quod Peregrinorum minime ſit cognita vita placuit ad Clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis*. Si a caſibus quibuſdam extraordinariis diſceſſeris, eadem regula generatim obtinuit: uti ex Optato Milev. (6): & ex quadam Honorii Imp. Conſtitutione (7) adparet.

2. Neque ullus, qui publicam in Eccleſia Pœnitentiam egiſſet. Homines enim maleficos, & ſceleratos, licet hi veniam impetraſſent, & ad communionem rurſus admiſſi eſſent, attamen ad clerum provehere conſultum non videbatur: quin immo ab Ordinibus, & Officiis Eccleſiaſticis arcebantur. Iſtanc generalem fuiſſe Eccleſiæ praxin innumera probant antiqua Eccleſiæ monumenta; ac preſertim Siricii, & Innocentii I. Epiſtolæ: tum Arelatenſis II. Carthag. IV. Toletani I. aliorumque veterum Conciliorum Canones (8). Joſephus Binghamus *Originum Eccleſiaſtic. Lib. IV. cap.* 3. contendit publicam duntaxat Pœnitentiam, haud vero privatam, homines ad recipiendos Ordines inhabiles reddidiſſe, quippe quod illa, non vero iſta publicam quandam relinquebat infamiæ notam, quæ homines minus dignos conſtituebat, qui Clero adſcriberentur. Idque probare contendit ex Canone quodam Concilii Gerundenſis (9). At vero illud hic

ſacroſanctis Euangeliis, periculo ſuarum animarum dicentes in ipſis Decretis, quia neque propter aliquam donationem . . . ſed ſcientes eos rectæ, & catholicæ fidei, & honeſtæ eſſe vitæ. *Tum ibidem decernit* exigi etiam ante omnia ab eo Epiſcopo, qui ordinandus eſt, libellum ejus propria ſubſcriptione complectentem, quæ ad rectam ejus fidem pertinent.

(6) *Optatus Milev. Lib. I.* Quid eſt hoc, quod pars veſtra in urbe Roma Epiſcopum civem habere non potuit? Quid eſt, quod toti Afri, & peregrini in illa civitate ſibi ſucceſſiſſe noſcuntur? Nunquid nos aliquem adduximus Hiſpanum, aut Gallum, aut nos ordinavimus ignorantibus peregrinum?

(7) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 33. Clerici non ex aliqua poſſeſſione, vel vico, ſed ex eo, ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinentur.

(8) *Siricius* Ep. I. ad Himer. Tarrac. Cap. 14. *Innocentius I.* Epiſt. XXII. Cap. 3. *Concilium Arelat. II.* Can. XXV. *Carthagin. IV.* Can. LXVIII. *Toletanum I.* Can. II. *Porro hæc, & alia idem diſciplinæ caput ſpectantia monumenta producendi opportunior* Lib. III. *locus erit, ubi de* Irregularitatibus *agemus*.

(9) *Concilium Gerundenſe in Catalonia Can. IX.* Qui ægritudinis languore depreſſus pœniten-

omnino animadvertendum: ſcilicet indicatum Canonem nonniſi de iis intelligendum, qui nullo gravi canonico crimine irretiti, duntaxat pietatis, ſive chriſtianæ humilitatis cauſſa ægritudinis languore depreſſi pœnitentiam petierint, ac acceperint. Id ipſius Canonis verba indicare videntur, & pluribus demonſtrat Albaſpinæus *Obſervationum Lib. I. Obſerv.* 34.

3. Homicidæ præſertim, Adulteri, & qui tempore perſecutionis fidem abnegaverint ad Sacra Miniſteria promoveri non poterant, licet publicam Pœnitentiam non egiſſent (10). Atque adeo ſi promoti fuiſſent, removebantur, ſive ſponte ſuum crimen profiterentur, ſive ab aliis convicti fuiſſent. Quin etiam Synodus Neo-Cæſareenſis *Can. VIII.* ulterius progreſſa decernit: *Si alicujus uxor, quum eſſet laicus, adulterata fuiſſe convicta fuerit, is non poteſt ad Miniſterium accedere: ſin autem etiam poſt Ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere, quod ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exſequi.* Quod vero ſpectat ad crimen lapſus, & ſacrificationis tempore perſecutionis, profecto ejuſmodi criminoſis ex perpetua, & univerſali Eccleſiæ diſciplina nunquam patuiſſe ad Ordines aditum probant diſerta Origenis, Cypriani, Athanaſii, aliorumque veterum teſtimonia (11). Si vero per ignorantiam promoti fuiſſent, ſimul atque eorundem lapſus dignoſceretur, ab altaris Miniſterio arcendi erant (12).

4. Eidem diſciplinæ obnoxii quoque erant Fœneratores, ac homines ſeditioſi (13), ac tandem qui ſibimetipſis aliquod corporis ſui membrum voluntarie prætruncaſſent. Ita Canones Apoſtolici, ac Synodus Nicæna (14). Eadem lege ii etiam obſtringebantur, qui ex quodam vel pietatis, vel vitandæ fornicationis ſtudio ſeſe exſecuiſſent (15). Quo errore Origenis animum aliquando fuiſſe occupatum tradunt Euſebius, & Epiphanius (16). Tum Auguſtinus *de Hæreſ.* Cap.

tentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit & poſtmodum convaleſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publice non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

(10) *Canon Apoſt. XLI.* Si adverſus fidelem aliqua accuſatio intendatur, ut fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad clerum ne promoveatur. *Conc. Nicænum Can. II.* Si presbyter, qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, & ſi ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit, ne offerat. *Conc. Illiber. Can. XXX.* Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerint mœchati; eo quod poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum promoveantur; vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, amoveantur.

(11) *Origenes contra Celſum Lib. III.* Reſipiſcentes, haud ſecus quam redivivos recipiunt tandem poſt longiorem melioris mentis adprobationem, ea tamen conditione, ut *quoniam lapſi ſunt*, excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus, & magiſtratibus eccleſiaſticis.

Athanaſius Epiſt. ad Rufinianum. Idipſum hic, & ubique placuit, nimirum ut iis, qui *lapſi ſunt*, ſi impietatis fuerint præfecti, venia concedatur, ſi reſipiſcant, nec detur tamen locus in clero.

Cyprianus Epiſt. LXVIII. al. LXVII. Ejuſmodi homines *lapſos* ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri, atque ſacerdotali honore prohiberi.

(12) *Conc. Nicænum Can. X.* Quicunque ex iis, qui lapſi ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis, qui promoverunt, ordinati ſunt, hoc eccleſiaſtico canoni non præjudicat. Ii enim cogniti deponuntur.

(13) Conc. Carthaginienſe IV. Can. LXVII. *Seditionarios* nunquam ordinandos Clericos, ſicut nec *uſurarios*, nec injuriarum ſuarum ultores.

(14) *Canon Apoſtolicus XXI.* Qui ſeipſum mutilaverit, ne ſit clericus: eſt ſui homicida, & Dei opificii hoſtis.

Conc. Nicænum Can. I. Si quis quum eſſet ſanus, ſe ipſum exſecuit, eum etiam in clero examinatum ceſſare convenit, & deinceps nullum talem oportet promoveri.

(15) *Conc. Arelat. II. Can. VII.* Hos, qui ſe carnali vitio repugnare neſcientes abſcindunt, ad clerum pervenire non poſſe.

Cennadius de Eccleſ. Dogmat. Cap. LXXI. Neque eum ordinandum, qui ſemetipſum quolibet corporis ſui membro indignatione aliqua vel juſto, injuſtove timore ſuperatus truncaverit.

(16) *Euſebius* Lib. VI. cap. 8. & *Epiphanius* Hæreſ. LIV. num. 3.

Cap. XXXVII. quoſdam obſcuri nominis hæreticos memorat ſic dictos Valeſios, qui, *& ſeipſos caſtrabant, & hoſpites ſuos, hoc modo exiſtimantes Deo ſe debere ſervire*. At vero a Clericali honore haud excludebantur 1. qui fortaſſis eunuchi nati eſſent: 2. qui a perſecutorum crudelitate membro aliquo orbati eſſent. 3. qui in periculoſiore quodam morbo ex medici præſcripto ſibi *immedicabile vulnus enſe recidi ſiverint, ne pars ſincera traheretur* (17).

VIII. Verum illud hic in primis oportet animadvertere, crimina tantummodo poſt baptiſmum perpetrata impedimento fuiſſe, ne quis ad Eccleſiaſticos Ordines proveheretur. Omnia namque crimina ante baptiſmum admiſſa, immo & ea, in quæ dum catechumenus eſſet, quis inciderit, lavacro baptiſmatis ita depurgata credebantur, ut in illac morum diſquiſitione, quæ Ordinationi præibat, omnino condonarentur. Ita Concilium Ancyranum (18). Quod & Auguſtini exemplum confirmat, cui tempore Ordinationis ſua vitia nunquam exprobrata fuere, quia baptiſmum ejus anteceſſerant. Verum hic rurſus obſervandum Ordinationem fuiſſe denegatam, tum iis, qui baptiſma tantum clinicorum, ſive in lectulo, morbo, vel alia neceſſitate urgente, receperant, dum ad illud maturius potuiſſent admitti, at ſua negligentia tandiu diſtulerint: ita Concilium Neocæſareenſe (19): tum quoque iis, qui ab hæreticis baptizati eſſent: namque in ſinum Eccleſiæ ubi rediiſſent, in Clerum ordinarie non admittebantur. Ita Concilium Illiber. & Innocentius I. (20). Fatendum tamen eſt Patres Nicæuos hac lege Novatianos exemiſſe (21), tum Patres Africanos eandem gratiam Donatiſtis indulſiſſe (22). Quod ſane bono pacis factum eſt, & ut hæretici facilius ad Eccleſiæ unitatem pertraherentur.

IX. Poſtremo ſaltem ad ſuperiores Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus ordines neminem promovere licebat, qui omnes ſuos domeſticos ad Eccleſiæ Catholicæ communionem non perduxiſſet. Id in Concilio Carthag. III. *Can. XVIII.* ſancitum occurrit: *Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priuſquam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint*. Profecto Apoſtolus *I. ad Timoth. V.* jam ſcripſerat: *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Ejuſmodi regula adeo æquitati conformis viſa eſt, ut Julianus pro ſuo Chriſtianis ſeſe opponendi ſtudio paganis ſacerdotibus eandem injunxerit. Etenim in *Epiſt. ad Arſacium Galatiæ Sacerdotem* apud Sozomenum *Lib. V. cap. 16.* ipſum Arſacium monet, *ut a Sacerdotali Miniſterio removeret, qui cum uxoribus, liberis, & familiis ſuis ad Deos non accederent*.

§. III. *De Diſquiſitione, quæ in externam hominum in Societate civili conditionem inſtituebatur*.

X. Quædam vitæ genera, quæ cum Of-

(17) *Can. Apoſtol. LXXVI.* Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæſus epiſcopatu autem dignus ſit, fiat.
Conc. Nicen. Can. I. Si quis a medicis in morbo exciſus, vel a barbaris exſectus eſt, is in clero maneat.

(18) *Conc. Ancyranum Can. XII.* Eos, qui ante baptiſmum ſacrificaverunt, & poſtea baptizati ſunt, viſum eſt ad ordines promoveri, ut qui abluti ſunt.

(19) *Conc. Neocæſar. Can. XII.* Si quis ægrotans fuerit baptizatus, non poteſt in presbyterium evehi. Fides enim ejus non eſt ex inſtituto, ſed ex neceſſitate: niſi forte propter conſequens ejus ſtudium, & fidem, hominumque raritatem talis poſſit admitti.

(20) *Conc. Illiber. Can. LI.* Ex omni hæreſi, qui ad nos fidelis venerit, minime eſt ad clerum promovendus: vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur. *Eadem habet Innocentius I.* Epiſt. XXII. num. 4.

(21) *Conc. Nicænum* Can. VIII.

(22) *Codex Can. Eccleſ. Africanæ* Can. XLVIII. & LVIII.

Officiis Clericorum plerumque conſiſtere non poterant, homines ab Ordinationis privilegio excludebant. Ac 1. ejuſmodi erant omnia illa munera, quæ ſub generali Romanæ militiæ nomine comprehendebantur. Namque, uti notant Gothofredus, & Valeſius (23), apud Romanos omne officium, & obſequium publicum *militia* dicebatur. Hinc triplex apud ipſos militiæ genus. Prior & honoratiſſima *Palatina*: eorum ſcilicet qui in palatio militabant. Altera *Caſtrenſis*, ſive *armata*. Tertia *cohortalis*, ſive *togata*; nimirum Præfectorum, Præſidum, Advocatorum, Curialium, aliorumque, qui in publico aliquo officio ſive Urbano, ſive Municipali pro Patria militarent. Quinimmo Canones Ordinationem quoque eorum prohibent, qui poſt baptiſma milites aliquando fuiſſent, licet militiæ cingulum jam abjeciſſent, eo quod fortaſſis manus ſuas cruore infecerint. Ita Innocentius I. & Concilium Tolet. I. (24).

2. Servi, niſi ſuorum Patronorum conſenſus acceſſerit; ita Canones Apoſtolici, & Concilium Toletanum I. (25). Tum neque Liberti ad clerum admittendi; præſertim quum eorum *Patroni de ſeculo fuerint*, ſive gentiles: ita *Canon Illiber. LXXX.* (26). Cujus prohibitionis rationem dat Albaſpinæus in eundem Canonem: *Merito*, inquit, *cavebant, ne liberti, quorum Patroni erant gentiles, ordinarentur: nam ab eis fabriles, aut officiales operas exigere poterant Patroni, quas ſoliti erant ſtipulari, quum eos libertate donarent, tenebanturque liberti non ſolum Patronis eas præſtare, ſed aliis etiam, quibus ex locatæ eſſent. At indignum ejuſmodi operis, piſtoriis puta, aut fabrilibus Clericos diſtrahi* &c. Quinimmo ex Legum Imperialium præſcripto Servi, qui ſuæ conditionis jugum declinantes, ad Eccleſiaſticum ſe ordinem tranſtulerint, exceptis Epiſcopis, & Presbyteris, ad Dominorum jura recedere cogebantur, dummodo non in eodem officio annum trigeſimum tranſegerint. Ita Valentinianus III. *Novella XII.* (27).

3. Præterea & ii, qui Collegio cuidam Opificum ad operam ſuam Reipublicæ præſtandam adſcripti erant, niſi prius veniam a Collegio, & a Principe, ſub quo miniſterium ſuſceperant, nacti eſſent. Ita Synodus Aurelianenſis, & Leges Imperiales Theodoſii Junioris, Valentiniani III. aliorumque Imperatorum, quas collectas dabimus, quum de Perſonali Clericorum Immunitate ſermo redibit.

4. Procuratores quoque, & Pupillorum Actores, antequam eorum adminiſtratio, & Officium perfecte expiraſſet (28).

5. Tandem Digami, & quidem ex Præſcripto Apoſtoli ad Timotheum ſcribentis: *Unius Uxoris virum*.

XI. Verum quum non una eſſe queat hujuſce Apoſtolicæ Sententiæ ſignificatio, hinc recte quæritur, quid illa hic ſonet. Non deſunt quidem, qui cenſeant nonnul-

(23) *Gothofred.* Comm. in Cod. Theod. Lib. XII. Tit. I. Leg. 63. *Valeſius* Not. in Sozomen. Lib. V. cap. 4.

(24) *Innocentius I. Epiſt. II. ad Victricium Rothom. cap.* 2. Si quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſecularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet. *Idem præſcribit* Epiſt. XXIII. cap. 4. & 6.

Conc. Tolet. I. Can. VIII. Si quis poſt baptiſmum militaverit, chlamydem ſumſerit, aut cingulum: etiamſi graviora non admiſerit, ſi ad clerum admiſſus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem.

(25) *Canon Apoſtolicus LXXXI.* Servos in clerum provehi non permittimus ad eorum, qui poſſident, moleſtiam. Si quando autem etiam dignus ſervus viſus ſit . . . & Domini conceſſerint, ac liberaverint, & ædibus emiſerint, fiat.

Conc. Tolet. I. Can. X. Clericos, ſi quidem obligati ſint, vel pro æquatione, vel de genere alicujus domus, non ordinandos, niſi probatum fuerit, & patroni conſenſus acceſſerit.

(26) *Conc. Illiber. Can. LXXX.* Prohibendum eſt, ut liberti, quorum patroni in ſeculo fuerint, ad clerum provehantur.

(27) *Valentinianus III.* Novell. XII. *ad calcem Cod. Theodoſ.*

(28) *Conc. Carthag. I. Can. IX.* Recte ſtatutum eſt, ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur.

nullos ex antiquis Patribus, ac præcipue Theodoretum, & Chryſoſtomum (29), locum Apoſtoli de iis ſolum intellexiſſe, qui plures una uxores eodem ſimul tempore apud ſe haberent. Porro Chryſoſtomi, & Theodoreti teſtimonia ſi adcuratius perpendantur, illud non efferunt, ſed tantummodo ſecundas nuptias haud damnandas docent. At vulgo omnes ferme antiqui Patres, & Interpretes de iis ſunt interpretati, qui poſt baptiſmum duas duxerint, etſi legitimo, & ſucceſſivo matrimonio alteram poſt alteram ſibi adjunxerunt. Ita Origenes, Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus, Epiphanius, &c. ac omnia, quæ in illam Apoſtoli ſententiam commentata ſunt, Concilia (30). Quinimmo Tertullianus, Innocentius I. Siricius, aliique veteres quibuſdam Epiſcopis crimini vertunt, quod priorem interpretationem ſectarentur, eoſdemque *Apoſtolos inſultantes* dicunt (31).

XII. Igitur Apoſtolicæ ſententiæ is ſenſus eſt: Non ſit bigamus, ſeu nunquam inierit, ne ſucceſſive quidem, alteras nuptias: Unam tantum feminam expertus fuerit. Conſtitutiones Apoſtolicæ *Lib. VI. cap.* 17. diſerte dicunt: *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos omnino unius uxoris viros μονογάμους debere conſtitui, ſive vivant eorum uxores, ſive deceſſerint*. Tum Chryſoſtomus ipſe in eadem videtur fuiſſe ſententia. Etenim in *Epiſt. ad Timoth. Hom. X.* ſcribit: *Si quis uxorem duxit, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi. Epiſcopus hujuſmodi ſollicitudine tangi minime convenit: quomodo ſuperius dixit*: Unius uxoris virum? *Quidam illum, qui poſt uxoris obitum conſtituitur Epiſcopus, ſignificaſſe intelligunt. Alioqui licet eum, qui uxorem habeat, quaſi non habentem eſſe. Tunc nempe rite iſtud conceſſit pro tempore, ac pro rei natura, quæ tunc inerat.*

XIII. Profecto ſecundæ nuptiæ apud omnes gentes minus honoratæ, alicubi & pœnis nonnullis coercitæ ſunt. Confer Titulum Codicis Juſtinian. *de ſecundis Nuptiis*. Id etiam teſtantur Chryſoſtomus

(29) *Chryſoſtomus* Hom. X *in I. ad Timoth. cap. III.* Unius Uxoris virum: Non hoc veluti ſanciens dixit, quaſi non liceat abſque uxore Epiſcopum fieri: ſed ejus rei modum conſtituens. Judæis quippe licitum erat etiam ſecundo matrimonio jungi, & duas itidem ſimul habere uxores: honorabiles enim nuptiæ. Quidam vero hoc ita intelligunt, ut ſcilicet ad Epiſcopatum is adſumatur, qui unius fuerit uxoris vir.

Theodoretus in eundem Apoſtoli locum: Olim conſueverant & græci, & judæi cum duabus, & tribus & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege matrimonii. Quin nunc etiam nonnulli, tametſi leges imperatoriæ prohibeant duas ſimul uxores ducere, rem habent cum concubinis, & meretricibus. Dixerunt ergo, divinum Apoſtolum dixiſſe, eum, qui cum una ſola uxore pudice cohabitat, dignum eſſe, qui ordinetur Epiſcopus. Neque enim ſecundum, inquiunt, rejecit matrimonium,

(30) *Origenes Hom. XVII. in Lucam*: Neque Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua *Diaconiſſa* poteſt eſſe digamus. *Tertullianus* de Pœnit. *Cap. IX.* Apud nos unius matrimonii eſſe oportet, qui adleguntur. Uſque adeo memini digamos loco ejectos. *Eadem habet* Lib. I. ad Uxor. Cap. 7. *Ambroſius* de Officiis *Lib. I. cap.* 1. Etiam ante baptiſmum iterato conjugio ad electionem muneris, & ordinationis prærogativam impedimenta generantur *&c. Hieronymus* Epiſt. II. *ad Nepotianum:* Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet . . . . Qui de monogamia ſacerdos eſt, quare viduam hortatur, ut digama ſit. *Et Epiſt. XI. ad Geront.* Conſidera, quod vidua non eligetur, niſi unius viri uxor; & nos putamus ſacerdotum hoc tantum eſſe privilegium, ut non admittatur ad altare, niſi qui unam habuerit uxorem. *Epiphanius Expoſit. Fidei num. XXI.* Secundis nuptiis implicitus in Eccleſia ad Sacerdotium non admittitur. *Conc. Agath. Can. I.* Placuit de bigamis, aut internuptarum maritis, quamquam aliud Patrum ſtatuta decreverint, ut qui huc uſque ordinati ſunt, habita miſeratione, presbyterii, vel Diaconatus nomen tantum obtineant: officium vero presbyteri conſecrandi, & miniſtrandi hujuſmodi Diaconus non præſumat. *Conc. Carthag. IV. Can. LXIX.* Simili ſententiæ ſubjacebit Epiſcopus, qui ſciens ordinaverit clericum eum, qui viduam, aut repudiatam uxorem habuit, aut ſecundam.

(31) *Tertullianus de Monogamia Cap. XII.* Quot enim, & digami præſident apud vos, inſultantes Apoſtolo. *Siricius Epiſt. I. ad Himer. Tarrac. Cap.* 8. Apoſtolus unius uxoris virum tam Sacerdotem, quam Diaconum fieri debere mandavit. Quæ omnia ita a veſtrarum regionum deſpiciuntur Epiſcopis, quaſi in contrarium magis fuerint conſtituta. *Eadem habet Innocentius I.* Epiſt. XXII. ad Epiſc. Macedoniæ *Cap.* 1.

mus *Serm. de Virginibus cap.* 32. & *ad Viduam ;* & Hieronymus *ad Furiam* (32). Legibus etiam Eccleſiaſticis adverſus nuptias iterantes pœnæ ſancitæ ſunt (33). Neque vero Chriſtiani in ulla laudis parte cedere debebant Gentibus, apud quarum multas ad feminina Sacerdotia non admiſſæ, niſi univiræ, teſtibus Tertull. & Hieronymo (34). Hinc factum eſt, ut unius matrimonii eſſe oporteret eos, qui adlegebantur in ordinem Sacerdotalem: teſte Tertulliano, qui tum alibi, tum præcipue in Lib. de Monogamia, *eos, qui in Clero ſunt, monogamiæ juga ab Apoſtolo adſtrictos* ait.

XIV. In Canonibus Apoſtolicis *Can. XVI.* in hunc modum decernitur: *Qui poſt baptiſmum duabus implicitus fuerit nuptiis, aut concubinam habuit: is Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.* Ubi illud *μετὰ τὸ βάπτισμα* dubio procul ex conſuetudine illarum Eccleſiarum additum eſt, quæ nuptias ante baptiſmum admiſſas nolebant venire in calculum. Itaque tales, qui vidui ante baptiſmum facti, nuptias fecerint, interdum ad clerum admiſſos, præſertim apud Græcos, mox videbimus.

XV. Sequenti Apoſtolico Canone ſcilicet XVI. ſtatuitur: *Qui viduam duxit, aut ejectam, vel meretricem..... Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique ex conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.* Profecto paria ſunt facere aliquid, aut alteri ut faciat cauſſam dare. Itaque *διγάμοις* æquatur, qui feminam fecit *δίγαμον*. Confer Baſilium *Can. X. Ad Amphilochium*, & *Novellam Juſtiniani XXIII. & XXXVII.*

XVI. Jam vero gravis inde exoritur quæſtio, num ſcilicet bigamus habendus ſit, atque adeo ad ordines promoveri non poſſit is, qui duas quidem Uxores habuerit; at vero alteram ante, alteram vero poſt acceptum baptiſma. Ut vero ejuſmodi quæſtio facilius, feliciuſque explicetur animadvertendum in anteceſſum proſus cenſeo duplicem veteribus in Apoſtolica ſententia agnitam rationem. 1. Moralem, quia bigamus incontinentiæ ſuſpicionem habet. 2. Myſticam, ad quam præcipue videtur Paulus reſpexiſſe, quia Epiſcopus gerit vices Chriſti, qui unicam tantum ſponſam habet, ideoque bigamus Chriſtum repræſentare haud videtur.

XVII. Porro Patres Græci priorem potius rationem, ſive moralem, quam alteram, ſive myſticam præ oculis habentes in ea videntur fuiſſe ſententia, ſcilicet Decretum Apoſtoli, *unius uxoris virum* requirentis, de eo prorſus intelligendum, qui poſt baptiſmum unam duntaxat habuit, licet alteram ante baptiſmum habuerit, eo quod per baptiſmum omnis macula contracta deleatur; atque e veteri novus homo regeneretur.

XVIII. Id patet tum ex modo laudato Can. Apoſtolico XVI. *Qui poſt ſanctum baptiſmum duobus conjugiis fuerit implicitus, vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe Epiſcopus* &c. In quo Canone tum incontinentiæ, ejuſve ſuſpicionis potius ratio habetur, quum duobus conjugiis implicitus cum habente concubinam confeeratur; tum quoque haud obſcure innuitur conjugium ante baptiſmum initum nullo eſſe impedimento, cur quis ad Clerum promoveatur. Unde Balſamon in *hunc Canonem* ſic commentatus eſt: *Eum, qui poſt ſanctum baptiſmum dignamus fuerit, vel fornicatus ſit, prohibet Canon fieri Epiſcopum, vel ſacerdotale quidquam exercere. Quæ enim ante baptiſmum admiſſa ſunt*

(32) *Apud Matthæum Polum* Critic. Sacr. Synop. Comm. in Epiſt. I. ad Timoth. Cap. 3.

(33) *Syn. Neocaſareenſis Can. III.* De his, qui in plures nuptias inciderunt, tempus quidem præſtitutum manifeſtum eſt; ſed converſatio eorum, & fides tempus abbreviat. *Et Can. VII.* Ne presbyter in nuptiis ejus, qui digamus efficitur, conviverur. Quum enim requirat poenitentiam digamus, quis erit Presbyter, qui eo quod ſit convivio acceptus, nuptiis adſentiatur? *Porro, uti recte obſervat doctiſſ. Baronius* ad annum CCCXIII. num. 91. *Bigamis pœnitentia aliqua impoſita eſt:* Non quod ſecundum matrimonium contrahendo peccent, ſed quod ſuam ipſi incontinentiam manifeſtent, & Bigamiam, quæ in humanæ infirmitatis remedium inſtituta eſt, licentius uſurpent.

(34) *Apud Matth. Polum* ibidem.

ſunt omnis generis peccata prætermittit, *quum factum ſit novum opus ſola gratia Sancti Spiritus*.

XIX. Id clarius elucet ex altero etiam nuper laudato Apoſt. Canone: *Qui viduam duxit*, *vel ejectam*, *vel meretricem*, *vel ſervam*, *vel mimam*, *ſeu ſcenicam*, *non poteſt eſſe Epiſcopus*, *vel Presbyter*, *vel Diaconus*, *vel omnino ex numero Sacerdotali*. Profecto interdicti iſtoc cannne contenti incontinentiam, ejuſve ſuſpicionem præcipue σκοπὸν fuiſſe manifeſtum videtur. Sanctus Hieronymus, qui diu in Oriente vixit, & cum Græcis frequenter verſatus eſt, huic ſententiæ adhæſiſſe videtur (35).

XX. At vero Patres latini potius myſticam, quam moralem Apoſtolicæ ſententiæ interpretationem inſpicientes, crediderunt Apoſtolum non incontinentiam, at vero ipſam nuptiarum iterationem præcipue reſpexiſſe: unde ex Occidentalis Eccleſiæ praxi ad ſacerdotium haud provehendus, qui fuerit duabus nuptiis implicitus, licet priores ante baptiſmum inierit. Ejuſmodi fuiſſe Latinorum Patrum ſententiam, & univerſalem, antiquiſſimamque Occidentalis Eccleſiæ conſuetudinem dubitandum haud eſt (36).

§. IV. *De Ordinationibus Simoniacis*.

XXI. In id ſemper veteres illi, ac ſanctiſſimi Eccleſiæ Epiſcopi maximo ſtudio incubuerunt, ut in ordinatione omnes prorſus illicitæ, ac iniquæ artes evitarentur: ac præſertim ambitio, & Simonia, quæ tunc *impia ex Chriſto nundinatio* dicebatur (37). Tribus prioribus Eccleſiæ Seculis, quum martyrium quaſi res eſſet Epiſcopatui adnexa, haud magna adverſus Simoniacos leges ferendi neceſſitas fuit; at ſecutis temporibus frequenter in Conciliis Canones edere oportuit, tum adverſus Epiſcopos propter pecunias ordinationes facientes, aut ad Eccleſiaſtica miniſteria promoventes; tum adverſus eos, qui obliquas, ac ſiniſtras haſce artes

ad

(35) *S. Hieronymus in Epiſt. ad Tit.* Quod autem ait, *unius uxoris vir*, ſic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus eſſe maiorem, ſed quod is poſſit ad monogamiam, & continentiam cohortari, qui ſui exemplum præferat io docendo.... Multi ſuperſtitioſius magis, quam verius eriam eos, qui quum gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, qua miſſa poſt baptiſmum Chriſti alteram duxerint, putant in Sacerdotio non legendos: quum utiqua ſi hoc obſervandum ſit, illi magis ab Epiſcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint. Eadem habet in *Epiſt.* LXXXIII. *ad Oceanum*.

(36) *Innocentio I. Epiſt. ad Victricium Epiſc. Rotbomagenſem cap. 6.* Ac na ab aliquibus exiſtimetur, ante baptiſmum ſi forte quis accepit uxorem, & ea de ſeculo recedente, alteram duxerit, in baptiſmo eſſe dimiſſum, ſatis errat a regula; quia in baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur.

Tum S. Auguſtinus Lib. de Bono Conjugali Cap. XVIII. Propterea ſacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum maritum, & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatoram Eccleſiæ non liceat ordinari, niſi *unius uxoris virum*. Quod acutius intellexerunt, qui nec aum, qui catechumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum eſſa cenſuarunt: Rationem addunt: *De Sacramento enim agitur*, *non de peccato*: *nam in Baptiſmo peccata omnia dimittuntur*. Sed qui dixit: *Si acceperis uxorem non peccaſti*, & *ſi nupſerit*, *non peccavit*, & *quod vult faciat*, *non peccat*, *ſi nubat*, ſatis declaravit, nuptias nullum eſſe peccatum. Propter Sacramenti ſantitatem ſicuti ſemina etiamſi cathacumena ſuarit vitiata, non poteſt poſt baptiſmum inter Dei virgines conſecrari; ita nun abſurde viſum, eum, qui axceſſit uxorum numarum ſingularam, non peccatum aliquod commiſiſſa, ſed *normam* quandam *Sacramenti* amiſiſſe, non ad vitæ bonæ maritum ſed ad ordinationia Ecclaſiaſticæ ſignaculum neceſſariam. *Qua ſit hæc Sacramenti norma dein explicat*: Ac per hoc pluras uxores antiquorum Patrum ſignificaverunt futuras noſtras ax omnibus gentibus Eccleſias *uni viro* ſubditas Chriſto, ita noſter Antiſtes unius uxoris vir ſignificat ax omnibus gentibus *unitatem* uni viro ſubditam Chriſto ... Sicut ergo Sacramentum pluralium nuptiarum illiua temporis ſignificavit multitudinam futuram Deo ſubjectam in terrenis omnibus gentibus: ſic Sacramentum nuptiarum ſingularium noſtri temporis ſignificat unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo ſuturam in una cæleſti civitate. *Eadem prorſus habet S. Ambroſius* Epiſt. LXXXII. ad Vercellenſes. *Confer* Notam 30. pag. 98.

(37) *Epiſt. Alexandri Alexandr. apud Theodoret. Lib.* 1. *Cap.* 4. Iſti vero impiam illius ex Chriſto nundinationem cernentes, non amplius Eccleſiæ ſubjacere voluerunt.

ad ingerendum ſe in Ordines, aut Eccleſiaſtica Officia adhibuiſſent.

XXII. Adverſus ejuſmodi *Gratiæ Chriſti nundinatores*, uti in Epiſtola Alexandri Epiſcopi Alexandrini dicuntur, pleromque depoſitionis, & a proprio gradu abjectionis, ſi Clerici fuerint; ſi autem laici, vel monachi, anathematis pœnam ſtatuunt Canones; ac præcipue Chalcedonenſis II. Aurelianenſis III. Bracarenſis III. &c. (38), & Apoſtolicus XXIX. cujus hæc ſunt verba: *Si quis Epiſcopus ſecularibus Principibus uſus per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregetur, & omnes, qui illi communicant.*

XXIII. Audiendus omnino Juſtinianus, qui Lege quadam decrevit, ut quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari *clerici, & primates civitatis, cujus futurus ſit Epiſcopus, mox in tribus perſonis decreta faciant, propoſitiſque eis ſacroſanctis Euangeliis periculo ſuarum animarum dicant, quod neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promiſſionem, aut amicitiam, aut quamlibet aliam cauſſam..... hos elegerint*. Et alia ejuſdem Imperatoris lege, tum hæc eadem firmatur Conſtitutio, tum quoque jubetur, *jusjurandum ſuſcipere eum, qui ordinatur, per divinas ſcripturas, quod neque poſthac daturus ſit, vel ordinanti ipſum, vel his, qui ſacra pro eo ſuffragia fecerunt, vel alii cuiquam ordinationis de ipſo faciendæ nomine*: quibus dictis lex ſtatim ſubnectit: *Si quis autem præter memoratam obſervationem Epiſcopus ordinetur, jubemus, & ipſum omnibus modis Epiſcopatu dejici, & eum qui contra talem obſervationem eum ordinare auſus fuerit*. Profecto hi Eccleſiæ Canones, ac Imperatoriæ leges evidenter demonſtrant, quam vere Severus Sulpitius, inter tempora perſecutionum, & tempora tranquillitatis Eccleſiæ diſcrimen adsignans, ſcribat: *Certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus adpetuntur* (39).

§. V. *De Regulis, quas Epiſcopi in Ordinatione ſervare tenebantur.*

XXIV. Prior ea erat, quæ in Synodo III. Carthaginienſi ſtatuta eſt: nimirum ut Epiſcopis, & Clericis, qui ordinandi eſſent, prius ab Ordinationibus ſuis Conciliorum Decreta eorum auribus inculcarentur, ne ſe deinde aliquid ipſorum auctoritati adverſum feciſſe pœniteret (40). Hæc ſane regula tacitum involvebat promiſſum, fore ut ordinatus Canones ſibi prælectos obſervaret. Sed majoris ſecuritatis gratia deinceps in explicitum promiſſum res abiit. Atque inde procul dubio orta videtur illa obedientiæ profeſſio, & jusjurandum a Catholicis Epiſcopis S. Petro Apoſtolo præſtandum, quo Generalium Conciliorum Decreta ſe obſervaturos pollicentur (41).

XXV. Secundo: Nullus, niſi ad certam quandam Eccleſiam deſignatus ordinari poterat, nec libertas ei, ubicunque vellet miniſtrandi, relinquebatur ad devitanda diverſa incommoda, quæ ex hac libertate oboriri ſolebant. Hanc vetuſtam Eccleſiæ conſuetudinem Canone firmavit Con-

(38) *Conc. Chalced. Can. II.* Si quis per pecuniam fecerit ordinationem, & ſub pretio redegerit gratiam, quæ non poteſt vendi, ordinaveritque per pecuniam Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet ex his, qui annumerantur in Clero, aut promoverit per pecuniam Diſpenſatorem, aut Defenſorem, aut quemque, qui ſubjectus eſt Regulæ Κανόνι, pro ſui turpiſſimi lucri commodo proprii gradus periculo ſubjacebit: & qui ordinatus eſt nihil ex hac ordinatione, aut promotione proficiat; ſed ſit alienus ab ea dignitate, quam pecuniis quæſierat. Si quis vero mediator tam turpibus, & nefandis datis, vel acceptis extiterit, Clericus gradu decidat, Laicus, & Monachus anathematizetur. *Eadem habent Conc. Aurelianenſe III.* Can. III. *&* V. Can. X. *Turonicum II.* Can. XXVII. *Bracarenſe III.* Can. III. *&c.*

(39) *Severus Sulpitius Hiſtor. Lib. II.*

(40) *Codex Africanus Can. XVIII.* Placuit, ut ordinatis Epiſcopis, & Cleris prius ab ordinatoribus ſuis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilii feciſſe pœniteat.

(41) *Baronius ad annum DCCCLXIX, Liber Diurnus Rom. Pontificum apud Garnerium.*

Concilium Chalcedonenſe (42). Clerici ita ordinati *Locales* apud Latinos dicebantur: hinc Synodus Valentiæ in Hiſpania celebrata Can. VI. *quemquam ordinari prohibet, qui localem ſe futurum primitus non ſpoponderit*. Profecto Paulinus *Epiſt. VI.* de ſe ipſe teſtatur: *Ea conditione*, inquit, *in Barcinonenſi Eccleſia conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer, in ſacerdotium tantum Domini, non in locum Eccleſiæ dedicatus*. Tum Hieronymus Epiſcopum Antiochenum ipſum ordinare volentem ſic eſt adlocutus: *Si ſic presbyterium tribuis, ut monachum non auferas: tu videris de judicio tuo. Sin autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod ſeculum dereliqui, ego habeo, quod ſemper habui*. Demum Barſe, & Eulogius Edeſſæ monachi, Sozomeno auctore *Lib. VI. cap.* 34. & Macedonius Syrus Anachoreta eadem conditione Epiſcopi ordinati ſunt, ut nulli eſſent Eccleſiæ adligati, ſed in ſuis Monaſteriis ſacerdotalia munia exercerent. Porro ejuſmodi exceptiones inveniuntur quidem in Veteri Hiſtoria, at oppido raræ, & nonniſi extraordinariis occaſionibus admiſſæ; adeo veteres Epiſcopi in eo canone ſervando adcurati fuere.

XXVI. Tertia Regula ea erat, qua omnino vetabantur Epiſcopi Clericos, qui ad aliam ſpectarent Eccleſiam, ſine ſuorum Epiſcoporum conſenſu ordinare, vel in ſuam admittere Eccleſiam. Hæc Regula adeo ſevere in Conciliorum Decretis ſtatuta eſt, ut irritæ iſtiuſmodi Ordinationes pronuntiarentur. Ita Synodi Nicæna, Sardicenſis, Arelatenſis II. &c. (43). Adhæc in Eccleſiis Africanis neque laicos ad alias Eccleſias ſpectantes cuicui Epiſcopo ordinare licebat: Ita Synodus Carthag. I. *Can. V.* (44). Tantummodo Epiſcopo Carthaginienſi, ceu totius Africæ Primati, permiſſum erat, unde unde voluerit, Clericum ordinare (45). Verum hæc exceptio Regulam in reliquis omnibus Africanis Eccleſiis ſervandam firmabat.

XXVII. Quarto: Nulli Epiſcopo facultas erat in aliena Diœceſi quempiam ordinare. Ita Canones ſic dicti Apoſtolici; tum & Concilia Antiochenum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum (46). Hinc quum Epiphanius Diaconum in Chryſoſtomi Diœceſi ordinaſſet, Chryſoſtomus ſic eum per Epiſtolas eſt adfatus: *Multa contra Regulas agis, o Epiphani, qui primum quidem in Eccleſiis ſub diſpoſitione mea conſtitutis ordinationem feceris*. Eandem Regulam etiam in Africanis Eccleſiis viguiſſe teſtis eſt Auguſtinus (47). Verum hic notandum aliquando Epiſco-

(42) *Conc. Chalcidon. Can. VI.* Nullum abſolute ordinari convenit, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui ſunt in Ordine Ecclefiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatia, vel pagi, vel martyrio, vel monaſterio is, qui ordinatur, deſignetur. Eos autem, qui abſolute ordinantur, decrevit Sancta Synodus irritam, ac invalidam habere ejuſmodi manuum impoſitionem, ac nunquam exercere, ac operari poſſe ad ejus, qui ordinavit, injuriam.

(43) *Concilium Nicænum Can. XVI.* Si auſus fuerit quiſquam eum, qui ad alium pertinet, ſurripere, & in Eccleſia ordinare, non conſentiente proprio Epiſcopo a quo receſſit, qui in canone cenſetur, irrita ſit ordinatio.

Concilium Sardicenſe Can. XV. Si quis Epiſcopus ex aliena parochia velit alienum miniſtrum ſine conſenſu proprii Epiſcopi in aliquo gradu conſtituere, irrita, & infirma ejuſmodi conſtitutio exiſtimetur. *Eadem habent Conc. Chalced.* Can. XX. *Arauſicanum I.* Can. VIII. *Arelatenſe II.* Can. XIII. &c.

(44) *Conc. Carthag. I. Can. V.* Non debere clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſina litteris Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere; nec laicum uſurpare ſibi de plebe aliena, ut eum ordinet ſine conſcientia ejus Epiſcopi, de cujus plebe eſt.

(45) *Codex Can. Africanorum:* Ut Carthaginienſi Epiſcopo, unde voluerit, clericum liceat ordinare.

(46) *Canon Apoſtolic. XXXV.* Ne quis Epiſcopus audeat extra ſuos fines facere ordinationes in urbibus, & pagis ei non ſubjectis. *Eadem habent Concilium Conſtantinopolitanum* Can. II. *Epheſinum* Actiona VII. in Decretia da Epiſc. Cypri, *Antiochenum* Can. XXII. *Eodem Antiocheno Canone pœna etiam ſancitur in Epiſcopos in ejuſmodi legem impingentes:* Si quis autem, *inquiunt Patres Antiocheni*, tale quid auſus fuerit, infirma ſit ordinatio, & ipſe a Synodo puniatur.

(47) *Auguſtinus Epiſt. CCXXV.* Dicebam ego.... nec a promiſſi fide me poſſe dimoverit,

nec

pós Sanctiſſimos neceſſitate, maxima Eccleſiæ utilitate, aut extraordinaria quadam occaſione id ferente, in quacunque mundi parte Clericos ordinaſſe, alioſve Officii Epiſcopalis actus exercuiſſe. Iſtuc Athanaſius, & Euſebius Samoſatenſis hęreſis Arianę longe lateque dominantis tempore pręſtitere: ut *Part. I. cap. XIII.* §. *II.* jam vidimus.

§. VI. *De Sollemnibus Ordinationis Temporibus.*

XXVIII. Ac primo illud quæri poſſe videtur, num Eccleſia tribus prioribus Seculis ſtatuta Ordinationis tempora habuerit, uti nunc habet. Hac de re nihil certi ex antiquis monumentis hauriri poteſt. Epiſcopi namque ex Canonum Præſcripto eligebantur, & ordinabantur ſtatim ac Eccleſiæ vacarent. Tum Presbyteri, Diaconi, aliique inferiores Clerici fortaſſis quovis tempore ordinibus initiabantur, prout res Eccleſiæ exegiſſet. Cyprianus namque Aurelium Lectorem Kalendis Decembris, & Optatum Hypodiaconum menſe Auguſto ordinavit (48): tum Paulinus die Nativitatis Domini memoriæ Sacro Presbyter eſt ordinatus (49). Pontificale quidem Romanum ſub nomine Damaſi in Romana Provincia Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Ordinationes ſemper menſe Decembri factas memorat: verum præter quam quod hujus Libri fides multo recentioris ævi eſt, quam inſcriptio fert, nec ulla ratione priorum ſeculorum Hiſtoriæ innititur, illud tantummodo probat Liber hic unum fixum Ordinationis tempus Romæ fuiſſe, non quatuor.

XXIX. Igitur vero ſimilius videtur nonniſi poſt quartum Seculum Quatuor anni tempora Ordinationibus fuiſſe ſtatuta. Præterea eodem Seculo quarto primum dies Dominicus, aliique ſollemniores dies feſti Ordinationibus præſtituti ſunt; quum antea quolibet Hebdomadis die indiſcriminatim celebratæ fuerint; ſolidiſſimis argumentis, exemplisque contra Papebrochium demonſtravit eruditus Pagius (50). Igitur de conſuetudine quarto duntaxat Seculo introducta intelligendus eſt S. Leo, ubi ſcribit ordinationes alio quam Dominico die factas, Canonibus, ac Patrum traditioni eſſe contrarias (51); in quo aliquid immutaſſe videtur Gelaſius, qui non longe poſt S. Leonem vixit; ubi in *Epiſtola IX.* ad Epiſcopos Lucaniæ ſic ſtatuit: *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, ideſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed & etiam quadrageſimalis initii, ac mediana quadrageſimæ die, Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas.* In qua Decreti ſui parte ſingularis videtur fuiſſe Gelaſius. Etenim antiquiſſima illa fuit Eccleſiæ Regula, ut Ordinationes durante cultu Dei matutino peragerentur. Hinc inter alia, quæ Novatiano objecta fuere, illud fuit, quod hora decima, ſive quarta pomeridiana, eaque minus canonica ordinatus fuerit (52). Tum Concilium Laodic. *Can. V.* Ordinationes non ſub conſpectu Audientium, & Catechumenorum, ſed tempore oblationis celebrandas jubet. Cujus rei illa idonea reddi poſſe ratio videtur, nimirum, ut ordinatus, vel conſecrare, vel participare ſacram Euchariſtiam poſſet. Profecto de Macedonio Anachoreta, & de Pauliniano fratre Hieronymi teſtantur Theodoretus, & Epiphanius, eoſdem tempore myſtici ſacrificii fuiſſe Presbyteros conſecratos (53).

§. VII.

nec ab alio Epiſcopo in Eccleſia mihi tradita, niſi me interrogante, ac permittente, poſſe ordinari.

(48) *Pearſonius* Annal. Cyprian. anno CCL. num. 15. & 20.

(49) *Paulinus* Epiſt. VI. ad Severum.

(50) *Pagius* Critic. in Baronium ann. LXVII. num. 14.

(51) S. *Leo* Epiſt. LXXX. ad Dioſcorum cap. 1.

(52) *Cornelius Papa* Epiſt. ad Fabianum *apud Euſebium Lib. VI. cap. 43.* A quibuſdam ſui ſimillimis, quos ad id comparaverat, incluſos hora decima temulentos, & crapula oppreſſos, adumbrata quadam, & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere per vim coegit.

(53) *Theodoret.* Hiſt. Relig. Cap. XIII. *Epiphan.* Epiſt. ad Joann. Jeroſolym.

§. VII. *De Coactis, & Iteratis Ordinationibus*.

XXX. Etſi prioribus E‹cleſiæ Seculis non defuerint, qui officia Eccleſiaſtica pravis ambitionibus adpeterent; erant tamen, qui non minori ſtudio illa averſabantur. Hi plerumque illata vi ad Ordinationem trahebantur. Et ſane antiquitus nihil populo erat uſitatius, quam homines vi corripere, invitoſque Epiſcopo exhibere ordinandos. Iſtuc Nepotiano, Martino Turonenſi, Macedonio Anachoretæ Antiocheno, Auguſtino, Paulino Nolano, Pauliniano fratri Hieronymi accidiſſe antiquiſſima probant Eccleſiæ monumenta (54). Neque preces, & obſecrationes, quaſcunque ad Ordinaiionem avertendam funderent, locum ullum habebant, niſi interpoſito jurejurando publice contradicerent. In hoc enim caſu tantummodo libertati ſuæ relinquebantur, nec adverſus tam ſollemnem contradictionem ordinandi erant. Hinc quidam Baſilii Canon ſic habet: *Qui jurarunt ſe Ordinationem non admiſſuros; ſi eam detrectent, non cogentur pejerare* (55). Atque iſtuc in cauſſa fuiſſe videtur, cur Epiphanius Paulinianum Hieronymi fratrem ordinare volens, *ipſum per multos Diaconos apprehendi juſſit, & teneri os ejus, ne forte*, ut ipſemet ſcribit Epiphanius ibidem *liberari ſe cupiens, adjuraret nos per nomen Chriſti; & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut miniſtraret... Quum miniſtraret in ſanctis Sacrificiis, rurſus eum ingenti difficultate tento ore ejus ordinavimus presbyterum*.

XXXI. Verum illa conſuetudo invitos trahendi ad Ordinationem poſtmodum canonibus prohibita fuit. Hinc Simplicius Papa privationem poteſtatis ordinandi minitatus eſt Joanni Epiſcopo Ravennatenſi, qui tale quid commiſerat (56). Et Concilium Aurelianenſe III. *Canone VII.* ſic decrevit: *Epiſcopus, qui invitum, vel reluctantem præſumſiſſet ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus miſſas facere non præſumat*.

XXXII. Hic notandum eos, qui inviti dicuntur ad Ordines promoii, non fuiſſe omnino reluctantes, ac perpetuo conſtantiſſime contradicentes: ſed demiſſe de ſe ſentientes a populo adprehenſos, & nihil ea de re cogitantes rapto‹, oblaioſque Epiſcopis, quibus tandem ſponte adquieverint. Ad rem Auguſtinus: *Multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni*. Et de Pauliniano ſcribit ipſemet Epiphanius ibidem: *Valde quidem obnitebatur indignum ſe eſſe conteſtans. Vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum, & perſuaſione mandatorum Dei*. Vide repugnantiam ex humilitate ortam: vide humilitatem perſuaſionibus tandem cedentem.

XXXIII. Illud hic recte quæritur, num Ordinationes ab Epiſcopis hæreticis, aut Schiſmaticis in Eccleſia peractæ, fuerint aliquando iteratæ. Tertio Eccleſiæ Seculo, qui baptiſmum ab hæreticis collatum validum negabant, majori vi eorundem Ordinationibus virtutem abjudicabant (57). Verum illa ſemper videtur fuiſſe magis recepta Eccleſiæ ſententia hæreticorum Ordinationes validas eſſe habendas (58); namque eo duntaxat ſenſu irritæ aliquando dictæ ſunt, quod

(54) *Hieronym.* Epiſt. III. Epitaph. Nepotian. *Sulpitius Sever.* Vita S. Martini Lib. 1. *Theodoret.* Hiſtor. Relig. Cap. XIII. *Poſſidius* Vita Auguſtini Cap. IV. *Paulinus* Epiſt. XXXV. inter Epiſt. Auguſtini, *Epiphanius* Epiſt. ad Joan. Jeroſolym.

(55) *Baſilius* Epiſt. Canonica ad Amphiloch.

(56) *Simplicius Epiſt. II. ad Joann. Ravenn.* Denuntiamus, quod ſi poſthac quidquam tale præſumas, & aliquem ſeu Epiſcopum, ſeu Presbyterum, ſeu Diaconum invitum facere credideris, Ordinationes tibi Ravennatis Eccleſiæ, vel Æmilienſis noveris auferendas.

(57) *Canon Apoſt. LXVII.* Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, aut Diaconus ſecundam ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur, & ipſe, & qui ordinavit.

(58) *Concilium Carthag. III. Can. XXXVIII.* Illud ſuggerimus mandatum nobis, quod etiam

ii, qui eas ſuſceperint, ab altaris miniſterio arcebantur, niſi Eccleſiæ utilitas, neceſſitaſve id requireret, ut in iiſdem officiis, & honoribus reciperentur, quibus antea ornati fuiſſent. Quod Novatianis Synodum Nicænam, ac Donatiſtis Collationem Carthaginienſem induſiſſe alibi notavimus. Verum de hoc capite fuſius agemus *Lib. III.*

iam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum: Non liceat fieri rebaptizationes, & *reordinationes*, & translationes Epiſcoporum.

Auguſtinus contr. Parmen. Lib. II. cap. 13. Utrumque Baptiſmus, & Ordo Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud quum baptizatur, iſtud quum ordinatur; ideoque in Eccleſia Catholica utrumque non licet iterari.

Theodoretus Hiſt. Relig. Cap. XIII. Fieri non poteſt, ut bis eadem fiat manuum impoſitio.

E X C U R S U S.

De Cœlibatu Clericorum.

I. Opportuna hic ſeſe offert occaſio, ut pauca, veluti Appendicis loco, de Clericorum cœlibatu ſubnectamus. Qua in re illud primo conſtat, Sacerdotibus Chriſtianis convenire quam quod maxime, ut cœlibatum, vel ſaltem continentiam profiteantur. Puriſſima namque hoſtia, quam ſuis manibus quotidie offerunt, atque adeo participant, aliiſque participandam tradunt, ejuſmodi vitæ rationem omnino poſtulare videtur. Ad rem Origenes Hom. XXIII. in Num. *Videtur mihi, quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.*

II. Tum Apoſtoli ſacerdotio vel virginitatem conjunxerunt, vel perpetuæ caſtitatis profeſſionem. Filius namque Dei, qui *ὁμουσίως ſubſtantialiter* Puritas eſt, quique de Virgine matre naſci voluit, Apoſtolos ſuos, atque eorundem ſucceſſores puritatis ſuæ certo quodam modo voluit eſſe conſortes. Atque hinc Hieron. Apol. contra Jovinianum: *Chriſtus virgo, virgo Maria, utriuſque ſexus virginitatem dedicavere. Apoſtoli, vel virgines, vel poſt nuptias continentes .... adſumti in Apoſtolatum reliquerunt officium conjugale.* Profecto Sacerdotalis ordinationis *σφραγὶς character* potiori, quam Apoſtolatus, jure puritatis candorem requirit.

III. Quamobrem primis Seculis, licet clericis continentiæ lex indicta non fuerit, conſuetudine tamen, moribuſque jam obtinebat, ut ad ſacros promoti ordines, ab ipſis, quas legitimo antea ſibi matrimonio uxores conjunxerant, abſtinerent. Id patet tum ex nuper indicata Origenis auctoritate, tum ex Hieron. Lib. adverſus Jovinianum: *Quid facient, inquit, Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt... Si laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper cavendum matrimonio.* Tum denique vel maxime ex Euſebio, & Epiphanio (1), qui tanquam

(1) *Euſebius Demonſtr. Euangelic. Lib. IX. cap. 9.* Doctoribus, ac Prædicatoribus verbi divini maxime in præſentia, ut melioribus ſtudiis vacent liberius, ſejunctus a re uxoria victus adamatur: velut iis, qui divina, & incorporea ſobole propaganda occupati teneantur: & non unius, neque duorum liberorum, ſed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, ſanctamque diſciplinam, ac reliquæ inſtituendæ vitæ curam ſuſceperint...... Illis, qui ſacrati ſunt *τοῖς ἱερωμένοις*, atque in Dei miniſterio, cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos convenit a commercio uxoris.

Epiphanius Expoſit. fidei num. XXI. Sacerdotium ex Virginum ordine præcipue conſtat, aut ſi minus ex virginibus, certe ex Monachis, aut ſi minus e Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes ſolent, qui a ſuis uxoribus continent, aut ſecundum unas nuptias in viduitate verſantur.

Digitized by Google

quam de diſciplina univerſe jamdiu in Eccleſia ſervata loquuntur, qua Epiſcopi, & Presbyteri, ut melioribus ſtudiis vacarent liberius, uxorios amores poſthabebant, quippe qui divinæ, & incorporeæ ſoboli procreandæ deſtinati eſſent. Tum Seculo IV. ejuſmodi conſuetudo adeo invaluit, ut Epiphanius eandem ab Apoſtolico inſtituto originem ducere crediderit, ac in ſuis Operibus plus vice ſimplici indicaverit (2). Quod ſane de conſuetudine jam inde ab Apoſtolica ætate in Eccleſiam inducta recte intelligas. Igitur moribus antiquiſſimis, atque adeo etiam Apoſtolicis ea viguit in Eccleſia diſciplina, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi perpetuam ſervarent continentiam.

IV. Quod vero per illud temporis Sacerdotes continentiæ fibula nullo Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico præcepto fuerint obſtricti, pluribus conſtat.

1. Ex eo, quod hujuſce legis nulla mentio occurrat in Canonibus veterum Conciliorum.

2. Quinimmo licet antiquæ Synodi haud ſemel occaſionem habuerint hujuſce legis indicandæ; nunquam tamen præſtitere. Sic Concilium Nicænum *Can. III.* quo decernit non licere his, qui in clero ſunt, *συνεισάκτους ſubintroductas* habere mulieres. Gangrenſe *Can. IV.* ubi illos damnat, qui docent abſtinendum ab oblatione Presbyteri conjugati. Neocæſareenſe tum *Can. I.* quo depoſitionis pœna in Presbyteros, qui uxores acceperint, animadvertendum ſancitur; tum *Can. VIII.* quo Clerici cum ſuis uxoribus cohabitare non prohibentur, dummodo adulterium illæ non admiſerint; eas enim tunc dimittere jubentur. Atque adeo Concilium Ancyranum *Can. X.* Diaconis etiam poſt ordinationem uxores accipere permittit, *ubi in ipſa ordinatione teſtati ſunt, & dixerunt, oportere ſe uxores ducere, quum non poſſint ſic manere.* Profecto ſi quod Apoſtolicum, vel Eccleſiaſticum de Clericorum cœlibatu præceptum traditum fuiſſe, qui fieret, ut Concilia hæc, aliaque per ea tempora celebrata in his, ſimilibuſque Decretis illius unquam meminiſſent?

3. Pynito Gnoſſiorum in Creta Epiſcopo Seculo II. Dionyſius Corinth. auctor fuit, ne continentiæ legem fratribus ſuis imponeret, quod ille in animo habebat, ea nimirum de cauſſa, ſcilicet *ne grave onus caſtitatis, tanquam neceſſarium imponeret, ſed ejus, quæ in pleriſque hominibus inſit, infirmitatis rationem haberet*: Euſeb. Lib. IV. cap. 23.

4. Tum in Nicæna Synodo quum quidam Epiſcopi Canonem condere vellent, quo Clerici majores vetarentur cum uxoribus, quas ante ordinationem legitime ſibi conſociaverant, conjugale commercium habere, Paphnutius Epiſcopus Ægyptius, vir non conjugii modo, verum & cujuslibet muliebris congreſſus omnino expers, illi propoſitioni *vehementer eſt vociferatus: Non grave hoc jugum clericis, & ſacerdotibus eſſe imponendum .... neque enim omnes ferre poſſe tam diſtrictæ continentiæ diſciplinam ... congreſſum viri cum uxore legitima caſtitatem eſſe adſerens. Satis eſſe, uti qui in Clerum fuiſſent adſcripti, juxta veterem Eccleſiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent*: Socrates *Lib. I. cap.* 11. Sozomenus *Lib. I. cap.* 23.

5. Denique Socrates ipſe *Lib. V. cap.* 22. narrat quidem in Theſſalia auctore Heliodoro Tricæ Epiſcopo depoſitionis pœnam fuiſſe ſancitam adverſus Clericos, *qui dormierint cum uxore, quam ante clericatum legitimo matrimonio ſibi copulaverant*; at ſtatim ſubnectit: *Quum in* Orien-

(2) *Epiphanius Hæreſ. XLIX. num.* 7. Quum Sacerdotalia Chriſtus munera, & ornamenta cum iis, qui poſt unas nuptias continentiam ſervaverint, aut in virginitate perſtiterint, communicanda eſſe veluti in exemplari monſtraverit. Id quod Apoſtoli deinde honeſte, & religioſe decreverunt per Eccleſiaſticam Sacerdotii regulam: τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τῆς ἱερωσύνης.

Tum hæreſi LIX. num. 4. Quin eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tamen unius ſit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Eccleſia. Sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici Canones accurate ſervantur.

Oriente cuncti ſua ſponte etiam Epiſcopi ab uxoribus ſuis abſtineant, nulla tamen lege, aut neceſſitate obſtricti id faciant.

V. Porro ex dictis plura colligere eſt. Primum: Clericos primis illis Seculis non modo cum uxoribus cohabitaſſe, verum & rei uxoriæ aliquando vacaſſe. Quid enim unquam a ſobole procreanda abſtinere, *Clericis grave onus caſtitatis*, aut *diſtricta continentiæ diſciplina* dici quiverit? Tum vetus Eccleſiaſtica hiſtoria exempla præbet Epiſcoporum, & Presbyterorum, qui in Epiſcopatu, & Presbyteratu filios genuerunt: quod ipſis crimini imputatum non eſt. Id ex Socrate loco modo indicato conſtat, ubi ſcribit: *Multi enim illorum, Epiſcopatus etiam ſui tempore, liberos ex legitimo conjugio ſuſceperunt*; & ſpeciatim de Chæremone urbis Nili Epiſcopo narrat Euſebius; de Philoromo, & Philea Euſebius ipſe; de Numidico presbytero Carthag. Cyprianus; de Novato ipſemet Cyprianus; de Cæcilio Presbytero etiam Carthag. Pontic. *in Vita Cyprian.* (3).

VI. Alterum: ejuſmodi diſciplinam non fuiſſe in Eccleſia generalem; ſed plures etiam per illud temporis fuiſſe particulares Eccleſias, in quibus lex continentiæ jam Clericis impoſita fuerat: uti de Theſſalia ex Socrate modo obſervavimus, qui & *ibidem* teſtatur id juris per Theſſalonicam, Macedoniam, & Achajam obtinuiſſe: & ex eo quoque evincitur, quod in Synodo Nicæna plures Epiſcopi de imponenda lege continentiæ jam conſenſerant, licet ſua cuique libertas relicta fuerit.

VII. Tertium: Majoribus Clericis poſt ordinationem nuptias contrahere ſemper fuiſſe vetitum. Et quidem 1. id *veterem Eccleſiæ traditionem* in Concilio Nicæno adpellavit Paphnutius. 2. Synodus Neocæſareenſis, uti modo vidimus, depoſitionis pœna multandum ſanxit Presbyterum, qui conjugium adtentaret. 3. Canones ſic dicti Apoſtolici Cantoribus dumtaxat, & Lectoribus uxores accipere permittunt (4). 4. Vix Diaconos excipit nuper productus Canon Ancyranus, qui tamen in ipſa Ordinatione aperte edixiſſent, *oportere ſe uxores ducere, quum non poſſint ſic manere*. Qua in re rigidior fuiſſe videtur Latinæ Eccleſiæ diſciplina, ubi neque Epiſcopi indulgentia poterant Diaconi nuptias contrahere.

VIII. Porro in Occidente jam inde ab IV. ineunte Seculo lex continentiæ imponi cœpit. Patres Illiberitani Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, & omnes Clericos poſitos in miniſterio continentiæ vinculis obſtrictos omnino voluere (5).

Tum

(3) *Euſebius Lib. VI. Cap. 42.* Chæremon erat quidam grandævus Nili Urbis Epiſcopus. Hic una cum *conjuge* in Arabicum montem fuga delatus non ulterius reverſus eſt.

Euſebius lib. VIII. Cap. 9. Hujuſmodi fuit Philoromus .... Hujuſmodi etiam fuit Phileas Eccleſiæ Thmuitarum Epiſcopus ... Cum judex ipſe eos cohortaretur, ut ſui ipſorum miſereri, & uxoribus, ac liberis ſuis conſulere vellent *&c.*

Cyprianus Epiſt. XXXV. al. XL. Numidicus Presbyter *uxorem adhærentem lateri ſuo* concrematam ſimul cum ceteris (vel conſervatam magis dixerim) lætus adſpexit. Ipſe ſemiuſtulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſollicita pietatis obſequio cadaver Patris inquireret, ſemianimis inventus, & extractus, & refocillatus eſt.

Cyprianus Epiſt. XLIX. al. LII. ad Cornelium. Uterus uxoris (Novati) calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus, & damnare nunc audat ſacrificantium manus, quum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius, qui naſcebatur, occiſus eſt.

Ponticus Vit. Cypriani: Erat ſane illi etiam de nobis contubernium viri juſti, & laudabilis memoriæ Cæcilii, & ætate tunc, & honore Presbyteri .... qui de ſeculo excedens, arceſſitione jam proxima commendaret illi conjugem, ac liberos ſuos.

(4) *Canones Apoſt. Can. XXV.* Ex his, qui cœlibes in Clerum pervenerunt, jubemus, ut lectores tantum, & cantores, ſi velint, nuptias contrahant.

(5) *Concilium Illiberitanum Can. XXXIII.* Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios: quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur. *Et Can. XXVII.* Epiſcopus, vel quilibet Clericus alius aut ſororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantum habeat, extraneam vero nequaquam ſecum habeat.

Tum eodem exeunte Seculo Siricius Papa (6) *Epiſt. ad Himerium Tarracon. Cap. VII.* & *Epiſt. IV. ad Africanos cap. 9.* Presbyteris, & Diaconis præcipit, ut ab uxoribus pridem ductis continerent: id quod poſtea Innocentius I. *Epiſt. II. ad Victricium Rothomag.* Leo M. *Epiſt. VIII. ad Anaſtaſ. Theſſal.* (7), aliique deinceps Pontifices confirmarunt: tum & Concilia, uti *Carthaginienſia II.* & *V. Toletanum I. Taurinatenſe, Turonenſe, Arauſicanum* &c. (8). Videſis Thomaſſinum de N. A. Eccleſ. Diſciplina *P. I. L. II. cap.* 61. quibus Decretis potius antiquiſſima Eccleſiæ Occidentalis diſciplina confirmata eſt, quam nova ſanctio evulgata.

IX. Verum non æque feliciter res proceſſit in Oriente. Etenim ſenſim adeo ab primævæ diſciplinæ candore deſciverant Clerici Orientales, uti ſatius illa videretur temperanda, quam ad priſtinam puritatem reducenda. Epiphanius *Hæreſ. LIX. n.* 4. de nonnullorum hac in re ignavia graviter conqueritur; tum ſcribit, vix in Eccleſiis, ubi Eccleſiaſtici Canones adcurate cuſtodiuntur, primigenium illud inſtitutum ſupereſſe (9). Socrates, uti ſupra monuimus, de ſua ætate teſtatur, multos Presbyteros, atque adeo Epiſcopos in ipſo presbyteratu, & Epiſcopatu filios genuiſſe. Nimia, ac prava Agapetarum familiaritas in cauſſa fuiſſe videtur, cur vetus hac in re diſciplina remitteretur, & corrumperetur. Porro tanta, tamque gravis corruptela ſic temperata eſt; ſcilicet, ut relicta Presbyteris, & Diaconis poteſtate ſuis legitimis utendi uxoribus, duntaxat ad Epiſcopatum ii ſolummodo Clerici promoverentur, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem haberent, aut illi

ſaltem

(6) *Siricius Papa Epiſt. I. cap. 7.* Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitæ indiſſolubili lege conſtringimur, ut a die ordinationis noſtræ ſobrietati, ac pudicitiæ & corda noſtra mancipemus, & corpora ... Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua ſanctitas retulit, ignoratione ſe lapſos eſſe deflent, his hac conditione miſericordiam dicimus non negandam, ut ſine ullo honoris augumento in hoc, quo detecti ſunt, quamdiu vixerint, officio perſeverent, ſi tamen poſt hæc continentes ſe ſtuduerint exhibere. *Eadem habet Epiſt. IV. ad Africanos* Cap. 9.

(7) *Innocentius I. Epiſt. ad Victricium Rothomag. Epiſcopum cap. 9.* Præterea quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia animo debet, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus ſuis non coeant, quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur.

S. Leo M. Epiſt. VIII. al. *LXXII. ad Anaſtaſium Theſſalonic. Epiſc. cap.* 4. Nec ſubdiaconibus carnale conjugium conceditur, ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut Levitico miniſterio, aut presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus exiſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria necdum frænaſſe detegitur.

(8) *Concilium Carthaginienſe II. Can. IV.* Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Potentinæ provinciæ Piceni legatus Romanæ Eccleſiæ dixit: Placet, ut Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes ab uxoribus ſe abſtineant? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; placet, ut in omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari inſerviunt. *Concilium Carthag. IV.* Cod. Canonum Eccleſ. Africanæ *Can. XXV.* Placuit, quod & in diverſis Conciliis firmatum eſt, ut ſubdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & diaconi, & presbyteri, ſed & Epiſcopi ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus ſe contineant &c.

Concilium Carthag. V. Can. III. Placuit Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ſecundum propria Statuta etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio.

Concilium Arelatenſe II. Can. II. Adſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in conjugii vinculo conſtitutum, niſi fuerit præmiſſa *al.* promiſſa converſio. Idem ſancitum occurrit *Conc. Toletani I.* Can. I. *Taurinatenſis* Can. VII. *Turonenſis II.* Can. XIII. *Arauſicani I.* Can. XXII.

(9) *Epiphanius Hæreſ. LIX. num.* 4. Eum duntaxat Eccleſia admittit, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus. Quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici Canones adcurate ſervantur. *Tum ibidem fatetur quidem in quibuſdam Eccleſiis Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros a lege cœlibatus receſſiſſe: at ſtatim ſubnectit;* non illud ex Canonis auctoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agit.

Digitized by Google

ſaltem non cohærerent: Juſtinianus *Novella VI. cap.* 1. & 2. (10) Quæ diſciplina in Synodo Trullana *Can. XII.* firmata, ad hæc uſque tempora apud Græcos perſeverat. Illud prætera ex veteri diſciplina in eadem Synodo Trullana *Can. XIII.* ſancitum eſt, nimirum, ut quum clerici æque ſuperiores, ac inferiores ad ſacra peragenda accederent, ab uxoribus abſtinerent.

X. Inferiores ordines quod ſpectat, in quibuſdam Orientalibus Eccleſiis quarto Seculo hypodiaconis, quod jam ad proxime miniſtrandum altari, & ad vaſa ſacra contrectanda admitti cœpiſſent, lex continentiæ indicta eſt: Epiphanius *Heref. LIX.* Conc. Chalced. *Can. XIV.* (11). Idem videtur præſcriptum in Hiſpania a Patribus Illiberitanis: continentiam enim injungunt non modo Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, verum *& omnibus Clericis poſitis in miniſterio* (12). Eadem erat quoque diſciplina Eccleſiæ Romanæ tempore Leonis M. uti patet ex ejus *Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalon.* (13) Peculiaris quidam mos vigebat in Africa, ubi Lectores ad annos pubertatis venientes cogebantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri: Conc. Carthag. *III. Can. XIX.* (14). Verum ſecutis temporibus relicta clericis inferioribus matrimonii contrahendi poteſtate, ſoli hypodiaconi lege continentiæ obſtricti ſunt: id quod Canone univerſali in Eccleſia obtinuit, hodieque obtinet. Confer noſtras Inſtitutiones Canonicas *Lib. I. Tit. XXIX.*

XI. Igitur ut paucis rem omnem complectar: Lex continentiæ primis Seculis in Eccleſia æque Orientali, ac Occidentali antiquiſſimis moribus ab majoribus clericis ſervata eſt: at nulla Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica ſanctione id jubente. Seculo IV. ac V. æque Synodiciis, ac Pontificiis Decretis diſciplina hujuſmodi in Occidente firmata. In Oriente quum clerici ab primævæ puritatis diſciplina reſilirent, tantummodo ad Epiſcopatum nonniſi vel cœlibes, vel continentes promoti: idque per Canones præcipue Trullanos. Denique quod ad Ordines inferiores varia primum fuit Eccleſiarum diſciplina: at poſt in Eccleſia latina ſoli ſubdiaconi continentiæ lege obligati.

(10) *Juſtin. Novell. VI. cap. I. §. 3.* Sancimus . . . dum quiſpiam ad ordinationem Epiſcopatus adducitur, conſiderati prius ejus vitam ſecundum ſanctum Apoſtolum ſi honeſta, & inculpabilis, & undique irreprehenſibilis ſit . . . . Et neque uxori copulatus, ſed aut in virginitate degens a principio, aut uxorem quidem habens, ex virginitate autem ad eum venientem, & non viduam, neque ſejunctam a viro, neque concubinam: Neque filios, aut nepotes habens *&c.*

(11) *Epiph.* Hæreſ. LIX. *Confer* Not. 2. *Conc. Chalced. Can. XIV.* Quia in quibuſdam provinciis conceditur pſalmiſtis, & lectoribus uxores accipere, ſtatuit ſancta Synodus *&c.*

(12) *Conc. Illiberitanum* Can. XXXIII. *Confer* Notam 5.

(13) *Leo M. Epiſt. LXXXII.* ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem: *Confer* Notam 7.

(14) *Conc. Carthag. III. Can. XIX.* Placuit, ut lectores quum ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

CAPUT V.

De Singularibus quibusdam obsequiis, quæ Clericis antiquitus in Eccleſia præstabantur.

§. I. *De Caritate, ac Reverentia, quam ſibi mutuo Clerici exhibuere.*

I. Quum de neceſſariis Clericorum requiſitis, necnon de præcipuis, quas Epiſcopi in Ordinationibus antiquitus ſervarent, Regulis diximus, non abs re erit proximo loco de caritatis, ac reverentiæ indiciis ſermonem inſtitue-

ſtituere, quæ Clericis, officii quod gerebant intuitu, ſemper fuerunt exhibita: ac primo ſpecialiora, quæ ſibi mutuo præſtitere, exponemus. Primum illud erat, ut quum urgente aliqua neceſſitate peregrinarentur, a Fratribus ſuis de Clero, ubicunque eos conſiſtere oportuerit, hoſpitio reciperentur, necnon e publicis Eccleſiæ reditibus alerentur. Hinc crimini vertebatur Epiſcopo, qui Eccleſiæ hoſpitalitatem repudiaret, atque ad alium hoſpitem diverteret. Profectò Socrates, & Sozomenus Epiphanium reprehendere videntur, quod Conſtantinopolim adventans in privato quodam domicilio diverſari maluiſſet, quam in ædibus Eccleſiaſticis, ad quas illum Joannes Chryſoſtomus invitarat, miſſo etiam honoris cauſſa in ejus occurſum univerſo Clero. Quod ſane ceu diremtæ cum eo Eccleſiaſticæ communionis indicium habitum eſt. Profectò Epiphanius ab Theophilo Alexandrino inſtigatus Conſtantinopolim advenerat actionem in Chriſoſtomum intendere paratus (1). Tum ex altera parte ſi cuidam de Clero hujuſmodi occaſione hoſpitium denegaretur, id argumento erat repudiari pacis communicationem, & adpellationem fraternitatis. Audiendus omnino Tertullianus de Præſcript. Cap. XX. *Dum illis eſt*, inquit, *communicatio pacis*, & *adpellatio fraternitatis*, & *conteſſeratio hoſpitalitatis*.

II. Alterum: Quum Epiſcopus, vel Presbyter ad extraneam quandam veniret Eccleſiam, ei honoris cauſſa munus conferri conſuevit, ut in ſacro conventu concionem ad Populum haberet, ſacris operaretur, & Euchariſtiam conſecraret. Hinc Anicetus, teſte Irenæo, Polycarpo in Eccleſia conſecrandi munus honoris cauſſa conceſſit, & quidem ſe præſente, quod Irenæi verba manifeſto produnt (2). Ejuſmodi morem in legem abiiſſe demonſtrant tum Canones Concilii Arelatenſis, & Carthaginienſis, tum & Auctor Conſtitutionum (3). Atque id profectò in cauſſa fuit, cur litteræ Formatæ, ſeu Commendatitiæ in uſu eſſent, ſine quibus ne ad percipiendam quidem Sanctam Euchariſtiam Peregrinum ullum admittere licebat. De Litteris formatis, ac diverſis earundem ſpeciebus *Part. I. Cap. XIII. §. III.* jam ſermonem habuimus.

§. II. *Ad Quemnam ſpectarit lites inter Clericos obortas dirimere.*

III. Si qua inter Clericos ſuboriretur controverſia, proprium erat Epiſcopi, vel Concilii eam dirimere; nec ipſis fas erat ad civilis magiſtratum judicium provocare, graviſſimis in Clericos interminatis pœnis, qui a judicio ſeculari popoſciſſet auxilium: ita Concilia Chalcedonen-

(1) *Socrates Lib. VI. Cap.* 12. Joannem quidem, a quo invitabatur, refugit, ut gratificaretur Theophilo: in privato autem quodam domicilio diverſatus eſt.

Sozomenus Lib. VIII. cap. 14. Eum ingredientem Joannes occurſu Cleri totius honoravit. At vero Epiphanius perſpicue declaravit, quod calumniis adverſus Joannem concinnatis fidem habuiſſet. Invitatus enim, ut ædibus Eccleſiaſticis manere vellet, neutiquam adquievit.

(2) *Irenæus apud Euſebium Lib. V. cap.* 20. Communicarunt ſibi invicem: Et Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſſa conceſſit; tandemque cum pace a ſe invicem diſceſſerant. *In hunc modum Irenæi verba intellexerunt Rufinus*, *aliique veteres apud Valeſium* hic: *quamvis non defuerint*, *qui crediderint Anicetum porrexiſſe duntaxat Polycarpo Euchariſtiam*, *quorum interpretationem rejicit Valeſius ipſe* ibidem.

(3) *Concilium Arelatenſe I. Can. XVIII.* De Epiſcopis peregrinis, qui in urbem ſolent venire, placuit eis locum dari, ut offerant.

Concilium Carthaginienſe IV. Can. XXXIII. Epiſcopi, vel presbyteri ſi cauſſa viſitandæ Eccleſiæ ad alterius Eccleſiam venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conſecrandam invitentur.

Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum Lib. II. Cap. 62. Si quis frater ex parœcia advenerit... ſi Epiſcopus fuerit, cum Epiſcopo ſedeat, eodem honore ab eo acceptus. Rogabiſque eum, Epiſcope, ut ſermonem habeat ad populum docendi cauſſa... deinde, Epiſcope, committe ei, ut offerat Euchariſtiam: ſi vero tanquam ſapiens propter reverentiam erga te offerre noluerit, coge, ut ſaltem benedicat populo.

nenſe, Catthaginienſe III. Veneticum, Cabilonenſe, Matiſconenſe &c. Verum de hoc Capite mox redibit ſermo. Canonem Chalcedonenſem duntaxat liceat hic producere, cujus hæc ſunt verba: *Si quis Clericus habens eum Clerico litem, aut negotium proprium, Epiſcopum non relinquat, & ad ſecularia judicia excurrat; ſed cauſſam prius apud proprium Epiſcopum agat; vel de Epiſcopi ſententia apud eos, quos utraque pars elegerit, judicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis ſubjaceat.*

§. III. *Quænam Cautiones in recipiendis Clericorum Accuſationibus adhibendæ eſſent.*

IV. Porro illud hic omnino animadvertendum, veteres Epiſcopos, & Clericos tantam mutuæ exiſlimationis, ac dignitatis tationem habuiſſe, ut omni ſtudio, ac diligentia id cavere ſategerint, ne falſis quotumvis accuſationibus, & calumniis exponerentur. Hinc 1. in omnibus accuſationibus ſpeciatim contra Epiſcopos, & Presbyteros duo, vel ttes teſtes omnino requirebantur. Ita Canones ſic dicti Apoſtolici (4). Hinc Theodoretus *Lib. I. Cap.* 21. Pſeudo-Synodum Antiochenam eo nomine accuſat, quod Euſtathium Antiochenum Epiſcopum ex unius teſtimonio damnaſſet contra præſcriptum Apoſtolicum: *Adverſus Presbyterum accuſationem ne recipito, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus* (5).

2. Neque hæretici, aut Schiſmatici, neque publici facinoroſi, ac generatim omnes, qui ſceletibus irretiti eſſent, ad dicendum contra Epiſcopos, & Presbyteros teſtimonium admittebantur. Hanc regulam, quum ab Arianis accuſaretur, pro ſe adlegabat Athanaſius (6): *Apolog. ad Conſtant.* urgens ſuos accuſatores eſſe Meletianos, quibus, utpote ſchiſmaticis, fides habenda non eſſet. Tum Concilium Chalcedonenſe *Can. XXI.* diſerte ſtatuit: *Clericos, vel laicos Epiſcopos, aut Clericos accuſantes non indiſcriminatim, nec citra inquiſitionem ad accuſationem recipi debere, niſi eorum exiſtimatio prius examinata fuerit.* Et Conc. Chartaginienſe II. Can. XI. *Placet, ut is, qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem adverſus majores natu non habeat accuſandi.*

3. Concilium Conſtantinopolitanum I. inter propriam, ideſt privatam querelam diſtinguit, & crimen Eccleſiaſticum, ideſt publicum, quod Epiſcopo, vel Preſbytero intendatur. In priori ſtatuit nec accuſatoris perſonam, nec religionem examinari oportere, quum unicuique, cujuſcunque ſit religionis, jus ſuum perſequi liceat. In poſteriori vero accuſatorum perſonas examinari oportere (7).

4. Tandem, ſi qua falſa adverſus Clericos ſive publice, ſive privatim fieret accuſatio, in delinquentem ſevere, ac vehementer vindicabatur. Hinc Canones Apoſtolici Can. XLVII. *Si quis Clericus Epi-*

(4) *Canones Apoſtolici Can. LXXIV.* In teſtimonium adverſus Epiſcopum hæreticus ne admittatur: ſed nec unus ſolus fidelis. In ore enim duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

(5) *Theodoret. Lib. I. Cap.* 21. Quum illi neminem objecti criminis teſtem habere ſe dicerent, æquiſſimi judices jusjurandum ei detulerunt: idque quamvis lex diſerte clamaret, ea, quæ dicuntur, duorum, aut trium teſtimonio confirmari oportere: & Apoſtolus aperte præcipiat, ne quidem contra presbyterum admittendam eſſe accuſationem abſque duobus, aut tribus teſtibus.

(6) *Athanaſ. Apolog. ad Conſt.* Ecce novam his licet evidentiſſimis argumentis acceſſionem . . . præſentibus ſcilicet nobis nihil probaſſe accuſatores adverſus Macarium presbyterum, abſentibus arbitrio ſuo rem geſſiſſe. Cujuſmodi Acta minime valere primo divinis, deinde noſtris legibus decernitur.

(7) *Concilium Conſtantinopolitanum I. Can. VI.* Si quis propriam querelam, ideſt privatam intendat Epiſcopo, ut oppreſſus, vel alias injuria aliqua ab ipſo adfectus: in ejuſmodi accuſationibus nec accuſatoris perſonam, nec religionem examinari . . . Si autem ſit crimen Eccleſiaſticum, quod Epiſcopo intenditur, tum examinare oportet perſonas accuſatorum, ut primum quidem hæreticis non liceat orthodoxos Epiſcopos de rebus Eccleſiaſticis accuſare.

Digitized by Google

Epiſcopum contumelia adfecerit, deponatur; & Canon Illiber. LXXV. *Si quis Epiſcopum, vel Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus adpetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem.*

CAPUT VI.

De Clericorum a Judiciis Secularibus Exemtione.

§. I. *Num Clerici ad dicendum Teſtimonium in Judicium Seculare trahi potuerint.*

I. Pientiſſimus Imp. Conſtantinus inter bene multa, quæ pro ſua religione, ac pietate Epiſcopis exhibuit reverentiæ indicia, illud hac in re primo lege quadam decrevit: nimirum, *ut teſtimonium, ab uno licet Epiſcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, quum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum:* Cod. Theodoſ. *Lib. XVI. Tit. XII. Leg.* 1.

II. Hoc Epiſcoporum Privilegium nova prærogativa auxit Juſtinianus, qui lege quadam *Novell. CXXIII. Cap.* 2. ſancivit, ut nullus ſecularis Judex *Epiſcopos cogat ad judicium venire pro exhibendo teſtimonio: Sed Judex mittat ad eos quoſdam ex perſonis miniſtrantium ſibi, ut propoſitis ſanctis Euangeliis, ſecundum quod decet Sacerdotes, dicant, quæ noverint.* Hinc illud quoque privilegium a Juſtiniano Epiſcopis conceſſum eſt, ut *quum eorum teſtimonium privatim reciperetur, non ut alii teſtes jurejurando, ſed fide duntaxat ſua propoſitis Euangeliis illud firmarent.* Quam Juſtiniani Legem ſecuta Synodus Triburicenſis *Can. XXI.* ſtatuit: *ut Presbyter vice juramenti per Sanctam conſecrationem interrogetur, quia Sacerdotes ex levi cauſſa jurare non debent.* Hanc prærogativa ante Juſtiniani tempora ne ipſi quidem Epiſcopi fruebantur. Concilium enim Chalcedonenſe jusjurandum ab Epiſcopis Ægyptiacis requiſivit (1). Quod & ab Iba Epiſcopo Edeſſeno Concilium quoque Tyrium poſtulavit (2).

III. Presbyteri quoque, licet ad dicendum teſtimonium in publicum judicium evocari poſſent, attamen ex Lege quadam Theodoſii adhibitis flagris, tormentiſve ad veri confeſſionem cogi non poterant (3). Namque Leges Romanæ gravibus quæſtionibus teſtes ad veritatem declarandam adduci ſinebant: uti ex Legibus imperatoriis, & ex Auguſtino, & Syneſio licet colligere (4).

§. II. *De Clericorum in Cauſſis pure Eccleſiaſticis a Judiciis Secularibus Exemtione.*

IV. Potiſſimum, quod ab Imperatoribus Clericis tributum eſt Privilegium, Exemtio eſt a Judicum Secularium Cognitione in diverſis Cauſſarum generibus.

 Jam

(1) *Conc. Chalcedonenſe Actione IV.* Permanentes in proprio habitu Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum, aut dent fidejuſſores, ſi hoc illis eſt poſſibile: aut *per Sacramentum eis credatur*, quia exſpectant *&c.*

(2) *Concilium Tyr. in Act. IX. Conc. Chalced.* Super hoc nos *exigimus Sacramentum* a religioſiſſimo Epiſcopo Iba, qui eum *&c.*

(3) *Codex Theodoſ. Lib. XI. Tit. XXXIX. Leg.* 10. & *Cod. Juſtinian. Lib. I. Tit. III. Leg.* 8. Presbyteri citra injuriam quæſtionis teſtimonium dicant; ita tamen ut falſa non ſimulent ... ſalva tamen ſit litigatoribus falſi actio, ſi forte Presbyteri, qui ſuo nomine ſuperioris loci teſtimonium dicere citra aliquam corporalem injuriam ſunt præcepti, hoc ipſo, quod nihil metuant, vera ſuppreſſerint: Multo magis enim pœna digni ſunt, quibus quum plurimum honoris per noſtram juſſionem delatum ſit, occulto inveniuntur in crimine.

(4) *Codex Theodoſ.* Lib. XIII. Tit. IX. Leg. 2. *Codex Juſtinian.* Lib. IX. Tit. XL. *Auguſtinus* Serm. XLIX. de diverſis, *Syneſius* Epiſt. LIX.

Jam vero, ut in hac re via, & ordine noſtra procedat tractatio, quatuor cauſſarum genera omnino diſtinguere oportet. Quædam enim pure Eccleſiaſticæ erant; E. g. crimina contra Fidem, vel Morum Regulas, in quas pœnis canonicis animadvertendum erat. Quædam vero mere civiles, & pecuniariæ, quæ inter Clericum, & Laicum vertebantur. Aliæ ad res politicas attinebant, quæque *atrocia delicta* in Legibus adpellantur; uti crimen læſæ Majeſtatis, rebellio, rapinæ, homicidia &c. Aliæ tandem ad civilem quoque politiam ſpectabant, ſed quæ minus graviter in eam offendebant, quæque in legibus *levia delicta* dicuntur.

V. Ac primo ad cauſſas mere Eccleſiaſticas quod attinet, in his Clerici a Judicum Secularium cognitione omnino exemti fuere. Extant hac de re perſpicuæ leges Conſtantii, Theodoſii M. Valentiniani, aliorumque Imperatorum, quas Valentinianus III. & Juſtinianus ſuis Novellis firmarunt. Idem quoque elucet ex veterum Conciliorum æque Orientalium, ac Occidentalium Canonibus, quorum veluti hiſtoriam hic texere ſupervacaneum haud ducimus.

VI. Ac 1. in Concilio Nicæno *Can. V.* ſancitum eſt, ut *per ſingulos annos in ſingulis provinciis bis in anno Epiſcoporum Concilium fiat, ut ſimul in unum convenientes ex communi provincia ejuſmodi examinent* Eccleſiaſticas *quæſtiones*.

2. Conc. Conſtantinopolitanum I. Can. VI. *Sed ſi nonnulli . . . dicant ſe habere aliquas adverſus Epiſcopum criminationes; eos jubet S. Synodus primum quidem apud Provinciæ Epiſcopos accuſationem perſequi . . . Quod ſi evenerit, ut provinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum Diœceſeus*.

3. Concilium Chalced. *Can. VII.* pœnis etiam canonicis in Clericos illos animadvertendum decrevit, qui *lites ſuas, proprio Epiſcopo poſthabito, ad ſecularia fora deferrent*. Conſtituta pœna non equidem levis fuit; erat enim dignitatis amiſſio, uti patet ex Conc. Carthag. III. *Can. IX.* quo ſtatuitur, *ut quiſquis Epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, vel aliorum Clericorum, ſi relicto Eccleſiaſtico judicio, publicis, ſive ſecularibus judiciis contendit, etiamſi pro ipſo lata fuerit ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali judicio. In civili perdat, quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit*.

4. Idem jam ſanxerat Concilium Carthag. I. Can. XI. *Clerici, qui ſuperbi, vel contumelioſi ſunt, coerceantur . . . . . Unde ſi quis tumidus, vel contumelioſus extiterit in majorem natu, vel aliquam cauſſam habuerit, a tribus vicinis Epiſcopis, ſi Diaconus eſt, arguatur, ſi Preſbyter a ſex, ſi Epiſcopus a duodecim*.

5. Idem quoque præſcripſere Concilium Carthag. IV. Can. IX. *Diſcordantes Clericos Epiſcopus, vel ratione, vel poteſtate ad concordiam trahat: inobedientes Synodus per audientiam damnet*.

6. Innocentius I. Epiſt. ad Victricium Rothomag. Cap. 3. *Si quæ autem cauſſæ, vel contentiones inter Clericos tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum Synodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur*.

7. Concilium Tolet. III. Can. XIII. quo vetantur *Clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo, ad judicia publica pertrahere*: dein ſubjungitur: *Si quis hoc præſumſerit facere, & cauſſam perdat, & a communione efficiatur extraneus*.

8. Concilium Pariſienſe an. 615. *Nullus Judicum neque presbyterum, neque diaconum, neque clericum ullum, aut juniores Eccleſiæ ſine licentia* al. ſcientia *Pontificis per ſe diſtringat, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tandiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum agnoſcat*, al. corrigat, *& emendet*. Eadem exhibent, quæ poſtea deinceps habita ſunt, Concilia.

VII. Hanc Epiſcoporum in cognoſcendis Clericorum cauſſis poteſtatem tantum abeſt, ut Imperatores imminuerint, ut potius legibus perlatis, & exemplis confirmarint. Et re quidem vera 1. Conſtanti-

ſtantinus M. in Synodo Nicæna quum ab Epiſcopis multarum accuſationum libellos ſibi delatos accepiſſet, eos comburendos juſſit, inquiens: *Vos Dii eſtis a vero Deo conſtituti: ite, & inter vos cauſſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt, ut judicemus Deos*: Euſebius de Vita Conſt. *Lib. III. Cap.* 10. Rufinus *Lib. I. Cap.* 2. Tum ipſemet Imperator cauſſam Cæciliani Epiſc. Carthag. Epiſcoporum Synodis definiendam commiſit: Optatus Milev. *Collat. contra Donatiſtas*, Euſebius *Lib. X. Cap.* 5. (5).

2. Tum Conſtantius an. 354. lege lata prohibuit Epiſcopos in judiciis, ſcilicet ſecularibus, accuſari ..... *Si quid eſt igitur querelarum, quod quiſpiam defert, apud alios potiſſimum Epiſcopos convenit explorari, ut opportuna, atque commoda cunctorum quæſtionibus audientia commodetur*. Cod. Theodoſian. *Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 12. Profecto tum Patres Sardicenſes *Epiſt. apud Athanaſium Apol. II. pag.* 582. tum S. Hilarius Pictavienſis ſupplici libello apud Conſtantium hoc inter cetera poſtularunt, *ut Judices, quibus Provinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura, & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religioſa ſe obſervantia abſtineant, neque poſthac præſumant, atque uſurpent, & putent ſe cauſſas cognoſcere Clericorum*.

3. Eandem in cauſſis duntaxat Eccleſiaſticis immunitatem Clericis omnibus tributam voluere Valens, Gratianus, & Valentinianus: ad Valentinianum enim Juniorem de ipſius patre in hunc modum ſcripſit Ambroſius Ep. XXXII. *Auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit: in cauſſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis*. *Hæc enim verba Reſcripti ſunt: h. e. Sacerdotes voluit de Sacerdotibus judicare*. Et in Cod. Theod. *Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 23. eorundem Imperatorum ſanctio occurrit, quæ ſic ſe habet: *Qui mos eſt cauſſarum civilium, iidem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendi ſunt: ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis ad religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & a ſuæ Diœceſeos Synodis audiantur*.

4. Tum Theodoſius M. Cod. Theodoſ. ibid. Tit. Ult. Leg. 3. *Continua lege ſancimus: nomen Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt; ne ad judicia ſive ordinariorum, ſive extraordinariorum judicum pertrahatur: habent illi judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad cauſſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali auctoritate decidi*.

5. Arcadius quoque, & Honorius ibid. Tit. XI. Leg. 1. *Quotiens de Religione agitur, Epiſcopos convenit judicare: ceteras vero cauſſas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad uſum publici juris pertinent, Legibus oportet audiri*.

6. Adhæc Valentinianus III. Novella XII. ad calcem Cod. Theodoſ. *Quum inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromiſſi. Quod & de laicis, ſi conſentiat, auctoritas noſtra permittit: Quoniam conſtat Epiſcopos, & Presbyteros forum legibus non habere; nec de aliis cauſſis (ſecundum Arcadii, & Honorii diva-*

(5) *Optatus Milevit. Collat. Carthag. Cognit. I.* §. 4. Et quamvis una ſit omnium, & manifeſta ſententia, catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu, & cæleſti ſententia comprobatam, ſtudio pacis, & gratiæ, venerabilium virorum Epiſcoporum legationem libenter admiſimus; quæ congregari Donatiſtas Epiſcopos ad cœtum celeberrimæ deſiderat civitatis, ut electis etiam ſacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis diſputationibus ſuperſtitionem manifeſta ratio confutet.

Epiſtola Conſtantini Imperat. apud Euſeb. lib. X. cap. 5. Placuit mihi, ut idem Cæcilianus una cum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur, & cum decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino Collegis veſtris, quos ea cauſſa Romam properare juſſit, poſſit audiri, quemadmodum ſanctæ legi convenire optime noſtis.

Digitized by Google

divalia conſtituta, quæ Theodoſianum corpus oſtendit) præter religionem poſſe cognoſcere.

7. Poſtremo Juſtinianus Leg. XXIX. §. 4. Cod. de Epiſc. Audient. *Hæ autem actiones, ſiquidem ad Eccleſiaſtica negotia pertinent, neceſſe fore jubemus, ut a ſolis religioſiſſimis Epiſcopis, aut Metropolitanis, aut a ſacris Synodis, aut ſanctiſſimis Patriarchis cognoſcantur*. Et Novella LXXXIII. *Si vero Eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione Eccleſiaſtica, & multa, Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino ſcire civiles judices, quum oporteat talia Eccleſiaſtice examinari*.

VIII. Verum in hactenus productis Legibus Imperatoriis animadvertere eſt ejuſmodi ſanctiones, cauſſas, & quæſtiones Eccleſiaſticas Ἐκκλησιαστικὰ ζητήματα reſpicere. Hoc indicant clauſulæ in ipſis adpoſitæ: *In cauſſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis... ad religionis obſervantiam pertinentia.... quantum ad cauſſas tamen Eccleſiaſticas pertinet... quotiens de religione agitur... nec de aliis cauſſis præter religionem poſſe cognoſcere... ſiquidem ad Eccleſiaſtica negotia pertinent* &c. Canones vero Eccleſiaſtici prius adlati, quum de cauſſis Clericorum generatim loquantur, potiori quodam jure de cauſſis Eccleſiaſticis intelligendi ſunt.

§. III. *De Civilibus Clericorum cauſſis*.

IX. Quod vero ad cauſſas mere civiles, & pecuniarias id juris obtinebat: nimirum vel inter Clericos intercedebant, & tunc Epiſcopi erat illas cognoſcere; vel inter clericum, & laicum, & tunc integrum erat laico ſive actori, ſive reo adverſus clericum in ſuo foro, vel actionem intendere, vel jus ſuum tueri, neque cauſſam ſuam ad Eccleſiaſticum judicem deferre cogebatur, niſi ex compromiſſo hujuſmodi conditioni ſeſe ſubjeciſſet.

X. Primum quam evidenter oſtendunt modo productæ Eccleſiaſticæ ſanctiones, quibus cauſſæ, quæ inter Clericos excitantur, Epiſcopo, vel Synodo provinciæ diſcutiendæ, ac terminandæ reſervantur: ac præſertim 1. Canon Chalced. IX. *Si quis Clericus habet cum Clerico litem, aut negotium, proprium Epiſcopum non relinquat, & ad ſecularia judicia excurrat* &c.

2. Quibus addeſis *Canonem XI.* Concilii Cabilonenſis I. quo excommunicationis pœna infligitur in judices, qui *publice contra veteranam conſuetudinem per omnes parochias, vel monaſteria, quæ mos eſt Epiſcopis circumire, ipſi illicita præſumtione videantur diſcurrere; etiam & Clericos, & Abbates, ut eis proponant invitos, atque diſtrictos ante ſe faciant exhiberi: quod omnimodis nec religioni convenit, nec Canonum permittit auctoritas*.

Tum 3. & *Canonem VIII.* Syn. Matiſconenſis I. quo ſancitur: *Ut nullus Clericus ad judicem ſecularem quemcunque alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſſam dicendam trahere quocunque modo præſumat, ſed omne negotium clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præſentia finiatur*.

XI. Alterum plures quoque Conciliorum canones efferunt; quorum tamen plerique petendam Epiſcopi veniam jubent. Ita 1. Concilium Epaonenſe *Can. XI.* juxta Sirmondi editionem: *Clerici ſi pulſati fuerint, ſequi ad ſeculare judicium non morentur*.

2. Conc. Aurelianenſe III. Can. XXXI. *Clericus cujuslibet gradus ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſeculare judicium præſumat adtrahere. Neque laico, inconſulto ſacerdote, Clericum in ſeculare judicium liceat exhibere*.

3. Conc. Aurelianenſe IV. Can. XIII. *Si quis judicum Clericos... publicis actionibus adplicare præſumſerit, ſi a ſacerdote admonitus emendare noluerit, cognoſcat ſe pacem Eccleſiæ non habere*. Et Can. XX. *Ut nullus ſecularium perſonarum, prætermiſſo Pontifice, ſeu præpoſito Eccleſiæ, quemquam Clericorum pro ſua auctoritate conſtringere, diſcutere audeat*. Idem præſcribunt & aliæ, quæ ſecutis temporibus celebratæ ſunt Synodi.

XII.

XII. Conſonant & Leges Imperatoriæ; ac præcipue 1. Novella XII. Valentiniani ad calcem Cod. Theodoſ. *In clerico petitore conſequens erit, ut ſecundum leges pulſati forum ſequatur, ſi adverſarius ſuus ad Epiſcopi, vel Presbyteri audientiam non præſtat adſenſum*.

2. Marcianus Leg. XIII. Cod. de Epiſc. Audient. *Decernimus ut quicunque ... ſive de Eccleſiaſticis, ſive de propriis, & ad ipſum ſolum pertinentibus cauſſis quemcunque earundem Eccleſiarum Clericum aliqua voluerit lite pulſare, apud memoratum beatiſſimum Archiepiſcopum cauſſam dicat... Volentibus tamen actoribus pateat Epiſcopale judicium, ac nullus, qui hujuſcemodi intendit in ſacroſanctas Eccleſias, vel in prædictos Clericos actionem, ad religioſiſſimum Antiſtitem ducatur invitus*. Non abſimili ratione idem Imp. loquitur in *Leg. XXV. Cod. de Epiſc. & Cler.*

3. Jam vero Leo, & Anthemius *Leg. XXXIII. Cod. de Epiſc. & Cler.* ſanxerunt, ut Sacerdotes, & Clerici *cujuſcunque gradus ſint, monachi quoque in cauſſis civilibus ... apud ſuos Judices ordinarios, ideſt Provinciarum Rectores, in quibus locis degunt, omnium contra ſe agentium excipiant actiones:* ipſis duntaxat prærogativa indulta: *Ne ad extranea judicia pertrahantur*. Tum Baſiliſcus Tyrannus haud parum Clericorum immunitatem deminuit. Verum Leonis Imp. Decretum illuc tantummodo reſpexiſſe videtur, ſcilicet quum Clericus adverſus laicum ageret: Baſiliſci autem acta omnino reſcidit Leo junior, ac veterem immunitatis prærogativam denuo in integrum Clericis reſtituit: *Leg. XVI. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* firmavitque Juſtinianus Leg. XXIX. Cod. de Epiſc. Audient. ubi ſtatuit, *ut nemo Clericus ab aliquo ſive clerico, ſive laico ab initio apud provinciæ Patriarcham accuſetur, ſed juxta ſacra inſtituta apud Epiſcopum civitatis, in qua clericus verſatur: tum ſi is ſuſpectus eſt, apud Metropolitanum Epiſcopum reum agat*.

§. IV. *De Cauſſis criminalibus Clericorum, earumque cognitione.*

XIII. Imperatores duplex criminum genus diſtinctum voluere: ſcilicet leviora, & graviora. Leviora Epiſcoporum cognitioni fuiſſe a legibus reſervata tum 1. ex Ambroſio deducunt, qui ſupra producto loco: *Quin etiam*, inquit, *ſi alias quoque argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale judicium pertinere;* quod ad leves duntaxat cauſſas trahunt Gothofredus in *Leg. XXII. Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* & Petrus de Marca Diſſert. in Caput *Clericus*.

Tum 2. ipſimet Auctores inferunt ex Lege Valentiniani, & Gratiani *ibidem Leg. XXIII.* quæ in hunc modum habet: *Si qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis ad Religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & a ſuæ Diœceſeos Synodis audiantur*.

XIV. Quod vero in eadem Lege ſtatim addatur: *Exceptis, quæ actio ab ordinariis, extraordinariiſque judicibus, aut illuſtribus poteſtatibus audienda conſtituit*: inde deducunt, Clericos in gravioribus quibuſdam criminibus a Judicum ſecularium poteſtate non prorſus fuiſſe immunes: tum ex aliis quoque Legibus in eodem Codice exſtantibus eruunt jure imperiali tunc temporis atrociora quædam, licet a Clericis perpetrata crimina, publicis Magiſtratibus punienda fuiſſe adſignata. Ac 1. ſaltem de criminibus gravioribus intelligendam contendunt ſuperius adlatam Arcadii, & Honorii legem, ubi poſt verba: *Quotiens de Religione agitur, Epiſcopos convenit judicare*: ſtatim ſubnectitur: *ceteras vero cauſſas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad uſum publici juris pertinent, legibus oportet audiri*.

2. Leg. XX. Cod. Theod. *ibid.* vetantur Clerici, & continentes viduarum, & pupillarum domus, ut inde opes, vel hereditates, aucupentur, adire, adjecta pœna: *Publicis exterminentur judiciis, ſi poſthac eos ad fines earum vel propinqui putaverint deferendos*.

Va-

3. Valentinianus Sen. Novel. XII. *ibid.* poſt adſertam Clericis in negotiis Eccleſiaſticis immunitatem ſubjicit: *In reliquis negotiis criminalibus, juxta legum ordinem, per ſe judicium ſubire cogantur.*

4. Idem Imp. Novella V. de Sepulcr. Violat. *Quiſquis*, inquit, *ex hoc numero Clericorum ſepulcrorum violator exſtiterit, illico clerici nomen amittat, & ſic ſtilo præſcriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur.*

5. Quum in conflictibus, qui in electione Damaſi Papæ exarſerunt, plurimi interiiſſent, *multos tam clericos, quam laicos a Maximino tunc Præfecto Urbis ſupplicio adſectos fuiſſe*, teſtatur Socrates *Lib. IV. Cap. 9.*

XV. At qui hic volunt in hujuſmodi atrociorum criminum cauſſis Clericos non fuiſſe ab civili poteſtate omnino exemtos, fateantur tamen oportet ipſis, ac præcipue Epiſcopis datum fuiſſe ſuas defenſiones per Procuratores, non per ſeipſos proferre: Valentinianus Novell. XII. *Si in hujuſmodi ordinis homines* Epiſcopos *actionem pervaſionis, & atrocium injuriarum dirigi neceſſe fuerit, per Procuratorem ſollemniter ordinatum apud Judicem publicum inter leges, & jura confligant . . . Quod iis religionis, & Sacerdotii veneratione permittimus: Nam notum eſt procurationem in criminalibus negotiis non poſſe concedi: Sed ut ſit ulla diſcretio meritorum, Epiſcopis, & presbyteris tantum id oportet impendi.*

XVI. Porro ſub Juſtiniano Imperatore magis ſe explicuit Clericorum a Judiciis ſecularibus immunitas. Hic enim Imperator 1. *Novella LXXIX.* omnes prorſus Monachorum, Sanctimonialium, Virginum Deo ſacrarum, ac mulierum in Monaſteriis conſiſtentium cauſſas Epiſcopis reſervatas voluit.

Tum 2. *Novella LXXXIII.* edixit quidem, ut Clericorum crimina a Præſidibus Provinciarum cognoſcerentur; at judicio extraordinario, ſcilicet *non tranſcendente lite duorum menſium ſpatium, & ad ſacrorum Canonum præſcriptum*: unde potius in favorem Eccleſiæ, quam in præjudicium immunitatis Eccleſiaſticæ Conſtitutionem illam emanaſſe tradit Gonzaleſius *ad Cap. 8. de Judiciis.*

3. Demum *Novella CXXIII. Cap. 8. & 21.* Epiſcopos, ceteroſque Clericos, etiam in cauſſis criminalibus, omnino a publicis judiciis immunes voluiſſe videtur. Namque *Cap. 8.* ſic decernit: *Sed neque pro qualibet pecuniaria cauſſa, vel criminali Epiſcopum ad judicem civilem, vel militarem invitum producere, aut exhibere citra imperialem juſſionem permittimus.* Tum Cap. 21. *Si crimen fuerit, quod adverſus quamlibet memoratarum perſonarum*, Clericorum, Monachorum, Diaconiſſarum, Monaſtriarum, Aſcetriarum *inferatur, ſi quidem apud Epiſcopum aliquis accuſatur, & ipſe veritatem invenire potuerit, ab honore, aut gradu hunc ſecundum Eccleſiaſticas regulas dejiciat, & tunc competens judex hunc comprehendat, & ſecundum leges litem examinans cauſſæ finem imponat.*

XVII. Idem quoque juris in Italia obtinuiſſe tum ex pluribus evincitur, tum vel maxime ex eo, quod ſub Theodorico Italiæ Rege omnes Romanorum leges, atque adeo quæ ad Eccleſiarum, Clericorumque immunitatem ſpectabant, nulla in parte fuerint antiquatæ: uti fuſe oſtendit Muratorius *Annalium Ital. ad an.* 513. Quinimmo ex pluribus Theodorici apud Caſſiodorum Epiſtolis liquet, Regem ipſum omnes perſonales Clericorum cauſſas non civiles modo, verum & criminales Epiſcopis dijudicandas reliquiſſe.

XVIII. Clericorum ab judiciis ſecularibus immunitas, quam Sacris Canonibus, legibuſque imperialibus conſtituere ſategimus, naturali etiam æqnitati conformis eſt; unde apud Gentiles, præcipue vero apud Romanos, Pontifici inferiores parebant Sacerdotes. Ad rem Conc. Aurelian. IV. Can. III. *Quod lex ſeculi etiam paganis Sacerdotibus, & miniſtris ante præſtiterat, juſtum eſt, ut erga Chriſtianos ſpecialiter conſervetur.* Et ſane convenit, ut Clericorum negotia ea tranquillitate, ac ſanctitate, qua par eſt, tractentur, neque *Clerici a ſacris amoveantur obſequiis*, uti loquitur Juſtinianus indicata *Novella CXXIII.*

C A-

CAPUT VII.

De Clericorum ab Tributis, aliisque honorificis, sordidisque muneribus exemptione.

§. I. *Quid perſonalis, quid realis immunitas.*

I. Profecto præcipuum Clericorum privilegium illud ſemper eſt habitum, quod tum 1. ab publicis, ſordidiſque muneribus, tum 2. ab tributis, & vectigalibus, tum 3. ab judiciis ſecularibus immunes fuerint. De tertio hoc exemtionis genere jam egimus *Capite ſuperiori*. Primum igitur, ac alterum, nimirum perſonalem, & realem clericorum Immunitatem hic tantummodo explanare adgredimur.

II. Principio autem ſtatuendum quid realis, quid perſonalis immunitatis nomine veniat. Realis dicitur Immunitas, qua bona Eccleſiarum, & Clericorum a tributis, vectigalibus, oneribuſque aliis laicalibus eximuntur.

III. Perſonalis vero Immunitas ita dicta, quod perſonas Eccleſiaſticas ſpectet, ea eſt, quæ clericos ab oneribus perſonalibus, quæ corpore geruntur, eximit: Juſtinianus *Cod. de Epiſc. & Cleric. Leg. I. cum ſequentibus*. Primum de Perſonali, dein de Reali Clericorum Immunitate lubet verba facere.

§. II. *De Perſonali Clericorum immunitate.*

IV. Perſonalem Clerici immunitatem fidei luce præeunte, Epiſcoporumque conſilio, & hortatu primus indulſit Conſtantinus M. uti refert Euſebius *Lib. X. Cap. 7.* (1).

V. Ad perſonalem immunitatem 1. pertinet exemtio ab eo tributorum genere, quod *cenſus Capitum*, ſive *Capitatio* dicebatur; quæ vel humana erat, ſive animarum, ſcilicet per quam ætatem quiſque ſuam ſignificabat, ut inde conſtaret, num tributo onerandus quis eſſet, an non. Vel terrena erat, ſive agrorum; tributum ſcilicet, alias *Κανὼν Canon* dictum, quod ab hominibus ratione agrorum, & poſſeſſionum ſuarum exigebatur. De terrena mox redibit ſermo. Ad humanam quod ſpectat, profecto ab ea non modo Clericos, verum & eorundem conjuges, liberos, ſervos, & ancillas omnino fuiſſe exemtos conſtat ex binis Conſtantii Imp. legibus (2).

(1) *Euſebius Lib. X. Cap. 7.* Eos homines, qui huic religioni miniſtrant, quos Clericos vocare conſueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conſervari, ne errore aliquo, aut caſu ſacrilego a cultu ſummæ divinitati debito abſtrahantur; ſed potius ut abſque ulla inquietudine propriæ legi deſerviant.

(2) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 10. Clericis, ac Juvenibus præbeatur immunitas . . . Quod & conjugibus, & liberis eorum, & miniſteriis, maribus pariter, ac feminis indulgemus: Quos a cenſibus etiam jubemus perſeverare immunes: *Et ibidem Leg.* 14. Omnibus Clericis hujuſmodi prærogativa ſuccurrat, ut conjugia Clericorum, ac liberi quoque, & miniſteria (id eſt mares pariter, ac feminæ) eorumque etiam filii immunes ſemper a cenſibus, & ſeparati ab hujuſmodi muneribus perſeverent.

Jacobus Gothofred. Comment. in Cod. Theodoſ. Lib. XI. Tit. I. Leg. 5. *cenſet ejuſmodi immunitatem ſub Imperatoribus Chriſtianis peculiare non fuiſſe clericorum privilegium, ſed omnibus imperio Romano ſubjectis commune. At Vir Clariſſ. prorſus fallitur. Etenim, uti perſpicue demonſtrat Joſephus Binghamus* Origin. Eccleſ. Lib. V. Cap. III. §. 2. *eadem immunitas, ceu ſpecialis quædam prærogativa binis Valentiniani legibus tributa etiam reperitur tum in perpetua virginitate voventibus, viduis, ac pupillis ad vigeſimum uſque ætatis annum; tum & pictoribus, eorumque uxoribus, ac liberis:* Ibidem Lib. XIII. Tit. X. Leg. 4. & Tit. IV. Leg. 4. *Præterea Nazianzenus* Ep. CLIX. & *Baſilius* Epiſt. CCLXXIX. *apud Imperatores de quibuſdam tributorum, & cenſus exactoribus conqueruntur, ubi clericos in tabulas cenſuales referebant, quaſi nulla ipſis hac in re indulta eſſet immunitas.*

Digitized by Google

VI. Ad idem immunitatis genus referri quoque poſſe videtur exemtio ab onere hoſpitii, quod Romanis *Metatum* (3) dicebatur; cujus vi Imperatoris aulæ ſtipatoribus, judicibus, atque militibus hoſpitia, & alimenta præbenda erant, quum officii ſui cauſſa per provincias iter facerent. Hanc immunitatem Clericis conceſſit Conſtantinus (4).

VII. Tum Clerici ab publicis æque honorificis, ac ſordidis muneribus exemti erant: ſit igitur primo

§. III. *De Clericorum ab publicis honorificis muneribus exemtione.*

VIII. Honorifica habebantur munera *Municipalia*, quæ etiam *Curialia* dici conſueverunt, quod qui ea ſuſtinebant, *Curiales* nuncupaverunt. Iſtiuſmodi erant *Pecuniarum civitatis publicarum adminiſtratio*, *Exactio annonarum*, *Judicum præcepta exſequi*, *ſuſceptores ſuo periculo nominare*, *Manſionum*, *pagorum*, *ac horreorum Reip. curam gerere*, aliaque hujus generis a Jacobo Gothofredo recenſita in ſuo Cod. Theod. in Paratitlo *Tit. I. de Decurionibus Lib. XII.* Porro ab his Clericos prorſus exemtos voluit Conſtantinus. Exſtat apud Euſebium *Lib. X. Cap. 7.* egregia ejuſdem Imperatoris Epiſtola ad Annlinum Africæ Præfectum an. 313. data, qua Clericos ab omnibus *publicis functionibus immunes conſervari* decernit: ſcilicet *ne a cultu ſummæ divinitati debito abſtrahantur.*

IX. Tum idem Imperator ſex circiter poſt annis aliam hac de re legem tulit, quæ ſic habet: *Qui divino cultui miniſteria religionis impendunt ab omnibus omnino muneribus excuſentur: ne ſacrilego livore quorundam a divinis obſequiis avocentur:* Leg. 2. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler. Huc quoque reſpexiſſe videtur lex Valentiniani, & Gratiani, quæ in utroque Codice exſtat (5). Atque perſonalis hæc immunitas, quippe quæ Clericis omnino conveniens, ſcilicet *ne a ſuis officiis avocentur*, prima eſt, quam Clericis indultam reperiamus.

X. Quum vero nonnulli hujuſce immunitatis beneficio abuterentur, dum ad declinanda provinciæ ſuæ munia titularem quandam ordinationem aucupabantur; hinc tum ab ipſomet Conſtantino, tum deinceps ab ejus ſucceſſoribus adverſus hujuſmodi abuſionem variæ leges promulgatæ ſunt.

XI. Ac primo Conſtantinus, qui eam immunitatem indiſcriminatim omnibus Clericis conceſſerat privata bona ſive poſſiderent, ſive non, lege lata vetuit, *ne ullus dives de plebe, quem æquitas ad publica traheret munera, & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignoſceretur, clericorum ſe conſortio ſociaret. Tum ſi quis poſt evulgatam legem id faceret, ex ſtatione ſua dimittatur, & curiæ ad explenda munia reſtituatur:* Leg. III. & VI. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.

XII. Verum hæc Conſtantini ſanctio tractu temporis Eccleſiæ quammaximo fuit detrimento. Ejus enim prætextu identidem Presbyteri, & Diaconi a litigioſis hominibus ad obeunda Provinciæ munia adigebantur. Qua de re, qui ſecuti ſunt Imperatores, ut huic malo proſpicerent, ſuis legibus Conſtantini ſanctionem moderarunt.

XIII. Ac 1. Conſtantius omnes Epiſco-

(3) Metatum *nuncupabatur a vocabulo* Metatores, *quod imperatorios hoſpitiorum deſignatores ſignificat, qui diverſorium, & alimentorum parandorum cauſſa præmittebantur. Unde Lucianus M. apud Cyprianum* Epiſt. XX. al. XXII. *Decium Imperatorem graviſſimæ in Chriſtianos perſecutionis auctorem Antichriſti* Metatorem *adpellat; quippe qui ſua perſecutione eidem in mundum adventanti quaſi hoſpitium præparare videretur. Et Cyprianus ipſe de Rogatiano quodam Chriſtiano Carthaginienſi presbytero loquens, qui in eadem perſecutione primus omnium in cuſtodiam datus fuerat*, Epiſt. LXXI. al. VI. *ſcribit;* Primum hoſpitium vobis in carcere præparavit, & *Metator* quodammodo veſter nunc quoque vos antecedit.

(4) *Cod. Theodoſ. Lib. XII. Tit. II. Leg.* 8. Præterea neque hoſpites ſuſcipietis.

(5) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 24. Presbyteros, Diaconos, Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios etiam, & omnes perinde, qui primi ſunt, perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus. *Eadem lex habetur quoque in Cod. Juſtinianeo* Lib. I. Tit. III. Leg. 6.

ſcopos tum quod ad perſonas, tum quod ad poſſeſſiones ab eo onere immunes eſſe voluit; tum idem privilegium Presbyteris, Diaconis, ac reliquis omnibus clericis indulſit, ſi curia conſentiente, populoque univerſo expetente, ordinati eſſent, at ſecus ordinibus initiati poſſeſſionum ſuarum duas tertias partes cum filiis ſuis, aut propinquis partirentur, eoſque in locum ſuum ſubſtituerent; vel his deficientibus duas bonorum partes curiæ cederent, tertia ſibimetipſis reſervata (*6*).

2. Valentinianus ſub Imperii ſui initio Conſtantii legem non modo firmavit, verum & magis acuit, ac duriorem reddidit (*7*): Quam deinde ſeptem poſt annis emollivit, dum omnes in Eccleſiæ miniſterio jam conſtitutos, licet poſſeſſionibus, propriiſque bonis inſtructos, prorſus exemit (*8*).

3. Valens eos omnes immunes eſſe voluit, qui decennium in clericatu expleviſſent, nec intra illud temporis ſpatium a Curia eſſent revocati (*9*).

4. Valentinianus II. Valentis legem firmavit illa adjecta conditione; nimirum *ut alium inſtructum facultatibus ſuis ad munera pro ſe complenda conſtituant* (10).

5. Theodoſius immunes eos omnes voluit, qui ante annum 387. qui erat imperii ſui decimus, ordinati eſſent; ab iis vero, qui poſtea ordinibus initiari vellent, requiſivit, ut vel in locum ſuum aliquem ſubſtituerent, vel ſua bona Curiæ cederent (11).

6. Arcadius, inſtigante Eutropio, ſeveræ Conſtantini legi rurſus Clericos ſubjecit (12). At contra Chryſoſtomo, aliiſque ſanctiſſimis Epiſcopis clamitantibus, ſtatim nova lege eam abolevit, atque æquam Theodoſii ſanctionem revocavit, firmavitque: hoc tantum excepto, ut

(*6*) *Cod. Theodoſ. Lib. XII. Tit. I. Leg.* 49. Solum Epiſcopum facultates ſuas curiæ, ſicut antea fuerat conſtitutum, nullus adigat mancipare, ſed antiſtes maneat, nec faciat ſubſtantiæ ceſſionem ſuæ. Si qui ad Presbyterorum gradus, Diaconum etiam, ſeu Subdiaconum, ceterorumque pervenerint, adſiſtente curia, ac ſub obtutibus judicis promente conſenſu . . . retineat proprias facultates: maxime ſi totius populi vocibus expetatur. Quod ſi qui forte non Curialibus apud judicem profitentibus ad eos gradus adſpirent, aut ſtudio fraudulentæ artis irrepſerint, patrimonium ſuum liberis tradant ad Curialia obſequia ſubrogatis . . . Quod ſi ſoboles defuerit, propinquis ſuis (quos tamen gradus poterant legitimæ ſucceſſionis adtingere) duas tradat propriæ ſubſtantiæ portiones ſibi tertiam reſervaturus: ſcilicet ut per propinquos præbeatur ſuſceptis facultatibus obſequela. Quod ſi filios, aut propinquos non habuerint, duas portiones Curia debetur accipere, relicta penes eum tertia, quem ante diximus ad Eccleſiaſticorum conſortium inſidioſis artibus adſpiraſſe.

(*7*) *Cod. Theodoſ. ibidem leg.* 59. Qui partes eligit Eccleſiæ, aut in propinquum bona propria conferendo eum pro ſe faciat curialem, aut facultatibus curiæ cedat, quam reliquit; ex neceſſitate revocando eo, qui neutrum fecit, quum clericus eſſe cœpiſſet.

(8) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. I. Leg.* 21. Hi, qui Eccleſiæ juge obſequium deputarunt, Curiis habeantur immunes, ſi tamen eos ante ortum imperii noſtri ad cultum ſe legis noſtræ contuliſſe conſtiterit: ceteri revocentur, qui ſe poſt id tempus Eccleſiaſticis congregarunt.

(9) *Cod. Theod. ibidem leg.* 19. Quicunque ex Curialium natus genere ad Clericatum venerit, & præjudicium ſanguinis cœperit poſtulari, certi temporis definitione defendatur: ut ſi in conſortio clericatus decennium quietis impleverit, cum patrimonio ſuo in perpetuum habeatur immunis.

(10) *Cod. Theod. lib. XII. Tit. I. leg.* 99. Ne Clericis quidem liberum ſit prius ſe divinis miniſteriis mancipare, quam patriæ debita univerſa perſolvant. Quiſquis igitur vere Deo dicatus eſt, alium inſtructum facultatibus ſuis ad munera pro ſe complenda conſtituat.

(11) *Cod. Theod. ibidem leg.* 22. Qui ante ſecundum conſulatum manſuetudinis meæ ex ordine Curiali vel Presbyteri faſtigium, vel miniſterium Diaconi, vel Exorciſtæ ſuſcepit officium, omne ejus patrimonium immune a curialibus nexibus habeatur ac liberum. *Et ibidem leg.* 115. Ad Curiam clerici pertinenter ſciant ex patrimonio ſuo, ſi ipſi immunes cupiunt permanere, alios idoneos eſſe faciendos, qui recedentium præſentiam, perſonamque reſtituant in publicis muneribus ſubeundis.

(12) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. LXV. leg.* 3. Decuriones, & omnes, quos ſolita ad debitum munus functio vocat, vigore & ſollertia judicantium ad priſtinam ſortem, velut manus mox injecta, revocentur, quibus legem veterem prodeſſe non patimur, quæ, ceſſione patrimonii ſubſecuta, Decuriones eſſe clericos non vetabat.

ut inferiores Clerici a Curia revocati ad Patriæ munia per ſe obeunda adſtringerentur (13).

7. Eandem Conſtitutionem Theodoſius quoque Junior, Valentinianus III. & Majoranus firmarunt: uti ex eorundem legibus ad calcem Cod. Theodoſ. adjectis manifeſtum eſt (14).

8. Tandem Juſtinianus duriorem quidem Arcadii legem primam renovaſſe videtur (15): at poſtea æquam Theodoſii Senioris legem rurſus reſtituit; duo tantummodo addens: 1. ut inferiores Clerici e Curia aliqua adſumti, ſi monaſticam vitam non minus quindecim annis impleviſſent, ordinari poſſent, quarta bonorum ſuorum parte ſibi retenta, reliquis partibus curiæ, & fiſco vindicandis (16). 2. Ut Epiſcopi ab obeundis quidem civilibus muniis immunes eſſent; at vero Vicarium ſibi ſubſtituerent (17).

XIV. Ex hactenus dictis illud effici poſſe videtur, veteres Chriſtianos Principes diſcrimen feciſſe inter publicum Eccleſiæ patrimonium, cujus intuitu ad nullum civilium munerum onus ſubeundum Clerici adſtringebantur: & privatas Clericorum facultates, quæ civili aliquo titulo notatæ eſſent; harum enim intuitu omnino exemti non erant, *niſi vel earum portionem Curiæ cederent*, vel aliorum opera debitis muneribus fungerentur. Dum civilia munia alia patrimonialia, ſive curialia fuiſſe conſtat, alia vero mere perſonalia: ab Curialibus quidem clericos omnino exemtos non fuiſſe jam vidimus; at vero ab meris perſonalibus fuiſſe omnino, ac ſemper immunes in comperto eſſe videtur. Profecto Valentinianus, & Gratianus *Leg. XXIV. de Epiſcopis* in hunc modum decernunt: *Presbyteros, Diaconos, Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, & omnes perinde, qui primi ſunt, perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus*. Ejuſmodi Lex iiſdem pæne verbis a Juſtiniano confirmata legitur in ejus Codice *Leg. VI. de Epiſcopis, & Clericis*. Demum de eadem hac immunitate prorſus intelligenda videtur Lex Conſtantii ab Athanaſio, Socrate, & Sozomeno memorata, qua Clericis Ægyptiis priſtina immunitas reſtituitur (18).

XV. Illud hic non abs re obſervandum, Clericis, quippe ab publicorum munerum onere exemptis, jure feudali vetitum eſſe in feuda ſuccedere, nec feuda ante Clericatum adquiſita retinere; quum illa

(13) *Cod. Theod. Lib. XII. Tit. I. leg.* 163. Si jam Epiſcopi vel Presbyteri, vel Diaconi eſſe meruerunt, in ſacris myſteriis perſeverent, ſed aut ſubſtitutum pro ſe curiæ offerre cogantur, aut juxta legem dudum latam tradant Curiæ facultates. Reſidui omnes lectores, ſubdiaconi, vel hi clerici, quibus clericorum privilegia non debentur, debitis mox patriæ muneribus præſententur.

(14) *Theodoſius Junior Novella XXVI.* Qui non expleto ordine cœpti officii . . . ad militiæ cujuslibet cingulum ſe credidit transferendum, corporibus cui nomen ſuum ante dicaverat, oportere revocari: ſive etiam in Clericorum numero reperitur uſque ad Diaconi locum ſimilis præcepti conditio teneatur: &c. *Eadem habet Theodoſius ipſe* Novell. XXXIII. *Valentinianus III.* Novell. XII. & *Majoranus* Novella I.

(15) *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit. III. Leg.* 12. Si quis Curialis clericus fuerit ordinatus, nec ſtatim conventione præmiſſa, priſtinæ conditioni reddatur, is vigore & ſollertia judicantium ad priſtinam ſortem veluti manu injecta mox revocetur: clericis enim ulterius legem prodeſſe non patimur, quæ, ceſſione patrimonii ſubſecuta, Decuriones clericos non vetabat.

(16) *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit. III. Authent. poſt Legem* 4. Niſi Monaſticam forſitan vitam aliquis eorum *curialium* non minus quindecim annis impleverit: tales enim ordinari præcipimus quarta propriæ ſubſtantiæ ſibi retenta, reliquis partibus Curiæ & fiſco vindicandis, ſi in clero conſtituti monaſticam, & decentem vitam impleverint.

(17) *Cod. Juſtin. ibidem Authent. poſt legem* 38. Epiſcopalis ordo liberat a fortuna ſervili ſed non a curiali ſive officiali: nam & poſt ordinationem durat; ita ut per ſubjectam vel interpoſitam perſonam officium adimpleatur.

(18) *Athanaſius Apolog. II.* Immunitas, qua clerici, qui cum eo *Athanaſio* ſunt, olim fruebantur, illis, ut decet, confirmetur. *Eadem lex occurrit etiam apud Socratem* Lib. II. cap. 23. *Et Sozomenus Lib. III. cap.* 21. Juſſit, *inquit*, ut Clerici illius priſtina, ſicut antea conſueverant, immunitate fruerentur.

Digitized by Google

illæ conditionis mutatio, quæ a ſervitiorum præſtatione eos efficit immunes, Domino obeſſe nequeat. Feuda tamen adquirere per conceſſionem eis vetitum non eſt. Nempe qui feuda eis concedunt, vel ſervitia remittere videntur, vel, ut per ſubſtitutos ea exerceant, patiuntur: *Juris Feud. Lib. II. Tit. 36.* Qua de re nonnulli, etiam in noſtro Regno Neapolitano, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Præpoſiti feuda poſſident ſuis Eccleſiis adnexa.

§. IV. *De Clericorum ab Sordidis Muneribus Exemtione.*

XVI. Ab ſordidis muneribus non modo Perſonæ Clericorum, verum & Eccleſiæ prædia erant exemta. Id ex pluribus Conſtantii, Valentiniani, & Theodoſii Legibus liquet, quas non modo confirmavit Honorius, verum & ejuſmodi immunitatem antiquum Eccleſiæ privilegium dixit (19).

XVII. Sordida munera, & ab iiſdem exemtiones recenſentur indicata leg. XV. his verbis: *Sordidorum vero munerum talis exceptio ſit, ut patrimoniis dignitatum ſuperius digeſtarum nec* 1. *conficiendi pollinis cura mandetur, aut* 2. *panis excoctio, aut* 3. *obſequium piſtrini; ne* 4. *paraveredorum hujuſmodi viris, aut parangariarum præbitio mandetur,* 5. *operarum, atque artificum diverſorum,* 6. *excoquendæ etiam calcis obſequia, nulla de talibus adjumenta poſcantur:* 7. *materiam, lignum, atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non præbeant:* 8. *Carbonis quoque ab hujuſmodi viris præbitio deſiſtat:* 9. *publicis vel ſacris ædibus conſtruendis, atque reparandis, hoſpitalium domorum minime curæ ſubjaceant:* 10. *viarum & pontium talis ſollicitudo non oneret:* 11. *Capituli, atque Temonis neceſſitas nulla mandetur:* 12. *Legatis, atque Allectis ſumtus poſſeſſio hujuſmodi privilegiis munita non ferat.*

XVIII. Verum in his ſordidorum munerum ſpeciebus, quæ late explicantur ab Jacobo Gothofr. locis indicatis, ac præcipue *in Comm. cit. leg. XV.* omnino oportet diſtinguere munus perſonale ab reali præſtatione, quæ rationem tributi potius habebat, quam ſordidi muneris. Et quidem quantum ad perſonalem adtinet functionem, Clerici ſemper exemti fuere: at quantum vero ad realem præſtationem varia fuit ſub diverſis Imperatoribus Clericorum conditio. Exemplo ſint *Angariæ*, & *Parangariæ*.

XIX. Hiſce nominibus donabantur præſtationes agendi, ferendi commeatum pro militibus, aliaque hujuſmodi ad Principis ærarium ſpectantia. Ubi hæ tranſvectiones fiebant via publica, & ordinaria dicebantur *Angariæ:* ubi vero fiebant curſu tranſverſo dicebantur *Parangariæ*. In utriſque his ſi munus ſpectes perſonale, uti ducere jumenta, plauſtra, aliaque vehicula, ab eo ſane, quod ſordidum cenſebatur, Clerici prorſus, ac ſemper fuerunt immunes. At idem ſtatui nequit de reali præſtatione pecuniæ, equorum, vel plauſtrorum, ad quam Clericorum, atque etiam Eccleſiarum poſſeſſiones aliquando obnoxiæ fuerunt; id quod etiam intelligas de inſtauratione viarum, conſtructione pontium, aliiſque extraordinariis, ac ſordidis muneribus: uti mox videbimus.

§. V. *De Reali Clericorum Immunitate, ſive de Exemtione a Tributis.*

XX. Ac primo Eccleſiaſtica prædia, quibus potiſſimum Epiſcopi, ac Clerici alebantur, ea ſub Conſtantino ab tributis omnino fuiſſe exempta patet ex egregia ejuſdem Imperatoris lege: Leg. I. Cod. Theod. de Ann. & Tributis: *Præter privatas res noſtras, & Eccleſias Catho-*

(19) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 10. Ut Eccleſiarum cœtus concurſu populorum ingentium frequentetur, clericis, ac juvenibus præbeatur immunitas, repellaturque ab his exactio munerum ſordidorum. *Ibid. Leg. XIV.* Omnis a clericis... iniquæ exactionis repellatur improbitas: nulla conventio ſit circa eos munerum ſordidorum. *Ejuſmodi Clericorum immunitas confirmata occurrit ab Valentiniano, Theodoſio & Honorio ibidem* Lib. XI. Tit. XVI. Leg. 15. 21. & 24.

tholicas, nemo ex noſtra juſſione præcipuis emolumentis familiaris juvetur ſubſtantiæ. Atqui hæc immunitas poſteriorum Imperatorum conſtitutionibus vel revocata, vel duntaxat temperata videtur.

XXI. Fortaſſe ſub Conſtantino, quum Eccleſiæ reditus nonniſi tenues eſſent, illius bona, ac prædia a tributis generatim immunia fuere; quum vero deinceps Eccleſia poſſeſſionibus abundaret, tunc primum ad quædam duntaxat peculiaria tributa penſitanda legibus imperatoriis urgeri cœpit. Juvat hic varia tributorum genera diſtinguere, ac ſimul a quibuſnam Clericorum, & Eccleſiarum bona immunia fuerint, hiſtorici tantum partes agendo, indicare.

XXII. Ac primo illud tributi genus occurrit, quod ab hominibus ratione agrorum, & poſſeſſionum ſuarum exigebatur; quodque in Jure civili, & apud vetuſtos Scriptores *Inlatio canonica*, ſive *ordinaria*, ut ab extraordinaria diſtingueretur, dici conſuevit: aliquando etiam *Capitatio terrena* nuncupatum eſt, ne confunderetur cum humana, ſive cenſu capitum, de quo *ſupra n. V.* egimus. Atqui ab hoc tributi genere Eccleſiaſtica prædia videntur non fuiſſe exemta. Quum enim ſpeciali Principum favore Eccleſiæ Theſſalonicenſis, Alexandrina, & Conſtantinopolitana immunes prodantur: & quidem ea conditione, ne aliena prædia in tutelam ſuam, eccleſiaſticum illis nomen prætexendo, cum reipublicæ detrimento reciperent (20); profecto patet non commune omnium Eccleſiarum privilegium fuiſſe. Quamobrem S. Ambroſius Orat. contra Auxentium de tradendis Baſilicis: *Si tributum*, inquit, *petit Imperator, non negamus; agri Eccleſiaſtici ſolvunt tributum... ſolvimus, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Tributum Cæſaris eſt, non negamus.*

XXIII. Alterum erat Tributi genus, quo novi milites, atque equi novi militares Imperatori præſtandi erant; hoc tributum *militum tyronum, & equorum canonicorum præbitio* dicebatur. Quum vero pecunia equorum loco penſitabatur, tunc ejuſmodi tributum *aurum tyronicum, & ſtratioticum* dictum eſt. Ab eo Clericos exemtos voluit Theod. Junior (21).

XXIV. Lege Conſtantii immunes quoque erant a vectigalibus pendendis ratione tenuis mercaturæ (22). Tunc enim Clericis duntaxat inferioribus fas erat ad victum ſibi comparandum modeſtum quoddam induſtriæ genus exercere. At vero quum nonnulli ex clericis hac immunitate ad avaritiam abuterentur, hinc eorum negotiatio ad certam pecuniæ ſummam eſt redacta (23). Jam vero hæc non de quæſtuoſa, ſed de moderata tantum induſtria ad victum quærendum Clericis duntaxat inferioribus permiſſa intelligenda ſunt;

(20) *Codex Theodoſ. Lib. XI. Tit. I. Leg.* 33. Quæ diſpoſitio ..... ſacroſancta Theſſalonicenſis Eccleſiæ civitatis excepta: ita tamen, ut aperte ſciat, propriæ tantummodo capitationis modum beneficio mei numinis ſublevandum: nec externorum gravamine tributorum rempublicam eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam. *Ibidem Lib. XI. Tit. XXIV. Leg. 6.* Quidquid in tempus uſque diſpoſitionis habitæ auro Inluſtri deceſſere ſublimitatis tuæ Eccleſiæ venerabiles (id eſt Conſtantinopolitana, atque Alexandrina) poſſediſſe deteguntur, id pro intuitu religionis, ab his præcipimus firmiter retineri: *&c.*

(21) *Cod. Theod. Lib. VII. Tit. XIII. Leg.* 22. Manſura in ſeculum auctoritate præcipimus proconſularis provinciæ non eandem ſacerdotalium, quæ eſt de ceteria, in præbendia tyronibus habendam eſſe rationem .... cujuſque majoribus ſacerdotea ſatigantur expenſis, in quarum ſolatium *i*ndemnem eſſe convenit dignitatem.

(22) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 8. Et ſi qui de vobis alimoniæ cauſſa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur.

(23) *Cod. Theod. Lib. XIII. Tit. I. leg.* 11. Etſi omnes mercatores ſpectat luſtralis auri depenſio, clerici tamen inter Illyricum & Italiam in denis ſolidis, *i*nter Galliam in quinis denis ſolidis immunem uſum converſationis exerceant. Quidquid autem ſupra hunc modum negotiationis verſabitur, id oportet ad functionem aurariam devocari. *Et Lib. XVI. Tit. II. leg.* 15. Clerici debent immunes a conlatione præſtari, ſi exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum veſtitumque conquirent.

ſunt; tunc ſane quum tenues Eccleſiæ reditus ſatis non eſſent, ut honeſta univerſo Clero alimenta ſuppeditarentur. Quare Eccleſiæ reditibus adauctis Valentinianus III. legem tulit, ut Clerici nullam prorſus negotiationem obirent; aut ſi vellent negotiari, ſcirent ſe judicibus ſubditos Clericorum privilegio non frui (24).

XXV. Immunes etiam fuerunt ab omnibus *Superindictis*, ſive *Extraordinariis*; hoc eſt ab iis tributis, quæ Imperatores præter ordinaria, & canonica, urgente quadam neceſſitate, irroganda decernebant. Ejuſmodi immunitatem non Clericis modo, verum & eorundem mancipiis liberaliter indulſerunt legibus latis primum Conſtantius, dein Honorius, & Theodoſius Junior, quas leges poſtea Juſtinianus firmavit (25).

XXVI. Ex eadem Honorii lege exemti quoque erant ab tributis ad viarum, ac pontium conſervationem, & inſtaurationem conferendis (26): verum aliquot poſt annis legibus Theodoſii Jun. *Cod. Theodoſ. Lib. XV. Tit. III. Leg. 6.* & Valentiniani III. *Novellæ XXI. ad calcem Cod. Theod.* ea immunitas non modo Clericis, verum & ipſis Eccleſiis adempta fuit. Lex Theodoſii ita ſe habet: *Ad inſtructiones reparationeſque itinerum, pontiumque nullum genus hominum ceſſare oportet. Domos etiam divinas, ac venerandas Eccleſias tam laudabili titulo libenter adſcribimus.* Ejuſmodi Theodoſii Legem firmavit etiam Juſtinianus *Novell. XXXI. Cap. 5.* (27).

XXVII. Immunes aliquando etiam fuerunt ab tributis ſolvendis intuitu *Angariarum*, & *Parangariarum*: uti ex binis Conſtantii Legibus, ſcilicet *X.* & *XIV. Cod. Theod. de Epiſc. & Clericis* (28), quas tamen revocaſſe videtur ſub imperii ſui finem, nimirum anno CCCLX. *Leg. XV. ibidem*, qua decernit, *ut præterea .... ad univerſa munia ſuſtinenda, translationeſque faciendas omnes Clerici debeant adtineri:* profecto illud *translationeſque faciendas* nonniſi de equis, & carris in uſum Imperatoris ſubminiſtrandis intelligi poteſt. Porro Theodoſius, & Honorius priſtinam Clericis immunitatem reſtituerunt (29). Verum an. 440. Theodoſius Jun. & Valentinianus III. ſuis legibus ſanxere, neminem, & ne ipſas quidem poſſeſſiones, quæ ad ſacroſanctas Eccleſias pertinent, ab Angariis, & Parangariis Imperatore iter faciente excuſari. Ejuſmodi leges refert Juſtinianus in ſuo Codice (30). Id quod de Tributo, haud vero de ſordido munere præſtando intelligas; uti ſupra *num. XVIII.* notavimus.

XXVIII. Tandem bona Eccleſiæ immu-

(24) *Valentinianus III. Novel. XII. ad calcem Cod. Theod.* Ut Clerici nihil prorſus negotiationis exercerent; vel ſi vellent negotiari, ſcirent ſe judicibus ſubditos clericorum privilegio non muniri.

(25) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. leg. 8.* Juxta ſanctionem, quam dudum meruiſſe perhibemini, & vos *Clericos* & mancipia veſtra nullus novis conlationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis. *Ejuſmodi immunitas firmata eſt ab Imperatoribus Honorio & Theodoſio Juniori* ibidem leg. 40. *& ab Imperatore Juſtiniano Novel. CXXXI. Cap. 5.*

(26) *Cod. Theodoſ. ibidem leg.* 40. Nullam jugationem, quæ talium privilegiorum ſorte gratulatur, muniendi itineris conſtringat injuria .... Nulla pontium inſtauratio: Nulla translationum ſollicitudo gignatur.

(27) *Juſtinianus Novell. XXXI. Cap. V.* Si tamen itineris ſternendi, aut pontium ædificii, aut reparationis opus fuerit, ad inſtar aliorum poſſeſſorum, hujuſmodi opus, & ſanctas Eccleſias, venerabiles domos complere *ſancimus*.

(28) *Codex Theodoſ. Lib. XVI. tit. II. leg.* 10. Parangariarum quoque parili modo a clericis ceſſet exactio. *Leg.* 14. Ad Parangariarum quoque præſtationem non vocentur, nec eorundem facultates, atque ſubſtantiæ.

(29) *Codex Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. leg.* 15. Ne paraveredorum hujuſmodi viris *Clericis*, aut parangariarum præbitio mandetur. *Ibidem Lib. XVI. Tit. II. Leg. XL.* Nulla translationum ſollicitudo gignatur.

(30) *Codex Juſtinian. Lib. XII. Tit. LI. Leg.* 21. Nullus penitus cujuslibet ordinis ſeu dignitatis, vel ſacroſancta Eccleſia, vel domus regia tempore expeditionis excuſationem angariarum, & parangariarum habeat. *Eadem habet Lex* 11. *Lib. I. Tit. II. ibid.*

tam requirant agentes publici functionem, qui avi, aut genitoris noſtri immunitatem meruerunt. Ejuſmodi Conſtitutio num revera ſit Clotharii I. haud plene conſtat. Porro hac in re cum Thomaſſino *Part. III. Lib. I. cap.* 24. obſervandum ducimus ejuſmodi ſub finem vitæ ab eo editam fuiſſe. Sub initium enim Regni voluiſſe Eccleſiis immunitatem adimere, conſtat ex Gregorio Turonenſi; atque Epiſcopos Regi conſenſiſſe, excepto Epiſcopo Turonenſi *Injurioſo*. Verba Gregorii Turon. vide inferne (35).

XXXIII. Hanc immunitatem qui ſecuti ſunt Galliarum Reges non confirmarunt modo, verum & ampliarunt, quum unicuique Eccleſiæ integrum *Manſum* ab omni tributo immunem conceſſerint. Manſus Eccleſiaſticus dicebatur *ea agri portio, quæ in dotem Eccleſiæ adſignari ſolebat, vel Presbytero Eccleſiæ deſervienti cum aliquot mancipiis*. Ita Ducange in voce *Manſus*. Id ſanxerunt Ludovicus Pius *Capitul. ann.* 816. (36), & Carolus Calvus *Capitul. ann.* 865. (37). Igitur ſi quid præter manſum Eccleſia poſſidebat, ea immunitatis prærogativa haud fruebatur. Profecto Ludovicus Pius nuper indicata Conſtitutione ſtatim ſubnectit: *Et ſi quid aliquid amplius habuerint, inde Senioribus ſuis debitum ſervitium impendant*. Porro eandem immunitatem deinceps Imperatores ad omnia prædia, & poſſeſſiones Eccleſiarum, & Monaſteriorum extendiſſe ex iiſdem liquet Capitularibus (38); eorundem vero Capitularium *Lib. IV. cap.* 37. decernitur, ut ſi novæ terræ ad Eccleſiam perveniant cenſui ſubjectæ, tributa, quæ inde ſolvebantur, omni modo perſolvere pergant (39).

XXXIV. Verum in Regno Neapolitano aliter ſe res habebant. VII. enim Seculo prædia Eccleſiaſtica videntur non fuiſſe a tributis exemta. Namque Conſtantinus Pogonatus an. 681. Agathoni Papæ indulſit, ut de patrimoniis S. Petri exſtantibus in Sicilia, & Calabria nullum exſolveret tributum. Idem etiam pro patrimoniis exſtantibus in Lucania, & apud Brutios Romanæ Sedi indulſit Juſtinianus Rhinotmetus. Auctor. Hiſt. Civil. Neap. *Lib. IV. cap.* 12. Profecto hæc ſpeciali privilegio indultæ immunita-

(35) *Gregorius Turonenſis Libro IV. hiſt. Francorum cap.* 2. Denique Clotharius Rex indixerat, ut omnes Eccleſiæ Regni ſui tertiam partem fructuum Fiſco diſſolverent. Quod licet inviti, cum omnes Epiſcopi conſenſiſſent, atque ſubſcripſiſſent, viriliter hoc Beatus Injurioſus reſpuens ſubſcribere dedignatus eſt, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet: quia iniquum eſt, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea repleantur*. Et iratus contra Regem, nec vale dicens abſceſſit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem Beati Martini, miſit poſt eum cum muneribus veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, ſimulque rogans, ut pro ſe virtutem beati Martini Antiſtitis exoraret. *Tum de Theoberto alio Rege Francorum narrat idem Hiſtoricus Lib. III. cap.* 25. Omne tributum quod in Fiſco ſuo ab Eccleſiis in Arverno ſitis reddebatur, clementer indulſit.

(36) *Capitularia Reg. Franc. Lib. I. Cap.* 85. Statutum eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus *Manſus* integer abſque ullo ſervitio attribuatur, & Presbyteri in eis conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque atriis, vel hortis juxta Eccleſiam poſitis, neque de præſcripto *Manſo* aliquod ſervitium faciant præter Eccleſiaſticum.

(37) *Capitular. Caroli Calvi Tit. XXXVII. Cap. II.* Ut de uno *Manſo* ad Eccleſiam dato nullus cenſus, nec caballi paſtus a Senioribus requiratur.

(38) *Capitularia Reg. Francor. Lib. V. Cap.* 279. Volumus, atque decernimus, ut omnes intelligant non ſolum clauſtra Monaſterii, vel Eccleſiæ, atque caſtitia Eccleſiarum ſub immunitatis defenſione conſiſtere, verum etiam domus, & villas, & ſepta villarum, & piſcatoria manufacta, & quidquid foſſibus, aut ſepibus, vel etiam alio clauſularum genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. *Et Lib. VI. cap.* 109. Poſſeſſiones ad Religioſa loca pertinentes nullam deſcriptionem agnoſcant, niſi ad conſtitutionem viarum, vel pontium, ſi tamen intra eadem loca habuerint poſſeſſiones.

(39) *Ibidem Lib. III. Cap.* 86. Ut de rebus, unde cenſus ad partem Regis exire ſolebat, ſi ad aliquam Eccleſiam traditæ ſunt, aut reddantur propriis heredibus, aut qui eas retinuerit, illum cenſum perſolvat. *Et Lib. IV. Cap.* 37. Quicumque terram tributariam, unde tributum ad partem noſtram exire ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is, qui eam ſuſceperit, tributum, quod inde ſolvebatur, omni modo ad partem noſtram perſolvat.

res indicant reliqua Eccleſiaſtica prædia non fuiſſe a tributis exemta.

XXXV. Concilia Eccleſiæ quod ſpectat, Immunitas a Chlodoveo Eccleſiis tributa refertur in Synodo Aurelian. I. an. 511. *Can. V.* Tum exemtio *Manſi* Eccleſiaſtici firmata reperitur in Synodis Meldenſi an. 845. Wormatienſi an. 868. & Troslejana an. 924. Synodus quoque Valentina III. an. 855. conſtituit; *ne de dotibus Eccleſiarum ullus cenſus a Secularibus exigatur*. Tum Concilia, & Epiſcopi IX. & X. Seculo in id potiſſimum incubuerunt, ut unicuique Eccleſiæ integer *Manſus* immunis a tributis adſignaretur, & conſervaretur. Unde non abs re colligitur bona Clericorum patrimonialia exemta a tributis non fuiſſe; præſertim quum in Can. IX. Conc. Wormatienſis relato in *Cap. 1. de Cenſibus* ſtatim ſubnectatur: *Et ſi quid aliquid amplius habuerint, inde ſenioribus debitum ſervitium impendant*. Hæc ſane verba non deſunt, qui de bonis illis intelligant, quæ præter Manſum Eccleſiæ poſſidebant: at iſtæc interpretatio magis magiſque confirmat patrimonialia clericorum bona tributis fuiſſe obnoxia. Poſtremo ſubnectere liceat Conſtitutionem Friderici II. Imp. relatam in *Codice Juſtinianeo Lib. I. Tit. III.* Authentica *poſt Leg. 2. Item nulla communitas, vel perſona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias Eccleſiis, vel aliis locis piis, vel Eccleſiaſticis perſonis imponere, aut invadere Eccleſiaſtica bona præſumant*.

C A P U T VIII.

De Veterum Clericorum Reditibus.

§. I. *De diverſis ad alendos Clericos Redituum Generibus, ac primo de Oblationibus.*

I. Prior igitur Ratio, qua ad alendos Clericos antiquitus ſubſidia comparabantur, erat per voluntarias populi oblationes, quarum aliæ *Hebdomadales*, ſive *Quotidianæ* erant, aliæ vero *Menſtruæ*. Priores eæ erant, quas quiſque præſtabat, ubi ad participandam Sacram Euchariſtiam accederet: neque enim panis tantum & vinum, verum & aliæ quoque res, & nonnunquam etiam pecunia ad Clericorum ſubſtentationem, pauperumque levamentum offerebantur. Iſtuc ex Hieronymo (1), & Canonibus ſic dictis Apoſtolicis (2) perſpicuum eſt. Menſtruæ vero eæ erant, quas divites ſingulis menſibus in arcam, ſeu ærarium Eccleſiæ pro lubitu inferebant; uti ex Tertulliano (3) colligitur. Hæc arca, ſive gazophylacium *corbona Eccleſiæ* nuncupata eſt, uti ex Cypriano colligit Baronius

(1) *Hieronymus Comm. in Ezech. Cap.* 18. Multos conſpicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in ſuis ſceleribus glorientur, publiceque diaconus in Eccleſia recitet offerentium nomina: Tantum offert ille, tantum ille pollicitus eſt; placentque ſibi ad plauſum populi, torquente conſcientia.

(2) *Canones Apoſtolici Can. III.* Si quis Epiſcopus, vel presbyter præter domini de ſacrificio ordinationem, alia quædam ad altare attulerit, mel vel lac, vel pro vino ſiceram, vel confecta, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina præter ordinationem, deponatur, præterquam nova legumina tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, & incenſum tempore ſanctæ oblationis. Omnis autem alius fructus domum mittatur, primitiæ Epiſcopo & presbyteris. Clarum autem eſt, quod Epiſcopus & presbyteri diaconis & reliquis diſtribuunt.

(3) *Tertullianus Apolog. Cap. XXXIX.* Si quod arcæ genus eſt, *inquit*, non de ordinaria (*al.* honoraria) ſumma quaſi redemtæ religionis congregatur, modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, adponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.

ronius (4). Hinc ortus ille menſtruæ inter Clericos diviſionis modus, de quo pluries Cyprianus; unde Clerici ipſi ab eodem Cypriano dicti ſunt *Sportulantes Fratres*, & quod nunc *ſuſpenſionem a beneficio* dicimus, ille *Suſpenſionem a diviſione menſurna* vocat (5). Quod profecto indicat hujuſmodi oblationes ſingulis menſibus inter Clericos dividi conſueviſſe.

§. II. *De reditibus ex agris, & poſſeſſionibus Eccleſiæ provenientibus.*

II. Prioribus Eccleſiæ Seculis hi reditus nonniſi tenues erant; quum ob frequentes perſecutiones res immobiles omnium maxime periculis eſſent expoſitæ. Hinc Eccleſiæ Romanæ etiam ſubſecutis temporibus mos fuit, ut res immobiles non poſſideret; & ſi quæ forte poſſeſſiones ei obvenirent, confeſtim venderentur, & in tres portiones diviſæ, Eccleſiæ, Epiſcopo, & Clero diſtribuerentur. Iſtuc ad ſextum uſque Seculum extendit Valeſius (6). Verum hæc ſingularis Eccleſiæ Romanæ conſuetudo fuit; ceteræ namque Eccleſiæ tum pace Eccleſiæ reddita, tum ipſa perſecutione furente ædes, prædia, aliaſque res immobiles poſſidebant. Profecto Maximinus Imperator quum anno CCCXIII. Edicta ſua, quibus perſecutionem excitaverat, revocaſſet, Chriſtianis tum facultatem imperitus eſt ædes dominicas reædificandi, tum quoque ſanxit, *ut ſi quæ domus, aut loca ad jus Chriſtianorum antehac pertinentia ad jus fiſci devoluta ſint, aut ab aliqua civitate occupata, aut certe vendita, aut alicui dono donata, cuncta ad priſtinum jus, ac dominium Chriſtianorum revocentur*. Porro ejuſmodi legem de domibus, ac prædiis non modo ad privatos Chriſtianos, verum & ad Eccleſias ſpectantibus intelligendam eſſe Binghamus ipſe haurit ex decreto Conſtantini, & Licinii promulgato eodem anno, quo cuilibet corpori, & conventiculo Chriſtianorum reſtitui juſſerunt domus, ac prædia, quæ prius poſſederunt (7). Idem Imperatorium decretum plus vice ſimplici reperitur; nimirum tum in Epiſtola

(4) *Baronius ad annum XLIV. num. 69.* Idem etiam meminit de antiquo Eccleſiarum uſu, qui hactenus perdurabat, ut & in Eccleſiis eſſent *gazophylacia*, in quibus oblatæ pecuniæ condebantur, *quæ a Cypriano corbona nuncupantur*.

Cypr. de oper. & eleemoſ. p. 203. (*p. 218. edit. Par. MDCLXVI.*) Locuples & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ *corbonam* omnino non reſpicis; quæ in dominicum ſine ſacrificio venis; quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?

(5) *Cyprianus Epiſt. XXXIV. al. XXXIX.* Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & *diviſiones menſurnas* æquatis quantitatibus partiantur, *&c.*

Cypr. ep. LXVI. al. I. (*p. 109. edit. cit.*) Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, ut qui in Eccleſia domini ordinatione clerici promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, neč moleſtiis & negotiis ſecularibus adligentur, ſed & in honore *ſportulantium fratrum* tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant *&c.*

Idem Ep. XXVIII. al. XXXIV. (*p. 41.*) Interim *ſe a diviſione menſurna tantum contineant*, non quaſi a miniſterio eccleſiaſtico privati eſſe videantur, ſed ut integris omnibus ad noſtram præſentiam differantur.

(6) *Theodor. Lector Excerpta ex Hiſt. Eccleſ. Lib. II. num.* 55. Eccleſiæ Romanæ hunc eſſe morem, ait Theodorus noſter, ut res immobiles non poſſideat; ſed ſi forte poſſeſſiones ei obvenerint, confeſtim eas vendat, & pretium in tres portiones diſtribuat. Quarum una quidem tradatur Eccleſiæ, altera Epiſcopo, tertia vero Clero. Idem etiam fit de reliquis rebus, quæ non ſunt ſoli. *Valeſius hic*: Hæc tamen conſuetudo Eccleſiæ Romanæ brevi poſt immutata eſt. Quippe temporibus Gregorii M. patrimonium B. Petri per omnes provincias Imperii Romani late diffuſum erat, ut ex Epiſtolis diſcimus.

(7) *Apud Euſebium Lib. X. Cap.* 5. Quoniam chriſtiani non ſolum ea loca, in quibus convenire ſolebant, ſed etiam alia poſſediſſe noſcuntur, quæ non privatim ad ſingulos ipſorum, ſed ad jus corporis pertinerent; hæc omnia poſt legem a nobis memoratam abſque ulla dubitatione iiſdem chriſtianis, hoc eſt cuilibet corpori & conventiculo ipſorum reſtitui jubebis.

Digitized by Google

Conſtantini ad Anulium, tum & in aliis ejuſdem Imperatoris Actis (8).

III. Jam vero Imperatores hoc in capite adeo in Eccleſiam Eccleſiaſticoſque liberales fuerunt, ut brevi temporis intervallo veriti eam ob cauſſam reipublicæ detrimentum, & paupertatem, conati ſint iterum ab ejuſmodi profuſis largitionibus cohibere fideles. Id faſſus eſt Baronius ipſe (9). Profecto non deerant Eccleſiaſticæ perſonæ, ſive Clerici ſive monachi, qui continentium nomine honeſtabantur: quique vel tanquam nebulones privatim hereditates aucupantes, vel tanquam harpyiæ quædam inhiantes matronarum divitiis, & impuris manibus cuncta fœdantes, ut loquitur Baronius ad ann. CCCLXXI. ab viduis, ac pupillis magna legata, ac nonnunquam univerſas hæreditates cum legitimorum heredum, & propinquorum detrimento accipiebant. Ejuſmodi porro turpis, & indecora hominum conſuetudo Valentiniani edicto *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 20. repreſſa eſt. Valentiniani lex in hunc modum ſe habet: *Eccleſiaſtici, aut ex eccleſiaſticis, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum, ac pupillarum domos non adeant: ſed publicis exterminentur judiciis, ſi poſthac eos ad fines earum vel propinqui putaverint deſerendos. Cenſemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo judicio, poſſint adipiſci: & omne in tantum inefficax ſit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per ſubjectam perſonam valeant aliquid, vel donatione, vel teſtamento percipere.* Qua lege, ut bene obſervat Gothofredus, non prohibentur mulieres ipſis eccleſiis aliquid relinquere; quod tamen perperam viri docti nonnulli putarunt: ſed illa tantum ad corrigendam indignam quorumdam eccleſiaſticorum praxin ſpectat, de qua vetuſti ſcriptores eccleſiaſtici uno ore conqueruntur.

IV. Profecto Ambroſius, Hieronymus, & alii hujus legis mentionem faciunt, non autem in ipſam legem, ſed flagitia, quorum cauſſa data fuerat, invehuntur. Hieronymus Epiſt. II. ad Nepotianum: *Pudet dicere*, inquit, *ſacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta, hereditates capiunt, ſolis clericis ac monachis hac lege prohibetur: & prohibetur non a perſecutoribus, ſed a principibus chriſtianis. Nec de Lege conqueror, ſed doleo cur meruerimus hanc legem.* Et addit: *Provida ſeveraque legis cautio: & tamen nec ſic refrænatur avaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus: & quaſi majora ſint Imperatorum ſcita, quam Chriſti, leges timemus, & evangelium contemnimus.* Quæ verba mentem Hieronymi nobis hac de re oſtendunt, quod non Imperatores hujuſmodi legem ſanciendo Eccleſiam injuria adfeciſſe, ſed eos duntaxat reprehendendos eſſe exiſtimarit, quorum avaritia & abjectiſſimis adulationibus adferendam eam compulſi fuerint.

V. Tum quiſquis Ambroſium (10), vel auctorem ſub hoc nomine deliteſcentem

(8) *Epiſt. Conſtantini ad Anulium apud Euſebium Lib. X. cap.* 5. Volumus, ut quæ ſupradictæ Eccleſiæ antea poſſederunt, ad earundem jus omnino revertantur . . . . ſive horti, ſive ædes, ſive quodcunque aliud ad jus earundem Eccleſiarum pertinuerit, cuncta illis quantocyus reſtituantur. *Eadem Imperatoris lex occurrit etiam apud eundem Euſebium* Vit. Conſtantini Lib. II. cap. 37. & 39.

(9) *Baronius ad annum CCCXXI. num.* 4. Mirum dictu relaxata ſemel libertate fidelium in relinquendis ultima voluntate ſuis bonis catholicæ profeſſionis eccleſiis, adeo auctæ ſunt illarum divitiæ, ut poſteriores imperatores, veriti ob eam cauſſam reipublicæ detrimentum, & paupertatem, conati ſint iterum ab hujuſmodi profuſis largitionibus cohibere fideles.

(10) *Ambroſ. Epiſt. XXXI. ad Valentin. p.* 145. Nobis etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus legibus denegantur & nemo conqueritur. Non enim putamus injuriam, qui diſpendium non dolemus . . . Scribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: ſoli ex omnibus clerico commune jus clauditur, a quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur, officium commune defertur: nulla le-

tem conſulere volet, is ipſum etiam illud de hujus legis cauſſis narrare deprehendet. Theodoſius quidem paucis annis poſt ſpeciatim diaconiſſis eccleſiæ, ex illuſtri familia oriundis, legem publicavit, in qua præter alia hæc præcipiuntur: *Nihil de monilibus & ſupellectili, nihil de auro, argento ceteriſque clara domus inſignibus, ſub religionis defenſione conſumat* (diaconiſſa), *ſed univerſa integra in liberos proximos, vel in quoſcumque alios arbitrii ſui exiſtimatione tranſcribat: ac ſi quando diem obierit, nullam eccleſiam, nullum clericum, nullum pauperem ſcribat heredes:* &c. (11). Verum ut hæc lex ob peculiares reipublicæ rationes facta erat, ita eccleſiæ haud fuit detrimento. Duobus enim interjectis menſibus idem Imperator contraria eam lege (12) revocavit, qua iſtiuſmodi diaconiſſis de bonis ſuis, quoad viverent, in cujuſcumque eccleſiæ vel clerici gratiam decernendi impertivit libertatem. Et *Marcianus* legem paulo latius extendit, data diaconiſſis & reliquis Deo dicatis feminis venia (13) bona ſua teſtamento vel codicillo, vel eccleſiæ, vel martyrio, vel clerico, vel monacho, vel pauperibus quibuſcumque aut ex parte aut ex integro addicendi. Quam legem etiam confirmavit, ſuoque Codici inſeruit *Juſtinianus* (14). Ut adeo legi *Conſtantini* ſuus ſemper pleniſſimus vigor conſtiterit, nec ſequentes principes de privilegio, quod hoc intuitu eccleſiæ tribuerat, quidquam derogarint, quaſi veriti (ut Baronius arguit) ob iſtiuſmodi liberalitatem in eccleſiam reipublicæ detrimentum, atque paupertatem. Homines quidem his temporibus munera ac dona ſua in eccleſiam liberaliſſime conferebant, nondum tamen ita prodigi erant, ut Legibus, vel Statutis ad cohibendum eos opus eſſet.

§. III. *De Penſionibus ex ærario Imperatoris Eccleſiæ conſtitutis.*

VI. Conſtantinus in Clericos adeo fuit munificus, ut non modo privatim, ubi eorum indigentia id requireret, pecuniam ſubminiſtraret; verum & ſtatam eis penſionem ex ærario publico decerneret. Iſtuc ex Euſebio, Theodoreto, & Sozomeno perſpicuum eſt. Omittenda hic non eſt quædam ejuſdem Imperatoris Epiſtola ad Cæcilianum Eccleſiæ Carthaginienſis Epiſcopum, ab Euſebio memorata *Lib. X. cap. 6.*, qua ipſum certiorem facit litteras ſe dediſſe ad Urſum Africæ Rectorem, ut ter mille folles ipſi numerari curet, quam pecuniæ ſummam Africæ Numidiæ, & utriuſque Mauritaniæ Clericis divideret: tum ſubnectit: *Quod ſi forte ad meum erga vos omnes in hac parte ſtudium explendum deeſſe aliquid intellexeris, incunctanter quidquid neceſſarium tibi videbitur, ab Heraclida Procuratore*

la legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur tamen officio multa præſcribitur. Quod ſacerdotibus ſani legaverit chriſtiana vidua, valet: quod miniſtris Dei, non valet? Quod ego non, ut querar, ſed ut ſciant, quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia minores eſſe, quam gratia. Sed referunt, ea quæ vel donata vel relicta ſunt eccleſiæ, non eſſe temerata, *&c.*

(11) *Codex Theodoſ.* Lib. XVI. Tit. II. Leg. 27.

(12) *Ibid. leg. XXVIII.* Legem, quæ diaconiſſis vel viduis nuper eſt promulgata, ne quis videlicet clericus, neve ſub eccleſiæ nomine mancipia, ſupellectilem, prædia (velut infirmi ſexus diſpoliator) invaderet, & remotis adfinibus ac propinquis, ipſe ſub prætextu catholicæ diſciplinæ ſe agere viventis heredem, eatenus animadvertat eſſe revocatam, ut de omnium chartis, ſi jam nota eſt, auferatur, neque quiſquam, aut litigator ea ſibi utendum, aut judex noverit exſequendum.

(13) *Martian. Novel. V. ad calc. Cod. Theod.* Generali perpetuaque victura hac lege ſancimus, ut ſive vidua, ſive diaconiſſa, ſeu virgo Deo dicata, vel ſanctimonialis mulier, ſive quocumque alio nomine religioſi honoris vel dignitatis femina nuncupetur, teſtamento vel codicillo ſuo . . . eccleſiæ, vel martyrio, vel clerico vel monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte in quacumque re vel ſpecie credidit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque conſtet.

(14) *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit. II. Leg.* 13. Generali lege ſancimus *&c.*

ratore prædiorum noſtrorum petere debes. Fortaſſis Cæcilianus Africanorum Clericorum inopiam Conſtantino expoſuerat, ut ab ipſo ſubſidia impetraret. Tum idem Imperator, Theodoreto, & Sozomeno adteſtantibus (15), lege lata Provinciarum Rectoribus mandavit, ut Clericis, Virginibus, & Viduis Eccleſiæ miniſterio addictis annona ex tributis ſingularum Civitatum quotannis præſtaretur: quam Julianus quidem ademit, Jovianus vero ex parte inſtauravit, dum tertiam priſtinæ annonæ partem eis indulſit (16), quod Marcianus lege lata, & a Juſtiniano ſuo Codici inſerta, firmavit (17).

§. IV. *De aliis Eccleſiæ Redituum Speciebus.*

VII. Ac 1. Bona Martyrum, & Confeſſorum, qui ſine cognatis deceſſerint, lege Conſtantini, Eccleſiæ tributa ſunt. Ejuſmodi Conſtantini Lex, quam habemus apud Euſebium Vit. Conſtant. *Lib. II. cap.* 36. in hunc modum decernit: *Si nullus cognatus ſuperſit, qui prout rationi conſentaneum eſt, hereditatem capeſſat eorum, quos ſupra memoravimus Martyrum ſcilicet, & Confeſſorum, aut illorum, qui ob hujuſmodi cauſſam ex patria migrarunt, cujuſque loci Eccleſiam hereditatem adire decernimus.*

2. De Bonis Clericorum, & Monachorum, qui inteſtato, & ſine heredibus deceſſerint, Theodoſius Junior, & Valentinianus III. Lege lata (18) decrevere, ut *ſacroſanctæ Eccleſiæ, vel Monaſterio, cui fuerant deſtinati, omnifariam ſocientur. Exceptis iis facultatibus, quas forte cenſibus adſcripti, vel juri patronatus ſubjecti, vel curiali conditioni obnoxii, Clerici, vel Monachi cujuſcunque ſexus relinquunt.* Tum ex Conciliis Agathenſi, & Hiſpalenſi Epiſcopis, qui filios, aut nepotes non habuerint, non licebat alium, quam Eccleſiam, hæredem inſtituere (19).

3. Aliquando etiam Paganorum Templa cum ſuis reditibus Eccleſiæ data ſunt. Profecto ejuſmodi Templa, eorumque reditus ad Imperatorum jus deferebantur, a quibus nonnunquam bene de Republica merentibus, vel gratia apud Imperatores valentibus conferri conſueverunt; uti ex Honorii, & Gratiani, aliorumque Principum Legibus conſtat. At dubitandum haud eſt aliquando Eccleſiis donata fuiſſe. Nam Honorius ipſe *multiplicium Conſtitutorum* meminit, quibus ad venerabiles Eccleſias reditus illos voluerit pertinere (20). Præcipue vero ædificia, ac

(15) *Theodoretus Lib. I. cap.* 11. Litteras quoque ad provinciarum rectores dedit, quibus mandabat, ut per ſingulas civitates virginibus ac viduis, & iis, qui divino miniſterio erant conſecrati, annona quotannis præberetur: ex ſua potius liberalitate, quam ex uſu & neceſſitate modum annonarum definiens. *Eadem habet Sozomenus* Lib. V. cap. 5.

(16) *Sozomenus Lib. V. cap.* 5. Clericis quidem immunitatem omnem, atque honorem, & annonas a Conſtantino præbitas ademit *Julianus*... Nam cum Conſtantinus Eccleſiarum ſtatum ordinaret ex tributis ſingularum civitatum, partem, quæ ad alimenta paranda ſufficeret, clero cujuſque urbis diſtribuit.

Theodoretus ibidem. Harum pars tertia noſtra quoque ætate Eccleſiis præbetur. Nam cum impius Julianus omnes illas annonas ademiſſet, ſucceſſor ejus *Jovianus* eas, quæ nunc erogantur, præberi juſſit.

(17) *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit. I. Leg.* 12. Salaria, quæ ſacroſanctis Eccleſiis in diverſis ſpeciebus de publico hactenus miniſtrata ſunt, jubemus nunc quoque inconcuſſa, & a nullo prorſus imminuta præſtari.

(18) *Cod. Theod.* Lib. V. Tit. III. Leg. 1. *Cod. Juſtin.* Lib. I. Tit. III. Leg. 20.

(19) *Concilium Agathenſe Can. XXIV.* Epiſcopus, qui filios aut nepotes non habens alium quam Eccleſiam, relinquit heredem; ſi quid de Eccleſia non in Eccleſiæ cauſſa, aut neceſſitate præſumpſit, quod diſtraxit, aut donavit, irritum habeatur. *Idem præſcribitur Concilii Hiſpalenſis I. Can. I.*

(20) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. X. Leg.* 19. & 20. Templorum detrahantur annonæ, & rem annonariam jubent expenſis devotiſſimorum militum profuturæ... ædificia ipſa templorum, quæ in civitatibus vel oppidis, vel extra oppida ſunt, ad uſum publicum vindicentur, aræ locis omnis

ac ſtatuæ ſive aureæ, ſive argenteæ in illis repertæ in Chriſtianæ Religionis uſum adcommodari conſueverunt; uti Socrates, & Sozomenus teſtantur (21).

4. Necnon & Hæreticorum conventicula cum ſuis Reditibus; uti ex quadam Honorii lege (22 .) quivis poterit intelligere, cujus vi fortaſſe Cyrillus Epiſcopus Alex. clauſis omnibus Novatianorum templis ſacra eorum vaſa abſtulit, & Theopemptum omnibus ſuis facultatibus nudavit (23).

5. Tandem ſi qui forte Clerici, vel Monachi Eccleſia, vel Monaſterio relicto ad vitam redirent privatam, omnia eorum bona Eccleſiæ, vel Monaſterio, ad quod ſpectarint, ex Juſtiniani Legibus, addici oportebat (24). Atque hæ præcipuæ viæ fuerunt, ac rationes, quibus (præter decimarum collationem, de qua mox pluribus) in veteri Eccleſia plerumque Clericis vitæ ſubſidia comparabantur.

§. V. *De illicitis quibuſdam reditus Eccleſiaſticos augendi modis generatim ab Eccleſia rejectis.*

VIII. Ac primo rejectæ omnino poſſeſſiones, ac prædia, quæ in detrimentum, & præjudicium communis juris aliorum quis Eccleſiæ donaret. Uti ex. gratia ſi pater quiſpiam liberis ſuis exheredatis Eccleſiam heredem nominaret. Auguſtinus ex Poſſidio in ejus Vita *cap.* 24. aliquas ſibi hoc modo oblatas hereditates recuſavit. Cujus rei illam adfert cauſſam Auguſtinus ipſe in Sermone de Vita Clericorum: *Quando donavi filio*, inquit, *quod iratus Pater moriens abſtulit, bene feci... Quicunque vult exheredato filio heredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum; immo deo propitio neminem inveniat.* Memorabile eſt illud Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi magnanimitatis, & æquitatis exemplum, quod *ibidem* refert Auguſtinus. *Quidam*, inquit, *quum filios non haberet, nec ſperaret, res ſuas omnes retento ſibi uſufructu donavit Eccleſiæ... nanti ſunt filii, reddidit Epiſcopus nec opinanti quæ ille donaverat.* Tum ſubnectit ipſe Auguſtinus: *In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure fori, non jure poli.*

IX. Secundo vetitum quoque erat pro Sacramentorum Eccleſiæ adminiſtratione quidquam exigere. Concilium Illiberitanum *Can. XLVIII.* prohibuit his, qui baptizarentur, nummos in concham mittere: *ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.* In aliis Eccleſiis voluntaria dona offerre permiſſum erat; ac præcipue pro Eccleſia græca manifeſto evincitur ex Gregorio Nazian. *Orat. XL. de Baptiſmo*, ubi pauperem ad baptiſmum accedere morantem, ſic loquentem inducit: *Ubi eſt munus, quod propter baptiſmum offeram? Ubi ſplendida veſtis, in qua explendeſcam? Ubi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur?* At porro Nazianz. ipſe ſtatim reſpon-

omnibus deſtruantur, omniaque templa poſſeſſionibus noſtris ad uſus adcommodos transferantur... ea autem quæ *Multiplicibus Conſtitutis* ad venerabilem Eccleſiam voluimus pertinere, chriſtiana ſibi merito religio vindicabit.

(21) *Sozomenus Lib. V. Cap.* 7. Acciderat præterea quidpiam in loco, quem Alexandrini Mithrium *ſolis Templum* vocant. Hunc enim locum, quum jam pridem deſertus eſſet, Alexandrinæ Eccleſiæ Conſtantius donaverat.

Socrates Lib. V. Cap. 16. Statuæ in lebetes, & in alios Alexandrinæ Eccleſiæ uſus conflatæ, quum Imperator Deos Gentilium ad ſuſtentandos pauperes ei donaſſet.

(22) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. V. Leg.* 52. Eccleſiis eorum *hæreticorum*, vel conventiculis prædiiſque ſi qua in eorum Eccleſiis hæreticorum largitas prava contulit, proprietati, poteſtatique Catholicæ (ſicut jam dudum ſtatuimus) vindicatis.

(23) *Socrates lib. VII. cap.* 7. Statim Cyrillus clauſis Novatianorum Eccleſiis, quotquot erant Alexandriæ, primo quidem ſacra eorum vaſa, atque ornamenta abſtulit: deinde Epiſcopum illorum Theopemptum omnibus ſuis facultatibus nudavit.

(24) *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit. III. Leg.* 53. Si illi monaſteria aut Eccleſias relinquant, atque mundi fiant, omne ipſorum jus ad monaſterium, aut Eccleſiam pertinet. *Idem preſcribit Novella V. cap.* 4.

ſpondet: *Te ipſum offer, Chriſtum indue, honeſta, & laudabili vita me ale. Sic ego excipi lætor, ſic etiam Deus, qui maxima quæque beneficia orbi ſlagitur*. At vero quaſcunque exactiones præfigere prorſus vetabant Conciliorum Canones, ac Epiſcoporum Sanctiones; uti ex Gelaſio, Gregorio Nazianz. & ex pluribus Conciliorum Canonibus liquet: uti *Lib. III.* videbimus.

§. VI. *De Decimis.*

X. Quamvis non deſint Auctores, qui decimarum ſolutionem etiam in nova Lege jure divino impoſitam credant: attamen vero ſimilior videtur illorum opinio, qui cum Angelico Doctore ſentiunt homines ad decimarum ſolutionem teneri partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ (25). Namque ex una parte ipſa naturalis ratio dictat, ut eis, qui divino cultui miniſtrant, ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victus miniſtret; ex altera vero Eccleſia, penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam.

XI. Adhæc illud ſat expeditum videtur tribus prioribus Eccleſiæ Seculis decimas nondum a fidelibus ſolvi cœpiſſe, nec inter Eccleſiaſticos proventus fuiſſe numeratas: quod ex S. Cypriano ſatis liquet. Namque in Libro *de Unitate Eccleſiæ* ait: *At nunc de patrimonio nec decimas damus*. Et alibi commentatus in illud Levitici de ſolvendis Sacerdotibus decimis de fructibus terræ ceteris Tribubus adſignatis ſubjungit: *Quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini ordinatione Clericali promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & ſacrificiis non recedant*. Hæc palam ſupponunt tempore Cypriani *ſportulas* vicem decimarum ſubiiſſe. Idem quoque conſtat ex Origene, qui homilia quadam in Numerorum Cap. XVIII. hæc ſcribit: *Quomodo ergo abundat juſtitia noſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, ſi illi de fructibus terræ guſtare non audent, priuſquam primitias ſuas Sacerdotibus offerant, & Levitis Decimæ ſeparentur. Et ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutor, ut Sacerdos neſciat, Levites ignoret, divinum altare non ſentiat.*

XII. Verum in Concionibus, & Homiliis Patrum quarti, & quinti Seculi plura occurrunt, quibus ii exemplo populi Judaici, ad decimarum ſolutionem populum Chriſtianum excitaſſe videntur. Ita *S. Hieron. in cap. 3. Malach. S. Auguſt. in Pſ.* 146., & *S. Jo. Chryſoſtomus Hom. V. in Ep. ad Epheſ.* Maxime ad rem faciunt verba Chryſoſtomi: *Quid*, inquit, *Judæi non faciebant? Decimas, & rurſum decimas præbebant Orphanis, Viduis, Proſelytis. Sed mihi quidam de quopiam dicebat: hic, aut ille dat Decimas. Quanto eſt hoc plenum probro, & dedecore, ſi quod apud Judæos non habebatur in admiratione, hoc apud Chriſtianos factum eſt admirabile.*

XIII. Profecto ex hoc Chryſoſtomi teſtimonio, uti quoque ex aliis *Hier. Aug.* (26), aliorumque Patrum auctoritatibus conſtat quidem nullum eo tempore Eccleſiaſticum de decimis ſolvendis exſtitiſſe

(25) S. *Thomas* 2. 2. *Quæſt.* 87. *art.* 1. Sic ex ſe patet, quod ad ſolutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ. Quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum & perſonarum poſſet aliam partem determinare ſolvendam.

(26) *Hieronymus Comm. in Malach. Cap. III.* Quod de decimis primitiiſque diximus, quæ olim dabantur a populo Sacerdotibus ac Levitis, in Eccleſiæ quoque populis intelligite .... quod ſi facere noluimus, ſaltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum deferamus.

Auguſtinus Comm. in Pſalm. CXLVI. Præcidite ergo aliquid, & deputate aliquid fixum vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæſtibus veſtris .... exime aliquam partem redituum tuorum. Decimas vis? Decimas exime quamquam parum ſit. Dictum eſt enim, quod Phariſæi decimas dabant,

tiſſe præceptum; at vero ſimul inde elucet voluntarie fideles decimas ſolvere conſueviſſe, excitatus quidem Patrum Sermonibus, qui, uti nuper diximus, ad hoc crebro fideles exhortabantur. Atque adeo Auguſtinus, qui ineunte Seculo V. vixit, graviter conqueritur, quod ante ſua tempora liberalius, & fidelius decimæ Eccleſiæ conferri conſueverint, quam ſua ætate (27). Demum doctiſſimus Chriſtianus Lupus *Schol. in Can. Tom. IV. pag.* 194. ex productis Chryſoſtomi verbis ſic colligit: *Ex quo vides decimas tunc fuiſſe duntaxat voluntarias. Eas quippe non unuſquiſque, ſed hic tantummodo, aut ille dabat, eratque opus admiratione dignum.*

XIV. Quinto Seculo exeunte videtur primum decimarum ſolutio, tanquam res neceſſaria, & præcepta, populo imponi cœpiſſe. Id liquet ex quodam Sermone falſo Auguſtino adſcripto, ſed ab eruditis Cæſario Arelatenſi tributo (28). Verum Synodus Matiſconenſis II. clarius hanc populi obligationem expreſſit, ac firmavit, adjecta pœna excommunicationis in eos, qui decimas Eccleſiæ inferre detrectarent (29). Tandem octavo, & nono Seculo generatim in Occidente non modo Epiſcopos, verum & Imperatores, & Principes populos ad ſolvendas decimas coegiſſe, tum ex pluribus Conciliorum Canonibus, tum ex Capitularibus Regum Francorum perquam evidens eſt. Atque hinc patet Decimarum ſolutionem primo in Eccleſia conſuetudine introductam, dein Præcepto Eccleſiaſtico fuiſſe firmatam. Confer noſtras Inſtitutiones Canonicas *Lib. II. Tit. XVII.*

§. VII. *De Primitiis fructuum, eaſque offerendi Ritu.*

XV. Non modo Canones ſic dicti Apoſtolici (30) de Primitiis, ceu de parte alimentorum Cleri loquuntur, verum & auctores vetuſtiores, & probatiores earum tanquam oblationum Deo factarum meminere. Sic Origenes contra Celſum Lib. VIII. *Celſus primitias vult nos dicare dæmoniis. At nos malumus hunc honorem debere illi, qui dixit: Germinet terra herbam* &c. Tum Irenæus *Lib. IV. Cap.* 32. *Chriſtus ſuis diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis Creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint.* Jam vero illud non conſtat, num veteres ſingularem habuerint gratias agendi formulam, qualis ea eſt, quæ in græcis pariter, & latinis ritualibus legitur, an vero has primitias una cum aliis oblationibus tempore Euchariſtiæ obtulerint.

XVI. Auctor quidem Conſtitutionum Apoſtolicarum formulam precandi adfert *imploratio propter primitias* inſcriptam, quam vide inferne (31); ſed quæ nihil commune habet cum ea, quæ in hodiernis ritualibus legitur. Attamen vero ſimilius eſt Primitias haud quidem altari

(27) *Auguſtinus Hom. XLVIII.* Majores veſtri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem quia deceſſit devotio Dei, acceſſit indictio fiſci: Nolumus partiri cum Deo Decimas; modo autem totum tollitur. Hoc tollit Fiſcus, quod non accipit Chriſtus.

(28) *Sermo de reddendis decimis falſo. Auguſtino tributus.* Decimæ ex debito requiruntur; & qui eas dare noluerit, res alienas invaſit..... reus ante tribunal æterni judicis adparebit, quia rem a Domino pauperibus delegatam ſuis uſibus reſervavit.

(29) *Concilium Matiſconenſe II. Can. V.* Nunc autem paulatim prævaricatores legum pæne Chriſtiani omnes oſtenduntur, dum ea quæ divinitus ſancita ſunt, adimplere negligunt. Inde ſtatuimus ac decernimus, ut mos antiquus a fidelibus reparetur, & decimas Eccleſiaſticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat: quas Sacerdotes in uſum pauperum, aut in captivorum redemptionem prærogantes ſuis orationibus pacem populo ac ſalutem impetrent. Si quis autem contumax noſtris ſtatutis ſaluberrimis fuerit, a membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur.

(30) *Canones Apoſtolici Can. IV.* Omnis alius fructus domum mittatur, primitiæ Epiſcopo & Presbyteris.

(31) *Auctor Conſtitutionum Lib. VIII. Cap.* 40. Gratias agimus tibi Domine omnipotens omnium effector, & gubernator per unigenitum filium tuum Chriſtum Dominum noſtrum pro oblatis tibi primitiis, non quantas debemus, ſed quatenus poſſumus.

tempore oblationis fuiſſe delatas, ſed potius extra altare, nec tempore oblationis ſtatutis gratiarum actionibus fuiſſe Deo oblatas; quum in nullis antiquis Liturgiis hæc Primitiarum oblatio occurrat. Porro primitias fructuum offerendi conſuetudinem ſatis in Eccleſia, & antiquam fuiſſe, & univerſalem, dubitandum haud videtur. Namque præter modo indicatos veteres ſcriptores primitiarum mentio occurrit etiam in Synodo Gangrenſi, cujus Patres de Euſtathianis conqueruntur, quod primitias fructuum Eccleſiæ olim datas ſibi tanquam ſanctis vindicare auſi fuerint: unde decernunt nulli primitias extra Eccleſiam præter Epiſcopi ſententiam eſſe conferendas (32). Primitiarum denique meminerunt quoque antiquiſſima Africana Synodus, Gregorius Nazianzenus (33) &c.

(32) *Concilium Gangrenſe in Præfat.* Primitias fructuum, & oblationes eorum, quas veterum inſtitutio Eccleſiis tribuit, ſibimet vindicaſſe, ideſt propriæ ratiocinatione doctrinæ tanquam ſanctis, ſibi eas offerri debere, apud ſe, & inter ſe diſpenſandas. *Tum Can. VIII.* Si quis dat, vel accipit fructus oblatos præter Epiſcopum, vel eum, qui eſt conſtitutus ad beneficentiæ diſpenſationem; & qui dat, & qui accipit, ſit anathema.

(33) *Cod. Canonum Eccleſiæ Africanæ Can. XXXVII.* Nec amplius in primitiis offeratur, quam de ovis, & frumentis. *Et Gregor. Nazian. Ep. LXXX.* Areæ, & torcularis primitias, & filiorum, eos, qui vere filios amant, Deo conſecrare juſtum, ac pium eſt.

CAPUT IX.

De Redituum Eccleſiaſticorum in veteri eccleſia diſpenſatione.

§. I. *De Clericorum prærogativa vitam agendi ex Reditibus Eccleſiæ.*

I. INter præcipuas Clericorum prærogativas ſemper illa eſt habita, quod nimirum jus habeant vitam agendi ex reditibus Eccleſiæ, decimis, primitiis, aliiſque Populi oblationibus. Et ſane ejuſmodi obſequii genere tum Populus Judaicus ſuos Sacerdotes, tum Abrahamus Melchiſedecum eſt proſecutus. Verum noſtri inſtituti non eſt in Moſaicis hac de re præceptis illuſtrandis immorari.

II. Porro id ipſum Chriſtus tum exemplo, tum doctrina probavit. *Exemplo:* plures enim mulieres Chriſtum ſequebantur, ut quæ ipſi, ejuſque Apoſtolis neceſſaria eſſent, de ſuis facultatibus miniſtrarent. Lucæ cap. VIII. *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a ſpiritibus malignis .... & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Tum *doctrina:* Apoſtolos enim ad evangelizandum mittens, eos ab civitatum, locorumque incolis hoſpitium, & alimenta recipere juſſit, rationem ſubnectens: *Dignus enim eſt operarius cibo ſuo:* Lucæ X.

III. Idem Paulus Apoſtolus pluribus demonſtrat haud ſemel in ſuis Epiſtolis. Ac præſertim *I. ad Corinth. cap.* 5. & quidem 1. *ex jure gentium.* Neque enim Miles tenetur ſuo ſumtu militare, ſed a provincialibus accipit decreta ſibi ſtipendia: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?*

2. *Ex ratione.* Quiſnam unquam prohibetur de vineæ fructu edere, vel cujuslibet arboris a ſe plantatæ? Aut num qui *paſcit gregem de lacte gregis non manducat?*

3. *Ab inæqualitate dati, & accepti;* idque ſub metaphora ſeminantis, & metentis. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Quaſi diceret; Qui ſeminat multo plus a terra metere exſpectat, quam in eam projecit: Atqui ſpiritualia, quæ ſeminantur, oppido potiora ſunt carnalibus, quæ metuntur: Qui igitur grave videbitur, ſi nos ſpiritualia vobis ſubminiſtrantes viciſſim carnalia recipiamus?

4. De-

Digitized by Google

4. Demum ex *Lege Moſis*, quæ *Deut. XXV.* idipſum per Allegoriam Bovis triturantis indicat, cujus os alligare, ſive obturare φίμοις nimiæ crudelitatis eſt argumentum. In quo ſane Spiritum Sanctum id præcipue intendiſſe docet Apoſtolus; nimirum ut Euangelii miniſtri ab iis, quos inſtituunt, quo nutriantur, accipiant: *Scriptum eſt in Lege Moſis: Non alligabis os Bovi trituranti; nunquid de Bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi ..... neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſerviunt cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Euangelium adnuntiant, de Euangelio vivere.*

IV. Poſtremo idem colligitur ex antiquiſſima, & univerſali Eccleſiæ praxi, ut Clericis a Plebe honeſta corporis alimenta præberentur, & quidem vel ex oblationibus ſuper altari fieri ſolitis, ubi non panis tantum, & vinum, ſed res etiam aliæ neceſſariæ, & nonnunquam pecuniæ in Eccleſiæ ſubſidium conferebantur, vel ex fructibus, avibus, & animalibus, quæ Epiſcopis domum mitti conſueverunt, Presbyteris, Diaconis, & reliquis Clericis diſtribuenda, vel demum ex agris, & poſſeſſionibus Eccleſiæ donatis, quæ licet oppido tenues eſſent, at pace Eccleſiæ reddita valde adauctæ ſunt. Porro de hac re *Cap. ſuper.* ſatis actum videtur.

§. II. *Antiquitus Epiſcopi munus erat reditus Eccleſiaſticos Clericis diſtribuere.*

V. Ac primo duo juvat in hac re prænotare, quæ maximam his, quæ mox dicemus, affundunt lucem. Primum nullos antiquitus Presbyteros, vel alios Clericos ad peculiares in eadem civitate, vel Diœceſi Eccleſias fuiſſe adligatos; at vero ad harum miniſterium de Eccleſia matrice, ſeu Cathedrali fuiſſe indiſcriminatim adhibitos. Alterum: neque peculiares ejuſdem Diœceſeως Eccleſias ſeparatos habuiſſe reditus, ſed clericos in illis miniſtrantes alimenta accepiſſe e communi Eccleſiæ matris ærario, in quod omnes particularium Eccleſiarum oblationes inferebantur, ut ex eo Clerici univerſi ſuas portiones acciperent. Hunc morem medio Seculo V. Conſtantinopoli viguiſſe ex Theodoro Lectore accipimus (1). Atque hinc patet quomodo veteres Eccleſiæ Canones omnium Eccleſiaſticorum redituum curam, & diſtributionem Epiſcopo commiſerint, ac ipſius muneris, ac officii partem eſſe juſſerint.

VI. Profecto antiqua Concilia, præcipue vero Antiochenum, & Gangrenſe (2), pluribus ſancitis Canonibus Epiſcopi curæ committunt redituum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, ejuſque voluntati & arbitrio diſerte adſcribunt proventus, & dona Eccleſiæ diſpenſare, cui populus, & animæ omnes commiſſæ ſunt. Idem quoque præſcribunt Canones ſic dicti Apoſtolici, & Auctor Conſtitutionum (3). Tum Cyprianus (4) ſcribit,

 omnes,

(1) *Theod. Lect. Lib. I. num.* 13. Gennadius Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ .... hic ſimul atque Œconomus factus eſt, decrevit, ut quæ in unaquaque Eccleſia offerebantur, Clerici ejuſdem Eccleſiæ acciperent: Quum ad id tempus Magna Eccleſia univerſa accipere ſoleret.

(2) *Concil. Antiochen. Can. XXIV.* Ea, quæ ſunt Eccleſiæ, adminiſtrari convenit cum judicio, & poteſtate Epiſcopi, cui & omnis populus creditus, & eorum animæ, quæ in Eccleſiam conveniunt. *Tum Can. XXV.* Epiſcopus habeat rerum Eccleſiæ poteſtatem, ut eas in omnes egentes diſpenſet cum multa cautione, & Dei timore.

Conc. Gangren. Can. VII. Si quis vult fructus Eccleſiæ datos accipere, vel dare extra Eccleſiam, præter Epiſcopi ſententiam ..... anathema ſit.

(3) *Canones Apoſtolici Can. XXXI.* Omnium rerum Eccleſiaſticarum curam habeat Epiſcopus, eaſque adminiſtret, tanquam Deo inſpiciente. *Et Can.* XXXIV. Præcipimus, ut Epiſcopus poteſtatem habeat rerum Eccleſiæ. *Conſtit. Apoſt.* Lib. II. cap. 25. per totum.

(4) *Cyprianus Epiſt.* XXXVIII. *al.* XLI. Ut cum Eccleſia matre remanerent, & ſtipendia ejus Epiſcopo diſpenſante perciperent.

omnes, quibus ab Eccleſia alimenta ſuggeruntur, ea accipere *diſpenſante Epiſcopo*.

VII. Alibi quidem jam vidimus in iſtac redituum adminiſtratione Epiſcopo Archidiacono primum, dein & Œconomo ex Canonum præſcripto utendum fuiſſe (5). At vero ſimul conſtat ejuſmodi adminiſtros Epiſcopo fuiſſe ſubjectos, a quo huic negotio fuerant præpoſiti. Unde ipſi Epiſcopo, tanquam ſupremo Eccleſiæ moderatori, ratio omnino reddenda erat, uti ad rem obſervat Hieronymus (6). Tum Auguſtinus, auctore Poſſidio in ejus Vita, omnes quidem ſuæ Eccleſiæ reditus per Clericos adminiſtrabat, ne ſigillo quidem, aut clavi ſibi reſervata: attamen ſtatis temporibus ab iiſdem obitæ adminiſtrationis rationes poſtulabat. Tria tantum huic ſubnectimus. 1. Epiſcopum ſtatim poſt ſuam electionem res proprias indicare debuiſſe, ut ab Eccleſiæ bonis diſcerni potuiſſent (7). Ita Canones Apoſtolici.

2. Epiſcopum ad declinandam omnem iniquæ adminiſtrationis ſuſpicionem Synodo Provinciæ rationem reddere conſueviſſe. Ita Concilium Antiochenum (8).

3. Eadem de cauſſa Syn. Chalced. unumquemque Epiſcopum Œconomum habere juſſit, qui communi totius Cleri ſuffragio eligendus erat (9).

VIII. Ævo Apoſtolico, ac proxime inſecutis temporibus univerſæ Populi oblationes apud Epiſcopum deponebantur, & pro cujuſque indigentia diſtribuebantur. Porro Eccleſia Jeroſolymitana hac in re inter ceteras emicuit: ibi enim, ut habetur Actor. II. *qui credebant, erant ſimul, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Sequentibus vero Seculis in certas portiones menſtruas, vel annuas diviſæ ſunt; perinde atque rerum, aut perſonarum conditio vel neceſſitas poſtulaſſet. Id ex Cypriano nuper obſervavimus. In Occidente plerumque in quatuor partes Eccleſiæ reditus diſtributi ſunt: quarum una Epiſcopo, reliquis Clericis altera, tertia pauperibus dabatur, quarta Eccleſiæ fabricis deſtinanda erat. Id Gelaſius, Simplicius, & Gregorius M. præſcribunt (10). At Synodos Bracarenſis I. *Can. XXV.* tres tantum partes conſtituit, *Epiſcopo unam, aliam Clericis, tertiam ædificio, & luminaribus* adſignans. Profecto in hac partitione Epiſcopo hoſpitalitas exercenda relinquitur.

IX. Iſtæc diſtributionis ratio perduraſſe videtur ad illud uſque tempus, quo Parochiis certi reditus conſtitui cœperunt. Id quod ortum ſuum habuiſſe videtur a privatis Eccleſiarum fundatoribus, qui Clericis Eccleſiis a ſe ædificatis miniſtrantibus prædia ad eos alendos relinquebant. Hæc conſuetudo tempore Juſtiniani jam introducta fuiſſe videtur, uti ex duabus ejus Novellis colligitur (11).

§. III.

(5) *Confer ſupr.* Cap. II. num. XII. & Cap. III. num. XXXV.

(6) *Hieron. Ep. I. ad Nepot.* Sciat Epiſcopus, cui commiſſa eſt Eccleſia, quem diſpenſationi, curæque præficiat.

(7) *Canones Apoſtolici Can. XXXIX.* Manifeſtæ ſint Epiſcopi res propriæ, ſi quidem habet res proprias, & manifeſtæ res dominicæ: Ut ſit in poteſtate morientis Epiſcopi propria quibus vult, & ut vult relinquere.

(8) *Concil. Antiochen. Can. XXV.* Si res in proprios uſus convertat..... ut per hæc rationes Eccleſiæ lædantur, is det Synodo Provinciæ rationem.

(9) *Confer ſupr.* Cap. III. num. XXXV.

(10) Gelaſius *Epiſt. I. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 27.* Quatuor tam de reditu, quam de oblatione fidelium....... convenit fieri portiones, quarum ſit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis adplicanda: *Idem præſcribunt Simplicius* Epiſt. III. ad Florent. *Gregorius M.* Lib. III. Epiſt. XI.

(11) *Juſtinianus Novella LVII. cap.* 2. Si quis ædificans Eccleſiam, aut etiam aliter expendens in ea miniſtrantibus alimenta, voluerit aliquos clericos ſtatuere &c. *Tum Novell. CCXXIII. cap.* 18. Si quis Oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea clericos ordinare aut ipſe, aut ejus heredes: ſi expenſas ipſis clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinare.

§. III. *In aliquot Eccleſiis Clerici in communi vivebant.*

X. Iſtuc haud quidem ex præcipiente quodam Canone, at vero nonniſi libere, & ex communi voluntatum conſenſione in aliquot Eccléſiis factum eſt. Porro in his Clericis cum Epiſcopo omnia erant communia. Hunc Clericorum Rhinocoluræ in Ægypto morem fuiſſe tradit Sozomenus *Lib. VI. cap.* 31. de quibus ſubjungit: *Eſt autem loci illius Clericis communis domus, & menſa: reliqua denique omnia communia.* Idem de Auguſtini Eccleſia tradit Poſſidius *Vit. Auguſtini cap. XXV.* Quinimmo ex eodem Auguſtino *Serm. de Commun. Vit. Clericor.* accipimus, quantum ipſi cordi fuerit, ut in ſociali illa vita omnia prorſus eſſent communia: ſic enim ſcribit. „ Quia placuit „ illis Deo propitio ſocialis hæc vita, „ quiſquis cum hypocriſi vixerit, „ quiſquis inventus fuerit habens pro„ prium, non illi permitto, ut inde fa„ ciat teſtamentum, ſed delebo eum de „ tabula Clericorum. Interpellet pro me „ mille Concilia, naviget contra me „ quo voluerit: ſit certe, ubi potuerit, „ adjuvabit me Deus, ut ubi ego Epi„ ſcopus ſum, illic clericus eſſe non „ poſſit „. Tum *ibidem* ſubnectit. „ Qualem veſtem habere poteſt presby„ ter, qualem poteſt habere decenter „ Diaconus, & Subdiaconus, talem volo „ accipere. Si quis meliorem dederit, „ vendo, quod & facere ſoleo: ut quan„ do non poteſt veſtis eſſe communis, „ pretium veſtis ſit commune „. Adeo exactam bonorum communionem in ſociali illa vita adamabat Auguſtinus.

§. IV. *Reditus, vel Bona Eccleſiæ non niſi gravi urgente neceſſitate alienare licebat.*

XI. Quamvis Bona ſemel Eccleſiæ oblata ejus tantummodo cultui impendenda fuerint, nec in alium uſum convertenda: attamen ubi caritas id exegiſſet, eadem alienare vetitum non erat. Hinc S. Ambroſius ad redimendos captivos, qui alias in captivitate permanſiſſent, ipſamet Eccleſiæ vaſa fudit. Qua de re ab Arianis invidioſe reprehenſus elegantiſſimam pro ſe ſcripſit Apologiam lectu digniſſimam (12). Idem de Auguſtino ſcribit Poſſidius (13). Et de Acacio Epiſcopo Amidæ teſtatur Socrates *Lib. VII. cap.* 21. ipſum ad redimendos e Romanorum militum manibus captivos Perſarum, qui erant circiter ſeptem hominum millia *ſacra aurea, & argentea vaſa conflari juſſiſſe: deinde pro ſingulis captivis pretio militibus perſoluto, eos aliquandiu aluiſſe: tandemque viatico inſtructos ad regem Perſarum remiſiſſe.* Tum de Cyrillo Jeroſolymorum Epiſcopo ſcribit Sozomenus Lib. IV. Cap. 25. *Quum Jeroſolymorum regionem fames occupaſſet, egentium multitudo neceſſariis alimentis deſtituta ad Cyrillum (utpote Epiſcopum) oculos conjecit: cum autem pecuniæ deeſſent, quibus ſubveniri poſſet egentibus, Cyrillus theſauros Eccleſiæ, & ſacra vaſa divendit.* Et Theodoretus *Lib. II. cap.* 27. de eodem Cyrillo: *Sacram veſtem*, inquit, *quam Conſtantinus omni laude*

(12) *S. Ambroſius Lib. II. Cap.* 28. Nonne melius conflat Sacerdos pro alimonia pauperum, ſi alia ſubſidia deſunt, quam ſacrilegus contaminet, & adportet hoſtis? Aurum Eccleſia habet non ut ſervet, ſed ut eroget in neceſſitatibus... Nonne dicturus eſt Dominus, cur paſſus tot inopes fame mori? Certe habebas aurum, unde miniſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium, nec redempti ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum. His non poteſt reſponſum adferri: quid enim dices? Timui ne templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet: aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum eſt. Et vere illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas a morte... Nemo poteſt dicere cur pauper vivit? Nemo poteſt queri, quia captivi redempti ſunt.... Nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies eſt defunctorum.

(13) *Poſſidius Vit. Aug. cap.* 24. De vaſis Dominicis propter captivos, & quam plurimos indigentes frangi, & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari.

laude celebrandus ad exornandam Jeroſolymorum Eccleſiam Macario ejus loci Epiſcopo donaverat, ut ea indutus divinum baptiſmi miniſterium perageret: ea veſtis aureis filis contexta erat: Cyrillum vendidiſſe dixit Acacius &c. Poſtremo Epiſcopum quendam Carthaginienſem nomine Deogratias ſacra quoque vaſa vendidiſſe ad milites Romanos in bello cum Vandalis captos redimendos auctor eſt Victor Uticenſis (14). Porro ex his, aliiſque, quæ adferri poſſent, antiquis Eccleſiaſticis monumentis illud juvat colligere; nimirum veteres illos ſanctiſſimos Epiſcopos in eo caritatis officio non id ſpectaſſe, quam quis religionem profiteretur, ſed potiſſimum an inops opis indigns eſſet. Igitur interdictum de vetita bonorum Eccleſiaſticorum alienatione illam ſemper comitem habuit conditionem: ſcilicet niſi aliter, vel commune Eccleſiæ bonum, vel lex caritatis præſcribat. Quamobrem Juſtinianus *Lib. I. Tit. II. Leg.* 21. poſtquam ſanxit *nemini licere ſacratiſſima, atque arcana vaſa, vel veſtes, ceteraque donaria .... vel ad venditionem, vel ad hypothecam, vel ad pignus trahere, ſtatim ſubnectit ....* Excepta cauſſa Captivitatis, & famis *in locis, quibus hoc contigerit. Nam ſi neceſſitas fuerit in redemtione captivorum, tunc & venditionem præfatarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus. Quoniam non abſurdum eſt, animas hominum quibuſcumque vaſis, vel veſtimentis præferri.*

XII. Poſtremo Clericorum Paupertas, uti ſi eorum alimoniæ annui reditus non ſufficerent, in cauſſa eſſe poterat, cur Epiſcopus certa Eccleſiæ bona alienaret. Verum in hoc caſu, ne qua fraus admitteretur, Epiſcopus primum ſuos Clericos, tum etiam Metropolitanum, alioſque comprovinciales Epiſcopos conſulere debebat. Id præſcribunt plures Conciliorum Canones (15).

(14) *Victor Utic. de perſecut. Vandal. Lib. I.* Poſt hæc factum eſt ſupplicante Valentiniano Auguſto, Carthaginienſi Eccleſiæ poſt longum ſilentium deſolationis Epiſcopum ordinari, nomine Deogratias .... Dum multitudo captivitatis Africanum attingeret litus, dividentibus Vandalis, & Mauris ingentem Populi quantitatem, ut moris eſt barbaris, mariti ab uxoribus, liberi a parentibus ſeparabantur. Statim ſategit vir Deo plenus, & clarus univerſa vaſa miniſterii aurea, vel argentea diſtrahere, & libertatem de ſervitute barbarica liberare, & ut conjugalia foedera manerent, & pignora genitoribus redderentur.

(15 *Concil. Carth. V. Can. IV.* Placuit, ut rem Eccleſiæ nemo vendat: quod ſi aliqua neceſſitas cogit, hanc inſinuandam eſſe Primati provinciæ ipſius, ut cum ſtatuto numero Epiſcoporum, utrum faciendum ſit, arbitretur.

Concil. Carth. IV. Can. XXXII. Irrita erit donatio Epiſcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque conniventia, & ſubſcriptione Clericorum.

Concil. Agath. Can. VII. Quod ſi neceſſitas certa compulerit, ut pro Eccleſiæ neceſſitate, aut utilitate, vel in uſufructu, vel in directa venditione aliquid diſtrahatur, apud duos, treſve comprovinciales, vel vicinos Epiſcopos cauſſa, qua neceſſe ſit vendi, primitus comprobetur.

CAPUT X.

De Regulis ad quas Veteres Clerici vitam et mores suos dirigebant.

§. I. *De Veterum Clericorum pietate, ac morum ſanctimonia generatim.*

I. Veteres Clerici tanta, tamque gravi morum ſanctimonia præfulgebant, ut ipſos gentiles licet Chriſtianis infenſiſſimos non lateret, ac eorundem oculos vehementer offenderet. Profecto Julianus impiiſſimus alioquin Imperator, ac nominis Chriſtiani hoſtis quam qui maxime, uti gentiles laicos exemplo fidelium laicorum; ita & Sacerdotes Ethnicos exemplo clericorum Chriſtianorum ad pietatem erga falſa ſua numina, ad ſimulatam morum gravitatem,

tem, & ad caritatis officia erga indigos exercenda adhortabatur (1). Ex quo ſane teſtimonio unuſquiſque deprehendere poterit quænam fuerit morum ſanctimonia, quam olim veteres Clerici ex Eccleſiæ præſcripto conſectabantur, & quantum ipſi operæ poſuerint, ut ſuos animos eximiis virtutibus ornarent. Id enim adeo per ſe patet, ut pluribus explicari neceſſum non ſit. Illud hic duntaxat ſubnectere liceat non Julianum modo, verum & alios Ethnicos Scriptores veterum clericorum frugalitatem, temperantiam, modeſtiam, aliaſque virtutes genuinis ſane, ac fide dignis narrationibus poſteritati commendatas reliquiſſe (2).

II. Porro non minoris pæne roboris ad idem demonſtrandum videtur argumentum, quod ex Chriſtianorum Apologiſtarum teſtimoniis colligere eſt: uti Origenis, Tertulliani, Juſtini (3) &c. qui eos veterum Clericorum ſanctitatis characteres efferunt, unde elucet, eorum vivendi normam reliquis fidelibus exemplo fuiſſe, iiſdemque calcaria ad bene vivendum addidiſſe: tum illos tanquam ſtrenuos Duces, ac fideles doctores eodem modo vixiſſe, quo docebant eſſe vivendum, & ipſos primum eam ſemitam ſecutos fuiſſe, quam calcandam aliis commoſtrabant. In quo ſane Ethnicis Philoſophis præſtabant, qui de virtute quidem egregie, & loqui, & ſcribere videbantur; nihil vero eorum, quæ dicebant, præ-

(1) *Epiſt. Juliani ad Arſacium Galatiæ Sacerdotem apud Sozomenum Lib. V. cap. 16.* Non ſufficit, quod tu unus ejuſmodi ſis: ſed quotquot in Galatia ſunt flamines, tales eſſe decet. Quos tu vel pudore adficiendo, vel perſuadendo bonos redde; aut a Sacerdotali miniſterio remove, ſi una cum uxoribus, vel liberis, ac famulis ad Deos non accedant . . . Deinde ſingulos flamines hortare, ut nec ad theatrum accedant, nec in tabernis bibant, nec artem ullam, aut opificium turpe, ac probroſum exerceant. Et eos quidem, qui obtemperaverint, honore adfice: contumaces vero, atque immorigeros expelle.

(2) *Ammian. Marcell. Lib. XXVII.* Nec ego abnuo hujus rei *Epiſcopatus* cupidos ob impetrandum, quod adpetunt, omni contentione laterum jurgari debere: quum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas adeo, ut eorum convivia regales ſuperarent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem *Antiſtitum quorundam provincialium* viverent: quos *tenuitas edendi, potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia* perpetuo numini, veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant, & verecundos.

(3) *Origenes contra Celſum Lib. III.* Hoc unum quidam ſibi deſumſerunt negotium, ut obambularent non tantum per oppida, ſed vicos etiam, & villas, ut alios quoque ad pietatem verumque Dei cultum pertraherent. Nec objici poteſt, eos lucri cauſſa id facere, quando ſæpe recuſant accipere victui neceſſaria, & ſi forte hæc interdum capere coguntur præ inopia, præſenti tantum uſu contenti ſunt, etiamſi non deſit multorum ultronea liberalitas plura largiri cupientium.

Tertullianus Apolog. contr. Gent. Cap. 45. & 46. Nos ergo ſoli innocentes. Quid mirum ſi neceſſe eſt? Enimvero neceſſe eſt; innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus ut ab incontemptibili diſpectore mandatam . . . . Enimvero nos qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum ſempiterni, eum timentes, quem timere debebit & ipſe, qui timentes judicat, Deum, non Proconſulem timentes. Conſtitimus, ut opinor, adverſus omnium criminum intentationem, quæ Chriſtianorum ſanguinem flagitat. Oſtendimus totum ſtatum noſtrum, & quibus modis probare poſſimus, ita eſſe, ſicut oſtendimus, ex fide ſcilicet, & antiquitate divinarum litterarum: item ex confeſſione ſpiritualium poteſtatum. Quis nos revincere audebit non arte verborum, ſed eadem forma, qua probationem conſtituimus de veritate? Sed dum unicuique manifeſtatur veritas noſtra, interim incredulitas &c.

Juſtinus Orat. ad Antoninum Pium. Ei, qui fratribus præeſt, offertur panis & poculum aquæ & vini. Quibus ille acceptis laudem & gloriam . . . . pro eo, quod nos donis hiſce ſuis dignatus ſit, prolixe exſequitur . . . . Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt in eundem locum conventus fit: & commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quieſcente Præſidens orationem, qua populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet.

præſtabant ipſi. *Philoſophorum ſupercilia contemnimus*, ſcribit Minucins Octav. *quos corruptores, & adulteros novimus, & tyrannos, & ſemper adverſus ſua vitia facundos. Nos non habitu ſapientiam, ſed mente præferimus*; Non eloquimur magna, ſed vivimus: *gloriamur nos conſecutos, quod iſti ſumma intentione quæſiverunt, nec invenire potuerunt*. Non abſimili ratione Chriſtianorum, præcipue Clericorum, de Philoſophis triumphum efferunt Lactantius, Nazianzenus, Tertullianus, ac præcipue Cyprianus (4). Porro ejuſmodi veterum teſtimonia veritatem omnino extuliſſe dicenda ſunt. Facile enim infringi ab Ethnicis potuiſſent, niſi fidelium, ac præcipue clericorum virtutes ſatis perſpectæ fuiſſent.

III. Verum id non eo ſenſu intelligendum eſt, quaſi nulli fuiſſent clerici, qni optimis illis temporibus Chriſtiano indignam, plenamque publicæ offenſionis vitam egerint. Profecto Cyprianus, & Euſebius (5) quoſdam ſni temporis clericos, laicoſque plurium vitiorum, ac etiam flagitiorum nomine accuſant: atque etiam his adſcribunt, quod divina providentia Eccleſiam binis, iiſdemque diriſſimis perſecutionibus exagitari permiſerit, ſcilicet Deciana, & Diocletiana; ut hac ratione lolium a tritico expurgaretur. Eadem fere ratione de quibuſdam ætatis ſuæ clericis conqueruntur Chryſoſtomus, Nazianzenus, & Hieronymus (6). At id non mirum ei videbitur, qui inter ipſos Apoſtolos Judam fuiſſe animadvertit. Adhæc pancæ illæ exceptiones tum reliquos clericos univerſim bene moratos, ac virıutibus præfulgentes fuiſſe ſatis indicant: tum in cauſſa fuiſſe videntur, cur tot egregias, ac prope divinas leges de Diſciplina Eccleſiaſtica illis temporibus Synodi Provinciales ſtatuerint, quibus ſequentium ſeculorum clericis conſultum eſt, ut nimirum ipſis via commonſtraretur, qua ad bene de

(4) *Cyprianus de Bono patient.* Hanc *patientiam* ſe ſectari Philoſophi quoque profitentur, ſed tam illis patientia falſa eſt, quam & falſa ſapientia eſt. Unde enim vel ſapiens eſſe vel patiens poſſit, qui nec ſapientiam, nec patientiam Dei novit?... Si ſapiens ille eſt, qui eſt humilis & mitis; Philoſophos autem videmus nec humiles eſſe nec mites, ſed ſibi multum placentes... nos autem qui Philoſophi non verbis, ſed factis ſumus; nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus; qui virtutum conſcientiam magis, quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, ſed vivimus, quaſi ſervi & cultores Dei, patientiam, quam magiſteriis cæleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritualibus præbeamus. *Eadem habent Lactantius* Lib. III. cap. 23. *Nazianzenus* Invect. I. in Julianum, *Tertullianus* Apolog. cap. 46.

(5) *Cyprianus de Lapſis.* Dominus probari familiam ſuam volnit, & quia traditam nobis divinitus diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem & pæne dixerim dormientem cenſura cæleſtis erexit.... Non in ſacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina.... Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet ceteris & exemplo, divina procuratione contemta, procuratores rerum ſecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta per alienas provincias oberrantes negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari.

Euſebius Lib. VIII. cap. I. Quum paſtores noſtri ſpreta religionis regula, mutuis inter ſe contentionibus decertarent, nihil aliud, quam jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare ſtudentes... Tunc demum, juxta dictum Hieremiæ, obſcuravit Dominus in ira ſua filiam Sion, & dejecit de cælo gloriam Iſrael... Hæc omnia noſtris temporibus completa ſunt, tunc quum ædes ſacras ſolo æquari, ac funditus ſubverti, ſacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis noſtris vidimus.

(6) *Chryſoſtomus Hom. XXX. in Acta ſic Clericos adloquitur:* Doce me vita tua. Hæc doctrina optima eſt. Dicis quod opus eſt modeſtia: Et tu procul ab hoc ſermone recedis, & rhetoricaris nullo prohibente verbis diffluens, ſed te melior ille, inquit, qui operibus docet. Non enim ſic inſident animæ verba, quam opera. Quoniam ſi non habueris opus bonum, non ſolum non proderis loquendo, ſed etiam plus nocebis, utiliuſque fuerit tacere. Quare? Quia opus mihi proponis, ac ſi impoſſibile foret. Cogito enim mecum: ſi tu qui tanta loqueris, non facis; multo magis ego venia dignus ſum, nihil tale dicens: Idcirco inquit Propheta: Peccatori inquit Deus, ut quid tu enarras juſtificationes meas? majus enim hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. *Hoc multorum in Eccleſia malorum cauſſa eſt. Similes querelæ inveniuntur apud* Nazianzenum Carm. Cygn. de Epiſcopis, *Hieronymum* Epiſt. II. ad Nepot. &c.

de Eccleſia merendum incedendum eſſet.

§. II. *Eximia Puritas in Clericis præ ceteris fidelibus requiſita.*

IV. Illud hic in primis animadvertere juvat Eccleſiam duabus potiſſimum de cauſſis ſubliniores in Clericis præ reliquis hominibus virtutes requiſiviſſe. Prior eſt, ut Sancta ſancte tractarent, nec *illotis manibus*, uti ſcribit Nazianzenus *Orat.* I. Apologet. pro fuga, *profaniſque animis in ſanctiſſima myſteria ſeſe inſerant*. Hinc de quibuſdam *ibidem* conqueritur „ qui priuſquam digni ſint, qui ad „ res ſacras accedant, ſacrarium ipſum „ ambiunt, & circum ſacroſanctam men„ ſam ſeſe invicem premunt, ac protru„ dunt, tanquam non virtutis exemplum, „ ſed victus parandi occaſionem, & ſub„ ſidium hunc ordinem eſſe judicantes „.

V. Altera eſt, ut Clerici omnis generis virtutes vita ſua præſeferentes, ſemetipſos plebi exempla præberent. „ Neque enim, ut ipſe ſequitur Nazian„ zenus, vel indelebilem tincturam pan„ nus, vel fœtidum, aut ſuavem odo„ rem res admotæ ita facile contrahunt, „ vel exitialis quidam vapor tam facile „ in aerem diffunditur, ac per aerem „ animantia occupat (quod quidem pe„ ſtis, & eſt, & adpellatur) quam ſub„ diti Antiſtitis improbitate celerrime im„ pleri ſolent, & quidem multo facilius, „ quam virtute „. Quinimmo, ut ipſe docet Nazianz. Eccleſia in Clericis non levem, & quantamcunque virtutum exercitationem requirit, ſed adornatam, & quam perfectiſſimam; ſic enim in ſpem erigitur, ut plebs ad mediocre virtutum ſtudium excitetur.

VI. Ac primo eximia puritate Clerici præfulgere debent, cujus neceſſitas triplici potiſſimum ex capite hauritur. 1. Quia Sacerdotalis miniſterii tanta eſt ſanctitas, ut in eundem cum Angelis ordinem ſit collocandum. *Sacerdotium*, ſcribit Chryſoſtomus de Sacerdotio Lib. III. Cap. 4. *in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſt. Atque id perquam merito: quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis* creata potentia, ſed Ipſe Paracletus *ordinem ejuſmodi diſpoſuit: qui mortalibus hominibus etiam num in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum miniſterium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret.*

2. Quia prava Sacerdotum exempla periculum habent quam maximum, & incredibilem efficacitatem. „ Subdito„ rum, ſequitur *ibidem* Chryſoſtomus, „ multitudo magna quidem ex parte „ principum ſuorum mores tanquam i„ maginem ſpectant, ſeque ad illos for„ mare ſtudent . . . Epiſcopum conve„ nit, & ſtudio acri, & perpetua vitæ „ continentia tanquam adamantinis ar„ mis circumſeptum quoquo verſus cir„ cumſpicere, necubi nudo quis, aut „ neglecto loco deprehenſo lethale vulnus „ adferat (7) „.

3. Clericus aliorum vitia, quod ipſius poſtulat officium, libere perſtringere non poterit, niſi ſe talem præſtiterit, ut a nemine reprehendi poſſit. *Qui fieri poſſit*, ipſemet loquitur Chryſoſtomus, *ut aliorum tumores, & inflammationes ſedet*

(7) *Proſequitur* ibidem *Chryſoſtomus*: Quis vero plebejus vir concupiſcat ſtatim temperans, moderatuſque fieri, principem intuitus iracundum? Neque vero poſſunt Epiſcoporum vitia diſſimulari: ſed vel parva, atque exigua confeſtim manifeſta fiunt. Quemadmodum ergo illorum officia, rectique mores multis uſui ſunt, acceduntque ad ſtudii æmulationem ejuſdem: ita & vitia ad virtutis cultum ſegniores reddunt, præſtantque, ut ceterorum animi ad bonorum operum labores capeſſendos torpeſcant: quamobrem Sacerdotis animi pulchritudinem undique ſplendeſcere oportet, ut oblectare pariter, & illuſtrare poſſit eorum animos, qui ſuos in illum oculos conjiciunt . . . Quamdiu Sacerdotis vita pulchre partibus ex omnibus congruens concinnataque fuerit, nullæ illi adverſariorum inſidiæ nocere poſſunt: qui ſimul vel tantillum officii recti prætermiſerit, jam illum nihil anteactæ vitæ honeſtas adjuvat ad incuſantium voculas effugiendas: quinimmo leve illud commiſſum, reliquæ illius vitæ luminibus officit: ac certe ſic ſacerdoti omnes judices eſſe volunt, ut carne nequaquam compoſito, ut humanam naturam non ſortito, verum ut angelo, ut humanæ infirmitatis minime participi.

is, qui ipſe tumeſcat? Tum *ibidem Lib. V. Cap.* 3. „ Quum talem ſe Sacerdos „ præſtiterit, ut a nemine reprehendi „ poſſit, tum poterit cum quanta volue„ rit, libertate, ſubditorum ſuorum o„ mnium delicta alias caſtigare, alias „ remittere.

VII. His accedit, Eccleſiam Clericos in puritatem offendentes ſemper durioribus multaſſe pœnis, quam ullos alios. Plerumque enim munere ſuo exuti, tum a ſacrorum uſu, tum a chriſtianorum conventu ejecti ad agendam inter laicos Pœnitentiam obligari conſueverunt; & licet Pœnitentiæ ſtadiis decurſis in Eccleſiæ pacem reſtituerentur, nunquam tamen ad altari miniſtrandum revocabantur, ſed veluti beneficii loco ipſis concedebatur, ut ex eo tempore laicorum more ſacris intereſſent. Ita Canones ſic dicti Apoſtolici, Baſilius, Petrus Alex., aliique (8).

§. III. *De Criminibus, ob quæ de miniſterio Eccleſiaſtico antiquitus Clerici dejecti ſunt.*

VIII. Ac illud hic primo obſervare juvat, Eccleſiam antiquitus non ob quodcunque erratum in Clericos officii abrogatione animadvertiſſe, ſed tantum ob graviora quædam crimina, cujuſmodi erant furtum, homicidium, fraus, perjurium, ſacrilegium, fornicatio, & adulterium. Hinc inter peccatum, & crimen diſtinguebatur. Ad rem Auguſtinus: „ Apoſtolus Paulus quando elegit ordi„ nandos .... non ait: Si quis ſine pec„ cato eſt; ſed ait, ſi quis ſine crimine „ eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, „ aliqua immunditia fornicationis, fur„ tum, fraus, ſacrilegium, & cetera „ hujuſmodi „. Fornicationem ſpeciatim, & adulterium quod ſpectat duo ſunt obſervanda. 1. Si cujus Clerici uxor adulterata, vel mœchata fuerit, Clerico ſtatim dimittenda erat, idque ſub exauctorationis pœna. *Debet eam dimittere; quod ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exſequi:* Ita Concilium Neocæſareenſe Can. VIII. *Si eam non ſtatim projecerit, nec in fine accipiat communionem:* Ita Synodus Illiber. *Can. LXV.*

2. Si quis Epiſcopus pœnas Eccleſiaſticas in fornicarios Clericos infligere negligeret, ſeipſum abrogationi muneris obnoxium reddebat. Profecto ex Socrate habemus ipſos Arianos Macedonium Epiſcopum Coſtantinopolitanum de munere dejeciſſe, quod inter alia Diaconum quendam in fornicationem deprehenſum in communionem admiſiſſet (9).

IX. Eidem cenſuræ ſubjiciebantur Clerici illi, qui tempore perſecutionis Fidem dererent. Hi profecto poſt Pœnitentiæ ſtadium decurſum in gratiam Eccleſiæ recipiebantur tanquam laici; at tanquam clericis amplius miniſtrare ipſis ſemper vetitum. Ejuſmodi Canone in recipiendo Trophimo Sacerdote, qui tempore perſecutionis a fide diſceſſerat, uſus eſt Cyprianus (10). Eandem regulam Romæ, & in toto Orbe fuiſſe ſervatam tradit Cyprianus ipſe, qui in ſuis Epiſtolis de quibuſdam Epiſcopis graviter conqueritur; quod quum lapſi eſſent, pœnitentiæ beneficio Epiſcopatus ſuos retinere con-

(8) *Can. Apoſt. Can. XXIV.* Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur.

Baſilius Epiſt. Canon. Can. III. Diaconus poſt diaconatum fornicatus a diaconatu quidem ejicietur: in laicorum autem locum extenſus a communione non arcebitur. *Eadem habet Can. XXXII. & L.*

Petrus Alex. Epiſt. Canon. Can. X. Non eſt æquum, ut vel clerici, qui ſua ſponte aufugerunt, lapſi autem & reluctati ſunt, amplius in ſacro miniſterio maneant.

(9) *Socrates Lib. II. cap.* 42. Primum quidem deponunt Macedonium, tum quod plurimarum cædium auctor fuiſſet, tum quod Diaconum in fornicatione deprehenſum ad communionem admiſiſſet.

(10) *Cyprianus Epiſt. LII. al. LV.* Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut *laicus communicet*, non ſecundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet.

conabantur (11). Eadem regula ſancita quoque occurrit in Canonibus Petri Alex. (12).

X. Adhæc quicunque Sacras Scripturas, Eccleſiæ vaſa, vel fratrum ſuorum nomina perſecutoribus tradidiſſent, tum lapſorum numero adſcribebantur, tum eadem pœna ut plurimum multabantur. Ita Synodus Arelatenſis I. (13). Non negaverim aliquas in veteri Hiſtoria generalis hujuſce Regulæ exceptiones occurrere: verum curnam mitior aliquando in hac re fuerit Eccleſiæ diſciplina jam alibi obſervavimus.

XI. Ebrietatem quoque, atque aleam ſub pœna abrogationis officii Clerici vitare jubebantur. Ita Canones Apoſt. Can. XLI. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus aleis, & ebrietatibus vacans, vel ceſſet, vel deponatur.* Nec mirum quod veteres Patres adeo ſevere ob hæc crimina in Clericos animadverterint; quum etiam fidelibus laicis ſub pœna ſegregationis a communione Eccleſiæ aliquando fuerint interdicta: *Si quis fidelis alea, id eſt tabula luſerit, placuit eum abſtinere. Et ſi emendatus ceſſaverit, poterit poſt annum communione reconciliari.* Ita Synodus Illiber. *Can. LXXIX.* Quinimmo alearum luſus tum veteri, tum novo jure civili (14) inter Romanos, aliaſque multas nationes erat prohibitus; pluribus quidem de cauſſis, ac præſertim ob varia, quæ ex hoc genere luſus plerumque oriri ſolent mala; nimirum contumelioſa in res divinas dicta, jurandi cacoethes, iracundia, mendacia, imprecationes, avaritia, fraus, jurgia, diſpendia temporis, & familiarum ruinæ. Et quamvis innocuæ recreationis ergo eo ludi genere uti licuiſſet, attamen innumera, quæ ejus exercitium plerumque comitantur mala, effecerunt, ut prorſus inutilis haberetur, & omnino prohiberetur.

XII. Tandem ob injuſtam uſurarum acceptionem Clericus muneris abrogatione dignus judicabatur; quippe cui potius liberalitati, & miſericordiæ, & omnis turpis lucri contemtui opera danda eſſet. Adverſus ejuſmodi crimen frequentius ab Eccleſia illa pœna ſancita eſt. Ita Synodi Nicæna, Illiberitana, Arelat. I. Carthag. II. & III. Laodicena, &c. (15). De pluribus uſurarum ſpeciebus ſermo redibit, ubi de delictis Eccleſiaſti-

(11) *Cyprianus Epiſt. LXIV. al. LXV.* Graviter, & dolenter motus ſum, quod cognoverim, Fortunatum quendam apud vos Epiſcopum, poſt gravem lapſum ruinæ ſuæ, pro integro nunc agere velle, & Epiſcopatum ſibi vindicare cœpiſſe, quæ res contriſtavit me. *Similes Cypriani querelæ occurrunt etiam* Epiſt. LV. al. LIX. Epiſt. LXIX. &c.

(12) *S. Petrus Alex. Can. X.* Quando lapſi ſunt . . . : non poſſunt amplius ſacra miniſteria obire.

(13) *Conc. Arelat. I. Can. XIII.* De his, qui Scripturas Sanctas tradidiſſent, vel vaſa Dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, ut ab ordine cleri amoveantur.

(14) *Digeſt. Lib. XI. Tit. V.* Prætor ait: Si quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, ſive quid eo tempore domo ejus ſubtractum fuerit, judicium non dabo. Item: Senatuſconſultum vetuit in pecuniam ludere. *Simile interdictum occurrit in Codice Lib. III. Tit. XLIII.*

(15) *Concilium Nicænum Can. XVII.* Quoniam multi, qui in canone recenſentur, plura habendi ſtudium, & turpe lucrum perſequentes, divinæ ſcripturæ obliti ſunt, quæ dicit: *Argentum ſuum non dedit ad uſuram:* Et fœneratores centeſima exigunt; æquum cenſuit ſancta, & magna Synodus, ut ſi quis inventus fuerit poſt hanc definitionem uſuras ex mutuo ſumere, vel eam rem aliter perſequi, vel ſeſcuplas exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis quæſtus gratia, a clero deponatur, & ſit alienus a Canone.

Canones Apoſtolici Can. XLIII. Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus pecunias mutuo datas cum fœnore exigens, vel ceſſet, vel deponatur.

Concilium Illiber. Can. XX. Si quis clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari, & abſtineri. *Idem præſcribunt Concil. Arelat. I.* Can. XII. *Arelat. II.* Can. XIV. *Concil. Carth. II.* Can. XIII. *Concil. Carth. III.* Can. XVI. *Concil. Laodic.* Can. IV. *Concil. Trull.* Can. X. *Tum non abſimili ratione de ejuſmodi crimine loquuntur Patres antiquiſſimi, & Sanctiſſimi Cyprianus* Lib. de lapſis, *Hieronymus* in Ezech. Cap. XVIII. *Sidonius Apollinaris* Lib. I. Ep. VIII. *&c.*

cis agemus. Porro legibus Romanis pleraque uſurarum genera omnibus prorſus hominibus erant vetita: uti ex Edicto quodam Juſtiniani videre eſt, qui Legum etiam Imperatorum, qui ipſum præceſſerunt, meminit, quibus ejuſmodi interdictum ſancitum fuerat. Qui igitur mirum, ſi Eccleſia omnia prorſus uſurarum genera, atque adeo ſeverius Clericis interdixerit? Profecto uſuræ vel a pauperibus exigebantur, & pauperes a Clericis ſublevandi potius erant, quam opprimendi (16); vel exigebantur a divitibus, atque id in cauſſa erat, cur Clerici negotiis ſecularibus vacarent, quibus Apoſtolico præcepto haud erant implicandi (17). Qua de re Cyprianus *Lib. de Lapſis* de quibuſdam Epiſcopis loquens, qui peſſimo Eccleſiæ damno nati videbantur, inter alia eorum delicta illud recenſet, quod *uſuris multiplicatis fœnus augere* ſtuderent. Poſtremo, auctore Chryſoſtomo, Senatores, aliique illuſtriores viri legibus Imperii prohibebantur tali ſe lucro maculare (18). Potiori igitur jure Clericis ab turpi illo quæſtu abſtinendum erat.

§. IV. *Clericis Hoſpitalitas exercenda.*

XIII. Tantum abeſt, ut Clericis uſurarum acceptio permiſſa eſſet, ut potius hoſpitalitatis, & caritatis officia ab ipſis expoſtularentur. *Gloria Epiſcopi tunc erat*, teſte Hieronymo Epiſt. II. ad Nepotianum, *pauperum opibus providere: ignominia omnium Sacerdotum propriis ſtudere divitiis*. Hinc Nepotiano inter alia præſcribit, ut menſam ſuam pauperibus, & peregrinis apertam eſſe ſinat, ut una cum illis Chriſtum habeat hoſpitem. Hanc hoſpitalitatem veluti pecuniam grandi fœnore Deo occupatam veteres conſiderabant; a quo nimirum ita bona hominibus rependuntur, uti veluti ex uno centum, non ex centum unum reddatur. Ita Chryſoſtomus Homil. LXVI. in Matth. *Cur, omiſſo*, inquit, *Deo, humano lucro ſollicitaris? Cur divitem tranſcurriſti, & pauperi adhæres? reliquiſti eum, qui reddere poteſt, & ingrato, ac inopi loqueris? Ille reſtituere deſiderat, hic non reddet, niſi coactus: Hic vix centeſimam partem reddit, ille centuplum, & vitam æternam.*

XIV. Jam vero Clerici, ut iſtoc officii ſui munere defungi poſſent, oportebat, ut parce, & frugaliter viverent. Hinc immoderati ſumtus habebantur, ceu iniqua jurium, & redituum pauperibus deſtinatorum uſurpatio. Hanc vivendi frugalitatem in Catholicis Epiſcopis admirati ſunt ipſi Gentiles Scriptores, ac præſertim Ammianus Marcellinus. Scribit enim Lib. XXVII. *Antiſtites quoſdam provinciales tenuitas edendi, potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo Numini, veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant, & verecundos.* Tum Concilium Carthaginienſe IV. *Canone XV.* præcipit; *ut Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat.* Atque hac ſane ratione dignitatis Epiſcopalis auctoritatem veteres illi Sanctiſſimi Patres tuendam crediderunt.

XV. Non deerant quidem ex Epiſcopis,

(16) *Chryſoſtomus Hom. LVI. in Matth.* Non utamur illa mercatura, quæ calamitatem aliis infert; nec, quæ liberaliter offerenda ſunt, ceu caupones fœneremur.

(17) *S. Paulus II. ad Timoth. Cap. II.* Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus.

(18) *Chryſoſtomus Hom. LVI. in Matth.* Quod ſi exteriores legum conditores interrogare volueris, diſces ab illis, quia extremæ impudentiæ ſignum fœnus ſemper judicatum eſt: quare nec ampliſſimos homines, quos ſenatores appellant, hujuſmodi emolumentis deturpari ſinunt, ſed lege prohibent, ne qui rempublicam gerunt, tali lucro maculentur. *Profecto Honorius anno CCCXCVII. legem publicavit, quæ habetur in Cod. Theod. Lib. II. Tit. XXXIII. Lege 3.* Fruſtra debitores in annis minoribus conſtitutorum uſuras ſe reſtituere non debere contendunt, quia ſenatoria eos dignitate præditos eſſe teſtantur.

pis, qui divites aliquando, ſpeciatim magiſtratus, in convivium adhibebant, quippe qui eoſdem magis propitios ſe habituros confiderent, ubi pro reis ad ſupplicium damnatis deprecarentur. At huic ſpecioſo prætextui ſic reſpondet Hieronymus *Epiſt. II.* ad Nepotianum: *Convivia tibi vitanda ſunt ſecularium, & maxime eorum, qui honoribus tument. Turpe eſt ante fores Sacerdotis Chriſti Crucifixi, & pauperis, qui cibo quoquo veſcebatur alieno, lictores Conſulum, & milites excubare, Judicemque provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod ſi obtenderis te facere hoc, ut roges pro miſeris, atque ſubjectis: Judex ſeculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti: & magis ſanctitatem tuam venerabitur, quam opes. Aut ſi talis eſt, qui non audiat Clericos pro quibuslibet tribulatis, niſi inter phialas, libenter carebo bujuſcemodi beneficio, & Chriſtum rogabo pro judice, qui magis, & citius ſubvenire poteſt, quam judex.*

XVI. At contra nonnulli Epiſcopi non modo eccleſiaſticas Leges in hac re exacte ſervabant; verum & duriorem vitæ rationem eligebant, quo aliorum inopiæ largius ſubvenirent. In hoc mire excelluit Baſilius, de quo ſcribit Nazianzenus *Orat. XX. de Laudibus Baſilii* di- „ vitias illi fuiſſe, nihil habere. Parvo, „ quod natura requirat, contentum vi- „ vere; nec a carnis voluptatibus abri- „ pi, nec a ventre, tanquam a ſævo, „ & ſordido domino, ſuperari: Suaviſ- „ ſimam cœnam, & obſonium ei fuiſſe „ panem, & ſal, & aquam; veſtitum „ habuiſſe tunicam unam, & pallium „ unum; habitationem ſtratum humi le- „ ctum; non quaſi exigua ei, & tenuis „ fuerit res familiaris; fuiſſe enim Me- „ tropolitanum Cæſareæ, & ampliſſimos „ habuiſſe reditus ad Eccleſiam ſpectan- „ tes; ſed ut vitæ ſuæ rationem ad ex- „ emplum Chriſti adcommodaret, qui „ carnis paupertatem noſtra cauſſa ſub- „ iit, ut ipſius paupertate locupletare- „ mur „. Quinimmo Valentis Imperatoris Præfecto minitanti, niſi Imperatoris Religionem ſequi vellet, ſe omnia ipſius bona proſcripturum, teſte ipſo Nazianz. *ibidem* ſic reſpondit: *Opes nullas habeo, ſed pallium duntaxat, & paucos libros; In terris autem ita dego, quaſi peregrinus.* Facile eſſet ſexcenta alia heroicæ hujuſce frugalitatis exempla proferre; at miſſa facimus, quippe quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis obvia ſunt.

§. V. *Clerici ad renunciandum bonis ſuis temporalibus nulla unquam lege obligati fuere.*

XVII. Quamvis ſapiens fuerit conſilium, ut Clerici temporalibus ſuis poſſeſſionibus renuntiarent, ubi Eccleſiæ miniſterio ſeſe addixerint; at nullo unquam præcepto id cautum fuit. Iſtud ex pluribus tum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ Canonibus perſpicue conſtat. Liceat tantummodo *Can. XL.* ex ſic dictis Canonibus Apoſtolicis producere, qui in hanc ſententiam ſic habet: *Manifeſtæ ſint Epiſcopi res propriæ, ſi quidem res habet proprias, & manifeſtæ ſint dominicæ. Ut ſit in poteſtate Epiſcopi morientis, propria quibus vult, & ut vult relinquere, & non rerum eccleſiaſticarum prætextu res Epiſcopi intercidant... Eſt enim juſtum apud Deum, & homines, ut nec Eccleſia damnum aliquod accipiat propter rerum Epiſcopi ignorationem: Nec Epiſcopus, vel ejus cognati Eccleſiæ prætextu proſcribantur, vel in negotia, liteſque incidant, qui ad eum attinent, & ejus mortem maledictis, infauſtiſque verbis proſequantur.* Idem præſcribunt Conc. Antioch. *Can. XXIV.* Conc. Agath. *Can. XLVIII.* Conc. Carth. III. *Can. XLIX.* Profecto clerici haud vetabantur bona temporalia, quæ antea habuerunt, in clericatu poſſidere; uti colligi poſſe videtur ex Ambroſio *Epiſt. XVII.* apud quem quidam Clerici ſorte ſua minus contenti ita conqueruntur: *Quid mihi prodeſt in Clero manere, ſubire injurias, labores perpeti, quaſi non poſſit ager meus me paſcere?* Quinimmo qui proprias habebant poſſeſſiones, libenter ad Eccleſiaſticum miniſterium provehebantur, quippe qui benigniores in pauperes, & Eccleſiæ minus moleſti futuri

crede-

credebantur, quum neceſſitatibus ſuis aliunde ſubvenire poſſent. Quamobrem Chryſanthum Novatianorum Epiſcopum eo nomine laudat Socrates *Lib. VII. Cap.* 12. quod quum proprias haberet facultates, *ab Eccleſiis nihil acceperit præter duos panes eulogiarum ſingulis diebus Dominicis*. Et S. Proſper de *Vita contemplativa Lib. II.* id videtur ſtatuere; Clericis divitibus portionem ſuam de Eccleſiæ bonis accipere haud licere. Scribit enim: *Noverint eſſe deformius, poſſeſſores de eleemoſynis pauperum paſci .... Qui tam infirmi ſunt, ut poſſeſſionibus ſuis renuntiare non poſſint; ſi ea, quæ acceperint erant, diſpenſatori relinquant, nihil habentibus conferenda, ſine peccato poſſident ſua*.

XVIII. Huc facit egregia quædam Africanæ Eccleſiæ Lex *Conc. Carth. III. Can. XLIX.* adverſus Clericos avaros, cujus hæc ſunt verba: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros, vel quæcunque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum divinarum invaſionis crimine teneantur obnoxii*. Et ſane ejuſmodi Clerici nonniſi reditibus Eccleſiaſticis poſſeſſiones acquirere præſumebantur. Hinc eadem lege cautum erat, ut ſi quid illis liberalitate alicujus, vel hæreditate obveniſſet, de eo pro arbitratu ſuo diſponere poſſent. At hic omittendam haud reor gravem adverſus monachos, & Clericos turpe lucrum avidius quærentes S. Hieronymi ſententiam: *Nonnulli ſunt*, inquit ibidem, *ditiores monachi, quam fuerunt ſeculares: & Clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete, & fallace mundo non habuerant*.

§. V. *Lingua Clericis moderanda, ne aliquem offenderent; necnon omnis mali ſuſpicio vitanda.*

XIX. Quum inter præcipua Chriſtianæ pietatis officia ab Epiſcopis Populo inculcanda illud profecto eſſet, nimirum *Linguæ Regimen*; quod profecto in hominum converſationem difficillimum eſt: hinc ipſis ſumma danda erat opera, ut illuſtria hac in re modeſtiæ exempla præberent. Mire hoc tractant argumentum tum Hieron. *Epiſt. II. ad Nepotianum* (19), tum Chryſoſtomus in *Libro de Sacerdotio*. Hinc ſeveriores adverſus ſcurriles Clericos Eccleſiaſticæ pœnæ ſtatutæ ſunt. Concilium Carthag. IV. Clericos ſcurriles, & verbis turpibus in jocos ſeſe effundentes, per creaturas jurantes, vel inter epulas cantantes excommunicationis pœna coercendos decernit (20). Adhæc Hieron. aliam linguæ virtutem Clericis commendat; nimirum ſecretorum cuſtodiam, & ſilentium, ſpeciatim in rebus virorum nobilium: *Officii tui eſt*, ſcribit ibidem, *non ſolum oculos caſtos ſervare, ſed & linguam. Nunquam de formis mulierum diſputes, nec quid agatur in alia, domus alia per te noverit*.

XX. Tum omnis mali ſuſpicio Clericis vitanda. Namque, obſervante Chryſoſtomo, homines laici ad conquerendum de Clericis mirum quantum proclives ſunt, ut vel nulla inducti quandoque cauſſa, aut de Clericis querantur ſemper ali-

(19) *Hieronym. Ep. II. ad Nepot.* Cave, ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id eſt, ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios audias detrahentes .... Parce a detractione linguæ, cuſtodi ſermones tuos, & ſcito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conſcientia judicaris, quæ in aliis arguebas. Neque vero illa juſta eſt excuſatio, referentibus aliis injuriam facere non poſſum. Nemo invito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum reſiliens percutit dirigentem, diſcat detractor dum te videt non libenter audire, non facile detrahere.

Chryſoſtomus de Sacerdot. Lib. V. Cap. 8. tot.

(20) *Conc. Carth. IV. Can. LX.* Clericum ſcurrilem, & verbis turpibus jocularem ab officio retrahendum *Can. LXI.* Clericum per creaturas jurantem acerrime objurgandum: ſi perſtiterit in vitio excommunicandum. *Can. LXII.* Clericum inter epulas cantantem ſupradictæ ſententiæ ſeveritate coercendum.

aliquid, aut etiam exprobrent. Quo magis igitur animi ſuſpicione inceduntur, eo vigilantius Clericis cavendum eſt, ut vitæ ſuæ ratione non modo ſuſpicionem minuant, verum & nullum illi omnino locum relinquant.

XXI. Mirabile hujuſce rei exemplum in S. Paulo exhibet Chryſoſtomus: *qui ne furti apud diſcipulos ſuſpectus eſſet, alios in pecuniarum adminiſtrationem ſecum adſumſit. Quomodo non omnia*, ſequitur Chryſoſtomus *de Sacerd.* Lib. VI. Cap. 9. *a nobis agenda ſunt, ut malas a nobis ſuſpiciones amoveamus, quantumvis falſas, iniquas, & a noſtra exiſtimatione alienas? A nullo enim peccato tantum abſumus, quantum a furto aberat Paulus. Attamen tantum ille quum abeſſet a pravo hujuſmodi crimine, nec ſic negligendam ſibi putavit multorum ſuſpicionem, etiamſi admodum iniquam, atque inſanam.* Paucis in hac re Clericum ſuum *ibidem* ſic monet Hieronymus: *Caveto omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante devita . . . Si propter officium clericatus, aut vidua a te viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas. Tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris.*

XXII. Quod hic Hieronymus Nepotiano, idem Epiſcopis, Presbyteris, aliiſque Clericis præſcribunt Concilia Carthag. I. & III. Epaonenſe, &c. (21): ac præſertim Synodus Nicæna univerſis omnino Clericis vetuit συνείσακτον ἔχειν *ſubintroductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel ſororem, vel amitam, vel eas ſolas perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* Hac igitur lege Clericis interdicitur cum extraneis mulieribus ſororum nomine adſumtis conſortium.

XXIII. Huic Nicæno Canoni lux adfulget 1. ex Ancyrano Canone XIX. *Virgines, quæ cum quibuſdam, tanquam cum fratribus congrediuntur, prohibuimus.* 2. Ex Lege quadam Honorii, & Theodoſii Junioris, *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 44. quæ ſic habet: *Quicunque igitur cujuſcunque gradus ſacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore cenſentur, extranearum* συνεισάκτων *mulierum ſibi interdicta conſortia cognoſcant.* 3. Tandem ex Epiphanio Hær. LXXXIII. *Catholicos illos Clericos accuſant, qui dilectas, quas vocant, & extraneas feminas* συνεισάκτους *adſciſcunt: quos adſerunt elanculum iſtud ipſum propter hominum pudorem committere; ut & cum nequitia illa ſepeliantur: & ſpecie tenus, ob aliorum verecundiam, caſtitatis nomine glorientur.* Dilectas quoque, ſive Ἀγαπητάς, Agapetas easdem nominat Hieronymus, de quibus ſcribit: *Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit? Unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? Immo unde novum concubinarum genus?* &c. Igitur ἀγαπητῶν, & συνεισάκτων nomine illæ extraneæ mulieres ſignificabantur, quarum converſatio ſuſpecta erat, adeoque haud raro legibus Eccleſiæ interdicta.

XXIV. Porro juvat hic obſervare non omnes prorſus Agapetas ejuſdem fuiſſe conditionis. Quædam enim eo duntaxat intuitu offenſioni erant, quod clerici cum extraneis mulieribus converſatio nunquam ſuſpicione vacaret; aliarum vero agendi rationem maxima crimina comi-

(21) *Concil. Carth. I. Can. III.* Occaſiones amputandæ ſunt peccatorum, & tollendæ omnes ſuſpiciones, quibus ſubtilitas diaboli ſub prætextu caritatis, & dilectionis incautas animas, vel ignaras irretire conſuevit. Nullus ergo, & nulla ſanctimoniæ deſerviens propter blaſphemiam Eccleſiæ, ſi vobis placet, in una domo commorari non debent. Univerſi dixerunt: qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem, vitare debent non ſolum habitare ſimul, ſed nec habere ad ſe aliquem acceſſum. *Conc. Carth. III. Can. XXV.* Ut clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines, niſi juſſu, vel permiſſu Epiſcoporum, & Presbyterorum non accedant. Et hoc non ſoli faciant, ſed cum Clericis, & cum his, cum quibus Epiſcopus juſſerit, vel Presbyter: Nec ipſi Epiſcopi, aut Presbyteri ſoli habeant acceſſum ad hujuſmodi feminas, niſi aut Clerici præſentes ſint, aut graves aliqui Chriſtiani. *Conc. Epaon. Cap. XX.* Epiſcopo, Presbytero, & Diacono, vel cæteris clericis horis præteritis, ideſt meridianis, vel veſpertinis ad feminas prohibemus acceſſum; quæ tamen, ſi cauſſa fuerit, cum Presbyterorum, aut Clericorum teſtimonio videantur.

comitabantur. Namque tum eandem cum maſculis domum habebant, tum & ſæpe in eodem ſe tenebant cubiculo; atque adeo aliquando eodem lecto dormitabant (22): attamen ſuſpicioſos eos vocabant, qui de ipſis aliquid mali cogitabant. Verum Eccleſia ejuſmodi abuſiones, graveſque morum corruptelas nunquam non improbavit. Tum neque hac de re productos tantummodo Nicænum, & Ancyranum Canones habemus; verum & alios quamplurimos Arelatenſem, binos Carthaginienſes, Illiberitanum, Ilerdenſem &c. (23). Et Patres Antiocheni inter alias, cur Paulum Samoſatenum epiſcopatu exuerint, rationes, hanc etiam adlegabant, quod *συνεισάκτυς γυναῖκας ſubintroductas mulieres habuerit* (24). Quam ſolide hoc Argumentum tractat Auguſtinus Libro de Bono viduitatis *Cap. XXII.* ubi inter alias oppido utiles, ac ſalutares præceptiones ejuſmodi paucis complectitur, quam hic omittere abs re ducimus. „ In omnibus, *inquit*, ſane ſpiritualibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, ſancta earum converſatio cauta etiam debet eſſe, ne forte quum mala vita non ſit per laſciviam, mala ſit fama per negligentiam. Nec audiendi ſunt, ſive viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde vitam ſuam longe abeſſe ſciunt, dicunt, ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; quum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita Sanctorum: ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam, quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem.

XXV. Porro Auguſtinus ipſe *ibidem* obſervat quaſdam aliquando exſurgere malevolorum hominum ſuſpiciones, quas prorſus evitare nemo, licet omnem adhibeat induſtriam, ſibi blanditus poterit. Has autem potius contemnendas docet. Profecto Chriſtus Dominus, cujus divina prorſus fuit vitæ innocentia, illas omni ex parte haud effugit. „ Quoniam, *inquit Auguſtinus*, quandolibet humana cautela ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro exiſtimatione noſtra quidquid recte poſſumus fecerimus, ſi aliqui de nobis vel male fingendo, vel male credendo famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planeque etiam gaudium, quod merces noſtra magna eſt in Cælis: etiam quum „ di-

(22) *Cyprianus Ep. LXII. al. IV.* Legimus litteras tuas . . . Poſtulans & deſiderans, ut tibi reſcriberemus, quid nobis de iis virginibus videatur, quæ cum in ſtatu ſuo eſſe, & continentiam firmiter tenere decreverint, detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis. Ex quibus unum diaconum eſſe dicis; plane eaſdem, quæ ſe cum viris dormiſſe confeſſæ ſint, adſeverare ſe integras eſſe *&c.*

Hieronym. Ep. XXII. Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit? . . . Quæ eadem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur & lectulo; & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimamus.

(23) *Conc. Arelat. II. Can. III.* Si quis Clericus a gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem præter aviam, matrem, filiam, neptem, vel converſam ſecum uxorem habere præſumſerit, a communione alienus habeatur.

Conc. Illiberit. Can. XXVII. Epiſcopus, vel quilibet alius Clericus aut ſororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantum ſecum habeat; extraneam nequaquam habere placuit. *Eadem habent Concilia Carthaginienſia* I. Can. III. *III.* Can. XVII. *IV.* Can. XLVI. *Concilium Ilerdenſe* Can. XV.

(24) *Epiſtol. Synod. apud Euſeb. Lib. VII. cap.* 30. Quid hic referre attinet ſubintroductas ut Antiocheni vocant, mulieres, tam ipſius, quam Presbyterorum ejus, ac Diaconorum? *&c.*

Digitized by Google

„ dicunt homines mala multa de nobis, „ pie tamen, juſteque viventibus. Illa „ enim merces tanquam ſtipendium eſt „ militantium per aram juſtitiæ non ſo- „ lum dextra, verum etiam ſiniſtra, per „ gloriam ſcilicet, & ignominiam, per „ infamiam, & bonam famam „. Id igitur Clericis præſtandum eſt, ut non ſolum ſe integros, caſtoſque Deo exhibeant; verum etiam, quoad eorum fieri poteſt, & ipſam culpæ ſuſpicionem apud homines vitare conentur.

§. VII. *Clericis in ſacra ſtudia ſedulo incumbendum eſt.*

XXVI. Ac primo illud ex Nazianzeno animadvertendum, Sapientiam, quæ divinarum, ac humanarum rerum ſcientiam ſuo complexu tenet, nonniſi diuturno, eodemque improbo adito labore poſſe comparari. Hinc longo, eruditoque ſermone nonnullos ſui temporis ſciolos confutat, qui priuſquam ſacrorum librorum vel nomina ipſa noluerint, ubi duo, aut tria pia verba edidicerint, eaque non ex lectione, ſed auditione ſola hauſta, aut zona tenus philoſophati fuerint, ſtatim ſe magiſtros, & ſapientes eſſe, & in divinis rebus ſublimes credunt. Quod ſane magnam ſtultitiam dicit ex neglectione ſtudiorum, & laborum exortam (25).

XXVII. Tum Chryſoſtomus *de Sacerd. Lib. IV.* aſſidui in Clerico laboris, ac ſtudiorum neceſſitatem ex pluribus ipſi demandatis muneribus demonſtrat. Ac 1. ex eo, quod Sacerdotum ſit aptas animarum morbis curationes adhibere; quod officium ſane plus laboris, & experientiæ poſtulat, quam curatio morborum, quibus corpora obnoxia ſunt.

2. Cum Eccleſiæ hoſtibus congredi Sacerdos nullo pacto poterit, qui omnes eorumdem fallacias, & artificia perſpecta non habuerit, nec in verbo Dei verſatus veram artem, & regulas diſputandi ignoret. Id autem nonniſi aſſiduo labore comparatur. Hinc Pauli monitum, quod Timotheo dedit: *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ .... hæc meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.*

3. Tandem oſtendit, quam laborioſum negotium ſit concionibus ad populum habendis intentum eſſe: pluribus quidem de cauſſis, ac præſertim, quod aures ſuas plerumque vulgus adſuefecerit, non ut ad utilitatem, ſed ad voluptatem potius audiat. Hinc Concionatoris partes eſſe debent, immoderatam illam, & infructuoſam multitudinis voluptatem compeſcere, eorumque auditionem ad id, quod utilius futurum ſit, transferre. In quo ea utatur prudentia, ut populum ſibi obſecundantem habeat, non autem ipſe a populi deſideriis agatur. Hiſce, ſimilibuſque argumentis utitur Chryſoſtomus oſtenſurus, quam ſtrenua Clericis ſtudiis, ac laboribus opera navanda ſit, ut ſacra, quibus funguntur munera, recte obire poſſint: *In conſummato Sacerdote utrumque requiri: nec minus ſcientia, quam ſanctitate opus eſſe, ut ad explendas diverſas functionis ſuæ partes idoneus reddatur.* Auream hac de re Chryſoſtomi ſententiam vide inferne (26).

(25) *Nazianz. Orat. I. de Fuga.* Tam male adficimur, ut quam plurimi ex nobis (ne omnes dicam) prius fere quam primam comam abjecerimus, puerilique more balburire deſierimus ... Si duo, aut tria pia verba edidicerimus, eaque non ex lectione, ſed auditione ſola hauſta, aut Davidi paulum operæ dederimus, aut pallium ſcire contraxerimus, aut zona tenus philoſophati fuerimus ... ſtatim ſapientes, & magiſtri ſumus, & in divinis rebus ſublimes, & ſcribarum, & legis peritorum primi, ac cæleſtes nos ipſos deſignamus, & vocari ab hominibus Rabbi expetimus, nec uſquam littera, ſed omnia ſpirituali modo intelligantur, oportet, ac mere nugæ ſomnia ſunt, atque niſi magnis laudibus efferamur, indignatione adficimur.

(26) *Chryſoſtomus de Sacerdotio lib. IV. Cap. 9.* Quum de dogmatibus, *inquit*, extortum fuerit certamen, depugnentque omnes ab iiſdem ſcripturis, quamnam hic vitæ exemplum facultatem præſtare, quamnam vim exhibere poterit? Quidnam vero utilitatis ſudores permulti adlaturi ſunt ... Quibus de cauſſis eum oportet, qui docendorum aliorum munus ſortitus eſt, in primis hujuſmodi certaminum peritiam habere. Nam tametſi tutus is perſtat, nihilque prorſus ab adverſariis læditur, tamen ſimpliciorum hominum multitudo illi ſubjecta, ubi animadverterit Ducem

XXVIII. Adhæc non deſunt, neque ſua ætate defuiſſe ſcribit Chryſoſtomus, qui univerſa Clericorum officia in recta vitæ ratione conſtituunt: de ſacra doctrina, necnon de concionandi, diſputandique arte nihil ſolliciti univerſa Clericorum officia ad unam morum inſtitutionem revocant. Porro ad hos reſpondet Hieronymus *Epiſt. II.* ad Nepotianum: *Nec ruſticum, & tamen ſimplicem fratrem ideo debere ſe ſanctum putare, ſi nihil noverit: nec peritum, & eloquentem, lingua æſtimare ſanctitatem.*

XXIX. Quod vero S. Paulus ſe rudem ſermone aliquando dixerit, id ad excuſandam quorundam ſocordiam, & oſcitantiam fruſtra urgetur. Namque Apoſtolus id tantummodo ſignificaſſe videtur, ſe Chriſti veritatem haud quidem in ſublimitate ſermonis adnuntiaſſe, at vero nuda, ſimplici, & humanis artibus ſoluta oratione. Ceterum perfectam humanarum, divinarumque rerum cognitionem; quinimmo & mirabilem dicendi facultatem, & eloquendi vim in S. Paulo deprehendere quiſque poterit: quippe tanta fuit de eo apud omnes qua diſputante, qua concionante admiratio; tam præclaram & Judæis pariter & Græcis victoriam reportavit, eaque effecit, ut multi gentilium ipſum Mercurium eſſe ſuſpicarentur.

XXX. Jam vero in primis Verbi divini Codex nocturna, diurnaque manu Clericis tractandus eſt, quam ad ſpiritualem animarum curationem mirum omnino quantum conferre poſſit, & ex Chryſoſtomo medendis animarum morbis nonniſi Dei Verbum utiliter adhiberi quiverit: *Hoc inſtrumentum eſt*, inquit, *hoc cibus, hoc aeris temperamentum optimum, hoc medicamenti inſtar, hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac ſi vel urere, vel ſecare opus, hoc ipſo uti neceſſe: atque hoc ſi nihil profuerit, reliqua omnia evanida pereant oportet: hoc & jacentem animam ſuſcitamus, & tumeſcentem compeſcimus: hoc & ſupervacanea amputamus, & quæ deſunt ſupplemus, ceteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferant incolumitatem. Ac ſane ut vitam quam optime conſtituas, alterius hominis vita te ad idem exemplum, æmulationemque parem pertrahere poſſit. At quum humanus animus decretorum minime verorum, ſententiarumque a fide abhorrentium morbis laboraverit, hic demum Evangelici ſermonis uſus magnopere neceſſarius, non ſolum, ut qui tibi domeſtici ſunt robores, atque confirmes: verum etiam, ut cum externis bellum geras, ac manus conſeras . . . . Quapropter tandem ingens adhibere ſtudium oportet, ut Chriſti ſermo in nobis largiter inhabitet.*

XXXI. Tum ad Verbi divini Prædicationem, ad rite Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum, ad præbenda fidelibus vitæ recte inſtituendæ conſilia perpetuum Sacræ Scripturæ ſtudium Clericis eſt neceſſarium. Quamobrem Hieronymus Ep. II. ad Nepot. *Sermo Presbyteri*, inquit, *ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam, garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditiſſimum.* Tum quoque illa apud veteres viguit conſuetudo adeo a Patribus, & Conciliorum Canonibus (27) inculcata, per omne convivium de ſacris ſcripturis aliquid proponere, & convivas utilibus ſermonibus inde deductis oblectare. Unde de Nepotiano ſcribit Hieronymus *Ep. III.* ad Heliodorum: *Sermo ejus per omne convivium de ſcripturis aliquid proponere, libenter audire, reſpondere verecunde, recta ſuſcipere, prava non acriter confutare, diſputantes*

cem victum eſſe, ac nihil facere, quo ſe contra adverſarios tueatur, jam non victi infirmitatem, ſed dogmatis potius imbecillitatem, viriumque cauſſatur. Atque ita demum ob unius hominis imperitiam multus populus in extremam perniciem præceps rapitur, qui quamquam &c.

(27) *Conc. Tolet. III. Can. VII.* Pro reverentia Dei Sacerdotum, id univerſa ſancta conſtituit Synodus; ut quia ſolent crebro menſis otioſæ fabulæ interponi, in omni ſacerdotali convivio lectio ſcripturarum divinarum miſceatur. Per hoc enim, & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur.

tes contra ſe magis docere, *quam vincere*.

XXXII. Poſt Sacram Scripturam tum in Conciliorum Canonibus addiſcendis, tum in Veterum Eccleſiæ Patrum operibus (28) pervolutandis Clericis plurimum temporis impendendum eſt. Id præſcribunt Conciliorum Toletani IV. Turonenſis III. (29), & Cabillon. II. Canones, qui & illud addunt, ut cum Eccleſiæ Canonibus Liber quoque S. Gregorii Papæ *de Cura paſtorali* a Clericis legatur: *Illas Scripturas*, ita Syn. Cabillon. II. Can. I. *notiſſimas habeant*, *quæ canonicæ adpellantur*, *& earum ſenſum per Patrum tractatus inquirant*. *Canones quoque intelligant*, *& Librum S. Gregorii Papæ de cura Paſtorali*; *& ſecundum formam ibidem conſtitutam*, *& vivant*, *& prædicent*.

XXXIII. Illud hic opportune quæri poſſet, num librorum Gentilium, & hæreticorum lectio fuerit Clericis antiquitus permiſſa. Et primo ad libros hæreticorum quod ſpectat, *nonniſi pro neceſſitate*, *& tempore* eorundem lectio Epiſcopis permittebatur. Ita Syn. Carthag. IV. (30). Quod vero ad Gentilium Libros attinet illa quorundam Clericorum conſuetudo ſemper in Eccleſia damnata eſt, qui neglectis Scripturis, aliiſque utilioribus libris, vel delectationis tantum cauſſa illos legerent, vel ut linguam ſuam politiori, & Atticæ dialecto adſuefacerent, quod ſimplex Sacræ Scripturæ ſtylus ipſis non adtideret.

XXXIV. Profecto utiliora ſtudia negligere, & Libris gentilium præcipuam operam navare *Crimen voluptatis* adpellat Hieronymus (31). Tum neque cenſura carere dicendi ſunt, qui divinarum Scripturarum ſtyli ſimplicitate pertæſi ad politiorem dicendi rationem conſequendam Ethnicorum Oratorum Libros nocturna diurnaque manu verſant. Huc faciunt, quæ de Triphyllio Ledroum in Cypro Epiſcopo ſcribit Sozomenus *Lib. I. cap.* 11. nimirum, *quum collecta celebraretur*, *ipſum rogatum*, *ut concionem haberet ad populum*, *quum neceſſe haberet in medium adducere dictum illud Salvatoris*: Tolle grabbatum tuum, & ambula: *mutato nomine* pro grabbato κραβ-βάτου, ſcimpodium σκίμποδα *dixit*. *At Spiridion indignatione commotus*; Num tu, *inquit*, præſtantior es eo, qui grabbatum dixit, ut te pudeat ejus verbis uti? *Quo dicto ex Sacerdotali ſolio exſiliit ſpectante populo: hominem propter eloquentiam inſolentius ſeſe efferentem*, *hac ratione ad modeſtiam erudiens*.

XXXV. Nec deerant e Clericis, qui ut artem ſophiſticam ad imponendum imperitioribus addiſcerent, neglectis Sacris Dei ſcriptis, generatim ſuum tempus Ethnicis Scriptoribus impendebant. Id de Theodotianis memoriæ prodidit Scriptor Anonymus apud Euſebium Lib. V. cap. 28. *Relictis*, inquit, *atque abjectis ſacris Dei ſcripturis*, *geometriæ ſtudent* . . . *Euclidis geometria apud nonnullos eorum ſtudioſe excolitur*. *Ariſtoteles vero*, *& Theophraſtus ſumma admiratione ſuſcipiuntur: Galenus autem a quibuſdam etiam adoratur*. *Proinde iſtos*, *qui infidelium artibus*, *ac diſciplinis ad ſtabiliendam hæreſis ſuæ opinionem abutuntur* .... *quid attinet dicere*? Profecto quum indignas haſce ob rationes Gentilium auctorum lectio inſtitueretur, quoniam nonniſi cum

(28) *De Nepotiano ſcribit* ibidem *Hieronymus*, Eum optimis Eccleſiaſticis auctoribus tanta aſſiduitate, ac labore navaſſe, ut commoda quavis occaſione eorum verba recitare potuerit. Illud, inquiens, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt. Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Arnobius.

(29) *Conc. Tolet. IV. Can. XXV.* Sciant Sacerdotes ſcripturas ſanctas, & canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina: *Eadem habet Concilium Turonicum III.* Can. III.

(30) *Conc. Carth. IV. Can. XVI.* Ut Epiſcopus Gentilium libros non legat; Hæreticorum autem pro neceſſitate, & tempore.

(31) *Hieron. Epiſt. CXLI. ad Damaſum*: Sacerdotes Dei, omiſſis Evangeliis, & Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba canere, Virgilium tenere, & id, quod in pueris neceſſitatis eſt, *Crimen* in ſe facere *voluptatis*.

ſi cum manifeſto totius Sacræ Scripturæ contemptu fieri id poteſt, juſtiſſime Eccleſiæ Canonibus prohibita fuit.

XXXVI. Ceterum quum ad confirmandam Doctrinæ Chriſtianæ veritatem, vel ad gentilium detegendos, confutandoſque errores antiquos profanos Auctores legere oporteret, iſtuc non modo permittebatur, verum & ſummopere commendabatur. Profecto, obſervante Hieronymo, *Comm. in Dan. Cap. I.* Moyſes, & Daniel *ſapientiam, & doctrinam Babyloniorum didicerunt, non ut ſequerentur, ſed ut judicarent, atque convincerent.* Tum Ambroſius *Proœm. in Luc.* de ſe adfirmat: *Legimus aliqua, ne legantur; legimus, ne ignoremus; legimus non ut teneamus, ſed ut repudiemus.* Poſtremo tum Hieronymus pleroſque græcos, latinoſque hiſtoricos ad Danielis, aliorumque Prophetarum felicius explicanda vaticinia neceſſarios ſcribit (32); tum Auguſtinus veterum Philoſophorum lectionem haud parum prodeſſe ſcribit (33), quod de Filio Dei, aut de Patre Deo nonnulla vera dixiſſent. His ſane de cauſſis non modo Auguſtinus, & Hieronymus, verum & plerumque veteres Eccleſiaſtici Scriptores in gentilium eruditione multum verſati ſunt; uti eorum ſcripta manifeſto produnt. Igitur Clericis primum Sacris Scripturis animi contentione quanta maxima incumbendum erat; poſt has Sacris Canonibus, antiquis Eccleſiæ Patribus, probatiſque Scriptoribus Eccleſiaſticis. Ad humaniores quidem litteras addiſcendas non adſtringebantur; at ab illis non prohibebantur; quinimmo earundem ſtudium ipſis ſummopere commendatum ea parte, qua religioni vel tutandæ, vel defendendæ conducere poſſent.

§. VIII. *De Pietate, ac devotionis ardore, quo Eccleſiaſticum Miniſterium Clericis peragendum eſt.*

XXXVII. Quum Clerici in quotidiano Eccleſiæ miniſterio populi Oratores ad Deum, & Dei ad populum Legatos agerent; hinc ipſos ita animo comparatos voluit Eccleſia, ut ea gravitate, animi ſubmiſſione, & devotionis ardore, ac intentione in ejuſmodi munere adimplendo ſe gererent, quæ & divinæ Majeſtati conſentanea, & ad excitandos populi animos in Dei cultum, atque amorem idonea eſſet. Juſtinus M. *Apolog. II.* ubi cultum Eccleſiaſticum deſcribit: *Antiſtes*, inquit, *quantum pro virili ſua poteſt preces, & gratiarum actiones fundit.* Tum Chryſoſtomus *de Sacerd. Lib. VI. cap.* 4. idem officium Sacerdotibus commendans, ſcribit: „ Eum, qui pro civitate tota, „ quid dico civitate? immo vero pro „ univerſo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, „ ut hominum omnium peccatis propitius fiat, qualem quæſo eſſe oportet? „ Quum autem ille, & Spiritum Sanctum invocaverit, & τὴν φρικωδεστάτην „ θυσίαν *ſacrificium horrore, ac reverentia* „ *pleniſſimum* perfecerit, communi omnium Domino manibus pertractato: „ quæro ex te, quoto illum in ordine „ collocabimus? Quantam autem ab eo „ integritatem exigemus? quantam religionem? Conſidera enim, quales manus hæc adminiſtrantes eſſe oporteat: „ qualem linguam, quæ verba illa effundat; qua denique re non puriorem „ ſanctioremve eſſe conveniat animam, „ quæ tantum illum, tamque dignum „ ſpiritum receperit? Per id tempus & „ An-

(32) *Hieronymus Prol. in Danielem.* Ad intelligendas extremas partes Danielis multiplex græcorum hiſtoria neceſſaria eſt: Suctorii videlicet, Callinici, & Diodori, Hieronymi, Polybii, Poſidonii, Claudii Theonis, & Andronici . . . Et ſi quando cogimur litterarum ſecularium recordari, & aliqua ex his dicere, quæ olim omiſimus, non noſtræ eſt voluntatis, ſed (ut ita dicam) neceſſitatis, ut probemus ea, quæ a ſanctis Prophetis ante ſecula multa prædicta ſunt, tam græcorum, quam latinorum, & aliarum gentium litteris contineri.

(33) *Auguſtin. contr. Fauſt. Lib. XIII.* Sibyllæ, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii vates, vel theologi, vel ſapientes, vel philoſophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam.

„ Angeli Sacerdoti adſident, & cæleſtium „ poteſtatum univerſus ordo clamores ex- „ citat, & locus altari vicinus in illius „ honorem, qui offertur, Angelorum „ choris plenus eſt „.

XXXVIII. Quod vero hic devotionis ardor perpetuo foveri deberet, hinc Clericum citra ullam immunitatis ſpem quotidiano Eccleſiæ miniſterio intereſſe oportebat. Iſtuc ſub graviſſimis pœnis Eccleſiaſtici Canones præſcribebant: *Presbyter* (Concilium Toletanum I. ſic decernit,) *vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, aut caſtello, aut vico, aut Villa, & ad Eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit, Clericus non habeatur*. Simile quid Synodi Agathenſis *Canone II.* ſtatutum eſt.

§. IX. *Clericis in concionando Populi ad veram pietatem inſtitutio unice præ oculis habenda eſt.*

XXXIX. Ac primo concionandi officium quod ſpectat, id ſibi ante oculos proponere Clerici in primis debent, ut in Chriſtiani hominis ſcientia populum inſtruant. Hinc in præcipuis quibuſdam ſacræ Rhetoricæ Artis præceptis ipſorum opera potiſſimum verſari debet, quæ egregii illi divinæ eloquentiæ magiſtri Nazianzenus, & Chryſoſtomus tradidere.

1. Utilis quædam materia ſeligenda eſt, ac ea potiſſimum tractanda argumenta, quæ ad homines in fide, & vitæ ſanctimonia inſtituendos, necnon ad intimam cordis pietatem, ac virtutum exercitationem excitandos idonea ſint (34).

2. Apta methodo utantur, nec artificioſo, aut ſublimi dicendi genere, ſed verbis ad vulgi captum accommodatis. Id quod in Athanaſio ſummopere laudat Nazianz. Orat. XXI. de Laud. Athan. *Si cum humilibus*, inquit, *ipſi res eſſet, ad eorum captum ſe dimittebat; ſi cum ſublimiori mente præditis, altius adſurgebat*. In hoc enituit quoque Auguſtinus, uti tradit Poſſidius in ejus Vita, ac ipſæ ejuſdem conciones demonſtrant.

3. In eo potiſſimum Chriſtianus Orator curam ſuam collocet, ac Dei verbum eo animi fervore, ac vi adminiſtret, ut in auditoribus gemitus potius, & lacrymas ſuſcitet, quam plauſum. Ad rem Hier. Epiſt. II. ad Nepot. *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Attrita frons interpretatur ſæpe quod neſcit, & quum aliis perſuaſerit, ſibi quoque uſurpat ſcientiam... Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quum quidquid non intelligit, plus miratur*. Hinc tradit Chryſoſtomus Chriſtianum Oratorem oportere tum plauſus, tum cenſuras hominum, ac res ceteras omnes adſpernari, quibus induci poſſit, ut non ad utilitatem, ſed ad voluptatem potius multitudinis verba faciat (35).

4. Tandem Concionatoris partes ſunt ad maxime urgentes auditorum neceſſitates ſpiritualia medicamenta adhibere: Tum eos diligentius, & frequentius præ ceteris adoriatur errores, & vitia, quæ magis eo tempore, ac loco, ubi concionatur, dominari, aut ſerpere noverit. In quo-

(34) *Nazianzenus Orat. I. de Fuga*: Mihi quidem rei minime vulgaris, parvique ſpiritus eſſe videtur, verbi perinde ac tritici menſuram tempeſtive cuique dare, & dogmatum noſtrorum veritatem cum judicio diſpenſare.

(35) *Chryſoſt. de Sacerd. Lib. V. cap. I.* Hic generoſo opus eſt animo, eoque, qui longe hanc noſtram exiguitatem ſuperet, ut multitudinis voluptatem illam immoderatam, infructuoſamque compeſcat, poſſitque illorum auditionem ad id, quod utilius futurum ſit, transferre, hac ratione, ut Populum ſe ſequentem, ac ſibi obſecundantem habeat, non etiam, ut ipſe a populi deſideriis agatur. Id quod præſtare nemo poteſt, niſi idem ſimul popularem auram adſpernetur, ſimul dicendi vim obtineat.

quo ſane vigilis paſtoris prudentia, ac fidelitate opus eſt; tum quoque & apoſtolico animi robore, ac virtute, qua rerum omnium reſpectum poſthabeat, neque humili, & abjecta indulgentia lupis oves devorare permittat. Profecto fervente Ariana hæreſi, cui formidabilis, ac ſeculari etiam armata poteſtate factio favebat, nullis minis, blanditiiſque ad perniciosum ſervandum ſilentium Catholici Epiſcopi redigi potuerunt: unde neque Conſtantii furorem Athanaſius, neque Chryſoſtomus Eudoxiæ iram pertimuit; neque Valentis Imperatoris minas Baſilius reformidavit, quum de adimplendo fidelis myſteriorum Dei Diſpenſatoris officio agebatur. Id ſane requiritur ex Apoſtolo in diſpenſatoribus, *ut fidelis inveniatur*. Paucis rem omnem complectitur Chryſoſtomus ibid. Lib. III. cap. 12. *Sobrium eſſe oportet Sacerdotem, & modeſtum, ac perſpicacem; atque innumeros quoquo verſus oculos circumferre; quippe qui non ſibi uni tantum, ſed & tanto populo vivat*.

§. X. *Clericis tum in privatis congreſſibus, tum in publicis diſputationibus prudentia quanta maxima opus eſt.*

XL. In privatis quoque congreſſibus Clericis doctrina, prudentia, ac fidelitas adhibenda eſt, ut ab hominum, quibuſcum colloquuntur, animis, vel ignorantiæ caliginem diſpellant, vel errores avertant, vel vitia removeant. Hanc in Africa rationem iniit Auguſtinus adverſus paganos, & hæreticos, præſertim Donatiſtas, quos non modo doctis evulgatis libellis, verum & frequentibus ad ipſos datis epiſtolis, & privatis cum iiſdem habitis congreſſibus magna ex parte ad Eccleſiæ communionem reduxit (36). Eandem hanc rationem Athanaſius, Nazianzenus, aliique veteres Patres iniere, tum ut hæreticos ad veritatem revocarent, tum ut ſceleſtos homines ad meliorem frugem reducerent. Porro hac in re prudentia quanta maxima fidelitate, diligentia, ac induſtrii Paſtoris, & ducis arte omnino opus eſt. S. Gregorius M. integram ſuæ Regulæ Paſtoralis Tertiam Partem in his capitibus demonſtrandis, ac explicandis inſumit; ſcilicet *Aliter admonendos viros, aliter mulieres. Aliter juvenes, aliter ſenes. Aliter divites, aliter inopes. Aliter lætos, aliter triſtes. Aliter ſubditos, aliter prælatos, Aliter ſervos, aliter Dominos* &c. Idem argumentum pluribus etiam pertractat Nazianzenus, cujus auream hac de re ſententiam vide inferne (37).

XLI. Tum Nazianz. ipſe *Orat. XXI. de Laudib. Athanaſii* in tanto Doctore mirifice in agendo cum hominibus pruden-

(36) *Poſſidius Vit. Auguſt.* Epiſtolas privatas ad quoſcumque ejuſdem erroris Epiſcopos, & eminentes ſcilicet laicos dedit, ratione reddita admonens, atque exhortans, ut vel ab illa ſe pravitate corrigerent, vel certe ad diſputationes venirent .... qua diligentia, & ſancto ſtudio multum crevit Sancta Eccleſia, & his omnibus pro pace Eccleſiæ geſtis Auguſtino Dominus & hic palmam dedit, & apud ſe juſtitiæ coronam reſervavit: ac magis magiſque juvante Chriſto de die in diem augebatur, & multiplicabatur pacis unitas, & Eccleſiæ Dei confraternitas .... Prius quidem in Hipponenſi Eccleſia, & regione, cui maxime præſidebat, unitate, ac pace perfecta, deinde in aliis Africæ partibus, ſive per ſe ipſum, ſive per alios, & quos ipſe dederat Sacerdotes, pullulaſſe, & multiplicatam fuiſſe Domini Eccleſiam pervidens, illoſque Manichæos, Donatiſtas, Pelagianiſtas, & Paganos ex magna parte deteciſſe, & Eccleſiæ Dei ſociatos eſſe congaudens.

(37) *Nazianzenus Orat. I. de Fuga*: Eorum ſinguli cupiditatibus nonnunquam, & adſectibus magis inter ſe differunt, quam corporum figuris, & lineamentis .... ac proinde nec facile regi, gubernarique poſſunt. Quin potius quemadmodum non eidem medicamenta, nec eadem alimenta corporibus quibuſvis adhibentur, ſed alia aliis, habita videlicet vel ſanitatis eorum, vel adverſæ valetudinis ratione; eodem quoque modo animæ diverſa ratione, ac diſciplina curantur. Hi porro curationis teſtes ſunt, qui morbis hujuſmodi vexantur. Alios ſermo ducit, alii exemplo componuntur. Aliis calcaribus opus eſt, aliis freno. Nam qui ſegnes ſunt, atque ad bonum ægre impelluntur, hi verborum ſtimulis excitandi ſunt: qui vero ſpiritu, quam par ſit, ferventiores ſunt, atque effrenato quodam animorum impetu feruntur, velut equulei generoſi procul a meta cur-

Digitized by Google

dentiæ, ac dexteritatis imaginem, veluti in tabula depictam proponit: ſcilicet, quod in eadem quidem ſemper ſtudia incubuerit: varia autem uſus ſit methodo „ alios laudibus evehens, alios parce „ leviterque feriens: aliorum ſocordiam „ excitans, aliorum fervorem reprimens: „ aliis ne laberentur, providens, alii ut „ lapſi erigerentur, rationem iniens: mo„ ribus ſimplex, gubernandi arte multi„ plex, verbis ſapiens, animo ſapientior: „ ſi cum humilioribus ipſi res fuerit, ad „ eorum captum ſe demittens; ſi cum „ ſublimiori mente præditis, altius ad„ ſurgens, hoſpitum præſes, ſupplex, „ malorum depulſor, unus univerſa ea „ vere complexus, quæ ſigillatim diis „ ſuis gentiles tribuant „.

XLII. Porro ejuſmodi regulis Clerici ne abutantur. Quamobrem cavendum ipſis eſt, ne variam in variis, variorumque hominum congreſſibus rationem ineant, ut tempori ſerviant, ac hominibus, præcipueque divitibus, eorumque pravis moribus adſententur. Sed potius prudentiam zelo conjungentes, & ſuæ auctoritati venerationem concilient, & Eccleſiæ, fideliumque emolumentum unice procurent. Ad rem Chryſoſt. ibid. Lib. VI. cap. 4. *Sacerdotem varium eſſe convenit. Varium autem dico, non ſubdolum, non adulatorem, non diſſimulatorem; ſed magna tum libertate, tum fiducia plenum .... neque enim unum duntaxat in modum ſubditis omnibus uti debet; quando neque medicis convenire videmus, ut eos omnes, qui morbo laborant, uno eodemque modo tractent, neque gubernatori, ut unam tantum artem calleat, qua adverſus ventos depugnet.*

XLIII. Igitur gravitas ſuavitate condita, decorum mediocritate temperatum animarum Paſtori ſervandum eſt. Quod ei feliciter eveniet, ſi inter nimiam aſperitatem, & animi adjectionem medium teneat. Unde Chryſoſtomus ipſe *ibidem Lib. III. cap.* 16. docet: *Gravem illum ſed minime faſtuoſum, & terrificum, ſed humanum, & viſenda majeſtate principem; ſed omnibus tamen adpellandis comem, eumdemque integrum, officioſum, humilem, ſed minime ſervilem: acrem quoque, & vehementem eſſe convenit, ſed tamen & manſuetum, ut nullo ipſo negotio contra illa omnia depugnet ... Denique ut nihil in cujuſquam, vel gratiam, vel odium facere conatus Eccleſiaſticæ unius ædificationis decus commodumque tantum ſpectet.* Tanta quidem prudentia, dexteritate, rerumque experientia Clericus inſtructus ſit oportet, ut cum hominibus utiliter congrediatur. Neque enim ad voluptatem, ſed ad utilitatem Clericis cum Laicis congrediendum eſt.

XLIV. Illud tandem animadvertendum, a S. Paulo Apoſtolo Sacerdotibus præceptum fuiſſe datum, quod & in diverſis antiquis Canonibus repertum eſt, nimirum Sacerdotem *non πλήκτην percuſſorem eſſe oportere*: I. ad Timoth. Cap. III.; id quod *Canon XXVII.* ex ſic dictis Canonibus Apoſtolicis in hunc modum explicat: *Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui verberat fideles, qui peccant, vel infideles, qui injuriam fecerunt, & per hæc vult perterrefacere, deponi jubemus.* Adhæc τὸ πλήσσειν in producto Apoſtolico præcepto ſignificat etiam lingua percutere, hoc eſt, criminoſis, acerbis, ac contumelioſis dictis

pro-

currentes, hos utique orationis freno coercere, ac cohibere præſtiterit. Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehenſio, utraque videlicet tempeſtive adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit, alios objurgatio, atque hæc rurſus alios, ſi palam arguantur; alios, ſi remotis arbitris admoneantur.... quin etiam cum nonnullis ita agendum eſt, ut non iraſcentes iraſcamur, non contemnentes contemnamus, non deſperantes deſperemus: quatenus videlicet eorum cura id requirit. Alii rurſus lenitate, & humilitate curandi ſunt, atque alacri animo una cum illis meliorem ſpem induendo. Alios vincere, ab aliis vinci plerumque utilius fuerit: atque aliorum opes, & potentiam, aliorum inopiam, & calamitatem vel laudare, vel deprecari.... talis morborum noſtrorum cura eſt, tantuſque bono Paſtori labor incumbit, qui gregis animas ſcite cogniturus eſt, perſpectaſque habiturus, eiſque juxta paſtoralis artis leges præiturus, duntaxat rectæ, & juſtæ, ac vero paſtore noſtro dignæ.

proſcindere, vel objurgationibus præter modum acribus, frequentibuſque uti; uti ad rem explicant Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, S. Jo. Chryſoſtomus, aliique apud Eſtium, & Calmetum. Ejuſmodi explicationem confirmat tum illud Hierem. XVIII. *Venite, percutiamus eum lingua*; tum vel maxime illud ejuſdem Apoſtoli *ibid.* Cap. VI. *Seniorem ne increpaveris;* quod græce eſt: *Ne plagam inferas*. Igitur vel manu, vel lingua percutere Clericis prohibitum eſt, tanquam a gravitate, & modeſtia Chriſtianorum Sacerdotum longe alienum.

XLV. Tandem non minor prudentia cum ſincero pacis, caritatiſque ſtudio conjuncta Sacerdoti exhibenda eſt in exſtinguendis minus neceſſariis controverſiis, quæ inter ipſos catholicos exoriri poſſunt. Iſtuc in Athanaſio præcipue admiratus eſt Nazianzenus *Orat. XXI. de laudib. Athan.* Namque quum Catholici fervida exorta diſputatione meris verbis inter ſe altercarentur, quibus nominibus tres divinitatis perſonas adpellari conveniret, aliis τρία πρόσωπα ad Arianiſmum, aliis τρεῖς ὑποστάσεις ad Sabellianiſmum devitandum, eas vocandas eſſe contendentibus; utriſque vero unum idemque ex æquo catholice ſentientibus; atque levis illa controverſia eo deveniſſet, ut, Nazianzeno teſte, diverſæ fidei ſpeciem præbuerit, Athanaſius ſibi negligendum non putavit, quo minus tanto morbo quamprimum medicinam adhiberet. Hinc utraque parte leniter accita, ac verborum ſententiis adcurate perpenſis, quum eos quantum ad doctrinam, catholicumque dogma concordes inveniſſet, ita negotium tranſegit, ut nominum uſum concedens, rebus eos conſtringeret; qua ratione, utriuſque partis orthodoxia patefacta, grave ab Eccleſia ſcandalum abſtulit. Iſtoc Athanaſii dexteritatis, & Chriſtianæ caritatis exemplum Catholicis Sacerdotibus potiſſimum præ oculis habendum eſt; frequenter enim inter ipſos fideles frivolæ quædam, ac inutiles exoriri ſolent controverſiæ, quibus ſi ſtatim provida Sacerdotum cura ſubveniret, non viderentur cum tanto ſalutis animarum detrimento in periculoſas rixas, & in tumultuoſas ſeditiones evadere.

§. XI. *Clericis forti, & imperterrito animo Chriſtianæ veritatis defenſio ſuſcipienda eſt.*

XLVI. Ex hactenus dictis facile quis colliget quanta animi fortitudine Sanctiſſimi illi veteres Sacerdotes pro tuenda Chriſtiana veritate excelluerint. *Tametſi*, inquit Nazian. ibidem, *alioqui pacati, ac moderati ſint Antiſtites, hac tamen in re lenes, & faciles eſſe non ſuſtinent; quum per ſilentium, & quietem Dei cauſa proditur: verum hic admodum bellaces ſunt, atque in confligendo acres, & feroces*. Ejuſmodi fortis, & imperterriti animi plura, eademque admirabilia in veteri Eccleſiaſtica Hiſtoria occurrunt exempla. Singulare videtur illud Baſilii, quod in ejus vita deſcribit Nazianzenus. Namque *Modeſtum* Arianum ſub Valente Imperatore Præfectum omnes adhibentem machinas, ut in partem Arianorum eum pelliceret, tum bonorum proſcriptionem, exſilium, cruciatus, ac mortem ipſam minitantem, fortiter ſapienterque ſuperavit, eidemque invictum ſe præſtitit (38). Nec minore animi fortitudine Magnus ille Athanaſius Arianorum artificia,

(38) *Baſilii cum Modeſto Præfecto congreſſum in hunc modum deſcribit Nazianzenus Orat. XX. de laud. Baſilii*. Quid, inquit *Modeſtus*, poteſtatem hanc non pertimeſcis? cur vero pertimeſcetem, inquit *Baſilius?* quid fiet, quid patiar? Quid patieris, intulit ille? unum e tam multis, quæ meæ ſunt poteſtatis. Quænam hæc, ſubjunxit *Baſilius*? fac enim intelligamus. Bonorum, inquit *ille*, proſcriptionem, exſilium, cruciatus, mortem. Tum *Baſilius:* Si quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit. Quonam modo, inquit *ille*? Quoniam, inquit *Baſilius*, bonorum proſcriptioni obnoxius non eſt, qui nihil habet: niſi forte laceris & detritis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copiæ ſunt. Exſilium autem haud cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero,

Digitized by Google

ficia, calumnias, obtrectationes deluſit; cum injurias, exſilium, ac frequentia mortis pericula ſubiit pro Nicænæ fidei veritate tuenda: atque adeo eo ipſo tempore, quo innumeri Catholici Epiſcopi in Synodo Ariminenſi decepti ſunt, ipſe divina prorſus virtute, conſtantique animo Arianorum fraudes detexit, & eorundem artibus, ac ſtratagematis ſeſe oppoſuit; nec ullum unquam apicem, vel ſyllabam Nicæno Symbolo eradi paſſus eſt.

ro, pro mea duco: immo, ut rectius loquar, univerſam terram Dei eſſe ſcio, cujus advena ego ſum, & peregrinus. Tum tormenta quid accipere queunt cum corpus deſit, niſi forte primam plagam dixerit. Hujus enim ſolius penes te arbitrium & poteſtas eſt. Mors porro beneficii mihi loco erit: citius enim me ad Deum tranſmittet, cui vivo & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii, & ad quem jam pridem propero. Quo ſermone obſtupefactus *Præfectus*: nemo, inquit, me (nomenque ſuum adjunxit) ad hunc uſque diem ita eſt adloeutus, nec pari verborum libertate. Neque enim, ait *Baſilius*, fortaſſe in Epiſcopum incidiſti. Alioqui hoc prorſus modo diſſeruiſſet pro hujuſmodi rebus in certamen veniens. Nam ceteris quidem in rebus, o Præfecte, manſueti & placidi ſumus, atque omnium abjectiſſimi, quemadmodum hoc nobis lege præſcriptum eſt, ac non dicam adverſus Imperatorem, ſed ne adverſus plebejum quidem quemquam, & infimi ordinis hominem ſupercilium adtollimus. Verum ubi Deus nobis periclitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes ipſum ſolum intuemur. Ignis autem, & gladius, & beſtiæ, & ungulæ carnem lacerantes voluptati nobis, ac deliciis potius ſunt, quam terrori. Proinde contumeliis nos adfice, comminare, fac quidquid collibuerit, poteſtate tua fruere, audiat etiam hæc Imperator: nequaquam profecto nos vinces, nec efficies, ut impiæ doctrinæ adſentiamur: ne ſi his quidem atrociora miniteris.

CAPUT XI.

De Legibus Eccleſiaſticis magis externam Clericorum Vitam Spectantibus.

§. I. *Nulli Clerico, niſi peculiaribus quibuſdam in caſibus, miniſterio Eccleſiaſtico ſe abdicare unquam licuit.*

I. Jam alibi vidimus antiquitus in quibuſdam Eccleſiis etiam inferioribus Clericis pro lubitu ad ſecularem vitam reverti, integrum non fuiſſe (1). Hinc Concilii Chalcedonenſis *Can. VII.* & Concilii Turonici *Can. V.* ſancitum legitur: *Ut clericus, qui relicto officii ſui ordine laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.* Tum de Sacerdotibus, ac præcipue Epiſcopis in hunc modum ſcribit Cyrillus Alex. Epiſt. ad Domnum: *Præter Eccleſiaſticas leges eſt, quod nonnulli Sacerdotes recuſationum libellos offerant: quippe ſi digni ſint, miniſterium ſacrum obire: ſin autem minus, non renuntiare, ſed veluti damnatos excedere oportere.* Lex etiam Civilis contra ejuſmodi deſertores graviſſimas ſanciebat pœnas, ut *ibidem* jam obſervavimus.

II. Attamen legitimæ non deerant rationes, propter quas Clerici, ac præſertim Epiſcopi, Eccleſiaſticum miniſterium, cui jamprimum addicti fuerant, licite poſſent dimittere. Verum ut ſenii, morbi, ac diuturnioris infirmitatis rationes taceamus, de quibus alibi verba fecimus (2), duo alii exſiſtebant caſus ad rem præſertim propius accedentes. Primus, ſi quis Epiſcopus propter infenſos, ac pertinaciter abalienatos populi animos officii ſui partibus facere ſatis non poſſet, tum ſi munere ſuo ſe abdicare vellet, ejuſmodi abdicatio accipiebatur. Hac de cauſ-

(1) *Lib. I. Part. II. Cap. III. §. II. pag. 242.*
(2) *Lib. I. Part. I. Cap. XII. pag. 103.*

cauſſa Magnus Nazianzenus Conſtantinopolitano Epiſcopatui renuntiavit, ac privatam, quietamque in Eremo vitam ſecutus eſt. Id quod fecit adprobante Concilio generali Conſtantinopolitano, uti non modo Theodoretus, & Socrates perhibent, verum & ipſe non ſemel in ſuis Scriptis de ſe teſtatur (3). Eadem prorſus de cauſſa Meletius, qui poſt Antiochiæ fuit Epiſcopus, Sebaſtenam in Armenia Eccleſiam dimiſit (4). Tum Theodorus Lector *Lib. I. num.* 41. de Martyrio Antiochiæ Epiſcopo memoriæ prodidit, quod quum populum, ac Clerum ſuum turbis, ac ſeditionibus delectari animadvertiſſet, Petro Fullone intruſo, Epiſcopatui renuntiarit his verbis: *Clero contumaci, & populo immorigero, & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata mihi Sacerdotii dignitate.*

III. Alter caſus erat; quum quis Epiſcopus ſuo munere ſe abdicare vellet ad inveteratum aliquod ſchiſma hoc modo auferendum. Hac de cauſſa Chryſoſtomus, quum nonnulli rumorem ſpargerent ipſum non eſſe legitime creatum Antiſtitem, populum ſic eſt adlocutus: Hom. XI. in Epheſ. *Si hæc de nobis vos ſuſpicamini, parati ſumus cedere regendi munus, cui voletis: modo una ſit Eccleſia.* Tum duo illi etiam Antiochiæ Epiſcopi Flavianus, & Evagrius ad ſuæ ipſorum Eccleſiæ renuntiandum promptos ſe exhibuere, dummodo id ad Eccleſiæ unitatem inſtaurandam expediret (5). At piaculum eſſet, ſi omitterem ſingularem, ac prudentiæ plenam agendi rationem, qua Auguſtinus, ceterique Africani Epiſcopi cum Donatiſtis ſe geſſere. Ipſis enim ſub Collationis Carthaginienſis exordium eam conditionem obtulerunt, ut ſchiſmatis tollendi cauſſa, ubicumque in eadem Civitate ex Catholicis quidam, & aliquis ex Donatiſtis ſimul eſſet Epiſcopus, ambo de medio ſecederent, ac novum eligi paterentur Antiſtitem (6).

IV. Duo hic liceat ſubnectere. Primum: Epiſcopum, qui munere ſuo ſe abdicaverat, licet ipſis rebus Eccleſiaſticis ſeſe immiſcere nunquam licuerit, attamen nomen, honorem, & communionem Epiſcopi retinuiſſe. Id in cauſſa Euſtathii Pergæ Epiſcopi, cui utpote ſenectute confecto alter Epiſcopus ſuffectus eſt, Concilium Generale Epheſinum decrevit: *Juſtum, rectumque eſſe definimus, ut abſque ulla contradictione, & nomen retineat Epiſcopi, & honorem, & communionem; ea tamen lege, ut neque ordinandi ipſe habeat auctoritatem, neque in ulla Eccleſia ex propria ſacrificet auctoritate* (7).

V. Alterum: Nonnunquam ex Epiſcopatus reditibus mediocrem quandam portionem ad vitam ſubſtinendam ei fuiſſe

(3) *Theodoret. Lib. V. Cap.* 8. Divinus Gregorius eos hortabatur, ut quoniam reſtituendæ concordiæ cauſſa congregati erant, mutuam inter ipſos pacem, & conſenſionem unius hominis injuriæ anteponerent. Nam & ego, ajebat, multis curis liberatus jucundam mihi quietem recuperabo: & vos poſt diuturnum & graviſſimum illud bellum optatiſſimam pacem recipiſtis . . . . His monitionibus obſecuti præſtantiſſimi paſtores Nectarium virum nobilem, omnique virtutis genere non minus, quam ſplendore generis illuſtrem regiæ Urbis Epiſcopum ordinarunt. *Eadem habent Socrates* Lib. V. Cap. 7. *& Nazian. ipſe* Orat. XXXII. & in Carm. de Vita ſua.

(4) *Theodoret. Lib. II. cap.* 31. Per idem tempus divinus Meletius cujuſdam urbis in Armenia Epiſcopus quum gregis ſui contumaciam ferre non poſſet, alio migraverat, ibique in otio degebat.

(5) *Theodoret. Lib. V. cap.* 23. Flavianus Imperatorem ſic eſt adlocutus: Si de Cathedra & primatu contentio eſt, non litigabo, nec repugnabo iis, qui iſta ambiunt: ſed eadem ultro, & pontificatum dimittam. Da igitur Imperator cui voles ſedem Antiochenam.

(6) *Collatio Carthag. Die I. cap.* 16. Poterit quippe unuſquiſque noſtrum honoris ſibi ſocio copulato, viciſſim ſedere eminentius . . . Aut ſi forte Chriſtiani Populi ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt, utrique de medio ſecedamus, & Eccleſiis in ſingulis, damnata ſchiſmatis cauſſa, in unitate pacifica conſtitutis, ab his, qui ſinguli in Eccleſiis ſingulis invenientur, unitati factæ per longa neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi. Quid enim dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre: an vero ille de Cælis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus, & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus?

(7) *Conc. Epheſinum* Act. VII. Epiſt. ad Synodum Pamphyliæ.

ſe adſignatam, qui Epiſcopatui renuntiarit. Hinc Concilium Chalcedonenſe Domno, qui Epiſcopatui ceſſit Antiocheno, quandam proventuum Eccleſiaſticorum partem adtribuit (8). Atque hinc, uti obſervat Richerius (9), *Jus penſionum Canonicarum poteſt confirmari: quæ iis tantum tribui conſueverant, qui magnam vitæ partem in miniſterio conſumſerant, & propter ætatem ſeſe exonerabant Epiſcopatu.*

§. II. *Epiſcoporum, aliorumque Clericorum de Eccleſiis in Eccleſias translationes Eccleſiaſticis Canonibus prorſus vetitæ.*

VI. Igitur Epiſcopi ab Eccleſiis, quas ſemel regendas ſuſceperunt, ad alias tranſire eccleſiaſticis canonibus omnino vetantur: ita Concilia Nicænum, Antiochenum, Sardicenſe (10) &c. Qua de re Conſtantinus M. ſummis laudibus Euſebium Cæſareenſem extulit, atque adeo tanquam Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ regulæ cuſtodem commendavit; quippe qui Antiochenam, ad quam vocatus erat, Eccleſiam refutarit (11).

VII. Hujuſce canonici interdicti duplex potiſſimum antiquis Patribus profertur ratio. Prima: Spiritualis neceſſitudo conjugii, quod individuam, ac perpetuam Epiſcopi cum Eccleſia conjunctionem poſtulat: Hieronym. Epiſt. XXXVIII. ad Oceanum: *Et hoc*, inquit, *in Nicæna Synodo a Patribus decretum, ne de alia in aliam Eccleſiam transferatur Epiſcopus, ne virginis pauperculæ ſocietate contemta, ditioris adulteræ quærat amplexus.* Altera: ad compeſcendam ambitionem, & avaritiam Epiſcoporum, qui ob ſua privata commoda ſedem mutare adpetunt, quum nonniſi de minori ad majorem transferri poſtulent Eccleſiam. Ad rem Concilium Sard. *Can. I.* cujus verba hic placet exſcribere: *Non tam mala conſuetudo, quam perniciosa rerum corruptela eſt ex ipſis fundamentis penitus extirpanda, ne cui Epiſcopo liceat a parva civitate in aliam migrare: ejus enim cauſſæ prætextus eſt manifeſtus, propter quem talia tentantur: nullus enim Epiſcopus adhuc inveniri potuit, qui a majori civitate in minorem transferri ſtuduerit: unde conſtat eos habendi plura cupiditate ſuccendi, & arrogantiæ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem.*

VIII. Quinimmo tantum ambitionis, avaritiæque facinus graviſſima pœna multandum Patres Sardicenſes decreverunt, ſcilicet Epiſcopos, qui illud admiſerint, laica etiam communione privandos, nec in morte Eccleſiæ paci reſtituendos (12).

(8) *Conc. Chalced. Act. VII.* Reſidentibus univerſis Maximus Reverendiſſimus Epiſcopus Antiochiæ dixit: Deprecor univerſalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Epiſcopus, dignemini; & ſtatuere ei certos ſumtus de Eccleſia, quæ ſub me eſt . . . Univerſa Synodus vociferata eſt: laudabiles merito ſunt benevolentiæ Archiepiſcopi . . . . omnes cogitatum ejus laudamus . . . nos eidem conſentimus, ejus arbitrio derelinquentes, quæ ſunt de Domini honorificentia.

(9) *Richerius Hiſt. Concilii Part. I. Cap. 8.*

(10) *Conc. Nicænum Can. XV.* Placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa, ita ut de Civitate ad Civitatem non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur.

Canones Apoſtolici Can. XIV. Epiſcopo non liceat, ſua relicta Parochia, ad aliam tranſire, etiamſi a pluribus cogatur.

Conc. Antioch. Can. XXI. Epiſcopus ab alia Parochia in aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec a Populis vi adactus, nec ab Epiſcopis coactus.

Eadem habent Conc. Carth. III. Can. XXXVIII. *& IV.* Can. XXVII. *Conc. Sardic.* Can. I. & II. *mox producendi.*

(11) *Euſebius Vit. Conſtant. Lib. III. Cap. 61.* Rectiſſime fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei, & Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam regulam cuſtodire ſtatuit, Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ repudians, & in eo potius permanere deſiderans, quem Dei mandato ab initio ſuſcepiſſet.

(12) *Conc. Sardic. Can. I.* Si omnibus placet hujuſmodi pernicies ſævius, & auſterius vindicetur; ut nec laicam communionem habeat, qui talis eſt. Reſponderunt univerſi: placet; *&*

Can.

IX. Sed ad Eccleſiæ utilitatem, neceſſitatemque non modo recentiori, verum & antiquiſſimo Eccleſiæ uſu Epiſcoporum translationes admiſſæ ſunt. Id indicant quamplurima Epiſcoporum in Synodis translatorum exempla. Socrates *Lib. VII. cap. 36.* (13). Quinimmo in ipſa Nicæna Synodo, auctore Sozomeno, Euſtathius Berœæ Epiſcopus ad Sedem Antiochenam translatus eſt (14). Igitur illa veterum Canonum interdictione ambitioſæ duntaxat Epiſcoporum translationes vetabantur, haud vero quas Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas poſtularet. Ad rem Pelagius II. *Non mutat ſedem, qui non mutat mentem, ideſt, qui non cauſſa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel ſuæ delectationis migrat de civitate in civitatem, ſed cauſſa neceſſitatis, vel utilitatis mutatur.* Adhæc Synodus Carthag. IV. Can. XXVII. *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis Clericus. Sane ſi id utilitas Eccleſiæ faciendum popoſcerit, decreto pro eo clericorum, & laicorum Epiſcopis porrecto in præſentia Synodi transferatur.... Inferioris vero gradus Sacerdotes, vel alii clerici conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſunt ad alias Eccleſias tranſmigrare.*

X. Ex hoc Carthag. Canone bina eruuntur veteris diſciplinæ capita. Primum: Apud Africanos Epiſcoporum translationes, earundemque cauſſas fuiſſe in Synodo provinciæ examinandas, ac probandas. Idem juris apud Orientales quoque obtinuiſſe videtur; uti ex Concilii Antiocheni *Can. XIII.* colligitur, quo ſimiles ejuſmodi Epiſcopatuum cauſſæ Synodo provinciæ reſervantur: *ſervetur autem jus Eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum.* Verum procedente tempore Patriarchæ jus translationum uſu ſuum fecere: Socrates *Lib. V. cap.* 8. & *Lib. VII. cap.* 36. (15) donec tandem Rom. Pontifici reſervaretur. Porro hujuſce Pontificiæ reſervationis jam inde ab V. Sæculo obſcura licet quædam initia deprehenduntur; Socrates enim modo indicatis locis translationibus Perigenis e Patrenſi oppido in Corinthi Metropolim, & Procli e Cyzico in Conſtantinopolitanam ſedem, R. Pontificis auctoritatem interveniſſe ſcribit (16).

XI. Alterum, quod ex Carthag. Canone

Can. II. Oſius Epiſcopus dixit: etiamſi talis aliquis exſtiterit temerarius, ut fortaſſis excuſationem adſerens, adſeveret, quod Populi litteras acceperit; quum manifeſtum ſit potuiſſe pluries præmio, & mercede corrumpi eos, qui ſinceram fidem non habeant, ut clamarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur Epiſcopum: omnes has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita ut nec laicam in fine communionem talis accipiat; ſi vobis omnibus placet; ſtatuite. Synodus reſpondit: Placet.

(13) *Socrates Lib. VII. cap. 36.* Ceterum quo magis conſtet plures Epiſcopos ab aliis civitatibus ad alias translatos fuiſſe ob intervenientes ſubinde Eccleſiæ neceſſitates, ipſa eorum, qui translati ſunt, nomina recenſebo. Perigenes Patris ordinatus fuerat Epiſcopus. Sed quoniam ejus Civitatis incolæ illum admittere recuſabant, Romanæ Urbis Epiſcopus eum in Metropolitana Sede Corinthi conſtitui juſſit, mortuo Eccleſiæ illius Epiſcopo. Itaque Perigenes toto deinceps vitæ ſuæ tempore huic Eccleſiæ præfuit. Gregorius Nazianzenus, primum quidem Saſimorum Urbis Cappadociæ Epiſcopus fuit: poſtea vero Nazianzi. Meletius prius Sebaſtenæ Eccleſiæ Epiſcopatum geſſit: poſtea vero Antiochenam rexit Eccleſiam. Doſitheum Seleuciæ Urbis Epiſcopum, Alexander Antiochenſis Epiſcopus Tarſum Ciliciæ tranſtulit. Reverentius ab Arcis Urbe Phœnices poſtea Tyrum translatus eſt. Joannes ab Urbe Lydiæ Gordo Proconneſum traductus eſt, ejuſque loci Eccleſiam gubernavit. Palladius ab Helenopoli Aſpanam translatus; Alexander ab Helenopoli Adrianos tranſiit. Theophilus ex Urbe Aſiæ Apamea translstus eſt Eudoxiopolim, quæ olim Selimbria dicebatur *&c.*

(14) *Sozomenus Lib. I. Cap.* 2. Non multo poſt Epiſcopi apud Nicæam congregati, quum Euſtathium ob vitæ ſimul, ac doctrinæ meritum admiratione proſequerentur, dignum eum judicarunt, qui Apoſtolicæ cathedræ præſideret: ac proinde quum Epiſcopus eſſet vicinæ urbis Berœæ, illum inde Antiochiam traſtulerunt.

(15) *Sylvanus ab Attico Conſtantinopolitano ab Eccleſia Philopolitana ad Troadis Epiſcopatum translatus eſt: Socrates* Lib. VII. cap. 36.; *uti quoque Gregorius Nazianzenus a Meletio Antiocheno* ab Eccleſia Saſimorum ad Conſtantinopolitanam traductus eſt: *Socrates Lib. V. cap.* 8.

(16) *De Perigene confer* Notam (13). *De Proclo ſcribit Socrates ibid. Cap. XL.* Epiſcopis, qui

Digitized by Google

none efficitur, illud eſt, nimirum inferiorum Prælatorum translationes facilius admittendas, quippe quod inter Eccleſias, & Clericos Epiſcopis inferiores tanta neceſſitudo non eſt, quanta inter Epiſcopos, & Eccleſias, quibus ſpirituali quodam conjugii fœdere arctiſſime copulantur; haud ſecus ac ipſemet Chriſtus cum Eccleſia: quod *Magnum Sacramentum* dixit Apoſtolus: *ad Epheſios V.* 32. Igitur inferiores illi Antiſtites, dum proprii Epiſcopi accedebat auctoritas, relictis ſuis Eccleſiis, ad alias recte migrabant. At contra invito proprio Epiſcopo ad aliam tranſire Eccleſiam Clericis omnino vetitum.

XII. Igitur nulli Clerico unquam licuit de propria ſua Eccleſia, ſive Diœceſi in aliam commigrare ſine Epiſcopi venia, & litteris. Hæ litteræ *Dimiſſoriæ* dici conſuevere, de quibus ſuo loco egimus (17). Illud hic omnino ſubnectendum, antiquos Eccleſiæ Canones tum Clericos, qui proprias Eccleſias deſeruiſſent, tum Epiſcopos eoſdem recipientes graviſſimis, etiam excommunicationis, & depoſitionis pœnis, obnoxios declaraſſe. Ita Canones ſic dicti Apoſtolici, & Concilia Chalcedonenſe, Antiochenum, Nicænum, Arelatenſe I. & II. (18). Quinimmo ex Auguſtini ad Severum Epiſtola perſpicue efficitur, nullam fuiſſe legem, qua Epiſcopus ad dandum ſuo Clerico litteras compelli potuerit: ſed Eccleſiam cuilibet Epiſcopo dijudicandum reliquiſſe; num ſcilicet e re foret, ſuos Clericos in propria ſtatione retinere, an vero alio abeundi facultatem illis impertiri (19)?

XIII. Iiſdem quoque cenſuris ſubjiciebantur Clerici vagi, quos veteres *βακαντίβους*, ſive *ambulantes* per opprobrium dicebant (20): *Placuit, ut vagus, atque inſtabilis Clericus*, ita Synodus Valentina in Hiſpania, *ſive etiam in Diaconi miniſterio, vel Presbyteri officio conſtitutus, ſi Epiſcopi, a quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum; quouſque in vitio permanſerit, & communione*,

qui aderant, mandavit Imperator, ut Proclum in Epiſcopali ſolio collocarent; τοῖς παροῦσι Ἐπισκόποις ἐνθρονίσαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψεν. Id enim Cæleſtini quoque Epiſcopi Romani literæ tunc exhibitæ confirmabant.

(17) *Lib. I. Part. I. Cap. XIII. pag.* 109.

(18) *Canones Apoſtolici Can. XV. & XVI.* Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo, relicta ſua Parochia in aliam abſceſſerit, & quum penitus tranſierit, præter Epiſcopi ſui ſententiam in alia Parochia maneat, eum non amplius celebrare jubemus, maxime ſi eum adhortanti Epiſcopo, ut rediret, non paruerit, in contumacia, & inſolentia perſeverans: Is tamen ut laicus communicet. Sin autem Epiſcopus, apud quem morantur, nihili faciens adverſus eos decretam a munere ceſſationem, eos ut Clericos receperit, ſegregetur ut immodeſtiæ, & inſolentiæ magiſter.

Concilium Nicænum Can. XVI. Quicumque temere, & inconſiderate, nec Dei timorem præ oculis habentes, nec Eccleſiaſticum Canonem ſcientes Presbyteri, vel Diaconi, vel quicumque omnino in Canone recenſentur, ab Eccleſiis ſeceſſerint, ii in aliena Eccleſia nullo modo recipi debent, ſed omnino cogendi ſunt in ſuas ipſorum Parochias redire: vel ſi perſeverent, eos a communione ſeparatos eſſe oportet; ſin autem etiam auſus fuerit quiſpiam eum, qui ad aliam pertinet, ſurripere, & in Eccleſia ſua ordinare, non conſentiente proprio Epiſcopo, a quo receſſit is, qui in Canone cenſetur, irrita ſit ordinatio. *Eadem habent Concilium Antiochenum* Can. III. & *Chalcedonenſe* Can. XX.

Tum pro Eccleſia Occidentali eadem lex ſancita occurrit in Conciliis Arelat. I. Can. XXI. & *Arelat. II.* Can. XIII. *Carth. I.* Can. V. & *Carth. IV.* Can. XXVII. *Toletan. I.* Can. XII. *Turon: I.* Can. XI. *Taurin.* Can. VII. &c.

(19) *S. Auguſtinus Epiſt. LXII. ad Severum*: Filius noſter Timotheus indicavit nobis, quod quum ageres cum illo, ut apud Subſanam Deo ſerviret, erupit, & juravit a te omnino non receſſurum . . . Quum illi aperuiſſemus non eum futurum perjurii reum, ſi non per ipſum, ſed per te fieret, ut propter vitandum ſcandalum tecum eſſe non poſſet &c.

(20) *Syneſius Epiſt. LXVII.* Vagantur quidam apud nos *Vacantivi* (feres enim me paululum barbare loquentem, ut uſitata in Republica voce nonnullorum nequitiam expreſſius declarem) hi certam quidem nullam ſedem habere volunt, qui quam habebant antea, reliquerunt, non calamitate expulſi, ſed ſponte locum mutantes: honoribus porro fruuntur, eo vagantes, ubi majus compendium eſt,

ne, & honore privetur. Eadem habent Conc. Agath. *Can. LI.*, & Epaonenſe *Can. VI.*

XIV. Adhæc frequentes a Synodis æque Generalibus, ac Provincialibus conditi ſunt Canones, quibus conſtans Clericorum in Parochiis ſuis commoratio præſcripta eſt. Ac præſertim Canones Sardicenſes hac de re plura ſtatuunt. 1. Nullum oportere ad caſtra Imperatoris accedere, præter eos, quos Imperator ſuis literis arceſſat. (21).

2. Quum Epiſcopus pro reis ad pœnas damnatis Imperatoris gratiam implorare velit, iſtuc pietatis officium per Diaconum, vel hypodiaconum exſequatur, ne ipſe neglecti muneris ſui Eccleſiaſtici reus in aula habeatur (22).

3. Epiſcopus diutius, quam per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua non abſit, niſi qua gravior neceſſitas urgeat (23).

4. Tum Epiſcopo habenti poſſeſſiones in alia Diœceſi, ad colligendos inde fructus ſuos idem temporis ſpatium præſcribitur; ea ſimul adjecta conditione, ut in Eccleſia ruris, ubi poſſeſſiones ſuas habeat, ſingulis diebus Dominicis officia divina obeat (24).

5. Iiſdem Regulis, & Legibus Presbyteri quoque, ac Diaconi ſubjiciuntur (25). Eadem Lex pro Eccleſiis Galliarum in Synodo Agathenſi ſancita eſt (26). Canones Africani illud quoque præcipiunt; nimirum, ut Epiſcopus non longe ab Eccleſia hoſpitiolum habeat, nec ad aliam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferat, *ne curam, vel frequentationem propriæ cathedræ negligere videatur*.

XV. Eaſdem prorſus ob rationes Clericis vetitum erat plures ſimul Eccleſias habere. De Epiſcopis res manifeſta eſt ex Ambroſio, qui ad illa Apoſtoli: *Epiſcopum oportet eſſe unius uxoris virum*, ſic commentatur: *Si ad ſuperficiem tantum litteræ reſpiciamus, prohibet bigamum Epiſcopum ordinari. Si vero ad altiorem ſenſum conſcendimus, inhibet Epiſcopum duas uſurpare Eccleſias*. Et certe notatu dignum eſt, quod licet multa in veteri Hiſtoria occurrant exempla Epiſcoporum, qui de una in aliam tranſierint Eccleſiam; attamen vix invenies unum Epiſcopum duas Eccleſias conjunctim retinuiſſe.

XVI. Quod vero ad Presbyteros, Diaconos,

(21) *Conc. Sardic. Can. VII.* Si itaque hoc omnibus videtur, ſtatuite nullum oportere Epiſcopum ad caſtra accedere, præter eos, quos Pius Imperator noſter ſuis litteris arceſſit . . . . . Reſponderunt omnes: decernatur & hoc.

(22) *Conc. Sardic. Can. VIII.* Quia ſæpe contigit, aliquos, qui egent miſericordia, ad Eccleſiam confugere . . . . . hoc quoque veſtra ſollertia judicet, ut quia viſum eſt, ne aliquis Epiſcopus in condemnationem incidat ad caſtra veniens, ſi qui eorum ejuſmodi, quorum ſuperius meminimus, habeant preces, per proprium Diaconum mittant: miniſtri enim perſona non eſt invidioſa, & quæ conceſſa fuerint, citius perferri poterunt.

(23) *Conc. Sardic. Can. XI.* Recordemini Patres noſtros in tempore præterito judicaviſſe, ut ſi quis laicus in aliqua urbe degens tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur. Si hoc ergo de laicis ſtatutum eſt, non oportet, nec convenit, ſed neque utile eſt, Epiſcopum, ſi nullam habet graviorem neceſſitatem, vel negotium difficilius, a ſua Eccleſia diutius abeſſe, & ſibi commiſſum Populum contriſtare.

(24) *Conc. Sardic. Can. XII.* Quidam fratres, & Coepiſcopi, in Civitatibus in quibus Epiſcopi conſtituuntur, videntur valde pauca, quæ ſibi ſint propria, poſſidere; in aliis autem locis magnas poſſeſſiones, ex quibus etiam poſſint opem ferre pauperibus; iis igitur ita eſſe concedendum judico, ut ſi in ſuas poſſeſſiones venturi ſunt, & fructus ſuos collecturi, tribus diebus dominicis, id eſt tribus ſeptimanis in ſuis poſſeſſionibus degant; & in Eccleſia, quæ prope eſt, in qua Presbyter Populum congregat, ne congregationis expers eſſe videatur, conveniat, & officia divina obeat; & ne frequentius in Civitate, in qua eſt Epiſcopus, adſit. Eo enim modo, & res ejus propter ipſius abſentiam nihil detrimenti patientur, & arrogantiæ, ac ſuperbiæ crimen effugere videbitur.

(25) *Conc. Sardic. Can. XVI.* Ea decreta, quæ de Epiſcopis conſtituta ſunt, ſerventur etiam in Presbyteris, & Diaconis.

(26) *Conc. Agath. Can. LXIV.* Diaconus, vel Presbyter ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit triennio a communione ſuſpendatur.

cenos, alioſque inferiores Clericos ſpectat, aliquando ob miniſtrorum penuriam Eccleſiæ neceſſitas poſtulare poterat, ut in pluribus ſimul ejuſdem Diœceſeos Parochialibus Eccleſiis divina officia obirent; majores tamen ideo ex iſtarum Eccleſiarum reditibus non recipiebant proventus. Namque ſive in una, ſive in pluribus miniſtrarent Eccleſiis, eadem ipſis ex communi Eccleſiæ Cathedralis ærario menſtrua, vel annua portio ſuppeditabatur. Quod vero ad diverſas Diœceſes attinet, Canones ſevere prohibent, ne quis nomen ſuum in duarum Eccleſiarum catalogo habeat, vel utriuſque reditus participet. Ita Synodus Chalcedonenſis (27). Eandem legem pro monaſteriis quoque ſervandam, nimirum ne unus idemque Abbas duobus monaſteriis eodem tempore præſit, Concilia Agathenſe, & Epaonenſe præſcripſere (28).

§. III. *Leges, quæ Clericos ſecularia negotia, & officia ſuſcipere prohibent.*

XVII. Secularia negotia, & officia, quippe quæ a divino miniſterio animum avocant, Clericis ſevere interdicunt antiquiſſimæ Eccleſiæ Leges. Ac 1. Clericis prorſus vetitum eſt, ſeculares adminiſtrationes ſive civiles, ſive militares cum Eccleſiaſtico miniſterio conjungere. Ita Canones ſic dicti Apoſtolici. Ex quibus VII. hæc habet: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſeculares curas non ſuſcipiat, alioquin deponatur*. Tum LXXXI. *Diximus non oportere Epiſcopum, vel Presbyterum ſe ipſum ad publicas adminiſtrationes demittere, ſed in Eccleſiaſticis negotiis verſari. Vel ergo ita non facere perſuadeatur, vel deponatur*. Et LXXIII. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtinere volens, Romanorum ſcilicet magiſtratum, & ſacerdotalem adminiſtrationem, deponatur*. Hinc inter alia crimina Paulo Samoſatenſi objecta, Euſebio teſte *Lib. VII. cap.* 30. illud quoque fuit, quod *ſeculares geſſerit dignitates, & Ducenarius vocari, quam Epiſcopus maluerit*.

2. Neque tutores, vel curatores agere Eccleſiæ Leges ſinebant. Iſtuc jam inde ab III. Seculo Synodus quædam Africana, auctore Cypriano, conſtituit (29), Quinimmo quum quidam *Geminius Victor* de ſeculo excedens *Geminium Fauſtinum* Presbyterum Furnitanorum contra Synodicam ſanctionem ſuo teſtamento Tutorem reliquiſſet, Cyprianus Clero, & plebi Furnitanorum per litteras mandavit, *ne pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentaretur*: Cyprianus *ibidem*. Atque iſtæc, quæ erat quædam excommunicatio poſt mortem, adverſus Synodici Decreti violatores pœna ſancita erat. Ejuſmodi ſane Lex ſecutis temporibus renovata eſt (30), niſi quod Presbyteris, Diaconis, aliiſque inferioribus Clericis permiſſum eſt, eorum tutores, vel curatores agere, qui ab eis jure, ac lege cogna-

(27) *Conc. Chalcedon. Can. X.* Non liceat Clerico in duarum Civitatum Eccleſiis eodem tempore in catalogum referri, & in ea, in qua a principio ordinatus eſt, & in ea, in quam tanquam majorem confugit, propter inanis gloriæ cupiditatem . . . Sed ſi jam quiſpiam ex alia in aliam Eccleſiam tranſlatus eſt, nihil prioris Eccleſiæ, vel eorum, quæ ſub ea ſunt, Martyriorum, vel Ptochotrophiorum, vel Xenodochiorum rebus communicare. Eos autem, qui auſi fuerint poſt magnæ hujus Synodi definitionem, aliquod eorum, quæ ſunt prohibita, facere, ſtatuit S. Synodus proprio gradu excidere.

(28) *Conc. Agath. Can. LVII.* Unum Abbatem duobus Monaſteriis interdicimus præſidere. *Idem præſcribunt Conc. Epaon.* Can. IX. & *Juſtinianus* Cod. Lib. I. Tit. III. Leg. 40. *Eadem lex renovata occurrit in Concilio Nicæno II.* Can. XV.

(29) *Cyprianus Epiſt. LVI. ad Cler. Furnitan.* Ne quis de Clericis, & Dei miniſtris tutorem, vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli divino Sacerdotio honorati, & in Clerico miniſterio conſtituti, nonniſi altari, & ſacrificiis deſervire, & precibus, atque orationibus vacare debeant.

(30) *Conc. Carth. IV. Can. XVIII.* Ut Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.

Digitized by Google

cognationis hoc caritatis officium depoſcerent (31).

3. Laicorum lites in Secularibus judiciis perſequi nunquam Clericis licuit. Hinc S. Ambroſius *Lib. I. Officior. cap.* 36. in illud Apoſtoli: *Nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus:* ſic commentatur: *Is, qui Imperatori militat, a ſuſceptionibus litium, actu negotiorum forenſium, venditione mercium prohibetur humanis legibus* &c. Et Eugenius Papa I. vel ut emendandum cenſuit Gonzaleſius, Papa III. in Epiſtola ad Epiſcopum Sarenſem ſic ſcripſit: *Sacerdotibus autem, & Clericis tuis denunties publice, ne miniſtri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exſiſtant.* Tum quoque pro aliis fidejubere, ſive vadimonium promittere omnino vetabantur: *Ne*, ut loquitur Juſtinianus Novell. CXXIII. Cap. 6. *per hanc occaſionem, & ſanctis Domibus damnum fiat, & ſacra miniſteria impediantur.* Porro Canones Apoſtolici *Can. XX.* jam decreverant: *Clericus fidejubens deponatur*: & Conſtit. Apoſt. Lib. II. Cap. 6. *Epiſcopus ne pro aliis ſpondeat; nec cauſſas nummarias defendat.*

4. Seculares negotiationes exercere Clerici prohibebantur, tum quia ab divinis miniſteriis eorum animos avocarent, tum vero quia plerumque avaritiam, ac ſordidi lucri cupiditatem ſecum ferrent. In hanc rem Canones editi ſunt in Conciliis Carthag. I. & III. Arelatenſi I. (32), & Chalcedonenſi, cujus *Canon* III. hæc habet: „ Definit S. Synodus neminem deinceps nec Epiſcopum, nec Clericum, nec Monachum vel poſſeſſiones conducere, vel ſecularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſeipſum ingerere. „ Tum ratio profertur, quare hic Canon fuerit conſtitutus: „ quod eorum, qui in Clerum cooptati ſunt, quidam propter turpe lucrum alienas poſſeſſiones conducant, & ſecularia negotia exerceant, divinum miniſterium negligentes. „ Et Synodus Arel. II. *Can. XIV.* „ Si quis Clericus pecuniam dederit ad uſuram, aut conductor alienæ rei voluerit eſſe, aut turpis lucri cauſſa aliquod genus negotiationis exercuerit, depoſitus a Clero, a communione alienus fiat. Profecto *Cap.* X. §. *I.* jam audivimus Cyprianum de quibuſdam ſuæ ætatis Epiſcopis graviter conquerentem, quod, divina procuratione contemta, procuratores rerum ſecularium agerent, ac, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucuparentur.

XVIII. Verum quædam erant ſpecies negotiationis Clericis quibuſdam de cauſſis haud interdictæ. 1. Ut victum, ac veſtitum honeſto quodam artificio, vel ægricultura ſine officii ſui in Eccleſia detrimento, ſibi pararent. De hac re plures Canones in Concilio Carthag. IV. occurrunt (33).

2. Ubi Eccleſiæ proventus admodum exigui erant, Clerici, qui ad operandum validiores erant, & litteras, & artificiolum addiſcebant, ut infirmioribus honeſta alimen-

(31) *Juſtinianus Novell. CXXIII. Cap.* 5. Deo amabiles Epiſcopos, & Monachos ex nulla lege tutores, aut curatores cujuſcumque perſonæ fieri permittimus; Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos jure, & lege cognationis tutelam, aut curam ſuſcipere hereditatis permittimus.

(32) *Conc. Carth. I. Can. VI.* Qui ſerviunt Deo, & adnexi ſunt Clero, non accedant ad actus, & ad adminiſtrationem, vel procurationem domorum. *Et Can. XI.* Ipſis *laicis* non liceat Clericos noſtros eligere apothecarios, vel ratiocinatores. *Tum Conc. Chalcedon. Can. III.* Definit Sancta Synodus neminem deinceps, nec Epiſcopum, nec Clericum, nec Monachum, vel poſſeſſiones conducere, vel ſecularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſeipſum ingerere: niſi utique ex lege ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocetur. *Idem præſcribunt Conc. Carth. III.* Can. XV. *Conc. Arelat.* Can. XIV.

(33) *Conc. Carth. IV. Can. LI.* Clericus quantumlibet Verbo Dei eruditus artificio victum quærat. *Et Can. LII.* Clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura *abſque officii ſui detrimento* paret.

alimenta præberi poſſent. Ita in eadem Synodo Canone quodam conſtitutum eſt (34).

3. Licitum quoque erat Clericis horas ſubſecivas cuidam opificio, vel arti impendere, tum ne Eccleſiæ oneri eſſent, atque ita pauperum indigentiis ſubvenirent; tum etiam, ut fidelibus exemplum præberent, quo ad aſſiduitatem in ſuo quiſque genere excitaretur. Id Pauli exemplo plures veteres Epiſcopi præſtitere: ac præcipue Zeno Epiſcopus Majumæ in Palæſtina; de quo memoriæ prodidit Sozomenus Lib. VII. cap. 28. *ipſum jam ſenem, & centum circiter annos natum, nunquam a matutinis, aut veſpertinis hymnis, aut a reliquo officio divino abſuiſſe, niſi morbus ipſum detineret. Porro quum in monaſtica philoſophia vitam traduceret, lineam veſtem texebat ſuper unica tela. Hoc artificio, & ſibi ipſi neceſſaria comparabat, & aliis ſubminiſtrabat. Nec ceſſavit uſque ad exitum vitæ id opus exercere.* Tum Rufinus, Socrates, & Sozomenus de Spiridione Epiſcopo Trymithuntis in Cypro, qui Concilio Nicæno interfuit, & dono prophetiæ, ac miraculorum illuſtris fuit, narrant, quod quum antea Paſtor ovium fuerit, ob ſingularem animi modeſtiam, etiam in Epiſcopatu oves paſcere non deſtitit. Verum ut ſcribit Sozomenus *Lib. I. cap. 11.* „ Mos illi fuit, ut ex fructibus, qui ipſi proveniebant, alios pauperibus diſtribueret, aliis poſcentibus mutuo daret ſine uſuris. Verum in dando, aut recipiendo, nunquam ipſe per ſe dabat, aut recipiebat; ſed, cellario tantum accedentibus demonſtrato, jubebat, ut quantum opus haberent, ſumerent, ac rurſus ut reponerent, quantum ſe ſumſiſſe noverant „. Tum Epiphanius Hæreſ. LXXX. quæ eſt Meſſalianorum *num. 6.* obſervat, pleroſque ſuæ ætatis Sacerdotes ad ſuſceptam divini Verbi prædicationem externam manuum operam adjunxiſſe, quamcunque demum artem adepti ſint, quæ nec a dignitate ſua, nec ab Eccleſiæ cura abhorreret. Ad id tamen nulla fuiſſe neceſſitate coactos, at abundantia quadam virtutis id præſtitiſſe.

XIX. Porro hactenus productæ Eccleſiaſticæ leges, ac veterum Sanctiſſimorum Sacerdotum exempla nihil commune habent cum acribus Hieronymi, aliorumque veterum querelis, quibus in Clericos negotiatores invehuntur (35). In illis enim magna potius ſapientia elucet, ac prudentia; tum ut Dei cultus ne minimum læderetur, tum vero ut miniſtrorum Eccleſiæ neceſſitatibus conſultum iretur. At in his Clerici proprium officium negligentes paſſim in orbe vagabantur, occupationibus ſe impediebant, & in alia omnia abducebantur. Quod ſane a ſacro miniſterio, cui Clerici addicti ſunt, tam alienum eſt, quam quod maxime.

§. IV. *Leges externam Clericorum converſationem ſpectantes.*

XX. Ac 1. Clericis vetitum erat cum Judæis converſari: hinc Syn. Illib. Can. I. *Si quis Clericus, vel fidelis cum Judæis cibum ſumſerit, placuit eum a communione abſtinere, ut debeat emendari.* Et Conc. Agath. Can. XL. *Omnes Clerici, ſive Laici, Judæorum convivia evitent; nec eos ad convivia quiſquam invitet.*

2. Prohibebantur ſub depoſitionis pœna cum Judæis jejunare, ac feſtos dies agere, vel ab ipſis xenia accipere. Ita Canones Apoſtolici (*36*).

(34) *Ibidem Can. LIII.* Omnes Clerici, qui ad operandum validiores ſunt, & artificiolum, & litteras diſcant.

(35) *Hieron. Epiſt. II. ad Nepot.* Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge. *Severus Sulpitius Hiſt. Lib. 1. cap. 23.* Inhiant poſſeſſionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque, quæſtui per omnia ſtudent ...... atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quaſi venalem præferunt ſanctitatem.

(36) *Canones Apoſtolic. Can. LXX.* Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejunat cum judæis, vel cum ipſis feſtos dies agit, vel ab ipſis xenia accipit; ut, verbi gratia, azyma, vel quid tale, deponatur. Sin vero ſit laicus, ſegregetur.

3. Cum Philoſophis Ethnicis conſuetudo ipſis erat interdicta. Hinc teſte Sozomeno *Lib. VI. cap.* 25. Theodorus Laodiceæ Epiſcopus Epiphanium Lectorem, ejuſque patrem presbyterum ab Eccleſia ejecit, quod, quum Epiphanius ſophiſta hymnum in laudem Bacchi recitaret, ei recitationi interfuiſſent.

4. Tandem aliis Canonibus in caupona comedere, vel bibere prohibebantur; niſi iter conficientes, vel alia quadam impulſi neceſſitate id facere neceſſum haberent. Ita Canones Apoſtolici, ac Synodi Laodicena, & Carthaginienſis III. (37).

(37) *Canones Apoſtolici Can. LIII.* Si quis Clericus in caupona comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur, præterquam ſi in publico diverſorio in via propter neceſſiatem diverterit. *Conc. Laodic. Can. XXIV.* Quod non oportet ſacratos a Presbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici ordinis uſque ad Miniſtros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel exercitatorum ordinis in cauponam ingredi. *Conc. Carth. III. Can. XXVII.* Ut Clerici edendi, vel bibendi cauſſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.

C A P U T XII.

De veterum Clericorum veſtitu, ac de Tonsuræ origine.

De veterum Clericorum veſtitu.

I. IN externis veſtibus mediocritas Clericis ſervanda erat; adeo quidem ut nec nimis eleganti, & concinno, nec neglecto nimis, & ſordido veſtitu uterentur. Hinc Hieron. Epiſt. II. ad Nepotianum ipſum admonebat: *Veſtes pullas æque devita, & candidas. Ornatus, & ſordes pari modo fugiendæ ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Etenim quinque prioribus Eccleſiæ Seculis civiles clericorum veſtes a communibus laicorum, licet forma non diſtinguerentur, bene vero modeſtia, & ſimplicitate eas inter ſe diſcrepare oportebat. Hinc Synodus Carthag. IV. *Can. XLV.* præcipit, *ut Clerici profeſſionem ſuam in habitu, & inceſſu probent, nec veſtibus, & calceamentis decorem quærant.*

II. Jam vero per quinque priora Eccleſiæ Secula nullam fuiſſe diſtinctionem Clericalium veſtium civilium a laicalibus multa ſuadent. 1. Sævientibus tempore perſecutionum contra Eccleſiam tyrannis, ſi Clerici proprias a laicis diſtinctas veſtes induiſſent, ultro ſeſe perſecutoribus objeciſſent. Quum illi igitur declinare, quoad poſſent, procellam ſtuderent, ac ſeſe populo paſcendo ſervare, communibus ceterorum veſtibus utebantur. Atque hinc Origenes *apud Euſebium Lib. VI. cap.* 19. de Heracla presbytero Alexandrino ſcribens: *Idcirco*, inquit, *quum vulgari veſte antea uſus fuiſſet, ea depoſita, philoſophicum induit habitum, quem etiam nunc retinet.* Porro philoſophicus habitus hominum etiam laicorum, qui ſapientes ſe demonſtrare adfectabant, proprius erat.

2. Auctor *de Eccleſ. Hierarch.* ſub nomine Dionyſii *cap.* 6. monachorum habitum, tonſuramque deſcribens, nullum verbum habet de veſtibus Clericorum. Synodus quoque Carthag. IV. quum nihil eorum omitteret, quæ ad officia Clericorum pertinerent, quod ad veſtes, ſolam mandat Clericis modeſtiam, ut modo indicavimus.

Idem 3. evincitur ex Epiſt. Cæleſtini Papæ ad *Epiſcopos Narbonenſis, & Viennenſis Provinciæ*. In ea Clericos, qui pallio, & cingulo uti cœperant, relictis tunica, & toga, qui communis erat & ipſis, & laicis habitus, ſic reprehendit: *Didicimus quoſdam Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potius cultui inſervire, quam mentis, vel fidei puritati. Amicti pallio, & lumbis præcincti, credunt ſe Scripturæ fidem, non per ſpiritum, ſed per litteram*

cum-

completuros . . . diſcernendi a plebe, vel ceteris ſumus doctrina, non veſte, mentis puritate, non cultu. . . Non eſt imponendum oculis, ſed mentibus infundenda præcepta.

III. Occurrunt quidem haud raro in antiquis Eccleſiaſticis monumentis veſtes ſic dictæ: *Tunica*, ſive *Dalmatica*, *Lacerna*, ſive *Birrum*, *Linea*, *Hamiphorium*, *Colobium* &c. & quidem tanquam indumenta a Clericis adhibita: verum, uti recte obſervat Thomaſſinus *P. I. Lib. II. cap.* 45. hæ communes erant clericorum, & laicorum veſtes, quibus etiam ethnici utebantur. Tantummodo Conſtantinopoli, uti ex Socrate colligimus *Lib. II. cap.* 12. quarto exeunte Seculo mos viguiſſe videtur, ut Clerici atra veſte uterentur. Fortaſſe ut a Clericis Novatianis diſtinguerentur, qui albis veſtibus induti incedebant (1).

IV. At nemo infitiabitur jam inde ab VI. Seculo cœpiſſe Clericos etiam in exteriori corporis cultu a laicis diſtingui. Id quod perquam manifeſtum eſt: 1. ex S. Gregorio Turonenſi, qui *Lib. V. cap.* 14. hujuſmodi veſtium diſcrimen ſua ætate jam inductum indicat: *Merovechus*, inquit, *tonſuratus eſt*, *mutataque veſte*, *qua Clericis uti mos eſt*, *Presbyter ordinatur*.

2. Ex S. Gregorio M. qui pluries in ſuis Epiſtolis Clericos a laicis veſte ipſa diſtinctos repræſentat: ac præcipue Lib. II. Epiſt. 24. *Paulum*, *qui*, *deſpecto habitu ſuo*, *ad laicam reverſus vitam* &c. Et Lib. VI. Ep. 11. *dum ad Eccleſiaſticum habitum veniunt . . . dum in Eccleſiaſtico habitu non diſſimiliter*, *quam vixerant*, *vivunt*, *nequaquam ſtudent ſeculum fugere*, *quam mutare*.

3. Ex Auctore Vitæ S. Cæſarii Arelat. qui Cæſarium *mutato habitu in clerum fuiſſe cooptatum* narrat. . .

4. Ex Concilii Liptinenſis *Can. VII.* quo ſancitur, *ut Presbyteri*, *& Diaconi non ſagis laicorum more*, *ſed caſulis utantur ritu ſervorum Dei*. Tum Syn. Agathenſis an. 506. *Can. XX. veſtimenta*, *& calceamenta*, *quæ religionem decerent*, Clericos geſtare juſſit. Matiſconenſe I. an. 581. *Can. V. laicas veſtes* diſerte Clericis interdicit. Narbonenſis demum Concilii *Can. I.* prohibentur Clericis *veſtimenta purpurea*.

V. Porro, quod Clerici mutato habitu proprias ſibi veſtes adoptaverint, in cauſſa fuiſſe videtur barbararum gentium irruptio. Quum enim Barbari Romanum Orbem invaſiſſent, atque uſus veſtis brevioris ſenſim irreperet, laicis ad barbaros mores deficientibus, Clerici Romanas veſtes, uti etiam ſermonem, retinuerunt. Unde in Oriente, quo ſerius barbaries irrupit, diutius oblongarum veſtium, æque apud Clericos, ac apud laicos uſus obtinuit. Nonniſi in Synodo Trullana anno 692. primum ejuſmodi veſtium diſtinctionis mentio occurrit. Namque *Can. XXVII.* in hanc rem ſic decernit: *Nullus eorum*, *qui in Cleri Catalogum ſunt relati*, *veſtem ſibi non convenientem induat*, *neque in civitate degens*, *neque iter ingrediens*. *Sed utantur veſtibus*, *quæ iis*, *qui in Clerum relati ſunt*, *attributæ fuere*. *Si quis autem tale quid fecerit*, *una Septimana ſegregetur*.

VI. Igitur ab Seculo VI. inducta in Eccleſiam conſuetudo eſt, ut Clerici veſtibus, quarum forma a laicis abludebat, uterentur. Verum nunquam deſtitit Eccleſia Clericos admonere, ut ne in hiſce quidem diſtinctis veſtibus aut luxum quærerent, aut mollitiem adfectarent, ſive in pannis, ſive in colore, ſive in plicaturis multiplicibus, ſed modeſtiam præſeferrent. Unde Concilium Lateranenſe II. ſub Innocentio II. *Can. III.* decernit: *Nec in ſuperfluitate*, *ſciſſura*, *aut colore veſtium intuentium offendant adſpectum Epiſcopi*, *& Clerici*. Et Synodus Melphitana Regni Neap. Can. XIII. *ſciſſis*

Tt 2 ve-

(1) *Ex Socrate Lib. VI. cap.* 22. Siſinnius ab Arſacii familiaribus interrogatus, cur veſtem Epiſcopo minime convenientem geſtaret; & ubinam ſcriptum eſſet Sacerdotem alba veſte indui debere, reſpondiſſe fertur: tu prior mihi dicas velim, quo in loco ſcriptum ſit, Epiſcopum atra veſte uti debere &c.

veſtibus Clericos abuti ulterius prohibuit, *& ne pompoſis exuviis induantur*.

VII. Ceterum munditia una cum modeſtia in Clericorum veſtibus ſervanda eſt; & quidem ob rationem a Poſſidio adductam in vita S. Auguſtini, ubi ait: *Ex moderato, & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, quia ex his plerique vel jactare ſeſe inſolenter homines ſolent, vel abjicere, ex utroque, non quæ Jeſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærentes*.

§. II. *De Tonſura Clericorum*.

VIII. Tonſuram olim apud Ethnicos probro fuiſſe diſcimus tum ex Ariſtophane, apud quem vulgaris eſt Paræmia: *Servus quum ſis, comam geris*; quo ſervorum propriam fuiſſe tonſuram docemur: tum ex Epiſtola Cypriani ad Martyres ad opus metalli damnatos, ubi ſcribit: *Caput ſemitonſum, deteſtabilis, & tetra deformitas*. Unde Lucianus in Miſanthropo Jovem irridens: *Egregius*, inquit, *gigantum exterminator ſedebas, quum tibi cæſaries ab illis circumtonderetur*: id pro genere quodam ſannæ uſurpans. Itaque tonſura apud Germanos, Francoſque, immo & apud Romanorum Imperatores regni ſpem præcidebat, regnandique impotes faciebat. Hinc monachorum plerique humilitatis ſtudio, ut aliorum deſpicatui ſeſe objicerent, caput tondere, & radere conſueverunt, de quibus S. Paulinus Epiſt. IV. & VII. *Caſta informitate capillum ad cutem cæſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præraſi, & damnabiliter deſpicabiles*.

IX. Ex hoc monachorum uſu emerſiſſe VI. Seculo Tonſuram Clericorum docet Thomaſſinus *P. I. Lib. II. cap.* 34. Clericos nimirum monaſticæ perfectionis æmulatores ab illis ejuſmodi humilitatis exemplum ſibi imitandum adripuiſſe. Et ſane per quinque prima Eccleſiæ Secula præter capilli brevioris modeſtiam nullam aliam a Clericis uſurpatam Tonſuram plura ſuadent.

1. Optatus *Lib. II. contra Parmen.* crimini vertit Donatiſtis, quod Epiſcopis, Presbyteriſque Catholicis, qui in eorum manus incidiſſent, capita raderent: *Dicite, ubi vobis mandatum ſit radere capita Sacerdotibus, quum e contrario tot ſint exempla propoſita fieri non debere*. Quibus ſane Optati querelis nullus eſſet locus, ſi tunc Clerici tonſuram geſtaſſent.

2. Hieronymus *Lib. XIII. in Ezech. Cap.* 44. deteſtans capitis tonſuram, tanquam propriam Sacerdotum Iſidis, & Cultorum Serapidis, modum capillorum, pro eo ac Clericos deceret, ita deſcribit: *Perſpicue demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis, atque Serapidis, nos eſſe debere, nec rurſum comam demittere, quod proprie luxurioſorum eſt, barbarorumque, & militantium; ſed ut honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur, nec calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos demittendos, ut operta ſit cutis*. Atque hic quidem nihil peculiare exhibet Hieronymus, quod laicis etiam fidelibus non inculcatum.

3. Demum veteres ſancti Chriſtiani Epiſcopi in Hiſtoriis, quas de ipſis proprias, & peculiares habemus, non aliter exhibentur, quam habitu, & capillo ad modeſtiam magis compoſito. Unde Prudentius *De Coronis Hymn.* XII. de S. Cypriano ad Deum converſo ſcribit: *Neque figura alia eſt, quam quæ fuit, oris, & nitoris. Deflua cæſaries compeſcitur ad breves capillos*.

X. Porro per illud temporis licet Clerici nulla peculiari tonſura a laicis diſtinguerentur, ſemper tamen ipſis præſcripta in capillitio modeſtia, ac vetitum comam nutrire. Hoc indicant tum modo producta veterum teſtimonia, ac præcipue Hieronymi; tum etiam Concilii Carthag. IV. Can. XLIV. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*. Ad hanc autem capillorum modeſtiam omnes promiſcue fideles hortatur Apoſt. I. ad Cor. 11. 4. *Vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt ei*. Tum Conſtit. ſic dictæ Apoſtolicæ *Lib. I. cap.* 3. fidelem admonent, *ut ſit non capillum nutriens, nec pexus, nec comatus*. Adhæc Apoſtolus ipſe *I. ad Timoth.*

moth. 2. 9. *mulieres* jubet *cum verecundia, & ſobrietate ornare ſe, & non in tortis crinibus*. Quibus verbis modeſtum quidem ornatum mulieribus, ut viris ſuis placeant, permittit Apoſtolus; at nimis quæſita ornamenta, ac inane calamiſtratæ comæ artificium devitare monet. Id quod quum in feminis improbet Apoſtolus, quonam, quæſo, animi ardore, vehementique zelo id in Clericis reprehendiſſet?

XI. Jam vero præter modeſtam capillorum brevitatem, Corona etiam clerici inſigniuntur. Hujus originem quod ſpectat, Hallerius *Lib. III. Eccleſ. Hierarch. Sect. III. Art.* 3. tres deſcribit Tonſuræ ſpecies, ſcilicet Clericorum, Monachorum, & Pœnitentium; atque hos Chriſtianorum Ordines tonderi juſſos ab Eccleſia docet. Et ſane Concilium Tolet. III. *Can. XII.* præcipit, ut *publice pœnitentibus Epiſcopus, vel Presbyter caput tondeat*. Tonſura enim habitus luctus erat, uti Sacræ Scripturæ, Hiſtoriæque teſtantur. Monachus vero, quia plangentis habet officium, uti ſupra ex Paulino monuimus, caſtam tonſuræ informitatem retinet. Tum ex Socrate *Lib. III. cap.* 1. Julianus Apoſtata ad cutem abraſus monachum ſimulavit. Illud autem diſcrimen ſtatuit inter tonſuram Clericorum, & tonſuram Monachorum, & Pœnitentium, quod Clerici in modum Coronæ in ſignum dignitatis, illi vero abraſa cute in ſignum luctus tonderentur, eamque differentiam etiam nunc retineri docet; quippe, qui inter monachos Clerici ſunt, coronam geſtant, qui vero Laici, toto capite tondentur.

XII. Igitur VI. ineunte Seculo coronæ Clericalis uſus primum in Eccleſiam invectus videtur. Iſidorus enim Hiſpalenſis *De Offic. Eccleſ. Lib. II. cap.* 4. & Gregorius Turon. *de Glor. Martyrum Lib. I. cap.* 28. ſua ipſorum ætate Coronam Clericalem jam in Eccleſiam inductam produnt. Atque adeo Synodus Toletana IV. an. 633. *Can. XLI.* Tonſuræ præceptum ſimul, & formam complectitur: *Omnes Clerici detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant*.

CAPUT XIII.

De Primæva Vitæ Monasticæ Origine; tum de diverſis Monachorum generibus, & Inſtitutis.

§. I. *Aſcetæ non iidem, ac Monachi*.

I. Tribus prioribus Eccleſiæ Seculis crebra occurrit mentio *Aſcetarum*; verum hi non iidem ſunt, ac *Monachi*. *Aſcetæ* namque vocabantur Chriſtiani, qui durius quoddam, ac auſterius vitæ genus profitebantur. Quam vocem a philoſophis mutuati erant, qui *exercitationem virtutis, ac obedientiæ* ἄσκησιν vocabant. Monachorum vero nomen, & inſtitutum ſerius cœpit. Hinc 1. apud Origenem (1) *Aſcetæ* nuncupantur, qui a carnibus, ac rebus vitam habentibus ſe abſtinebant; quam abſtinentiam Canones Apoſtolici ἄσκησιν *Exercitationem* vocant (2). Binghamus cenſet Aſcetarum quoque nomine illos cenſendos, qui non a carnis ſolum eſu temperabant, ſed ſæpius duos treſve dies jejuni agebant; cujuſmodi crebra exempla in Irenæo, Dionyſio Alex. aliiſque occurrunt. Verum producta Irenæi, Dionyſii, & Epiphanii teſtimonia ἄσκησιν non ſpectant, quæ

(1) *Origenes contra Celſ.* Propter differentem rationem carne, & rebus vitam habentibus abſtinent Pythagorici, & Aſcetæ Ἀσκηταί. Pythagorici &c.

(2) *Canones Apoſtolici Can. LI.* Si quis Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali numero, a nuptiis, carnibus, & vino οὐ δι' ἄσκησιν, *non propter exercitationem*, ſed propter abominationem abſtinet, oblitus &c.

quæ perpetua erat ſeverius inſtituta vitæ ratio, ſed duntaxat jejunium Antepaſchale, de quo *Lib. II.* redibit ſermo. At de Aſcetis perſpicue loquitur Antiochus vetus Græcus Scriptor, cujus egregium teſtimonium vide inferne (3).

2. Qui ferventiori precandi ſe dabant exercitio, ac maximam diei partem religioſo Dei cultui impendebant, Aſcetæ quoque vocabantur. Hinc Cyrillus Jeroſolym. *Catech. X. num.* 9. Annam Prophetiſſam A'σκήτριαν εὐλαβεστάτην (*Mulierem rerum divinarum contemplationi deditam maxime religioſam*) vocat; quum de ea *Lucæ* II. ſcriptum ſit: *Non diſcedebat de templo jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.*

3. Qui excellentiora quædam caritatis, ac mundi contemtus argumenta præſeferebat; veluti ſi univerſa ſua bona cultui divino, vel pauperum uſui dedicaret, is idem Aſcetæ nomen ſortiebatur. Atque iſtuc in cauſſa fuit, cur Hieronymus de Script. Eccleſ. *Cap. LXXVI. & XLI.* Pierium *miræ* ἀσκήσεως *adpetitorem, & voluntariæ paupertatis*; & Serapionem Ep. Antiochenum ἀσκήσει *addictum* nuncuparet.

4. Ex Origene, & Epiphanio viri, vel mulieres ſive viduæ, ſive virgines, quæ vel perpetuam virginitatem profiterentur (4), vel ad ſolitariam vitam ſeſe adſtringerent, vel inſolitæ cuidam vitæ auſteritati ſeſe darent, ut ſic in pietate, ceteriſque chriſtianis virtutibus magis proficerent, eodem Aſcetarum nomine donabantur (5). Hinc Auctor *Synopſeos Scripturæ* Athanaſio tributæ, Lucianum M. *Magnum Aſcetam* vocat: & Martyres Palæſtinæ, qui ſub perſecutione Diocletiani mortem paſſi ſunt, Aſcetæ apud Euſebium dicuntur (*6*), *quod pupillis, ac viduis omni ope deſtitutis, egenis quoque, & infirmis inſpectores ſeſe, & adjutores exhibuerint.* Hi ſane, uti recte monet Valeſius, Monachi non fuere; quum Hieronymus diſerte teſtetur, nullum in Palæſtina monachum fuiſſe ante Hilarionem, qui pluribus poſt annis in hanc regionem vitam monaſticam primus introduxit (7).

§. II. *Quandonam vita monaſtica primum cœperit.*

II. Deciana perſecutione fervente multi homines in Ægypto, hujus tempeſtatis æſtum evitaturi, ad vicinas ſolitudines, ac montes ſe receperunt, ut ibi tutum a vexationibus perfugium invenirent, & ſimul liberius in pietate, ac divina contemplatione ſeſe exercere poſſent. Iſtæc vitæ ratio nonnullis eorum adeo jucunda viſa eſt, ut perſecutione ceſſante in caſulis, ſive cellulis, quas in ſolitudine ſibi ipſi paraverant, permanere mallent,

(3) *Antioch. Homil. VII. in Bibliothec. Patr. Græc. Latin. Tom. I.* Jejunium eſt, non ſolum ſi cibum ſumſeris ſolito ſerius, at ne ſi bis quidem comedas (*tale enim ad exercitationem pertinet* τοῦτο ἀσκήσεώς ἐστι.) Sed providendum magis, ne utare obſoniis tam vario adparatu concinnatis, & inſtructis. *Aſceta* eſt, ut menſam ſuam ad uniformem contrahat cibum.

(4) *Secutis temporibus per* Aſcetrias *in jure civili plerumque Virgines, ac Viduæ Eccleſiaſticæ intelliguntur. Juſtin.* Novell. CXXIII. cap. 43.

(5) *Epiph. Hæreſ. XLII. num.* 1. Initio vitæ caſtitatem præſeferens, Aſcetarum inſtituta profeſſus eſt.

Origenes contr. Celſ. Lib. VII. Apud Chriſtianos non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas virginitatis viget ſtudium.

(6) *Euſebius de Martyr. Palæſt. Cap. XI. de Seleuco M. ſcribit:* Poſt depoſitam militiam æmulatus eos, qui *divinæ pietatis ſtudiis, atque exercitationibus* ſe totos dediderant, τῶν τῆς θεοσεβείας ἀσκητῶν, pupillis, ac viduis &c. *Et ibidem Cap. X.* Petrum quendam ἀσκητὴν aſcetam jam dixerat. *Porro Valeſius Notis hic obſervat:* Male Chriſtophorſonus Monachos intellexit (per aſceras): neque enim tunc temporis ulli adhuc erant Monachi. At ſi qui erant, longe ab illis diſtabant Aſcetæ. Nam Monachi, ut nomen ipſum indicat, ſolitudinem ſectabantur. Aſcetæ vero in mediis verſabantur urbibus; quicumque enim ex Evangelii præceptis ſeveriorem vitam inſtituerant, & cuncta propter Deum reliquerant, Aſcetæ dicebantur.

(7) *Hieron. Vit. Hilar. Cap. XI.* Nec dum enim tunc Monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam Monachos ante Sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille Fundator, & Eruditor hujus converſationis, & ſtudii in hac provincia fuit.

lent, quam ad priſtina ſua domicilia reverti. Primi, & notiſſimi horum fuerunt Paulus, & Antonius, quorum alterum Hieronymus *Vitæ Anachoretarum Auctorem*, alterum *Illuſtratorem* nominat: *Epiſt. XXII. ad Euſtoch. cap.* 16. Nondum vero ullum exſtructum erat monaſterium, nec ullæ hominum ad certas regulas viventium ſocietates formatæ, ſed pauci tantum, & ſingulares homines hac illac in deſertis Ægypti diſperſi vivebant; donec Pachomius, pace Eccleſiæ reddita, quædam monaſteria in Thebaide Ægypti ædificanda curaret (8); unde conſuetudo ad certas leges in ſocietatibus vivendi in aliis mundi partibus gradatim obtinuiſſe videtur. Igitur ad annum uſque CCL. non fuerunt monachi, ſed tantum Aſcetæ in Eccleſia (9). Ex hoc tempore ad uſque Conſtantini imperium vita ſolitaria ad anachoretas in privatis cellulis degentes adſtricta fuit. Ubi vero Pachomius monaſteria in Ægypto extruxit, aliæ regiones hoc exemplum e veſtigio ſunt imitatæ. Hilarion Antonii diſcipulus primus fuit in Palæſtina, ſive Syria Monachorum fundator, & eruditor (10). Euſtathius Epiſc. Sebaſtiæ non multo poſt inter Armenos, Paphlagonas, & Ponti accolas vitam monaſticam introduxit (11). B. Antonii vita, quam Athanaſius ſecum Romam detulit, inſtar ſeminis fuit, ex quo tot monaſteriorum germina in Italia prodiere (12). Romæ quidem monaſticum inſtitutum novitatis infamia primum laboravit; at non multo poſt exiſtimatione florere cœpit; adeout Hieronymus ad Principiam ſcripſerit: *Gauderemus Romam factam Jeroſolymam. Crebra Virginum Monaſteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia ſervientium Deo, quod prius ignominiæ fuerit, eſſet poſtea gloriæ*. Illuſtria fuere Mediolanenſe monaſterium ſub Ambroſio, & Vercellenſe ſub Euſebio Sanctiſſimis Epiſcopis. Primum, quod in Gallia conſpectum eſt Monaſterium non injuria creditur fuiſſe illud, quod S. Martinus Turonenſis creatus Epiſcopus ſecundo ab urbe lapide excitavit, quod *Majus Monaſterium* vocant (13). Ex quorundam doctorum Virorum ſententia Pe-

(8) *Antiquiſſimus Actorum S. Pachomii ſcriptor apud Pagium Crit. in Baron. an. CCCVIII. num. 12. introducit Antonium Eremitam diverſæ vitæ Monaſticæ ſtatum ita inter ſe comparantem:* Quo ego primum tempore Monachum cœpi agere, nullum uſpiam exſtabat cœnobium, in quo de aliorum ſalute cura, aut metus cuipiam erat. Sed quiſque antiquorum Monachorum, perſecutione jam finita, privatim in vita ſeſe monaſtica exercebat. Poſtea vero Pater veſter (Sacchæum adloquitur Pachomii diſcipulum) tantum bonum, Deo adjuvante, effecit.

(9) *Non deſunt ex antiquis Auctoribus, qui ad primos Eccleſiæ Jeroſolymitanæ fideles, ac etiam ad Baptiſtam, & Eliam Monachorum originem referre videantur. Verum hi nonniſi illud conſtituiſſe dicendi ſunt; nimirum Antonium, Pachomium, Hilarionem, alioſque primos vitæ monaſticæ inſtitutores in Apoſtolis, in Chriſto ipſo, in Baptiſta, in Elia, aliiſque Prophetis luculentiſſimum earum virtutum, quibus ſeſe totos impenderunt, exemplar habuiſſe. Quod profecto ſatis non eſt, ut tanta Monachorum inſtitutioni antiquitas adſignetur. Quidquid enim virtutum eſt, id Clero, Monachis, ac ipſis fidelibus laicis commune eſt. Ut Monachos conſequaris, opus eſt præterea Regula, vivendi communione, ſpeciali veſte, ſtatu ab aliis diſcrepante, exercitationibus, officiiſque ad certas horas adligatis &c. Iſtæc profecto nuſquam, niſi poſt Antonium. Ad rem Hieronymus ad Euſtochium de cuſtod. Virgin.* Tales Philo Platonici ſermonis imitator, tales Joſephus, Græcus Livius, in ſecunda Judaicæ captivitatis hiſtoria Eſſenos refert, hujus vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & ut ad ſuperiora conſcendam, Princeps Joannes Baptiſta fuit, talem virum Hieremias deſcribit: *& in Epiſt. ad Paulinum:* Epiſcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros: nos autem habemus propoſiti noſtri Principes Paulos, & Antonios, Julianos, Hilationem, Macharios; & ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noſter Princeps Elias, noſter Eliſeus, noſtri duces filii Prophetarum.

(10) *Confer Notam 7.*

(11) *Sozom. Lib. III. Cap.* 14. Apud Armenios, & Paphlagonas, & Accolas Ponti Euſtathius Sebaſtiæ in Armenia Epiſcopus, monaſticæ converſationis auctor fuiſſe dicitur.

(12) *Baronius anno* CCCXL. *num. VII.* Quam proficuus fuerit Athanaſii Romam acceſſus vel ex eo poteſt intelligi, quod in urbem invexerit ipſe primus Ægyptiorum monachorum inſtitutionem, vitamque admirandam Antonii M. licet adhuc viventis a ſe conſcriptam detulerit.

(13) *Sulpitius Severus de Vit. S. Martini Cap. VII.* Duobus fere extra civitatem millibus Mo-

Pelagius, qui poſtea hæreticus fuit, Seculo V. ineunte vitam monaſticam in Britanniam invexit.

III. Auguſtino ex Poſſidio gloria adſerenda videtur, ut primus in Africa monaſtici inſtituti Fundator, & Propagator fuerit. *Clerum ſufficientiſſimum*, inquit Poſſid. Vit. Auguſt. Cap. ult. *& Monaſteria virorum, ac feminarum continentium cum ſuis præpoſitis plena Eccleſiæ dimiſit*. Porro Poſſidius de Monachis haud videtur intelligendus. Nam 1. Auguſtinus ipſe *Lib. de Moribus Eccleſ. Catholic. cap.* 32. perſonatis Manichæorum virtutibus objectans ſinceram Eccleſiæ Catholicæ Monachorum ſanctimoniam, non alios commemorat Monachos, quam eos, qui Ægyptum, & Orientem incolebant: *Quis neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in Oriente maxime, atque Ægypto, quod vos nullo modo poteſt latere?* Profecto Africanos Monachos haud omiſiſſet Auguſtinus, ſi dum hos ſcribebat Libros, Monaſtica vita Africanas regiones occupaſſet.

2. Auguſtinus Presbyter jam conſecratus a Monachis ſejungebat ſe, atque in Clericorum claſſem recenſebat: *Nimis dolendum*, ſcribit Epiſt. LVI. *ſi ad eam tam ruinoſam ſuperbiam Monachos ſurrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus*, in quorum numero ſumus; *quum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat*.

3. Tum Monachi ipſi Auguſtinum, ejuſque familiam clericorum cœtum fatentur: *Omnes filios Apoſtolatus tui Dominos noſtros clericos digneris officio noſtro ſalutare*. Ita Monachus Auguſtini familiam ſalutabat *Epiſt. CCLVII.*

4. Auguſtinus ipſe ſodales ſuos non modo *Compresbyteros*, & *Condiaconos* vocat, ſed & *Conclericos*: Epiſt. XLIX. LXII. LXVIII. &c. hiſce formulis nunquam uſus, quum de Monachis loqueretur.

5. Monachi ætate Auguſtini ſolitudinem, ac deſerta loca incolebant: quum contra Auguſtini contubernium non modo intra urbem, verum & in ipſa Epiſcopali aula conſtitutum erat: *Reſalutant, & ſinceriſſimam benignitatem tuam conſervi mei, qui mecum ſunt:* Epiſt. LIX. *Omnis itaque Fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coaleſcere:* Ep. LXIV. *Domino dilectiſſimo . . . Poſſidio, & qui tecum ſunt fratribus, Auguſtinus, & qui mecum ſunt fratres, in Domino ſalutem*. Profecto in ejuſmodi ſocietatem coire non poterant, niſi Clerici, qui Evangelicæ paupertatis propoſitum ſequi vellent. Id fatetur Auguſtinus ipſe Epiſt. LXIX. *Ego perfectionem, de qua locutus eſt Dominus:* Vade, vende &c. *vehementer adamavi, & ſic feci. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes*.

6. Auguſtinus adhuc Presbyter a Valerio ſuo Epiſcopo horto Epiſcopali donatus eſt, ut Monaſterium ibi conſtrueret: *Dedit mihi Valerius hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium*. At in ejuſmodi Monaſterio cum aliis Clericis vixit Auguſtinus Evangelicam perfectionem æmulatus: *Noſtis ſic nos vivere in ea domo, quæ dicitur Domus Epiſcopi, ut quantum poſſumus, imitemur eos ſanctos, de quibus loquitur Liber Actuum Apoſtolorum:* Nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia: *Serm. de diverſ. XLIX.*

7. Poſtremo Auguſtinus Epiſcopus jam conſecratus quum hoſpitalitatem ſibi exercendam intellexiſſet, quæ ſilentio, latebriſque Monaſterii minus convenit, Monaſterium Clericorum in Epiſcopali Domo conſtituit: *Et ideo volui*, inquit, *habere in iſta Domo Epiſcopi mecum monaſterium Clericorum*. Quænam vitæ ratio in hoc Clericorum Monaſterio ſervaretur, tradit *ibidem* Auguſtinus ipſe: *Ecce quomodo vivimus: Nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium*. Ex hactenus indicatis capitibus Clariſſ. Thomaſſ.

Monaſterium ſibi ſtatuit . . . Diſcipuli erant octoginta . . . Plerique ſaxo ſuperjecti montis cavato, receptacula ſibi fecerant.

maſſ. *Part. I. Lib. III. Cap.* 3. colligit Auguſtinum in Monachorum claſſem haud eſſe cenſendum.

IV. Tandem ut ad Orientem regrediamur ipſemet Baſilius de ſe teſtatur, illud ſibi criminis loco verti, in quo tamen mirifice ſibi placebat, quod monaſticæ profeſſioni aditum patefeciſſet, viamque muniſſet in Cappadocia (14). Habes igitur ex haſtenus dictis vitæ Monaſticæ originem, progreſſus, propagationem. Hinc quoque colligi poteſt, quibuſnam in rebus potiſſimum Monachi ab Aſcetis diſcreparint. Namque 1. Monachi procul a civitate ſive in privatis cellulis, ſive in Monaſteriis, & ſocietatibus degebant, quum ex adverſo Aſcetæ, uti ipſa nominis fert ratio, actuoſæ vitæ homines fuerint in civitatibus, perinde ac alii homines viventes.

2. Monachos ex prima inſtitutione nonniſi laicos eſſe oportebat, quum ad ſolitudinem adſtricti eſſent: At contra Aſcetæ non minus de laicis, quam de clericis erant, quum vita clericalis, & aſcetica, uti mox videbimus, ſimul conſiſtere potuiſſet.

3. Tandem Monachi, ſaltem ii, qui in Monaſteriis vitam agebant, certis quibuſdam diſciplinæ legibus ſuberant: Aſcetæ vero ſua exercitia, uti libere eligebant, ita quoque omni lege ſoluti libere perſequebantur.

§. III. *De diverſis Monachorum Generibus.*

V. Ac primo illud hic obſervandum, veteres Monachos, non uti recentiores, qui a ſuis Auctoribus, & Fundatoribus denominantur; at vero vel a locis, quæ incolebant, nomina repetere, vel a diverſis vivendi modis diſtingui conſueviſſe. Hinc 1. fuere *Anachoretæ*; nimirum homines, qui civitates, aliorumque conſortium fugientes in privatis cellulis in ſolitudine vivebant. Tales fuere Paulus, Antonius, Hilarion, aliique. Hi plerumque vel in cavernis vivebant, vel in tentoriis, vel cellulis (15). Ubi vero horum plures in eadem ſolitudine alii ab aliis paululum disjuncti viverent, omnes communi nomine *Laura* (16) dicebantur.

2. *Cœnobitæ*, ſive *Synoditæ*. Horum domicilia *Cœnobia* nuncupabantur: nimirum habitacula, ubi Monachi in ſocietate viventes omnia habebant communia. Hinc patet in quonam Cœnobitæ ab Anachoretis diſcreparint (17). Præſertim quum hi etiam in Lauris degentes ſinguli quiſque ſibi proſpiciebat; at ex adverſo Cœnobitarum eadem prorſus ſemper fuit vivendi ratio, ac bona communia.

3. Sarabaytæ, quos Ægyptii Remoboth

(14) *Baſilius de Inſtit. Monach.* Accuſamur vero & hujus, quod homines habeamus pietatis ſtudioſos, qui mundo renuntiarint. Ego vero vitam impenderem, ut poſſent mihi hæc delicta impingi, haberemque apud me viros, qui me doctore hoc pietatis ſtudium amplexi hactenus fuiſſent.

(15) *Chryſoſt. Hom. XVII.* Namque tot annis in cavernis ſuis concluſi, nemine advocante, ſuadente nemine, poſtquam nubem tantam civitatem circumſtantem viderunt, tabernacula, ſpeluncaſque ſuas derelinquentes undique confluxerunt.

Evagrius Lib. I. cap. 21. Alii contrariam viam ingreſſi, ſolos ſe includunt domiciliis, quæ ejuſmodi latitudinis ſunt, atque altitudinis, ut in iis nec corpore erecto conſiſtere, nec accumbere commode poſſint: in ſpeluncis, & cavernis, ac foraminibus terræ juxta dictum Apoſtoli philoſophantes.

(16) *Evagrius ibidem*: Quum ad Chriſti urbem veniſſet (Eudocia) multa in honorem Dei Servatoris noſtri geſſit. Nam & Religioſa ædificavit Monaſteria, & Lauras, quas vocant, conſtruxit.

(17) *Gennadius de Scriptor. in Evagrio*: Compoſuit de Cœnobitis, ac Synoditis doctrinam aptam vitæ communis.

Hieron. Epiſt. XXII. ad Euſtochium cap. 15. Tria ſunt in Ægypto genera Monachorum: Primum Cœnobitæ, quod illi Saucos (alii Sauſes) gentili lingua vocant; nos in commune viventes poſſumus adpellare. Secundum Anachoritæ, quod ſoli habitent per deſerta, & ab eo, quod procul ab hominibus receſſerint, nuncupantur.

vocabant: *Hi bini, vel terni*, uti ſcribit Hieronymus, *nec multo plures ſimul habitant ſuo arbitratu, ac ditione viventes*. Verum hoſce ceu quaſdam peſtes, ac virus Eccleſiæ jure notat Hieronymus ipſe (18).

4. Stylitæ ita dicti a ſingulari vivendi ratione ſuper columna. Simeon cognominatus *Stylites* fere medio Seculo quinto primus inter ordines monaſticos hanc vivendi rationem invexit (19). Quæ ſane haud multos habuit ſectatores, quum nonniſi pauci admodum in Hiſtoria occurrant, qui ſeveriorem hanc vitæ methodum amplexati ſint (20).

§. IV. *Monachi ex primæva inſtitutione nihil amplius, quam laici.*

VI. Et ſane Monachi homines erant ad vitam ſolitariam obligati nonniſi in eremis, vel deſertis locis degentes, ubi Contemplationi, & Pœnitentiæ exercitiis addicti nullius, niſi ſuæ ipſorum animæ, curam gererent. At vero Clericos in villis, & civitatibus verſari oportebat, ut ibi propter Fidelium inſtitutionem Eccleſiaſticas functiones obire poſſent. Accedit, quod ex Canonum præſcripto Clericus ordinandus non erat, niſi loco, ſive titulo in Eccleſia, cui ipſi inſerviendum eſſet, deſignato. Coire igitur cum monaſtica Clericalis vita non poterat. Quin potius una alteri omnino oppoſita videbatur. Ad rem Hieronymus: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium. Alia Monachorum eſt cauſſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor.* Concilium Chalcedonenſe ſemel atque iterum Monachos a clericis diſtinguit, eoſque laicis adnumerat (21). Eadem prorſus ratione S. Leo P. de Monachis loquitur Epiſtola ad Maximum Epiſcopum Antiochenum: *Præter eos*, ſcribit, *qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi jus docendi, & prædicandi audeat vindicare, ſive ſit ille Monachus, ſive laicus*. Verum in eo Monachi ceteris laicis præſtitiſſe videntur, quod quum pietate, & doctrina plerumque emicuerint, hinc, ubi juſta aliqua cauſſa poſtulante ordinandi eſſent, per inferiores ordines ad ſacerdotium celerius, quam alii aſcenderint. Iſtud ex Gelaſii Papæ Ep. ad Epiſc. Lucaniæ colligitur (22).

§. V. *Quibus de cauſſis vita clericalis cum monaſtica conjungi potuerit.*

VII. Jam vero rationes non deerant, quibus Monachos ad ſacros ordines promovere tum permiſſum eſſet, tum & aliquando expediret. 1. Ubi Monaſterium longe ab Epiſcopali, vel Parochiali Eccleſia diſtaret. Hinc ex Caſſiano Monaſterium Scythiæ in Ægypti deſertis duos habuit Presbyteros, Paſnutium, & Danielem, quem ipſe Paſnutius adhuc vivens

(18) *Hieron. ibidem*. Inter hos ſæpe ſunt jurgia, quia ſuo viventes cibo non patiuntur ſe alicui eſſe ſubjectos. Revera ſolent certare jejuniis, & rem ſecreti victoriæ faciunt. Apud hos affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio Clericorum, &, ſi quando dies feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum. *Eadem de Sarabaytis habet Caſſianus Collat. XVIII. cap. 7.*

(19) *Evagrius Lib. I. cap.* 13. Iiſdem temporibus floruit, atque inclaruit Symeones vir ſanctæ, atque perceiebris memoriæ. Hic primus ſtationem ſuper columna inſtituit.

(20) *Theod. Lect. Lib. II. cap.* 41. Monachi Ægyptii quum Symeonem ſupra columna ſtare didiciſſent, rem novam, atque inſolitam condemnantes: hic enim primus cjuſmodi ſtationem excogitaverat: excommunicationis libellum ad eum miſerunt. Poſtea vero cum ejus vitam, ac merita certius cognoviſſent, communionem ejus amplexi ſunt.

(21) *Conc. Chalced. Can. II.* Si quis ſequeſter, & interceſſor adeo turpibus, & nefariis lucris apparuit, hic quoque ſi ſit quidem Clericus, proprio gradu excidat: ſi ſit autem laicus, vel monachus, anathematizetur.

(22) *Gelaſius Epiſt. IX. ad Lucan. Epiſc. cap.* 2. Si quis de Religioſo propoſito, & diſciplinis monaſterialibus eruditus ad Clericale munus accedat, continuo Lector, vel Notarius, aut certe defenſor effectus, poſt tres menſes exſiſtat Acolythus: ſexto menſe ſubdiaconi nomen accipiat: nono menſe Diaconus, completoque anno ſit Presbyter.

vivens ſibi ſucceſſorem elegit (23).

2. Monaſteria, quæ nimis ampla eſſent, licet oppidana, ſuos habebant Preſbyteros. Hinc Eutyches hæreticus non modo Archimandrita, ſed Presbyter etiam ſui Monaſterii Conſtantinopoli erat (24). Et Concilium Chalcedonenſe de Presbyteris, Diaconis, aliiſque Clericis ad Monaſteria pertinentibus *Can. VI.* ſic decernit: *Nullum abſolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui ſunt in ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel Monaſterio is, qui ordinatur, deſignetur.* Tum Juſtinianus quadam ſua *Novella* diſerte ſancit, ut ſi Monaſteria Eccleſias ſibi proprias non habeant, horum Monachi cum ſuo Abbate ad Eccleſiam Parochialem ſe conferant, ut cultui divino operam dare poſſint: ſi autem Eccleſias habeant ſibi adhærentes, quatuor, vel quinque ſeniores ex ipſo monaſterio ſeligantur, qui Presbyteri, vel Diaconi conſtitutæ Eccleſiæ miniſterio addicti ordinentur (25).

3. Epiſcopi aliquando inter Monachos quoſdam ſeligebant, quos in Eccleſiæ Miniſterium adſciſcerent. Monaſteria namque propter bene inſtitutam in pietate, ac doctrina educationem veluti Eccleſiæ miniſtrorum ſeminaria haberi cœperunt. In Codic. Theodoſ. habetur quædam Arcadii lex, quæ ſic habet: *Si quos forte Epiſcopi deeſſe ſibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectius ordinabunt.* Gothofredus in eruditis ſuis ad hanc legem adnotationibus hanc Eccleſiæ conſuetudinem teſtimoniis ex Athanaſio, Hieronymo, Baſilio, Auguſtino, Epiphanio, Palladio (26) & ex Codice Eccleſiæ Africanæ (27) petitis, ſatis ſuperque confirmat. Quibus Epiſtolæ Innocentii, Siricii, & Gelaſii (28): necnon Canones Conciliorum Agathenſis, & Iderlenſis adjungi poſſunt (29).

Vu 2 Jam

(23) *Caſſianus Collat. III. cap.* 1. Hic namque Paſnutius Presbyter congregationis noſtræ, ideſt illius, quæ in eremo Scythiæ morabatur, fuit, in qua ita uſque ad extremam duravit ætatem, ut nunquam e cella, quam junior cœperat habitare, queque ab Eccleſia millibus quinque diſtabat, ſaltem ad viciniora migraverit. Et *Collat. IV. Cap. I.* Daniel merito puritatis, ac manſuetudinis ſuæ a Beato Paſnutio ſolitudinis ejuſdem Presbytero in Diaconi prælectus eſt gradu... optans ſibimet ſucceſſorem digniſſimum providere, ſuperſtes eum Presbyteralis gradus honore provexit.

(24) *Liberat. Breviar. cap. XI.* His temporibus Eutyches quidam Presbyter, & Archimandrita Præſidens Conſtantinopoli celeberrimo Monaſterio *&c.*

(25) *Juſtin. Novel. CXXXIII. cap.* 2. Deinde vel ſi ulla Eccleſia in Monaſterio ſit, neque ſic occaſione Eccleſiarum egredi, & deambulationem licite illic facere, & confabulari cum quibus non convenit, ſed venire quidem tempore ſacri miniſterii cum Abbate, ſuiſque Prioribus, & ſenibus, ſacrificioque completo omnes monachi rurſus ad cœnobium revertantur, ibique ſedeant... Quatuor autem, vel quinque ſeniores ex ipſo Monaſterio eſſe in conſtituta Eccleſia... qui ordinationem habere meruerunt in Clero Presbyterorum forſan, aut Diaconorum.

(26) *Athanaſius Epiſt. ad Dracon.* Neque tu *ſolus ex monachis es ordinatus*; neque te tantum Monaſterio præfuiſti, vel ſolus a monachis dilectus es; ſed noſti Serapionem monachum eſſe, & tam multis præfuiſſe monachis.

Hieronymus Epiſt. IV. Ita age, & vive in Monaſterio, ut *Clericus eſſe merearis*.... quum ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex civitatis in clerum elegerint, agito quæ Clerici ſunt. *Eadem habent Auguſtinus* Epiſt. LXXVI. & LXXXI. *Baſilius* Epiſt. CCCCIII. ad Amphiloch. *Epiphanius* Expoſit. fid. num. XXI. *Palladius* Hiſtor. Lauſiac. Cap. XXII.

(27) *Cod. Afric. Can. LXXX. al. LXXXIII.* Item placuit, ut ſi quis de alterius Monaſterio ſuſceptum, vel ad clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio *&c.*

(28) *Siricius Papa ad Himerium Epiſt. I. Cap.* 13. Monachos, quos morum gravitas, & vitæ, ac fidei inſtitutio ſancta commendat, Clericorum officiis adgregari, & optamus, & volumus. *Innocentius I. Epiſt. II. ad Victricium Rotomag. cap.* 10.: De Monachis, qui diu morantes in Monaſteriis, poſtea ad Clericatus ordinem pervenerint, non debere eos a priore propoſito deviare. *Eadem habent Gelaſius* Epiſt. IX. Cap. 3. *Gregorius M. haud ſemel in ſuis Epiſtolis.*

(29) *Concil. Agath. Can. XXVII.* Monachi vagantes ad officium Clericatus, niſi eis teſtimonium Abbas ſuus dederit, nec in civitatibus, nec in Parœciis ordinentur. *Eadem habet Concil. Iderl.* Can. III.

Jam vero qui ex Monachis antiquæ ſuæ auſteritati inſiſtentes vitam clericalem ſimul cum monaſtica conjungebant, a Græcis ἱερομόναχοι vocabantur, ut ab iis, qui mere laici erant, diſtinguerentur.

4. Fieri nonnunquam conſuevit, ut Epiſcopus aliquis, & univerſus ejus Clerus monaſticam vivendi rationem eligerent, & rebus ſuis omnibus ſponte renuntiantes, atque univerſa in commune redigentes, priſcam, quæ ſub Apoſtolis floruit, Eccleſiæ diſciplinam conſectarentur. Hanc vivendi rationem Euſebius in Eccleſia Vercellenſi (30), & Auguſtinus in Eccleſia Hipponenſi cum ſuis Clericis tenuere. Confer *ſuper §. II. num. IV. hoc Tit.* Ubi quoque monuimus Monaſterium ab Auguſtino in domo Epiſcopali conſtitutum potius Clericorum fuiſſe, quam Monachorum. Profecto Auguſtini Monaſterium ejuſmodi tantum homines complectebatur, qui publica officia, ac negotia in Eccleſia adminiſtrabant, nulla Clauſtri lege adſtricti. Quod ſane ab vitæ monaſticæ inſtituto abhorrere quam quod maxime, jam *ibidem* demonſtravimus. Atque hinc patet, quomodo Duareni, aliorumque Auctorum ſententia accipienda ſit, qui Canonicorum Regularium inſtitutionem ab Auguſtino deducunt (31): licet Gelaſio I. adtribuat Honuphrius in ejus vita: quod & ex Archivis Baſilicæ Lateran. demonſtrare contendit (32). Verum Duareno Honuphrius non adverſatur: utriuſque enim ſententia ſimul ſtare poteſt, nimirum ut Canonicorum Regularium Auguſtinus Auctor fuerit, quos tamen Gelaſius in Baſilica Lateranenſi primus conſtituerit.

VIII. Igitur utiliter in Eccleſia paulatim conjungi cœpit Monachatus cum Clericatu, & viciſſim Clericatus cum Monachatu. Id autem primum in Ægypto, duce, & auctore Athanaſio, introductum videtur, qui plurimos ſummæ pietatis, & eruditionis Monachos e ſolitudinibus, & eremo in civitates, & urbes extraxit; tum reluctantes, & invitos non tantum ſacris ordinibus initiavit, ſed etiam plures ad ſummum Epiſcopatus apicem non ſine populorum adplauſu promovit, ut ipſemet narrat in *Epiſtola ad Dracontium* Abbatem, qui juraverat, ſe nunquam Epiſcopatus dignitatem ſuſcepturum, & quem electum in Epiſcopum Monachi fere omnes deterrere conabantur, quibus ita reſpondet: „ Ne igitur te impediant „ Monachi, quaſi ſolus adhuc ex Monachis „ conſtitutus fueris Epiſcopus; neque excu„ ſationem hanc prætendas, quaſi te ipſo „ deterior ſis futurus: poteris etiam me„ lior fieri. Et Paulum Apoſtolum imi„ teris, & ſanctorum facta æmuleris... „ Quando Paulus conteſtatus eſt, & co„ ronam ſe accepturum exſpectavit, niſi „ quum miſſus eſt ad docendum? Qua„ propter quum iſtiuſmodi habeas exem„ pla, dilectiſſime, ea diligere debes. „ Nec dicas, nec dicentibus credas, E„ piſcopatum eſſe cauſſam peccati, aut „ quod inde naſcatur occaſio delinquen„ di. Licebit tibi Epiſcopatu eſurire, „ ſitire, &c. ſicut Paulo licuit; & vinum „ non bibere, ut Timotheus fecit; & jeju„ nare frequenter, ut Paulus ſolet: ut „ ita ſecundum illum jejunans alios ſer„ monibus enutrias, & ſitiens abſtinendo „ a potu, aliis potum doctrinæ præ„ beas „. Igitur in Ægypto primum ſub Sancto Athanaſio Monachos promotos fuiſſe ad ordines, ac præcipue ad Epiſcopatum, vero oppido ſimile eſt. Neque enim Athanaſius Dracontio aliorum Monachorum.

(30) *Ambroſius Epiſt. LXXXII. ad Eccleſ. Vercel.* Hæc enim primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate poſitus inſtituta monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate.

(31) *Duaren. de Miniſt. & Benefic. Lib. I. Cap.* 21. Dicebantur non ſimpliciter, ut nunc Canonici, ſed Regulares ab illo peculiari inſtituto, ac regula, quam amplectebantur... Hæc ſecta, cujus auctor Auguſtinus perhibetur, quum Hipponenſis Epiſcopus eſſet, late Chriſtianorum orbem pervagata eſt.

(32) *Honuphr. Adnotat. in Platin. vit. Gelaſii*: Gelaſius Canonicus, ut vocant, Regulares, ordinis Sancti Auguſtini Laterani primus collocavit, qui ibidem uſque ad Bonifacium VIII. a quo expulſi ſunt, permanſerunt. Ex Archivis Baſilicæ Lateranenſis.

rum exempla proponit, ſed tantummodo Pauli, & Timothei, qui in Apoſtolatu veluti monaſticas auſteritates ſervarunt. At poſt Sancti Athanaſii ætatem & in Ægypto, & per totum Orientem Epiſcopos e monaſteriis adſumi conſueviſſe, res eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica adeo comperta, ut in ea explicanda hic pluribus immorari abs re ducamus. Satis eſto Novella VI. Juſtiniani, in qua decernitur, *ut Epiſcopus adſumatur, vel ex Clero, vel ex Monaſterio*.

§. VI. *De variis Monachorum Generibus in antiqua Eccleſia.*

IX. Ac 1. Conſtantinopoli ſub Gennadio Monachi quidam fuere ἀκοίμητοι, ſive *inſomnes* dicti. Hujuſmodi denominatio ab eorundem inſtituto deſumta eſt; in tres enim cœtus diſtributi ita alii aliis ſtatis horis ſuccedebant, ut divina officia noctes dieſque ſine ulla intermiſſione peragerent (33). Inter alios Studius quidam vir præclarus, & conſularis dignitatis Conſtantinopoli hiſce Monachis adhæſit, tum pro ipſis celebre Monaſterium erexit, quod ab hoc auctore *Studium*, ejuſque Monachi *Studitæ* fuerunt adpellati (34). Quo tempore forſan primum Monachi a ſuorum Fundatorum nomine nuncupari cœperunt.

2. In Syria, & Meſopotamia, teſte Sozomeno, fuerunt quoque Monachi a peculiari ſua vivendi ratione Βοσκοὶ, ſive *paſcentes* dicti. Namque in montibus inſtar paſcentium pecudum ſine ullo domicilio degentes divinis laudibus juxta Eccleſiæ ritum perpetuo vacabant (35). Quumque veſcendi tempus adveniret, ſinguli falce adrepta per montem vagantes reſectis herbis veſcebantur, qui unus, & ſolus eorum cibus erat.

3. Benedictini in Italia circa annum DXXX. ortum ſuum habuere, auctore S. Benedicto, miro Inſtituti monaſtici Propagatore ſimul, & Inſtauratore. Hic Ordo primum in Oppido Sublaquei, tum in Caſſino monte a S. Benedicto ſtatutus, deinque per totam Europam ita propagatus eſt, ut ſexcentis circiter poſt annis omnes fere per Europam Monachi S. Benedicti regulam ſequerentur. Hinc plures, eædemque variæ per id temporis inſtitutæ Congregationes: nimirum Carthuſiana, Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, Camaldulenſis &c. omnes Benedictinorum veluti ſurculi fuere. Verum Seculo XIII. ineunte Sancti Dominicus, & Franciſcus novam vitæ monaſticæ regulam ſuis diſcipulis tradidiſſe videntur. Et ſane publica, & gravia Eccleſiæ mala ſibi ante oculos ponentes, quum iiſdem opportuna adhibere remedia anxie quærerent, antiquæ Monachorum vivendi rationi actuoſam, & pro fidelium ſalute vigilem quoque vitam conjunxere.

X. Antequam de veterum Monachorum regulis, & legibus ſermonem inſtituamus, juvat paucis ſingularia quædam in antiqua Eccleſia eorundem nomina explicare. Ac 1. Ἡσυχασταὶ *heſychaſtæ Quieſcentes*, ſive *Quietiſtæ* dicti ſunt; quia a Seculi curis ſeſe abducentes, ſecretam, ac quietam vivendi rationem profitebantur. Ita Juſtinianus Novella V. cap. 3. *Niſi quidam eorum in contemplatione, & perfectione degentes vitam remotam habeant in hoſpi-*

(33) *Baronius ad an. CCCCLIX.* Quod ſpectat ad Acœmetarum Monachorum inſtitutum non fuit ejus Marcellus auctor, ſed propagator: verum Alexander Abbas, & ejuſdem Marcelli inſtitutor religioſum illum cultum invenit, prout ejuſmodi Marcelli acta teſtantur.

(34) *Niceph. Hiſt. Lib. XV. Cap.* 13. Studius quidam vir præclarus Roma Conſtantinopolim pervenit, & Divo Præcurſori templum erexit, in quod Monachos ex domicilio eorum, qui Ἀκοίμητοι *Acœmetæ*, hoc eſt *Inſomnes* dicuntur, induxit. Horum domicilium Marcellus diviniſſimus conſtruxerat, in quo perpetuis carminibus numquam non hymni Deo canerentur, ſodalitate Monachorum eam ob rem in tres cœtus diviſa.

(35) *Sozom. Lib. VI. Cap.* 33. Iſtos porro vulgo *Boſcos*, ideſt *Paſcentes* vocabant, qui hoc philoſophandi genus tunc primum invexerant. Sic autem eos adpellant, propterea quod nec domicilia habent ulla, nec pane, aut obſonio veſcuntur, nec vinum bibunt. Sed in montibus degentes Deum perpetuo celebrant orationibus, & hymnis juxta Eccleſiæ ritum vacantes, quumque veſcendi tempus advenerit, ſinguli falce adrepta per montem vagantes inſtar paſcentium pecorum herbas comedunt. *Eadem habet Evagrius Lib. I. cap.* 21.

hoſpitio : quos vocare anachoretas , *id eſt* deſcendentes , *&* heſychaſtas , *id eſt* quieſcentes *conſueverint , tanquam a communione ad meliora exceptos* (36).

2. Ob temperantiam , & continentiam , quam proſequebantur , *Continentes* vocantur in Concilii Carthaginienſis III. Canone XXV. (37).

3. Quod Mundo , & vitæ ſeculari renuntiaſſent , ἀποταξάμενοι , hoc eſt *Renuntiantium* nomine donantur a Palladio , & Caſſiano (38).

4. *Philoſophi* quoque adpellati ſunt , quod eorum vivendi ratio vitæ Philoſophicæ aliqua ratione convenire videretur ; vel potius , quod veram chriſtianam philoſophiam profiterentur . Ita Iſidorus Peluſiota , Palladius , & Theodoretus. (39).

5. Auctor Libri de Eccleſiaſtica Hierarchia eiſdem *Therapeutarum* nomen tribuere videtur (40) ; licet hoc olim commune in Ægypto Chriſtianorum nomen fuerit , ſi quidem Euſebius , & Hieronymus vera referunt (41).

6. Ab eodem Palladio , & Theodoreto Φιλόθεοι dicuntur , eo quod terrenis bonis , ac Seculi commodis Dei cultum prætulerunt . Unde & vitam monaſticam Φιλοθεΐαν dixere (42).

7. Tandem *Cellulani* adpellati ſunt ab ipſorum vivendi ratione in cellulis . Porro ejuſmodi *Cellulanorum* , uti & *Inſulanorum* nomen peculiare fuiſſe videtur Monachis iis , qui celeberrimum Monaſterium in *Lerina* Inſula extructum incolebant, unde plurimi ſanctiſſimi Gallicani Epiſcopi , & homines eruditione clariſſimi ea tempeſtate prodiere . Profecto Sidonius Apollin. *Lib. IX. Epiſt.* 3. *ad Fauſtum* ſcribit : *Precum peritus* Inſulanarum , *quas de Senatu Lyrinenſium* Cellulanorum *in urbem tranſtuliſti* . Et Eucherius ad Salon. Lib. I. *Quum te illic beatiſſimi Hilarii* Inſulani *tyronis , ſed jam nunc ſummi Pontificis doctrina formaverit* .

§. VII. *De Antiquis legibus , & Regulis ad vitam monaſticam pertinentibus* .

XI. Ac primo eas leges explicandas duco , quæ Monachorum inſpiciebant admiſſionem , in qua id ſemper cautum fuit , ne Eccleſiæ , vel Reip. detrimentum inde ſequi poſſet . Igitur vitam monaſti-

cam

(36) Ἡσυχασταὶ *nomen iis ſingulariter monachis videtur a Juſtiniano tribui , qui e cœnobio ferventioris exercitationis cauſſa ſecederent , at in privatis cellulis (quamquam intra cœnobii ejuſdem limites) viverent ; unde cellulæ iſtæ ἡσυχαστήρια dictæ ſunt . Hi veluti anachoretarum vitam ducebant . Ad rem Suicerus Theſaur. Eccleſ. voce* ἡσυχαστής . Photius Epiſt. XX. inſcribit : Ἀθανασίῳ μοναχῷ ἡσυχάζοντι *Athanaſio Monacho Anachoretæ* . Hinc colligitur hunc non ſimpliciter monachum fuiſſe , ſed ἡσυχάζοντα : hoc eſt , quem nos dicimus *Anachoretam* , qui cellam incolens ſolitariam , ſe ſeparabat a κοινοβιωτῶν ἀναστροφῇ . Hic vocatur ἡσυχαστής .

(37) *Conc. Carthag. III. Can. XXV.* Ut Clerici , vel *Continentes* ad Virgines , vel Viduas , niſi juſſu , & permiſſu Epiſcoporum , vel Presbyterorum , non accedant . *Eadem Lex ſancita quoque occurrit in* Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. Leg. 20.

(38) *Palladius hiſt. Lauſ. Cap. XV.* Aliis quidem placebat *Renuntiantium* vita , aliis vita *Communicantium* &c. *Caſſianus ſuarum Collationum Librum IV.* de Inſtitutis Renuntiantium *inſcribit* .

(39) *Theodoret. Lib. IV. Cap.* 28. Fuerunt & alii per id tempus , qui *monaſticæ philoſophiæ* fulgore collucerent . *Eodem* Philoſophiæ *nomine monachatum deſignant* Iſidor. Peluſ. *Lib. I. Epiſt.* 1. Palladius *hiſt. Cap. VIII.* &c.

(40) *Auctor de Eccleſ. Hierarch. Cap. VI.* Hinc Sancti præceptores noſtri divinis eos adpellationibus ſunt proſecuti ; alii quidem Therapeutas , alii Monachos *&c.*

(41) *Euſebius. Lib. II. Cap.* 17. Porro utrum Philo ipſe hanc illis Therapeutarum adpellationem indiderit , commentus vocabulum , quod eorum hominum moribus , inſtitutiſque congrueret , an revera ab initio ita vocati ſint , quum Chriſtianorum nomen nondum ubique diffuſum , ac pervulgatum eſſet , nihil opus eſt pertinaciter contendere . *Tum Hieronymus* de Script. Eccleſ. Cap. XI. *fatetur idcirco Philonem Eccleſiaſticos Scriptores a ſe recenſeri* , quia Librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſia , in Chriſtianorum laude verſatus ſit .

(42) *Palladius Hiſt. Lauſiac. Cap. XII.* Ammonius , qui fuit magni Pambo diſcipulus . . . quum ad ſummam pietatis , ac religionis φιλοθεΐαν perveniſſet . *Theodoret. ſuæ Hiſtoriæ Librum V.* φιλόθεον ἱστορίαν *inſcribit* .

eam ampleċti vetabantur 1. *Curiales*, niſi poſſeſſiones ſuas cum aliis partirentur, qui ipſorum loco Patriæ ſuæ munia ſubirent. Illuc præſcribit lex quædam Valentiniani, & Valentis relata Codice Theodoſiano *Lib. XII. Tit. I. Leg.* 63. quæ in hunc modum ſe habet: *Quidam ignaviæ ſectatores, deſertis civitatum muneribus, captant ſolitudines, ac ſecreta, & ſpecie religionis cum cœtibus monazonton congregantur. Hos igitur, atque hujuſmodi intra Ægyptum deprehenſos per comitem Orientis erui e latebris conſulta præceptione mandavimus, atque ad munia patriarum ſubeunda revocari, aut pro tenore noſtræ ſanctionis familiarium rerum carere illecebris: quas per eos cenſuimus vindicandas, qui publicarum eſſent ſubituri munera functionum*. Hieronymus, & Oroſius de Valente conqueruntur, quod lege data Monachos ad militiam revocari, & nolentes fuſtibus interfici juſſerit (43). Tum Baronius *ad ann. CCCLXXVI.* & Gothofre. *Not. in Cod. Theod. Lib. XII. Tit. I. Leg.* 63. cenſent ejuſmodi Hieronymo, & Oroſio memoratam legem eandem eſſe cum ea, quam nuper produximus. At Clariſſimus Pagius *Critic. in Baron. ann. CCCLXXV. num.* 12. & 13. utrumque caſtigat, & leges illas diverſas eſſe, atque manifeſto ad diverſa tempora, diverſaſque res referendas eſſe ſatis apte demonſtrat. Et ſane prior illa vivo Valentiniano, altera poſt ejus obitum fuit evulgata. Tum hæc tanquam ſevera diram in Monachos vexationem concitavit: illa vero conſentanea omnino fuit omnibus illis legibus, quæ curiales a Clero quoque arcebant; atque ea tantummodo ſub conditione admittebant, quo bonis ſuis in eorum gratiam cederent, qni loco ipſorum munia patriæ, curiæque ſubituri forent (44).

2. Servi, niſi Dominorum ſuorum conſenſus acceſſerit, a monaſtico inſtituto repellebantur, & quidem ob naturalem ſervorum conditionem, qua legitimo jure Dominis ſuis famulari tenentur. Iſtoc leges tum Eccleſiaſticæ, tum Imperiales (45) exacte obſervandum præcipiunt. Primus Juſtinianus juſſiſſe videtur ſervos, ſi per triennium ita permanſerint, ut optimos ſemetipſos, & tolerabiles aliis Monachis, & præſuli demonſtraſſent, monaſticam promereri veſtem, atque tonſuram: & ſive liberi ſint, ſine calumnia permanere, *ſive ſervi, penitus non inquietari*.

3. Mariti, & Uxores ſine mutua utriuſque conſenſione monaſticum ſequi inſtitutum vetabantur. Hinc Ammon qnidam, ipſiuſque conjux (46), tum Paulinus Ep. Nolanus, ac Tharaſia ejus uxor ex communi conſenſu vitæ monaſticæ

(43) *Hieronymus Chronic. ann. CCCLXXVI.* Multi monachorum Nitriæ per tribunos, & milites cæſi. Valens enim lege lata, ut monachi militarent, nolentes fuſtibus interfici juſſit.

Oroſius Hiſt. Lib. VII. cap. 33. Valene illico poſt fratrie obitum, velut effrænata libertatis audacia legem dedit, ut monachi . . . ad militiam cogerentur. Vaſtas illas tunc Ægypti ſolitudines, arenaſque diffuſas, quas propter ſitim, ac ſterilitatem, periculoſiſſimemque ſerpentum abundantiem converſatio humana non poſſet, magna habitantium monachorum multitudo compleverat. Huc tribuni, & milites miſſi, qui Senctos, & veros milites Dei alio nomine perſecutionis abſtraherent. Interfecerunt ibi agmina multa ſanctorum.

(44) *Confer ſupr.* Lib. I. Part. II. Cap. VII.

(45) Conc. *Chalced. Act. VI.* Jubente diviniſſimo Principe *Marciano* Beronicianus vir devotus ſecretarius divini conſiſtorii capitula ſic relegit . . . . ſed neque poteſtatem habere monachos ſuſcipiendi in Monaſteriis ſuis ſervos, aut inſcriptitios præter voluntatem dominorum. *Quamobrem eadem Synodus* Canonem IV. *edidit, qui ſic habet*: Nullum in Monaſteriis ſervum recipi liceat ad hoc, ut ſit monachus præter voluntatem ſui Domini. *Porro idem jam decreverat Valentinianus III.* Novell. XII. ad calcem Cod. Theodoſ.

(46) *Socrates Lib. IV. Cap.* 33. Hæc & alia ejuſmodi plurima *caſtitatis commoda* apud uxorem ſuam virginem locutus *Ammon* perſuaſit illi, ut ſimul ambo, antequam congrederentur, ſecularem vitam abjicerent. Quum hæc inter ſe pacti eſſent, ed montem, qui Nitriæ dicitur, ſe conferunt . . . Non longo poſt tempore novitia, & incorrupta virgo Ammonem ſic adlocuta eſt: Te, qui caſtitatem conſectaris, non decet in tam arcto domicilio mulierem intueri, quamobrem ſi placet uterque noſtrum ſeparatim exercitationes noſtras peragamus: Id quoque pactum ex æquo placuit ambobus. Sejuncti igitur a ſe invicem reliquum vitæ tempus ita transegere.

cæ ſeſe dederunt (47) . Et Paulinus ipſe in contrariam conſuetudinem quarundam mulierum, quæ inconſultis ſuis viris Domino caſtitatem voverant, acriter invehitur (48). Eadem Hieronymi, Baſilii, Auguſtini, aliorumque veterum Patrum fuit ſententia (49). Theonas quidem apud Caſſianum, deſerta conjuge, ad monaſticam vitam ſe contulit; quod Patres in deſerto Scythiæ adprobarunt (50). Tum & Juſtinianus ejuſmodi alterutrius conjugis deſertionem, & ad monachatum migrationem probaſſe videtur, data etiam facultate parti deſerenti, ſive viro, ſive uxori, bona ſua recipiendi (51); Verum Theonæ factum neque Caſſianus ipſe ullo modo defendit, vel excuſat (52); & Juſtiniani Lex, obſervante Bellarmino nunquam in Eccleſia recepta eſt (53). Tum eandem legem Gregorius M. reprobaſſe videtur Epiſt. ad *Theotiſtam Patriciam* (54).

4. Filiis, niſi Parentum ſuorum conſenſus acceſſerit, Monaſteriis adſcribi vetitum erat: id quod S. Baſilii Regulæ præſcribunt (55). Tum Concilium Gangrenſe contrariam conſuetudinem, tanquam ab Euſtathio hæretico invectam, damnare videtur *Can. XVI.* (56). Primus Juſtinianus antiquæ hujuſce regulæ vim paululum emolliit, dum nova quadam lege ſanxit: *Ut non liceat Parentibus impedire, quominus liberi eorum volentes Monachi, aut Clerici fiant.* Codex Juſtinian. *Lib. I. Tit. III. Leg.* 55.

5. Ne-

(47) *Paulinus Ep. XXI. ad Aprum III.* Illic & conjux non ad mollitudinem, vel avaritiam viro ſuo, ſed ad continentiam, & fortitudinem redux in oſſa viri ſui, magna illa divini cum Eccleſia conjugii æmulatione mirabilis eſt . . . . Ecce iidem conjuges qui fuiſtis, ſed non ita conjuges ut fuiſtis.

(48) *Paulinus Epiſt. XIV. ad Celantiam.* Tu quaſi oblita fœderis nuptialis, pactique hujus ac juris immemor inconſulto viro voviſti Domino caſtitatem. Sed periculoſe promittitur, quod adhuc in alterius poteſtate eſt. *Tum poſt plura adfert verba Apoſtoli inquientis:* Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor. I. *ad Cor. VII.* 4.

(49) *Auguſtinus Epiſt. XLV. ad Armentarium, & Paulinam*: Vovenda talia non ſunt a conjugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi. Et ſi præpropere factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid voverit, ſed potius uſurpare vetat alienum. Divina quippe de hac re per Apoſtolum eſt prolata ſententia: Uxor non habet poteſtatem &c. *Eadem habent Auguſtinus ipſe* Epiſt. XCIX. *Hieronymus* Epiſt. XLVI. ad Ruſticum, *Baſilius* Regul. major. Quæſt. XII.

(50) *Caſſianus Collat. XXI. Cap.* 9. & 10. Quum ergo his atque hujuſmodi verbis muliebris non flecteretur intentio, & in eadem obſtinationis duritia permaneret, ſi ego inquit B. Theonas, te abſtrahere a morte non poſſum, nec tu me ſeparabis a Chriſto . . . . adſpirante itaque gratia Dei definitionis ſuæ exſecutionem iaſtanter adgreſſus eſt.

(51) *Juſtin. Cod. Lib. I. Tit. III. Leg.* 53. §. 3. Sancimus, ſive vir ad ſolitariam vitam venire voluerit, ſive mulier viro relicto ad exercitationem monachicam venarit, ne hoc damni cauſſam præbeat, ſed ut ſua omnimodo recipiat.

(52) *Caſſianus ibidem.* Nemo autem exiſtimet nos hæc ad provocanda conjugiorum divortia texuiſſe, qui non ſolum nuptias minime condemnamus, verum etiam Apoſtolicam ſequentes ſententiam . . . Ego autem, qui non meam ſuper hac re ſententiam promſi, ſed rei geſtæ hiſtoriam ſimplici narratione complexus ſum, æquum eſt, ut ſicuti mihi de eorum, qui hoc factum probant, laude nihil vindico; ita eorum, qui id improbant, non pulſer invidia.

(53) *Bellarminus de Monachit Lib. II. Cap.* 38. Alter error eſt in altero extremo, quod nimirum matrimonium etiam conſummatum diſſolvatur per ingreſſum in Religionem. Id decrevit Juſtinianus.

(55) *S. Gregorius M.* Epiſt. *Lib. IX. Epiſt.* 39. *ad Theotiſtam Patriciam*. Si enim dicunt religionis cauſſa conjugia debere diſſolvi, ſciendum eſt, quia etſi hoc *Lex humana conceſſit*, lex divina tamen prohibuit. Per ſe enim veritas dicit: *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

(55) *Baſilius Regul. major. Quæſt. XV.* Qui ſub parentibus ſunt filii, eos ab ipſis ad nos adductos multis adhibitis teſtibus recipiamus.

(56) *Concilium Gangrenſe Cap. XVI. Si* qui filii a parentibus maxime fidelibus prætextu pietatis receſſerint, & parentibus, quem par eſt, honorem non tribuerint, qui divinum cultum ſibi procul dubio præferunt, ſit anathema.

5. Neque Filii, qui pueruli a Parentibus oblati eſſent; niſi, ubi ab ephebis exceſſiſſent, ſponte ſua monaſticam vitam profiteri velle declararent. Id quod Conc. Toletanum II. *Can. I.* ad completum decimum octavum ætatis annum refert ſic decernens: *Ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius Cleri, plebiſque conſpectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur. Quibus ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante, placuerit, & profeſſionem caſtimoniæ ſuæ abſque conjugali neceſſitate ſeſe ſpoponderint ſervaturos, hi tanquam adpetitores arctiſſimæ viæ leniſſimo Domini jugo ſubdantur.* Verum Concilium Toletanum IV. *Can. XLVIII.* nimis in hac re ſevere videtur præſcripſiſſe, ubi decrevit: *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit: quidquid horum fuerit, adligatum tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnem ad ſeculum interdicimus regreſſum.*

§. VIII. *De aliis quibuſdam Regulis ad Monaſticam Profeſſionem ſpectantibus.*

XII. Ac primo monachos, ubi admittebantur, tonderi oportebat, ut ab ſecularibus hominibus diſtinguerentur: haud vero radi, ne Sacerdotibus Iſidis ſimiles viderentur. Hinc Epiphanius, Auguſtinus, & Hieronymus adverſus monachos quoſdam invehuntur, qui muliebrem in modum promiſſam comam nutrirent (57).

XIII. Indumentum quod ſpectat, Monachi Tabennenſes in Thebaide Pacomii diſcipuli ſingulares videntur fuiſſe, qui peculiarem quendam habitum geſtaverint. Caſſianus enim de cingulis, cucullis, collobiis, redimiculis, melotis, & pellibus caprinis loquitur (58). At ipſemet fatetur hæc veſtimentorum genera inter monachos occidentales non fuiſſe uſitata (59). Et Hieronymus licet de habitu monachorum ſæpiſſime loquatur, nunquam autem ab aliorum hominum habitu eum diverſum fuiſſe ſignificat, niſi quod vilior fuerit, & tenuior, ut qui humilitatem, ſeculique contemtum ſine ulla adfectatione exhibeat (60). Tum Caſſianus *ibidem Cap. penult.* de Monachorum veſtibus in hunc modum docet: *A nobis tenenda ſunt illa tantummodo, quæ vel locorum ſitus, vel uſus provinciæ admittit... Ut omnis ſumma noſtri veſtitus non in novitate habitus, qui poſſit offendiculum hominibus hujus ſeculi inferre*, ſed honeſta in vilitate *conſiſtat*.

XIV. Adhæc Hieronymus ipſe, & Palladius, monachos adfectata, & a communi uſu aliena indumenti ratione utentes acri ſermone perſtringunt (61). Tum Caſſianus in ſuis Collationibus monachos quoſdam irridet, qui Chriſti ſententiam: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, nimis *κατὰ λέξιν ſecundum litteram* accipien-

(57) *Epiphanius Hæreſ. LXXX. num. 6.* Eſt & alia quædam vivendi forma, ac diſciplina, qua iſtiuſmodi venerandi noſtri fratres utuntur, qui in Meſopotamia, in monaſteriis, quos mandras adpellant, domicilium fixerunt, qui & comas muliebrem in modum promittunt, & cilicium propalam adfectant .... eſt ab Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolorum doctrina prorſus alienum. *Eadem habent Auguſtinus* de Oper. Monach. Cap. XXXI. *Hieronymus* Epiſt. XXII. ad Euſtochium cap. 12.

(58) *Caſſianus Monachorum Tabennenſium exponens inſtituta* ſuarum Collationum integro primo libro *loquitur de ipſorum* cingulis, cucullis, collobiis, redimiculis, palliolis, ſive maforiibus, melotis, & pellibus caprinis, caligis, & calceamentis, *quæ omnia ibi ſigillatim explicat.*

(59) *Caſſianus ibidem Cap. XI.* Nam neque caligis nos, neque collobiia, ſeu una tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas, & parviſſimi cuculli velamen, vel meloti geſtio deriſum potius, quam ædificationem ullam videntibus comparabit.

(60) *Hieronymus Epiſt. XV. ad Marcellam de Laudibus Aſellæ.* Tunica fuſiore induta ſe repente Domino conſecravit. *Et Epiſt. IV. ad Ruſticum*: Sordidæ veſtes candidæ mentis indicia ſunt, vilis tunica contemtum ſeculi præbet.

(61) *Hieronymus Epiſt. XXII. ad Euſtochium*: Sunt, qui ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis: ut ad infantiam redeant imitantur noctuas, & bubones. *Eadem habet Palladius* Hiſtor. Lauſic. Cap. LII.

pientes cruces ligneas ſibi fecerant, quas etiam in publicum prodeuntes humeris impoſitas circumferre conſueverant (62). Solummodo Hieronymus, quem ſæpius hac in re laudare non piguit, monachis præſcribit, ut in veſtibus ſuis lautitiem inter, & ſordes medium teneant ſine ulla notabili diverſitate, ne multitudinis oculos in ſe convertant. Unde Ep. XXII. ad Euſtochium: *Veſtis ſit*, ſcribit: *nec ſatis munda, nec ſordida, & nulla diverſitate notabilis; ne ad te obviam prætereuntium turba conſiſtat, aut digito demonſtreris*.

XV. Igitur Monachorum Occidentalium habitus ab communi Chriſtianorum admodum diſſimilis non fuit; atque adeo nec S. Benedictus in ſua Regula aliquam peculiarem veſtimenti ſpeciem ſuis monachis præſcripſit; ſed tunica, & cuculla (commune tunc temporis vulgarium, & ruſticorum hominum indumentum) eos uti voluit. Tantummodo ut commodius manuum labori vacarent, ſcapulare pro cuculla adhiberi permiſit.

§. IX. *Num aliquod ſolemne votum ab Monachis in ſua Profeſſione unquam exactum fuerit.*

XVI. Ac primo S. Baſilius diſertis verbis teſtatur nullum ſua ætate expreſſum cœlibatus promiſſum a monachis exigi conſueviſſe; ſed eos tacite ſolum in cœlibatum conſenſiſſe, ubi monaſticæ vitæ ſeſe addixerint (63). Verum Baſilius ipſe Monachos, qui ſe Deo totos dedicarint, jam non poſſe, niſi per ſummum flagitium, ſecularibus ſe curis implicare, perſpicue docet. Atque adeo eoſdem ne iter quidem agentes, tanquam hoſpites in Monaſterium recipiendos jubet (64). Tum Monachos, ſic dictos *incorrigibiles*; illos ſcilicet, quorum ſpiritualibus malis nulla medica manus mederi potuerit, prorſus ab Monaſteriis ablegandos docet: nec ab uno ejectos monaſterio alio ſuſcipi ſinit (65). Eandem prorſus diſciplinam erga virgines Deo ſacratas, quum de eorum emendatione prorſus actum eſſet, omnino ſervandam tum Auguſtinus tradit; tum jam inde ab medio Seculo III. tradiderat Cyprianus (66).

XVII. Jam vero neque Regula S. Pachomii aliquod ſolemne votum in profeſſione emittendum præſcribit, ſed tantummodo trium annorum probationem requirit. Sic enim habet: *Eum qui ſemel ingreditur, nec poteſt cum eis ad triennium ſuſtinere certamen, non admittes. Sed quum opera facit difficiliora, ſic prodeat*

(52) *Caſſianus Collat. Lib. VIII. cap.* 3. Quod quidam diſtrictiſſimi monachorum habentes quid zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, dictum Salvatoris: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſque jugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus inrulerunt.

(63) *Baſilius Epiſt. Canonic. Can. XIX.* Virorum autem profeſſiones non novimus, præterquam ſi qui ſeipſos monachorum ordini addixerint, qui tacite videntur cœlibatum admittere. Sed in illis quoque illud exiſtimo procedere oportere, ut ipſi interrogentur, & evidens ipſorum accipiatur profeſſio.

(64) *S. Baſilius Serm. de Inſtit. Monachorum*: Qui ſeipſum ſemel Deo devovit, hic ſi ad aliud vitæ genus tranſierit, ſacrilegii ſe genere obſtrinxit: quippe qui ſeipſum Deo, cui ſe conſecraverat, veluti ſubterfuratus eſt. Porro hujuſmodi hominibus nullo modo aperiantur fratrum januæ; ne ſi prætereuntes quidem, ut recto recipiantur, ad ipſos diverterint. *Eadem habet Regul. fuſius diſputat. Cap. XIV. & LVIII.*

(65) *S. Baſilius Conſtit. Monaſtic. Cap. XXXIII.* Qui regendis ſpiritualibus conventibus præſunt, ii mutuam inter ſe caritatem exerceant . . . neque temere, inconſideranterque deſciſcentes viciſſim alii aliorum fratres ſuſcipiant. Siquidem hoc facere ſumma confuſio eſt, atque perverſio, & ſpiritualis operis diſſolutio . . . Si nobis obtemperare noluerint, caveamus, ac declinemus, ac eorum congreſſionem defugiamus, & fratribus noſtris, ut hoc idem ſervent, denuntiemus.

(66) *S. Auguſt. Epiſt. CIX.* Convicta ſecundum Propoſitæ, vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam ſuſtinere vindictam; quam ſi ferre recuſaverit, & ipſa non abſceſſerit, de veſtra ſocie-

deat in ſtadium poſt triennium (67) . S. Benedictus in ſua Regula tria a Monachis in ſua ipſorum profeſſione promiſſa exigenda ſtatuit: nimirum ſtabilitatis, morum converſionis, & obedientiæ (68). Profecto in Obedientia continebatur Paupertatis Propoſitum, quod licet explicite a Monachis nunquam fuerit requiſitum, tamen ſponte ſua ſeculo renuntiare, ac facultates ſuas in pios uſus erogare conſueverunt.

§. X. *De Voto Paupertatis*.

XVIII. Jam vero iſtiuſmodi voluntariæ paupertatis exempla in antiquis Hiſtoriæ monumentis obvia ſunt. Profecto Hilarion, auctoribus Hieronymo *Vit. Hilarion. Cap. III.* & Sozomeno Lib. III. cap. 14. *Domum reverſus, quum parentes mortuos inveniſſet, fratribus ſuis, ac pauperibus bona ſua diſtribuit*. Tum Paulinus, opulentiſſimi Senatoris filius, & Taraſia ejus conjux bona ſua (quæ ampliſſima erant) ex communi voluntate pauperibus erogarunt, atque ita vitam monaſticam amplexi ſunt. Et Paulinus ipſe Nolæ Epiſcopus conſtitutus in eadem voluntaria paupertate perduravit; adeo ut de ipſo ſic ſcripſerit Auguſtinus de Civitat. Dei Lib. I. Cap. 10. *Paulinus noſter, Nolenſis Epiſcopus, ex opulentiſſimo divite voluntate pauperrimus, & copioſiſſime ſanctus, quando & ipſam Nolam barbari vaſtaverunt, quum ab eis teneretur, ſic in corde ſuo, ut ab eo poſtea cognovimus, precabatur:* Domine ne excrucier propter aurum, & argentum: ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis.

XIX. Verum illud omnino monachis antiquitus cavendum fuit, ne quum ſemel facultatibus ſuis renuntiaſſent, deinde ſemetipſos, vel Monaſteria ſua, aliorum fortunas extricando, vel accipiendo, locupletare ſtuderent. Profecto ea potius veterum præſertim Orientalium monachorum videtur fuiſſe conſuetudo, ut etiam poſſeſſiones in monaſterii uſum ab fidelibus ſponte oblatas rejicerent; quapropter pleroſque illorum ejuſmodi adoptaſſe ſententiam legimus: ſcilicet; *Monachus, qui in terra poſſeſſiones quærit, Monachus non eſt*. Hieronymus, & Caſſianus in monachos quoſdam hujus regulæ parum ſtudioſos acriter invehuntur: ac præſertim Hieronymus Ep. IV. ad Ruſticum: *Vidi ego*, inquit, *quoſdam, qui poſtquam renuntiavere ſeculo veſtimentis duntaxat, & vocis profeſſione, non rebus, nihil de priſtina converſatione mutarunt: Res familiaris magis aucta, quam imminuta. Eadem miniſteria ſervulorum, idem adparatus convivii. In vitro, & patella fictili aurum comeditur, & inter turbas, & examina miniſtrorum nomen ſibi vendicant ſolitarii*. Et Ep. II. ad Nepot. *Nonnulli ſunt ditiores monachi, quam fuerunt ſeculares*. Et Caſſianus monachis crimini vertit, quod peculiares habuerint claves, ut res proprias privatis commodis addictas cuſtodirent, quum in Monaſterio omnia prorſus communia habenda ſint (69).

XX. Monachi Ægyptii generatim tantæ, tamque rigidæ paupertatis ſtudioſi erant, ut ne ipſorum quidem Monaſteria agros, vel ſtatos reditus haberent, nec ullus monachus præter id, quod ad quo-

ſocietate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.

S. Cyprianus Lib. I. Epiſt. XI. Qui ſe ex fide Chriſto dicaverunt, pudice, & caſte ſine ulla macula perſeverent; ita fortes, & ſtabiles præmium virginitatis exſpectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt, ut nubant, quam ut in ignem deliciis ſuis cadant.

(67) *Regula S. Pachomii apud Palladium* Hiſt. Lauſiac. Cap. XXXVIII. & *Sozomenum* Lib. III. Cap. 14.

(68) *Regula S. Benedicti Cap. LVIII.* Suſpiciendus in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & converſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis ejus.

(69) *Caſſianus Lib. IV. Cap.* 15. Ad hæc nos miſerabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, ac ſub Abbatis cura, & ſollicitudine conſtituti peculiares circumferimus claves, omnique profeſſionis noſtræ verecundia, & confuſione calcata, etiam annulos, quibus recondita præſignemus, in digitis palam geſtare nos non pudet, quibus non ſolum ciſtellæ, vel ſportæ, ſed ne arcæ quidem, vel armaria ad ea, quæ congerimus, vel quæ egreſſi de ſeculo reſervavimus, condenda ſufficiunt?

tidianum alimentum neceſſarium eſſet, apud ſe quidquam poterat reſervare. Idcirco ſi quam donationem accipiebant, non in ſuum ipſorum, ſed pauperum uſum eam convertebant. Omittenda haud videtur hiſtoria de Monacho quodam Nitriæ in Ægypto ab Hieronymo memorata Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap. 14. *Quidam ex fratribus*, inquit, *parcior magis, quam avarior, neſciens, triginta argenteis Dominum venditum, centum ſolidos, quos lina texendo adquiſierat, moriens dereliquit. Initum eſt inter monachos conſilium (nam in eodem loco circiter quinque millia diviſis cellulis habitabant) quid hinc facto opus eſſet. Alii pauperibus diſtribuendos eſſe dicebant; alii dandos Eccleſiæ; nonnulli parentibus remittendos. Macarius vero, & Pambo, & Iſidorus, & ceteri, quos Patres vocant, ſancto in eis loquente ſpiritu decreverunt, infodiendos eſſe cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Adeo antiqui, ac ſanctiſſimi monachorum parentes ab divitiis abhorrebant.

XXI. Ex hactenus dictis facile quiſque colliget, quam bene ſapienterque, ſecutis etiam Eccleſiæ Seculis, Sanctiſſimi Religioſorum Inſtitutorum Auctores tum ſingulis ſui Inſtituti ſectatoribus, tum ipſis generatim Monaſteriis, ſive Cœnobiis paupertatem potiſſimum præ ceteris exacte ſervandam præſcripſerint; a qua utinam non deflexiſſent! Profecto & populis utiliores eſſent, & Deo magis accepti de ſua ipſorum æterna ſalute ſidere tuto poſſent. Re ſane vera Monachos ad eum Chriſtianorum ordinem pertinere, cui peculiari quadam ratione vitæ ſpiritualis perfectionem adripere propoſitum eſt, ſubdubitaverit nemo. Quinimmo, auctore S. Thoma (70), *Ipſa perfectio caritatis eſt finis ſtatus religioſi . . . & ideo ille, qui ſtatum Religionis adſumit, non tenetur habere perfectam caritatem, ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat caritatem perfectam*. Porro ipſemet Angelicus Doctor tradit (71): *Ad perfectionem adquirendam primum fundamentum eſſe perfectam paupertatem*. Huc faciunt, quæ habent Arnoldus Abbas Lubecenſis, & Tritemius, quorum ſententias vide inferne (72). Quum vero non deeſſent Monachi, qui immoderatam adquirendi cupiditatem ejus prætextus pallio obtegerent, quod non in ſui, ſed in communis Cœnobii, ſive monaſterii emolumentum, vel in uſus pauperum poſſeſſionem aucupari, aut libenter acceptare non dubitarent; ejuſmodi potius ſpecioſæ, quam ſolidæ excogitatæ rationes, tum ab veterum Monachorum communi nuper explicata diſciplina, tum vel maxime ab Auguſtino rejiciuntur, qui ſuos Compresbyteros, & Conclericos adeo a divitiis abhorrere voluit, ut hereditates recuſare juſſerit, ad quas non filii modo, & parentes, verum & adfines adſpirare poſſent, licet pauperibus poſſent prodeſſe (73).

XXII. Verum illud hic negandum

non

(70) S. *Thomas Summ. Theolog.* 2. 2. Quæſt. CLXXXVI. Art. 2.

(71) S. *Thomas* ibid. Quæſt. LXXXVI. Art. 3.

(72) *Arnoldus Ab. Lubecenſis in Supplem. Hemoldi Lib. III. Cap.* 3. Crevit poſſeſſio, & evanuit religio: ſiquidem ex temporalium abundantia dum cœperunt carnaliter vivere, cœperunt etiam carnaliter ſapere: refrixit caritas, ſubintravit mundialitas.

Tritemius Hom. VII. Poſtquam cenſus monachi habere cœperunt, & reditus, priſtina mox humilitatis ſtudia defecerunt, erevitque paulatim cum divitiis rerum temporalium ſuperbia. Quandiu fuerunt pauperes monachi Deum in veritate coluerunt: poſtea vero, quando divitiis abundare cœperunt, ſimplicitatem fugavit duplicitas. Integritas namque obſervantiæ regularis abundantiam peperit rerum temporalium: ſed paulatim divitiæ monachorum puritatem ordinis funditus exſtinxerunt.

(73) *Poſſidius Vit. Auguſt. Cap. XXIV.* Nam & aliquas eum hereditates recuſaſſe novimus, non quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam juſtum, & æquum eſſe videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel adfinibus magis poſſiderentur. *Tum Auguſtinus ipſe Serm. CCCXXXV. de Vit. & Mor. Cleric. Cap. IV.* Enthecam nobis habere non licet. Non eſt enim Epiſcopi ſervare aurum, & revocare a ſe mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures triſtes relinquamus, quia, quod poſſimus dare omnibus, non habemus. Non habemus ergo Enthecam.

Digitized by Google

non eſt, non deeſſe veterum monachorum exempla, qui facultates ſuas in poteſtate ſua retinebant, ut earundem annuos proventus vel pauperibus diſtribuerent, vel in alios uſus pios erogarent. De duobus fratribus Paeſio, & Eſaia ſcribit Palladius *Hiſt. Lauſiac. Cap. XV.* quod quum vitam monaſticam adgrederentur, unus eorum omnia diſtribuens monaſteriis, & Eccleſiis, & cuſtodiis, quotidiano labore ſibi victum compararet; alter vero nihil diſpertitus, ædificato ſibi Monaſterio, & paucis adſumtis fratribus, chriſtiana caritate hoſpites exciperet, ægrotos, & ſenes curaret, ac pauperibus ſubveniret. De quibus interrogatus Pambo celeber Ægypti Monachus, quiſnam eorum perfectiorem vitæ rationem iniverit, reſpondit: *Utroſque eſſe perfectos apud Deum. Alterum quidem functum eſſe munere Abrahæ, qui omnes exceperit; alterum vero ſuſcepiſſe firmiſſimum, & conſtantiſſimum zelum Eliæ Prophetæ, ut Deo placeret.* Idem de Apollonio quodam ſui temporis monacho ſcribunt Sozomenus, & Palladius (74).

XXIII. Atque hinc manifeſtum eſt, antiquos monachos ad exercendum ſeſe in labore corporis fuiſſe obligatos, partim ut ipſi ſe alerent, nec aliis eſſent oneri; partim, ut animas ſuas incolumes, & diriſſimis Satanæ tentationibus quaſi inacceſſas cuſtodirent. Hinc Monichorum in Ægypto, referente Caſſiano, ex communes fuerunt Sententiæ: *Operantem monachum uno Dæmone pulſari, otioſum vero innumeris ſpiritibus devaſtari. Monachum non operantem, & alieno pane otioſe veſcentem, ceu cupidum alieni fraudatorem reputandum.* Tum ex Chryſoſtomo, Epiphanio, Auguſtino, Caſſiano, aliiſque veteribus perſpicue conſtat, antiquos monachos manuum laboris adeo fuiſſe ſtudioſos, ut non ſibi ſolum ſufficientem victum paraverint, ſed etiam aliorum neceſſitates ſublevare ſoliti fuerint (75).

§. XI. *De Voto Obedientiæ.*

XXIV. Votum Obedientiæ non in eo tantummodo poſitum erat, ut Abbati, aliiſque ſuperioribus in iis, quæ Monaſterii regimen ſpectabant, promto animo auſcul-

(74) *Palladius Hiſtor. Lauſiac. Cap. XIV.* Quidam Apollonius nomine ex negotiationibus quum mundo renuntiaſſet, & montem Nitriæ habitaſſet, & nec artem diſcere poſſet, nec litteras, quod ætate eſſet provectus, viginti annis, quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem. Suis pecuniis, & ſuis laboribus emens Alexandriæ vaſa medica omnis generis, univerſæ fraternitati ea ſuppeditabat ad morbos. *Idem prorſus teſtatur etiam Sozomenus* Lib. VI. Cap. 29.

(75) *Chryſoſtomus Hom. LVIII. in Matth.* Deinde ſurgentes poſt ſanctas illas, & frequentes orationes, oriente ſole ſinguli ad ſuum opus ſe conferunt, hinc magnum egenis proventum parantes.

Epiphanius Hæreſ. LXXX. num. 6. Illi tametſi ex ſacerdotum numero ſint, ad ſanctiſſimi ſui ſecundum Deum in Chriſto Patris imitationem (Paulum Apoſtolum intelligo) non omnes quidem, ſed plerique tamen ad ſuſceptam divini verbi prædicationem externam manuum operam adjungunt, quamcumque demum artem adepti ſint, quæ nec a dignitate ſua, nec Eccleſiæ cura, quam perpetuam gerunt, abhorreat: ut ipſorum conſcientia, præter illum Divini Verbi prædicandi laborem, propriarum manuum fructum ferens, ac tum ſibi ipſi, tum fratribus, & egentibus operis ſui quæſtum impertiens, voluptate perfundatur.

Auguſtinus de morib. Eccleſ. Cap. XXXI. Quidquid neceſſario victui redundat: nam redundat plurimum ex operibus manuum, & epulorum reſtrictione: tanta cura egentibus diſtribuitur, quanta non ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt.

Caſſianus Inſtit. Lib. X. Cap. 22. Patres per Ægyptum nullo modo otioſos eſſe monachos, ac præcipue juvenes, ſinunt, actum cordis, ac profectum patientiæ, & humilitatis ſedulitate operis metientes, & non ſolum a nullo quidquam accipere patiuntur, ſed etiam de laboribus ſuis non tantum ſupervenientes, & peregrinos reficiunt, verum etiam per loca Libyæ, quæ ſterilitate, ac fame laborant, necnon etiam per civitates his, qui in ſqualore carcerum contabeſcunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ, victuſque ſubſtantiam de fructu manuum ſuarum, rationabile, ac verum ſacrificium domino tali oblatione ſe offerre credentes.

ſcultarent; at præterea perfectam ſui ipſius abnegationem poſtulabat, omnigenamque a Superioris voluntate dependentiam. *Prima apud eos confœderatio erat, obedire majoribus, & quidquid juſſiſſent facere.* Hieronymus Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap. 15. Et Severus Sulpitius Dialog. I. Cap. 11. *Præcipua ibi virtus, & prima eſt obedientia.* Qua de re Caſſianus, Magiſtro novitiorum in id potiſſimum incumbendum tradit, ut doceat juniores primitus ſuas evincere voluntates (76).

XXV. Porro tria potiſſimum in monaſtica obedientia requirit S. Benedictus: *Reg. Benedict. cap. V.* nimirum ut *ſine mora*, *non tepide*, *& bilariter* monachi ſuis pareant ſuperioribus. Et quidem 1. *Sine mora*, ſcilicet, ut explicat ipſemet Benedictus *ibidem* loquens de veris obedientibus: *Mox ut aliquid imparatum a Majore fuerit, ac ſi divinitus imperetur, moram pati neſciunt in obediendo. De quibus Dominus dicit*: In auditu auris obedient mihi. *Et item dicit Doctoribus*: Qui vos audit, me audit.

2. *Non tepide*, ſcilicet ferventer, ſollicite, & diligenter; quod eſt ex caritate obedire. Caritas enim excitat fervorem, & ſollicitudinem. Unde *Cap. LXXI. ejuſdem Reg. Benedict.* præſcribitur: *Omnes juniores Prioribus ſuis omni caritate, & ſollicitudine obediant.*

3. *Hilariter*, ſcilicet libenti animo, quia *Hilarem datorem diligit Deus*. Et ſane, ut loquitur S. Benedictus ibidem Cap. V. *Cum malo animo ſi obedit diſcipulus, & non ſolum ore, ſed etiam in corde ſi murmuraverit, etiamſi impleat juſſionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor reſpicit murmurantis.* Qua de re, ut idem docet S. Benedictus, Monachus ex proprio inſtituto jubetur *voluntatem propriam deſerere*, atque adeo *odiſſe*.

XXVI. At quæret fortaſſe quiſpiam, num Monacho ſui Superioris mandato ſit prorſus in omnibus obediendum? Profecto S. Jo: Climacus Gradu IV. obedientiam vocat: *Exanimatum, atque indiſcuſſum motum, ſpontaneam mortem, ſepulcrum voluntatis, humilitatis excitationem*: tum ſubdit: *Nihil reſiſtit, nihilque diſcernit, mortua in malis, & in bonis adparentibus.* Hinc *Cæca* illa *Obedientia* toties ab antiquis monaſticæ vitæ Magiſtris commendata. At contra S. Bernardus *Epiſt. VII.* Monachum quendam nomine Adamum irridet (77), qui promtiori, quam par eſſet, demiſſione Superiori ſuo morem gerens in hunc modum ſe excuſabat: *Sed quid ad me? Ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Docendus, non docturus ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorem auditor.*

XXVII. Porro hunc nodum ſapienter explicat Baſilius Regul. breviter diſputat. Quæſt. CXIV. *Quod ſi quid*, inquit, *nobis imperatum ſit, quod idem ſit cum mandato Domini, adjuvetque, illud tanquam voluntas Dei ſtudioſius, diligentiuſque a nobis ſuſcipi debet, idque ſervari convenit, quod dictum eſt Ad Epheſ. Cap. IV. v. 2.* Supportantes invicem in caritate Chriſti. *Quoties vero aliquid, quod mandato*

(76) *Caſſianus Lib. IV. Inſtit. Cap. 8.* Hæc erit ejus ſollicitudo, & eruditio principalis, ut doceat juniorem primitus ſuas evincere voluntates; quem ſtudioſe in his, ac diligenter exercens, hæc illi ſemper imperare de induſtria procurabit, quæ ſenſerit animo ejus eſſe contraria. Multis quidem experimentis edocti tradunt, Monachum, & maxime juniores, ne voluntatem quidem concupiſcentiæ ſuæ refrænare poſſe, niſi prius mortificare *per obedientiam* ſuas didicerint voluntates.

(77) *S. Bernardus Epiſt. VII.* O monachum obedientiſſimum, cui ex quibuslibet ſeniorum verbulis ne unum quidem jota prætervolet! Non adtendit quale ſit, quod præcipitur, hoc ſolo contentus, quia præcipitur. Et hæc eſt obedientia ſine mora. Si ita oportet, ſine cauſſa legitur: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*: I. ad Theſſal. Cap. V. Si ita oportet, deleamus jam de Euangelio: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes*, ſufficienter quippe quod ſequitur, *& ſimplices ſicut columbæ*: Matth. Cap. X. Nec dico a ſubditis mandata Præpoſitorum eſſe dijudicanda, ubi nihil juberi deprehenditur divinis contrarium inſtitutis, ſed neceſſariam adſero & prudentiam &c.

dato Domini aut repugnet, aut aliqua ex parte vitiet, contaminetque, facere ab aliquo juſsi fuerimus, tunc commode illud uſurpabimus: Oportet obedire Deo magis, quam hominibus.

XXVIII. Qua de re, ut *ibidem* docet Baſilius, neceſſum eſt, ut Monachis Superior præficiatur, *qui rectum iter ad Deum volentibus pergere ſciat commonſtrare, qui ornatus virtutibus ſit, cujus univerſæ totius ipſius vitæ actiones teſtimonio ſint, caritatem in eo erga Deum ineſſe, qui divinarum litterarum ſcientiam habeat, virum integrum, nec ulli diſtractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minime libenter gerendis ſe negotiis immiſcentem, quietum, amantem Deum, egentium ſtudioſum, minime iracundum, injuriarium immemorem, natura propenſum ad eos docendos, qui ad ipſum accedant, quem gloria inanis non inflet, ſuperbia non extollat, adulatio non frangat, ſeverum, atque conſtantem, cui denique nihil ſit præſtantius honore Dei*. Ejuſmodi Superiorem ſi Monachus nactus fuerit, per obedientiam dubio procul ſibi fiduciam conciliabit, & pacem internam; atque tum demum monachus cæcam obedientiam omnino præſeferre poterit; eidemque recte dicetur, ut *ibidem* ſequitur Baſilius: *Voluntatem tuam exuito, ac foras projicito: atque ubi hoc feceris, dede te illi, ut ſinceriſſimum veluti vas quoddam exiſtas, qui quæ in te infundantur virtutes, ad laudem Dei, gloriamque ab omni vitio caſtas conſerves*.

§. XII. *De Voto Caſtitatis*.

XXIX. Votum Caſtitatis non modo ſeveram ab omni carnali impuritate abſtinentiam monachis indicit, quæ Chriſtianorum communis eſt, verum & monachos a nuptiis arcet. Profecto ſi quæ nunquam virtus in monachis elucere debet, ea profecto eſt Puritas. Quorſum enim perpetuæ pœnitentiæ exercitationes, frequentia jejunia, perennis rerum cæleſtium meditatio, aſſiduæ precationes, niſi ut puritatem, qua homines magis Angelis accedunt, integram in anima cuſtodiant? Etiam Eſſeni, & Therapentæ apud Judæos ab mulieribus abſtinebant, quippe qui ἀσκήσει *virtutis exercitationi* ex propoſito addicti. Qua de re Concilium Chalcedonenſe *Can. XVI.* excommunicationis cenſuram in eos monachos infligit, qui nuptialia jura contrahere auſint: *Virginem, quæ ſe Deo Domino conſecraverit; ſimiliter & Monachum non licere nuptialia jura contrahere: quod ſi hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur*. Eadem pœna ſancita quoque occurrit in Canonibus Pœnitent. S. Baſilii *Can. LX.* in Concilii Trullani *Can. XLIV.* &c. Porro, temporis progreſſu monachorum matrimonia, quæ duntaxat illicita erant, etiam nulla facta ſunt. Confer noſtras Inſtitutiones Canonicas *Lib. I. Tit. ult.*

§. XIII. *De Abbatibus, aliiſque Monachorum Præpoſitis*.

XXX. Ut Monachi ſui Inſtituti munera facilius, ac rectius obire poſſent, plerumque Monaſteria diverſas in partes diviſa, iiſdemque antiſtites conſtituti erant. Deni monachi uni cuidam parebant, quem *Decanum* vocant; & centeni alium quendam ſibi præpoſitum inde *Centenarium* dictum habebant. Præter hoſce erant quoque Patres plerumque hebraico vocabulo *Abbates* dicti; & *Hegumeni*, hoc eſt Præſides; dicti quoque Decani, & Archimandritæ a mandra, ſive ovili; quod eſſent *horum ſacrorum in Eccleſia gregum cuſtodes, ſive Doctores*. Horum Decanorum negotium erat penſum, quod cuique datum erat, exigere, & ad œconomum ferre, qui & ipſe per ſingulos menſes ipſorum omnium Patri rationem reddebat. Teſtantur id Hieronymus, & Auguſtinus (78).

XXXI.

(78) *Hieronymus Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap.* 15. Opus diei ſtatum eſt, quod decano redditum fertur ad *Œconomum*, qui & ipſe per ſingulos menſes *Patri omnium* cum magno tremore reddit rationem. *Idem teſtatur Auguſtinus de moribus Eccleſ. Cap. XXXI.*

XXXI. Abbatum ſumma erat Poteſtas. Ad ipſos enim ſpectabat 1. Divinorum officiorum adminiſtratio. 2. Diſciplinæ directio. 3. In monachos ab officii ſui præſcripto deflectentes animadverſio, ac pœnis tum ſpiritualibus, tum corporalibus coercitio.

XXXII. Ac 1. Divini Officii directio. Profecto S. Benedictus plura ſuæ Regulæ Capita in Officii divini, ſive Horarum Canonicarum diſtributione conſtituenda inſumit, quam etiamnum a Benedictinis exacte obſervari conſpicimus. Porro S. Benedicto nihil magis curæ fuiſſe videtur, quam ut integrum Pſalterium, & quidquid in Sacris Litteris Canonicorum eſt, ſingulis hebdomadis perſolveretur, quum ex primigenia monaſticæ vitæ inſtitutione quotidie id recitandum fuiſſet (79). Tum ubi perpauci fratres eſſent, ſive monachi, tantummodo indulget, ut quatuor minores horæ diurnæ, nimirum Prima, Tertia, Sexta, & Nona non pſallantur, ſed recitentur tantum (80). Adhæc iis, qui labore manuum, aliiſve diurnis occupationibus nimis diſtinerentur, permittit quidem, ut per diem choro adeſſe non cogerentur; at horis nocturnis, matutinis, & veſpertinis, choro intereſſe omnino jubet. Porro iiſdem his monachis, quibus vel labor manuum, vel peregre abeundi neceſſitas impedimento fuerit, quominus choro intereſſent, ex eadem Benedictina Regula privatim officium recitandum eſt (81). Hujus generis præcepta, quæ reſpiciunt Horas Canonicas, invenies apud Caſſianum, Aurelianum, S. Columbanum, aliosque veteres ſanctiſſimos Monachorum Parentes.

2. Diſciplinæ Monaſticæ directio. Et ſane Abbates non modo Præſides erant, verum & Patres, ac quaſi Paſtores Monachorum, quibus præerant. Qua de re eorundem animarum cura ipſis gerenda erat. *Semper cogitet Abbas*, ſcribit S. Benedictus in ſua Reg. Cap. II. *quia animas ſuſcipit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt... Agnoſcat pro certo, quia in die judicii ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem*. Tum ipſemet S. Benedictus, S. Iſidorus, aliique veteres in ſuis Regulis duo potiſſimum in Abbate poſtulant; Doctrinam ſcilicet Legis divinæ, in qua monachos erudiat, & talem vitæ rationem, ut ſuis moribus divina ipſis præcepta inculcet (82). Qui enim, niſi hæc duo in Abbate eluceant, Monachos ſibi ſubditos arguere poterit, obſecrare, increpare? Profecto ex eodem S. Benedicto *Ibidem* Cap. II. *Abbas* 1. *Indiſciplinatos, & inquietos debet durius arguere*. 2. *Obedientes, & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obſecrare*. 3. *Negligentes, & contemnentes increpare, & corripere*. Prudentia igitur quanta maxima Abbas ornatus ſit oportet. „ Abbas enim, ut loquitur S. Benedictus *Ibidem* rem difficilem & arduam ſuſcipit adminiſtrandam; regere animas, & multorum ſervire moribus. Alii enim blandimentis indigent, alii increpationibus, ſuaſionibus alii. Igitur ſecundum uniuſ-

(79) *S. Benedictus Reg. Cap. XVIII.* Si cui forte hæc diſtributio Pſalmorum diſplicuerit, ordinet, ſi melius aliter judicaverit: dum omnimodis id adtendatur, ut omni hebdomada Pſalterium ex integro numero centumquinquaginta Pſalmorum pſallatur; quum legamus Sanctos Patres noſtros uno die hoc ſtrenue impleviſſe, quod nos tepidi utinam ſeptimana integra perſolvamus.

(80) *Ibidem Cap. XVII.* Si major congregatio fuerit, cum Antiphonis; ſi vero minor, in directum pſallantur.

(81) *Ibidem Cap. L.* Fratres, qui omnino longe ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter, qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed ut poſſunt, agant ibi, & ſervitutis penſum non negligant reddere.

(82) *Ibidem Cap. LXIV.* Oportet ergo Abbatem eſſe doctum lege divina: ut ſciat, & ſit, unde proferat nova, & vetera. Et *Cap. II.* Quum aliquis ſuſcipit nomen Abbatis duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis: ideſt omnia bona, & ſancta factis amplius, quam verbis oſtendat. *Eadem habet Sanctus Iſidorus* Reg. Cap. II.

„ niuſcujuſque qualitatem, & intelligen„ tiam ſe omnibus conformet, & a„ ptet. „ Huc faciunt, quæ ſcribit S. Gregorius M. in *Prolog. III. Partis ſuæ Regulæ Paſtoralis* (83), quæque ſi Abbates præſtare ſtuderent, rariores inter monachos controverſiæ exorirentur. Poſtremo ex hactenus dictis velut prono alveo fluit, Abbates Apoſtolico præcepto obſtringi, ſcilicet, *ut vigilent, in omnibus laborent, miniſterium ſuum adimpleant*: II. ad Timoth. Cap. IV. unde, haud ſecus ac Epiſcopos, ad perpetuo in ſuis Monaſteriis reſidendum obligatos eſſe.

3. In Monachos ab officii ſui præſcripto deflectente animadverſio, ac pœnis tum ſpiritualibus, tum corporalibus coercitio. Pœnas corporales (præter leviores, ſcilicet dierum aliquot jejunium, vel abſtinentiam a certo quodam potu, vel cibo) duas potiſſimum fuiſſe tradit Caſſianus (84): nimirum *plagas*, & *expulſionem*: tum crimina, ob quæ infligi eæ ſolitæ fuerint, ibidem ſigillatim recenſet. Palladius quoque flagelli monachorum mentionem facit *Hiſt. Lauſiac. Cap. VI.* cujus ſententiam placet hic exſcribere: *In monte Nitriæ una eſt maxima Eccleſia, & in ipſa Eccleſia ſunt tres palmæ, ex quibus unaquaque habet flagellum ſuſpenſum. Et eſt unum quidem ad caſtigandos Monachos, qui delinquunt: alterum vero ad puniendos latrones, ſi quando inciderint: tertium vero ad corrigendos eos, qui forte veniunt, & in aliqua delicta incidunt. Adeo ut quicunque & convincuntur meruiſſe, ut dent pœnas, palmam amplectantur, & tergo plagas præfinitas accipiant, & ſic dimittantur.* In Regula quoque S. Pachomii *Art. VII.* de Monacho, qui fratres ad peccandum ſollicitat, præcipitur: *Separabunt eum extra Monaſterium, & verberabunt eum ante fores triginta novem.* Demum & in Regula S. Benedicti crebra ejuſdem pœnæ occurrit mentio. Et quidem *Cap. XXVIII.* vocat *acriorem correctionem*; id eſt *verberum vindictam, & plagas virgarum*: & *Cap. XXIII.* vocat *Vindictam Corporalem*. Quod autem mirum videtur, monachi immorigeri aliquando etiam vinculis arctati carceribus mancipabantur (85).

XXXIII. Pœnæ ſpirituales erant cenſuræ Eccleſiaſticæ; Euchariſtiæ præſertim, & ſacrorum omnium interdictio. De ejuſmodi pœna haud ſemel loquitur Caſſianus (86). Et Socrates *Lib. IV. Cap.* 23. de Arſenio Abbate ſcribit, ipſum eadem pœna uti conſueviſſe, eo tamen cum diſcrimine, *ut juniores monachos, qui deliquiſſent, a communione minime ſepararet, ſed eos, qui provecta eſſent ætate. Dicebat enim, juvenem, qui excommunicatur, contumacem fieri; ſeniorem vero cito excommunicationis dolorem ſentire.*

XXXIV. Jam vero in excommunicatione inferenda hanc regulam ſervandam tradit S. Benedictus ibidem Cap. XXIII. *Secundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel & ſecundo ſecrete a Senioribus ſuis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque ſic*

(83) *Sanctus Gregorius Prolog. III. Par. de Cura Paſt.* Non una, eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas adſtringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis proſunt; quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt: & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat. Et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit, & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo doctorum, ut & ad ſua ſingulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat.

(84) *Caſſianus Collat. II. Cap.* 16. Monachi, vel plagis emendantur, vel expulſione purgantur.

(85) *S. Fructuoſus Reg. Cap. XVI.* Vinculiſque arctatus ferreis carcerali ſex menſium anguſtia maceretur.

(86) *Caſſianus Inſtit. Lib. II. Cap.* 16. Si quis pro admiſſo quolibet delicto fuerit ab oratione ſuſpenſus, nullus cum eo prorſus orandi habeat licentiam, antequam ſubmiſſa in terram pœnitentia reconciliatio ejus, & admiſſi venia coram fratribus cunctis publice fuerit ab Abbate conceſſa. *Ejuſdem pœnæ meminit quoque* Lib. IV. Cap. 16. & 20.

correxerit, ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubjaceat. Tum de Monacho jam excommunicato ſubjungit ibidem Cap. XXV. *Nullus ei fratrum in ullo jungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi injunctum perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis, I. Corinth. Cap. V. v.* 5. Traditum hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. *Cibi autem refectionem ſolus percipiat menſura, vel hora, qua praviderit ei Abbas competere. Nec a quoquam benedicatur tranſeunte, nec cibus, qui ei datur*. Et S. Fructuoſus Reg. Cap. XIV. de Monacho excommunicato decernit: *Ut in ſolo pane, & aqua in veſpera poſt cœnam fratrum medium accipiat paximatium (panem bis coctum) & non ad ſatietatem aquam, & hoc ab Abbate exſufflatum, non ſanctificatum*.

XXXV. Jam vero Monachus excommunicatus non eſt omnino abjiciendus; at vero quum iſtæc pœna ad emendationem, & correptionem unice infligatur, hinc potiſſima Abbati danda opera eſt, ut Monachus excommunicatus ejuſmodi medicina ad ſanitatem recuperandam utatur. Ad rem S. Benedictus *ibidem Cap. XXVII.* „ Omni ſollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres: „ *quia non eſt opus ſanis medico, ſed* „ *male habentibus*. Matth. IX. verſ. 12. „ Et ideo uti debet omni modo, ut ſapiens medicus: immittere ſympæctas, „ ideſt Seniores ſapientes Fratres, qui „ quaſi ſecrete conſolentur fratrem fluctuantem, & provocent ad humilitatis „ ſatisfactionem, & conſolentur eum, „ *ne abundantiori triſtitia abſorbeatur:* „ Sed ſicuti ait Apoſtolus: *Confirmetur* „ *in eo caritas, & oretur pro eo ab omnibus*.

XXXVI. At, quæret fortaſſe quiſpiam, unde veterum monachorum Abbatibus, qui laici plerumque erant, iſtæc excommunicandi poteſtas, quæ a poteſtate clavium dependet? Porro vero oppido ſimile eſt, ejuſmodi excommunicationes non veras cenſuras fuiſſe, ſed canonicas duntaxat Monachis inflictas pœnas ad propriam, & aliorum emendationem, & exemplum. Quod ex eo quoque manifeſtum eſt, quod non una ſemper, eademque fuerit excommunicatio, ſed gravior, aut levior pro gravitate, vel levitate delicti. Verum de hoc Capite opportunius agemus *Lib. IV.*

XXXVII. Poſtremo quum Monachus neque corporali correctione, neque excommunicatione ad bonam frugem revocari quiverit; tum jus erat Abbati illum e Monaſterio ejicere. Id tum S. Benedictus, tum & alii veteres vitæ Monaſticæ Auctores permittunt. Adhæc S. Iſidorus in ſua Regula ritum deſcribit, quo ejuſmodi peragebatur ejectio: *In Conlatione deductus exuatur Monaſterii veſtibus, & induatur, quas olim adduxerat*, ſecularibus, *& cum confuſionis nota* a Monaſterio expellatur, *ut ceteri emendentur, dum fortaſſis ſolus tali correctione ille delinquens corrigitur* (87).

XXXVIII. Ad Concilia quoque ſæpius Abbates invitabantur, & ſedendi, ac ſuffragium ferendi habebant privilegium æque ac Presbyteri. Sic in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flaviano anno 448. viginti tres Archimandritæ cum triginta Epiſcopis Eutychetis damnationi ſubſcripſerunt (88).

§. XIV. *Monachi Civitatis Epiſcopo ſubjecti*.

XXXIX. Quanta vero cumque fuerit Abbatum Poteſtas, ſemper tamen Epiſcoporum juriſdictioni ſubjiciebantur: quinimmo ipſe per ſeſe ſtatus monaſticus, etiam ut a Sacerdotio ſejunctus, a poteſtate, & imperio Epiſcopali pendebat; & ſanctiſſimis illis monaſticorum Inſtitutorum Auctoribus nefas viſum eſt ab Epiſcopali Poteſtate omnium maxime divinitus in Eccleſia conſtituta immunitatem

(87) *Apud Menardum ad Caput XXXVII.* Conc. Reg. §. 4.
(88) *Concil. Chalced. Act. I.*

tem adfectare. Hinc Concilii Chalced. Can. IV. tria ſtatuuntur. 1. *Placuit nullum quidem uſquam ædificare, aut conſtituere monaſterium, vel Orationis domum præter conſcientiam civitatis Epiſcopi*. 2. Monachos *per unamquamque civitatem, & regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo, & quietem diligere & intentos eſſe tantummodo jejunio, & orationi in locis, quibus renuntiaverunt ſeculo, permanentes*. 3. *Verumtamen Epiſcopum convenit civitatis competentem Monaſteriorum providentiam habere*. Diſciplinam hoc Canone expreſſam, & quidem Marciano ſuadente ſtatutam, uti ex ejuſdem Concilii *Actione VI.* perſpicuum eſt, tum Imperatores ſuis legibus, tum & alia Concilia ſuis Canonibus firmarunt, ac renovarunt. Et quidem Juſtinianus Imperator non modo ſancivit quadam ſua Novella, nullum Monaſterium ædificari, antequam civitatis Epiſcopus Orationem in loco faciat, & crucem figat (89); verum & *Novella CXXIII. Cap.* 21. ſtatuit: *Si quis contra Clericum, aut Monachum, aut Diaconiſſam, aut Monaſtriam, aut Aſcetriam habeat aliquam actionem, adeat primum Sanctiſſimum Epiſcopum, cui horum unuſquiſque ſubjacent*.

XL. Tum quoque per Occidentem iſtæc in Monachos, & Monaſteria Epiſcoporum auctoritas recepta, pluribuſque Canonibus firmata eſt. Hinc paucis a celebrata Synodo Chalcedonenſi annis Synodus Aurelianenſis I. ſic ſtatuit: *Abbates pro humilitate Religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopo corrigantur; qui ſemel in anno in loco, ubi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conveniant*. Idem ſtatuitur Synodi Epaonenſis *Can. VIII.* Aurelianenſis II. *Can. XXI.* aliorumque veterum Conciliorum Statutis (90); ac præſertim Concilium Arelatenſe V. *Can. II.* generaliter definit, *ut Monaſteria, vel Monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum, in cujus ſunt territorio conſtituta*.

XLI. Verum ſecutis temporibus paſſim Fundatores privilegia, & immunitates Monaſteriis a ſe fundatis poſtulare cœperunt, & impetrare; non quidem ut Canonicam Epiſcoporum in Monachos, aut Monaſteria auctoritatem excluderent, aut violarent; ſed ut quieti Monachorum, & diſciplinæ regularis integritati, rerumque temporalium, quas in monachorum, & pauperum neceſſitates Fideles obtuliſſent, conſervationi conſulerent. Qua de re conſule Thomaſſinum de Novantiqua Eccleſiæ Diſcipl. *Part. I. Lib. III. Cap.* 19. *& ſeq.* & Zegerum Van-Eſpen *Juris Eccleſ. Parte III. Tit. II.*

§. XV. *De Spiritualibus Veterum Monachorum exercitationibus.*

XLII. Ac primo veteribus Monachis perſuaſum erat, perpetuæ ſeſe addictos eſſe Pœnitentiæ exercitationibus. Hinc illud Hieronymi: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium*. Hac de ratione Inſula Canopum prope Alexandriam, poſteaquam Monachi Tabennen-

 ſes

(89) *Juſtinianus Novella V. Cap.* 1. Illud igitur ante alia dicendum eſt, ut omni tempore, & in omni terra, ſi quis ædificare venerabile Monaſterium voluerit, non prius licentiam eſſe hoc agendi, quam Deo amabilem locorum Epiſcopum advocet: at ille manus extendat ad cælum, & per orationem locum conſecret Deo, figens in eo ſalutis noſtræ ſignum (dicimus autem adorandam, & honorandam vera crucem) ſicque inchoet ædificium, bonum utique quoddam hoc, & decens fundamentum ponens. Hoc itaque principium piæ venerabilium Monaſteriorum fabricæ fiat.

(90) *Concilium Epaonenſe Can. X.* Cellas novas, aut Congregatiunculas Monachorum abſque Epiſcopi notitia prohibemus inſtitui. *Conc. Aurelianenſe II. Can. XXI.* Abbates, qui Epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, niſi contumaciam humilitate ſuſcepta deponant. *Concilium Vernenſe Can. IV. & V.* Ut unuſquiſque Epiſcoporum poteſtatem habeat in ſua Parochia tam de Clero, quam de Regularibus, vel Secularibus ad corrigendum, & emendandum ſecundum ordinem canonicum. *Et Can. XVII.* Abbas in Congregationem non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi. *Idem paſſim occurrit in Canonibus Conciliorum, quæ per decem priora Eccleſiæ ſecula habita ſunt.*

ſes eo delati ſedem ibi fixerunt, Inſula *Metanoæ*, ideſt inſula *Pænitentiæ* vocata eſt (91).

XLIII. Tum extraordinaria erant ipſorum jejunia. Monachi Ægypti quotidie jejunabant ad horam uſque nonam, exceptis Sabbato, die Dominica, & a die Paſchæ in Pentecoſtem (92). Tum etiam ſi Frater aliquis ad ipſos inviſendos veniſſet, tunc *conſuetæ refectioni aliquid eorum obventu*, uti ſcribit Caſſianus Collat. II. Cap. 25. *adjiciebatur*. Quod vero quinquaginta Paſchatis dies omnes feſtos egiſſent, antiquam Eccleſiæ conſuetudinem ſequebantur, de qua ſcribit Tertullianus de Coron. Milit. Cap. III. *Die Dominica jejunum nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtem uſque gaudemus*.

XLIV. Verum immoderata jejunia non videntur fuiſſe generatim adprobata. Hinc Hieronymus Ep. IV. ad Ruſticum ſcribit: *Diſplicent mihi in teneris maxime ætatibus longa, & immoderata jejunia, in quibus junguntur hebdomades, oleum in cibo, & poma vetantur. Experimento didici aſellum in via, quum laſſus fuerit, diverticula quærere*. Et Caſſianus Inſtit. Lib. V. Cap. 9. *Melior eſt rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quam per intervalla arduum longumque jejunium. Novit immoderata inedia non modo mentis labefactare conſtantiam, ſed etiam orationum efficaciam reddere laſſitudine corporis enervatam*. Mirabilis omnino hac in re, ac pæne divina videtur quædam Macarii ſententia a Caſſiano relata, quæ ſic habet: *Ita debere monachum jejuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum: ita motus animi refrenare, & injuriarum oblivisci, triſtitiaſque reſpuere, dolores quoque, ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum*.

XLV. Demum Jejunia frequentibus cultus divini exercitationibus jungebantur; namque maximam diei, noctiſque partem precationibus dabant (93). De veteri monachorum Liturgia alibi ſermo redibit. Illud hic notare juvat, Caſſiano auctore, Monachos Ægyptios horas canonicas ſimul congregatos perſolvere non conſueviſſe, exceptis orationibus matutina, & veſpertina. Tantummodo die Sabbati, & Dominica publica habebatur ſollemnitas, quando hora Tertia ſacræ communionis cauſſa conveniebant. Reliquis vero diebus in manuum labore per ſolidum diem ita in propriis cellulis animum ipſi occupabant, ut pſalmorum ſimul, & ceterarum Scripturarum meditatio nunquam penitus omitteretur. Præſertim quidquid otii, & vacationis a laboribus ipſis ſupererat, lectioni, & orationi impendebant; maxime autem diebus Dominicis meditationi vacabant, uti Hieronymus obſervat (94). Hinc eorum aliqui adeo periti ſacrarum litterarum, & tantopere in illis verſati erant, ut memoriter exponere eas poſſent. Id quod ſpeciatim de Hilarione Sozomenus, &

(91) *Hieronymus Prolog. in Reg. Pachomii*: In Monaſterio *Metanoæ*, quod de *Canopo* in *Pænitentiam* felici nominis converſione mutatum eſt.

(92) *Hieronymus Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap.* 15. Jejunium totius anni æquale eſt, excepta quadrageſima, in qua ſola conceditur ſtrictim vivere. A Pentecoſte cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. *Plura de Monachorum jejuniis habet Caſſianus in ſuis Collationibus*.

(93) *Caſſianus ſuarum Inſtitutionum Librum II.* De Canonico nocturnarum orationum, & Pſalmorum modo *inſcribit*. *Tum ibidem Lib. III. Cap.* 2. Apud illos, *inquit*, hæc officia, quæ Domino ſolvere per diſtinctiones horarum, & temporis intervalla cum admonitione compulſoria adigimur, per totum diei ſpatium jugiter cum operis adjectione ſpontanea celebrantur. Ita namque ab eis inceſſanter operatio manuum privatim per cellulas exercetur, ut Pſalmorum quoque, vel ceterarum ſcripturarum meditatio numquam penitus omittatur. Cui preces, & orationes per ſingula miſcentes, in his officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totum diei tempus adſumunt. Quam ob rem exceptis veſpertinis horis, ac nocturnis congregationibus, nulla apud eos per diem publica ſollemnitas abſque die Sabbati, vel Dominica celebratur, in quibus hora tertia ſacræ communionis obtentu conveniunt.

(94) *Hieronymus Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap.* 15. Diebus Dominicis orationi tantum, & eam-

& Hieronymus; & de Ammonio, Marco juniore, Erone, Serapione, aliiſque Palladius obſervarunt (95).

XLVI. Hieronymus ipſe *ibidem* nonnihil ſingulare de iiſdem monachis Ægyptiis teſtatur; nimirum quod ſingulis diebus poſt orationem veſpertinam ſermonem apud Abbatem ſuum habuerint; cujus religioſæ congregationis modum ita deſcribit : „ Poſt horam nonam in com-
„ mune concurritur, pſalmi reſonant,
„ ſcripturæ reſonant ex more, & com-
„ pletis orationibus, cunctiſque reſiden-
„ tibus mediis, quem Patrem vocant,
„ incipit diſputare: quo loquente tan-
„ tum ſilentium fit, ut nemo alium
„ reſpicere, nemo audeat excreare;
„ dicentis laus in fletu eſt audientium,
„ tacite volvuntur per ora lacrymæ, &
„ ne in ſingultus quidem erumpit do-
„ lor. Quum vero de regno Chriſti, &
„ de futura beatitudine, & de gloria
„ cœperit adnuntiare ventura, videas
„ cunctos moderato ſuſpirio, & oculis
„ ad cælum levatis intra ſe dicere: Quis
„ dabit mihi pennas, ſicut columbæ, &
„ volabo, & requieſcam?

XLVII. Adhæc antiqui illi Monachi non modo corporis labores ſpiritus meditationi jungebant, adeout communes ipſorum labores in Dei cultum unice dirigerentur; verum & ipſa cœnæ, & refectioni conſtituta tempora eundem in modum ab illis tranſigebantur. In quibuſdam locis Scripturæ in conviviis recitabantur; quæ conſuetudo, teſte Caſſiano, compeſcendæ ſuperfluæ, otioſæque confabulationis gratia, & maxime ad contentiones eliminandas, quæ ſolent in conviviis generari, in Cappadociæ cœnobiis primum introducta fuit (96). Apud Ægyptios hoc remedio opus non erat, apud ipſos enim tantum ſilentium ab omnibus exhibebatur, ut quum in unum tanta numeroſitas fratrum refectionis cauſſa convenerit, nullus ne mutire quidem auderet. Teſtantur id Hieronymus, & Caſſianus (97) Tum Auctoribus Chryſoſtomo, & eodem Hieronymo *ibidem* ex refectione conſurgentes pariter, hymno dicto ſic ad præſepia redibant. Tum Chryſoſtomus *Hom. LVI. in Matth.* hujus meminit conſuetudinis, quam laicis etiam imitandam proponit : Hymnum quoque profert, quo illi uſi ſunt, Bene-
„ dictus Deus, qui me paſcis a juventu-
„ te mea, qui omni carni cibum præ-
„ bes, reple lætitia, & gaudio corda,
„ ut ſemper ſatis habentes ad omne bo-
„ num opus, abundemus, in Chriſto Je-
„ ſu Domino noſtro; cum quo tibi glo-
„ ria, honor, & imperium cum Sancto
„ Spi-

cantionibus vacant : quod quidem & omni tempore completis opuſculis faciunt. Quotidie aliquid de ſcripturis diſcitur.

(95) *Sozomenus Lib. III. Cap.* 14. Hilarion ſacrarum litterarum diligens perſcrutator. *Hieronymus Vit. Hilar. Cap.* 7. Scripturas ſanctas memoriter tenens, poſt orationes, & pſalmos, quaſi Deo præſente recitabat.

Palladius Hiſtor. Lauſiac. Cap. XII. Ammonius vetus, & novum teſtamentum dicebat memoriter. *Et Cap. XXI.* Quum eſſet hic Marcus junior, dicebat memoriter vetus, & novum teſtamentum. *Tum Cap. XXXII.* Ille vero *Eron* quum nihil guſtaſſet pedes ingrediens pronuntiavit memoriter quindecim Pſalmos, deinde magnum Pſalmum, deinde Epiſtolam ad Hebræos, deinde Eſaiam, & partem Propheticorum Hieremiæ, deinde Lucam Euangeliſtam, deinde Proverbia. *Cap. LXXXIII.* Quum eſſet *Serapion* peritiſſimus litterarum memoriter dicebat omnes Scripturas. *Poſtremo Cap. XCVI.* Is *Salomon* quinquaginta annos degit in ſpelunca ſibi victum ſuppeditans opere manuum, & didicit totam ſacram Scripturam.

(96) *Caſſianus Inſtitut. Lib. IV. Cap.* 17. Illud, ut reficientibus fratribus ſacræ lectiones recitentur, non de typo Ægyptiorum proceſſiſſe, ſed de Cappadocum noverimus. Quos nullum dubium eſt, non tam ſpiritualis exercitationis cauſſa, quam compeſcendæ ſuperfluæ, otioſæque confabulationis gratia, & maxime contentionum, quæ plerumque ſolent in conviviis generari, hoc ſtatuere voluiſſe, videntes eos aliter apud ſe non poſſe cohiberi.

(97) *Hieronymus Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap.* 15. Nullus apud monachos Ægyptios in cibo ſtrepitus eſt, nemo comedens loquitur. Dehinc conſurgunt pariter, & Hymno dicto ad præſepia redeunt.

Caſſianus ibidem. Apud Ægyptios, vel maxime Tabenneſiotas tantum ſilentium ab omnibus exhibetur, ut quum in unum tanta numeroſitas fratrum refectionis obtentu conſederint, nullus ne mutire quidem audeat præter eum, qui ſuæ decuriæ præeſt.

Digitized by Google

„ Spiritu in ſecula : Amen. Gloria tibi „ Domine, Gloria tibi Sancte, Glo„ria tibi Rex : quoniam dediſti no„bis eſcas : gaudio, & lætitia reple nos „ in Spiritu Sancto, ut inveniamur in „ conſpectu tuo acceptabiles : nec pude„ſiamus, quando unicuique reddes ſe„cundum opera ſua. „ Tandem ad declarandam animi ſui ſubmiſſionem, omnemque vitandam de ordinis prærogativa contentionem ad menſam, ſuum quiſque ordinem ſequens hebdomadalem; ſibi viciſſim miniſtrabant (98).

§. XVI. *Monachi ex proprio Inſtituto ad ſolitudinem adſtricti.*

XLVIII. Et ſane Hieronymus Epiſtola ad Ruſticum in illos monachos acriter invehitur, qui in civitatibus vivere geſtiebant (99). Hinc Paulinum inſtituens ait: *Si cupis eſſe, quod diceris, id eſt ſolus, quid facis in urbibus, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum* (100)? Et cum hic ipſe Hieronymus, tum Sozomenus (101) de Antonio obſervant, quod dicere ſolitus fuerit: *Piſces quidem aqua nutriri, monachi vero ornamenta eſſe ſolitudinem: & quemadmodum illi ſimul atque terram attigerint, vitam amittunt, ſic iſtos, quum ad urbes accedant, monaſticam gravitatem perdere.*

XLIX. Vita igitur monaſtica homines a Civitate, & locorum publicorum celebritate excludebat. Legibus quoque imperialibus monachi deſerta loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare jubentur: ita Theodoſii lex quædam præſcribit (102). Leo quoque, & Anthemius, & poſt illos Juſtinianus (103) leges in eandem ſententiam tulerunt ſancientes, *ut neque monachi, neque monachæ circumeant civitates; ſed ſi quid neceſſarium reſponſum habuerint, per proprios reſponſarios hoc agant in ſuis manentes monaſteriis.*

L. Hinc pluribus veterum Conciliorum Canonibus monachis vetitum prorſus erat, civilibus, aut Eccleſiaſticis Officiis, ſive negotiis publicis ad Eccleſiam, vel Rempublicam ſpectantibus ſeſe immiſcere. In Synodo Chalcedonenſi tres hac de re Canones editi ſunt; nimirum III. IV. & VII. Tertius quidem, & ſeptimus æque Clericos, ac Monachos ſpectant, quibus ſecularia negotia ſuſcipere, & ad militiam, dignitatemque aliquam venire prohibentur. At IV. unice ad Monachos pertinet, cujus verba vide inferne (104): & Pelagius Papa Monacho cuidam, ut defenſorem ageret, noluit permittere, hanc ſubnectens rationem: *Omnimoda eſt illius habitus, & iſtius officii diverſitas. Illic enim quies, oratio, labor manuum: at hic cauſſarum cognitio, conventiones, actus, publica litigia &c.*

LI. Qua de re potiori jure Monachis vetitum erat, ne in officio, vel jura, ac privilegia Clericorum ſecularium ſeſe intruderent. Et ſane quum plerumque mere laici eſſent, ac vitæ ſubſidia nonniſi ex manuum labore ſibi compararent; hinc

(98) *Caſſianus ibidem Cap. XIX.* Per Meſopotamiam, Palæſtinam, & Cappadociam, ac totum Orientem ſingulis hebdomadibus viciſſim fratres ad hæc officia ſibi reddenda ſuccedunt, ita, ut ſecundum cœnobii multitudinem miniſtrorum quoque numerus deputetur. *Eadem habet Hieronymus ibidem Cap. XV.*

(99) *Hieronymus Epiſt. IV. ad Ruſticum:* Quid deſideramus urbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur?

(100) *Hieronymus* Epiſt. XIII. ad Paulinum.

(101) *Hieronymus* ibidem, *& Sozomenus* Lib. 1. Cap. 13.

(102) *Codex Theodoſ. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 1. Quicunque ſub profeſſione Monachi reperiuntur, deſerta loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare jubeantur.

(103) *Codex Juſtinian.* Lib. I. Tit. III. Leg. 29. *&* Novel. CXXIII. Cap. 42.

(104) *Conc. Chalced. Can. IV.* Quoniam vero quidam utentes habitu monachali, Eccleſiaſtica negotia, & civilia conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, necnon & Monaſteria ſibi inſtituere tentantes: Placuit . . . Monachos per unamquamque civitatem, aut regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo, & quietem diligere, & intentos eſſe tantummodo jejunio, & orationi in locis, in quibus renuntiaverunt ſeculo, permanentes.

hinc negotiis, & officiis Clericorum ſe ingerendi, vel ex eorum reditibus aliquid ſibi captandi cupidine tentari non poterant. Ad rem Baſilius M. in Conſtit. Monaſtic. Cap. IX. *Nulla ratione convenit Monachum vel Clericatum, vel dignitates deſiderare: Diabolicus enim eſt motus, & ambitus crimen*. Et Caſſianus ſuarum *Collation. Lib. XI.* „ Hæc eſt „ antiqua Patrum permanens nunc uſ- „ que ſententia, quam proferre ſine mea „ confuſione non potero: *Monachum fugere debere mulieres, & Epiſcopos*. „ Neuter enim ſinit eum, quem ſemel „ familiaritati ſuæ devinxerit, vel quieti „ cellulæ ulterius operam dare, vel di- „ vinæ theoriæ per ſanctarum rerum in- „ tuitum puriſſimis oculis inhærere.

LII. Quod autem ad eos attinet, qui Presbyteri, vel Diaconi conſecrati eſſent, hi, vel Monaſterii Eccleſiæ addicti, & nullam prorſus cum Eccleſiæ civitatis Clericis communionem habebant; vel ab Epiſcopis ex Monaſteriis adſciti erant, & tunc ſecularibus Eccleſiæ Clericis adnumerabantur. Valeſius demonſtrare contendit Seculo IV. exeunte Monachos aliquando in Eccleſia Clericorum munia obiiſſe; idque probaturus exempla adfert, tum Euſebii Vercellenſis, & Auguſtini, tum Eccleſiæ ab Rufino ad Quercum locum Chalcedonis ſuburbanum, de qua ſcribit Sozomenus Lib. VIII. Cap. 17. *Monachos quoque juxta eam collocavit, qui Clericorum in ea Eccleſia munus explerent*. Verum exempla Euſebii, & Auguſtini id tantummodo probare videntur, quoſdam Epiſcopos cum ſuis Clericis rationem vivendi in commune monachorum inſtar iniviſſe, quod & alibi obſervavimus; quod vero ad Sozomeni teſtimonium ſpectat de Eccleſia Chalcedonis ſuburbana, profecto id inde deduci poſſe videtur, quod, deficientibus in iſta Eccleſia Clericis, ex Monaſterio ibi prope extructo alii in eorum locum ſubrogari debuerint; quod ſane ab Eccleſiæ conſuetudine, de qua §. V. verba fecimus, nihil abludit. Ergo exempla a Valeſio producta ad rem eſſe non videntur, ut demonſtrent Monachis adhuc Monaſterio addictis ad Clericorum munia, ac jura unquam aditum patuiſſe.

LIII. Igitur Monachi ex proprio inſtituto ad ſolitudinem fuerunt olim adſtricti; qua de re in officia vel ſecularia, vel Eccleſiaſtica involare ipſis prorſus vetitum. Attamen non deerant extraordinariæ quædam cauſſæ, quibus in civitates, & urbes ſe conferre, atque in publicum conſpectum prodire ſibi haud nefas eſſe cenſebant. Ac 1. quidem ſi fidei negotium in diſcrimen venire videretur. Qua de re M. Antonius teſte Hieronymo (105), urgente Athanaſio in urbem Alexandriam ſe contulit, ut fidei teſtimonium daret, Arianamque hæreſim ſuo conſpectu, dictis, morum ſanctitate, ac miraculorum ſplendore confutaret.

2. Quum magna æſtuaret adverſus Catholicos perſecutio. Profecto de Aphraate, ac Juliano duobus Monachis Syris ſcribit Theodoretus (106), eos relictis in ſolitudine ſuis cellulis Antiochiam veniſſe, quod ad ſuſtentandam doctrinam catholicam ſuam ipſorum præſentiam plurimum conducere crediddiſſent. Et ſane quum Antiochiæ domicilium fixiſſent, tum fidem catholicam publice profitebantur, tum fideles in fide nutantes æque publicis, ac privatis congreſſibus confirmabant. Qua de re magno erant Eccleſiæ adjumento: præſertim quod Valens Imperator, licet Arianus, & Arianæ factionis acerrimus defenſor, attamen illorum ſanctitatis fulgore veluti perterritus, vel minimum damni illis inferre auſus non

(105) *Hieronymus Epiſt. XLIII. ad Caſtrut.* Beatus Antonius quum a S. Athanaſio Alexandriæ Epiſcopo propter confutationem hæreticorum in urbem Alexandriam eſſet adcitus.

(106) *Theodoretus Lib. IV. Cap.* 27. Relicta ſolitudine totam illam urbem circuivit (Julianus) cunctos admonens Apoſtolicæ doctrinæ præconem eſſe Athanaſium, Arianos vero hoſtes eſſe veritatis. Adeo divini illi viri, quod ſingulis temporibus congrueret, probe norant, & quando ſolitudinem amplecti, quando urbes præferri ſolitudini oporteret.

non eſt. Tum de Aphraate illam notatu dignam refert hiſtoriam Theodoretus (107), quod Valens aliquando ipſum, licet ſenecta ætate, concitato gradu properantem proſpiciens, interrogarit: „ Quo tanta feſtinatione contenderet? Cui ille reſponderit: Pro tuo, Imperator, regno precaturus. Ad hæc Imperator: Domi potius manere debueras, & ſecundum legem monaſticam intus precari. Cui Aphraates regeſſerit; Recte admodum dicis, Imperator; id ego facere debueram, idque hactenus facere non deſtiti, quandiu oves Servatoris noſtri pace fruebantur. Nunc vero quum in maximam perturbationem inciderint, & periculum grave immineat, ne a feris diripiantur, omnis via tentanda eſt, & pecus conſervandum. Dic enim quæſo, Imperator, ſi puella eſſem intus in thalamo ſedens, & curam ædium gerens, ignemque ædibus immiſſum, & paternam domum conflagrantem viderem, quid me tunc agere oporteret? Utrum intus ſedere, & domum conflagrantem negligere, & exſpectare, dum flamma in me irrueret? An potius relicto thalamo hac & illac diſcurrere, aquam adferre, ignem exſtinguere? Non dubito, quin hoc poſtremum dicturus ſis: id enim prudentis ac ſolleriis puellæ eſt. Hoc ipſum eſt, Imperator, quod nunc ago. Nam quum in patris noſtri domum ignem injeceris, circumcurſamus nos, eum reſtinguere conantes. „ Ita ſapienter Valenti reſpondit Aphraates, ac ſuam in civitate commorationem tempore communis periculi defendit.

3. Tandem Monachi aliquando ab deſertis abibant, & ad urbes, atque adeo ad Imperatorum aulas ſe conferebant, ut pro reis ad mortem damnatis intercederent. De M. Antonio ſcribit Sozomenus (108), quod ſæpius, qui injuria quadam adfecti eſſent, ad illum ſuas querimonias detulerint, eumque, ut apud præſides & primores viros pro ſe deprecaretur, compulerint: quo caritatis officio vir ſanctus haud raro functus ſit: verum, eo confecto negotio, protinus ad ſolitudinem reverterit. Porro magis memorabile hujus rei exemplum habemus apud Chryſoſtomum (109) in quadam ſua Homilia ad populum Antiochenum. In ea enarrat, quod quum cives Antiocheni in maximam Theodoſii Imperatoris offenſionem incurriſſent propter ſtatuarum Imperialium ſubverſionem, aliaque gravia perpetrata facinora, Philoſophi quidem metu perculſi inde abſceſſerint; at monachi vicinarum ſolitudinum, deprecantibus Antiochenis, gregatim Antiochiam venerint apud judices reis veniam impetraturi. Ut autem res ipſis ex voto cederet, hanc mirabilem, ac prope divinam rationem adtulerunt. Nimirum ſtatuas dejectas rurſum facile erigi, & propriam recipere formam poſſe: ſi autem Dei imagines occiderent, non poſſe eas rurſum commiſſas revocari, nec perditas reſuſcitari, & animas corporibus reddi: quod ſi deprecationi ipſorum aurem præbere nollent, ſe cum ipſis omnino morituros. Tanta ſapientia, & caritate reis veniam a publicis magiſtratibus aliquando impetrare contenderunt veteres ſanctiſſimi monachi; & quidem plerumque eo cum effectu, ut raro admodum repulſam ferrent, magiſtratibus ſingula-

(107) *Theodoretus* ibidem Cap. XXVI.

(108) *Sozomenus Lib. I. Cap.* 13. Multi ſuas ad illum *Antonium* querimonias deferentes, eum apud præſides, & primores viros pro ſe intercedere compellebant . . . . quod ſi quando vi compulſus in urbem veniſſet ad opem poſcentibus ferendam, confecto negotio, cujus cauſſa venerat, protinus ad ſolitudinem revertebatur.

(109) *Chryſoſtomus Hom. XVII. ad popul. Antioch.* Tot annis in cavernis ſuis concluſi nemine advocante, ſuadente nemine, poſtquam nubem tantam civitatem circumſtantem viderunt, tabernacula, ſpeluncaſque ſuas derelinquentes, undique confluxerunt, veluti angeli quidam de cælo profecti . . . . Ad principes ipſos accedentes loquebantur pro reis & omnes ſanguinem effundere parati erant, & capita deponere, ut captos ab expectatis tribulationibus eriperent: & dixerunt, ſe non prius receſſuros, quam judices parcerent civitatis populo, vel ſe communiter cum reis ad regem ligatos mitterent.

gularem eis reverentiam adhibentibus.

LIV. Quod vero ejuſmodi monachorum veluti prærogativa aliquando in abuſum degeneraſſet, nec monachi defuiſſent, qui potius vi adhibita, quam precibus reis veniam impetrare ſatagerent, ad hanc tumultuoſam agendi rationem reprimendam Arcadius Imperator legem tulit, qua tam monachis, quam clericis tale quid audere interdictum eſt. Tum Epiſcopis pœnam regiæ vindictæ interminatur, ſi in ejuſmodi factioſos monachos, vel clericos non animadverterent (110).

LV. Tandem hic notare juvat ſingulare in Caſſiano occurrere exemplum, quo Monachi fidelium oblationes, & decimas acceperint (111). Verum ipſemet Caſſianus ſtatim ſubnectit: *Indigentium uſibus, & pauperum ſubſidio fuiſſe reſervatas*. Adeo enim ipſis exploratum erat Monacho ex proprio labore victum quærendum eſſe, ut eorum nonnulli vel ab ipſis parentibus alimentum recipere recuſarint (112).

§. XVII. *Num Monachis ad vitam ſecularem redirem unquam licuerit.*

LVI. Quamvis antiquitus Monachi nullum publicum votum emitterent, quo vitæ Monaſticæ perpetuo profitendæ ſeſe adſtringerent; attamen iis, qui libere vitam monaſticam amplectebantur, atque poſt longam probationem tandem in ſtadium prodibant, adeo neceſſarium viſum eſt in ſuſcepta ſemel vitæ ratione perſiſtere, ut in Monaſteriorum Deſertores graviſſimæ pœnæ fuerint inflictæ. Jam ſupra antiquiſſimam Eccleſiæ praxim dedimus, rejiciendi ſcilicet e Monaſterio Monachos ſic dictos *incorrigibiles;* eos ſcilicet, quibus nulla medica manus mederi quiverit. Tum *ibidem* Canonem produximus Chalcedonenſem, quo excommunicationis pœna in Virgines, quæ ſe Domino Deo abdicaverunt, ſimiliter & in Monachos, qui ſe matrimonio conjunxerint, infligitur. Illud hic duntaxat, liceat ſubnectere, eandem pœnam præſcribi quoque a Synodo Toletana VI. (113). Tum Synodus Aurelianenſis I. & Auguſtinus *Ep. ad Aurelium Epiſcopum Carthaginienſem* Monachos deſertores ab Ordinibus Eccleſiaſticis omnino arcendos ſtatuunt (114). Tandem Leges Honorii, & Juſtiniani eoſdem curiæ, ſive collegii civitatis ſervitio per omnem vitam addicendos decernunt (115).

(110) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XL. Leg.* 16. Addictos ſupplicio, & pro criminum immanitate damnatos nulli Clericorum vel Monachorum, (eorum etiam, quos cœnobitas vocant) per vim, atque uſurpationem vindicare liceat, ac tenere..... ad Epiſcoporum ſane culpam (ut cetera) reduodabit, ſi quid forte io ea parte regionis, in qua ipſi populo Chriſtianæ religionis, doctrinæ inſinuatione moderaotur, ex his, quæ fieri hac lege prohibemus, a monachis perpetratum eſſe cogooverint, nec vindicaverint.

(111) *Caſſianus Collation. XXXI. Cap.* 2. Delector, o filii, quia veſtrorum munerum largitatem, & devotionem hujus oblationis, cujus diſpenſatio mihi credita eſt, gratanter amplector, quia fideliter primitias veſtras, ac decimas *indigentium uſibus profuturas*, velut ſacrificium Domino bonæ ſuavitatis, offertis.

(112) *Caſſianus Collat. XXIV. Cap.* 12. Qui, inquit Apoſtolus, oon operatur, nec manducet. His Beatus Antonius adverſus quendam uſus verbis, etiam nos magiſterii ſui informavit exemplo, ut parentum pernicioſiſſima blandimenta, & omnium, qui victus neceſſarium ſubmioiſtrant agapen, inſuper omnem habitationis gratiam devitemus.

(113) *Conc. Tolet. IV. Can. LV.* Qui detonſi.... ſeipſos religioni devoverunt, & poſtea habitum ſecularem ſumſerunt, iidem a Sacerdote comprehenſi ad cultum Religionis, acta pœnitentia, revocentur. Quod ſi reverti non poſſunt, vere ut Apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjiciantur. Quæ forma ſervabitur etiam in viduis, virginibuſque ſacris.

(114) *Conc. Aurelian. I Can. XXI.* Monachus, ſi in Monaſterio converſus, vel pallium comprobatus fuerit accepiſſe, & poſtea uxori fuerit ſociatus, tantæ prævaricationis reus ounquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur. *Idem præſcribit Auguſtinus* Epiſt. LXXVI. ad Aurelium.

(115) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 39. Si qui profeſſum ſanctæ religionis ſpoote dereliquerit, contiouo ſibi eum curia vindicet.... pro hominum qualitate, & quantitate patrimonii vel ordini ſuo, vel Coulegio civitatis adjungatur. *Idem ſancitum a Juſtiniano* Novell. V. Cap. 6. & Cod. Lib. I. Tit. III. Leg. 56. §. 2.

CAPUT XIV.

De Virginibus, ac Viduis in primitiva Eccleſia.

De Diſtinctione inter Eccleſiaſticas, & Monaſticas Virgines.

I. Antequam vita Monaſtica in Eccleſia innotuerit, ſicuti ex viris, uti ſupra demonſtravimus, fuerunt Aſcetæ; ita quoque ex mulieribus Virgines fuiſſe virginitatem publice, & manifeſto profitentes ex Cypriani, & Tertulliani (1) ſcriptis perſpicue colligitur. Tum Cyprianus illud quoque addit; nimirum eam fuiſſe Eccleſiæ legem, aut ſaltem conſuetudinem, ut ejuſmodi Deo ſacræ Virgines nunquam una in domo cum viris verſarentur (2). Qua de re *ibidem* 1. inexorabilem Epiſcopi cenſuram commendat, qui Diaconum abdicaverat, quod cum ſacra Virgine ſæpe manſiſſet: *Idcirco conſulte, & cum vigore feciſti, abſtinendo Diaconum, qui cum Virgine ſæpe manſerat*. 2. Eaſdem & adulteras, & inceſtas fieri docet, ſi fidem Deo deſponſam abjiciant: *Quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt*. 3. Ideo & eas hortatur, ut a publicis abſtineant balneis, quum ipſarum maximopere interſit *pudori, & pudicitiæ corpora dicata* ſervare. Poſtremo ex Cypriano conſtat eaſdem peculiari quodam habitu, nimirum ſacro velamine uti conſueviſſe (3). Ad eaſdem ſane Virgines dubio procul ſpectat *Can. XIII. Concilii Illiberitani*, qui de Virginibus Deo ſacris, ſi lapſæ fuerint, in hunc modum decernit: *Virgines, quæ ſe Deo dicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint, non intelligentes, quod amiſerint, placuit nec in fine eis dandam communionem*. Ex hactenus dictis profecto liquidum eſt, jam inde ab ætate Apoſtolica ſacras Deo virgines in Eccleſia fuiſſe.

II. Hæ plerumque *Eccleſiaſticæ, & Canonicæ* dictæ ſunt, quod in Canone, ſeu Libris Eccleſiæ notatæ eſſent, ac peculiari quadam ratione ad Epiſcopi providentiam ſpectarent (4). Jam vero a Virginibus monaſticis, quorum inſtitutum Seculo IV. primum in Eccleſia adparuit, in

(1) *Cyprianus de Habit. Virginum:* Nunc nobis ad Virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria, major & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum.... illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas.

Tertullianus Lib. I. ad Uxorem. Sanctitatem maritis anteponunt, malunt Deo nubere, Deo ſpecioſæ, Deo ſunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo ſermocinantur, illum diebus, & noctibus tractant, orationes ſua velut dotes Domino adſignant.

(2) *Cyprianus Lib. I. Epiſt. II.* Nec pati virgines cum maſculis habitare; non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul vivere, quum & ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari, & regi debeat.

(3) *Tertullianus de Virginibus velandis Cap. III.* Propter ejuſmodi igitur Capita nundinatitia trahantur Virgines ſanctæ in Eccleſiam, erubeſcentes, quod cognoſcantur in medio, paventes, quod detegantur accerſitæ quaſi ad ſtuprum.... O ſacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid pejus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc a Virgine electum cognoviſſet? Denudaſti puellam a capite, & tota jam virgo ſibi non eſt: alia eſt facta.

(4) *Sozomenus Lib. VIII. Cap.* 23. Ob modeſtiam animi, ac Philoſophiæ ſtudium perpetuo latere ſtudebat *Nicarete:* ita ut nec honorem Diaconiſſæ unquam ambierit, nec *Virginibus Eccleſiaſticis* præeſſe, licet Joanne ſæpius hortante, voluerit.

Socrates Lib. I. Cap. 17. Virgines in matricula Eccleſiarum adſcriptas ad convivium vocabat; eiſque ipſa per ſe miniſtrans menſæ adponebat fercula.

Albaſpinæus Not. in Concil. Illiber. nuper productum Can. XIII. Virgines, quæ Deo ſe voverant, a ceteris non removebantur, aut clauſtris includebantur, ut ex hoc Canone, & ex Divo Cypriano, & Tertulliano *de Virginibus velandis* licet colligere.

in eo potiſſimum diſcrepabant, quod illæ privatim in paternis ædibus viverent, & a parentibus ſuis, vel, neceſſitate ita flagitante, ab Eccleſia alerentur (5); hæ vero in ſocietatibus degerent, ac proprio labore victum ſibi compararent. Ita Synodus Carthagin. III. & Auguſtinus (6).

§. II. *Num ad Virginitatem perpetuo-ſervandam fuerint adſtrictæ?*

III. Virgines Eccleſiaſticæ ab aliis mere ſecularibus profecto in eo diſtinguebantur, quod Virginitati perpetuo ſervandæ ſeſe devoverent. Porro animi quidem propoſito, ac publica profeſſione, haud vero ſolemni quodam voto ad virginitatem ſervandam fuiſſe adſtrictas, colligi poſſe videtur ex Cypriano Epiſt. LXII. ad Pompon. *Si ex fide*, inquit, *ſe Chriſto dicaverunt, pudice, & caſte ſine ulla fabula perſeverent; ita fortes, & ſtabiles præmium virginitatis exſpectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant.* Verum IV. & V. Seculo plurium Conciliorum Canonibus cenſuræ Eccleſiaſticæ illis inflictæ ſunt, quæ profeſſionem ſuam irritam reddentes ad nuptias tranſirent. Ita Concilium Ancyranum, Chalcedonenſe & Valentinum in Gallia (7). Eandem diſciplinam jam inde ab Seculo III. in Africa viguiſſe ex Cypriano, & Auguſtino jam alibi demonſtravimus (8). Tum Jovianus Imperator lege lata ſancivit (9): *Si quis, non dicam rapere, ſed adtentare tantum cauſſa matrimonii ſacratiſſimas Virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur.* Hæ profecto Eccleſiaſticæ, ac Imperiales Leges Virgines, tum quæ in privatis ædibus, tum quæ in ſocietatibus, ac Cœnobiis Virginitatem profiterentur, ex æquo reſpiciunt. Illud hic tantummodo liceat notare antiquiores quoſdam Canones vigeſimum quintum, vel ſaltem ultra decimum ſextum ætatis annum requiſiviſſe, ut Virgines conſecrari poſſent (10); at ſecutis temporibus per Concilia tum Hiſpanica, tum Gallicana ætatem quadraginta annorum in conſecrandis virginibus poſtulari cœptam (11). Atque adeo Imperatorum Sanctiones non modo ejuſmodi ætatem requirunt, verum & Virgini, quæ per vim, vel ex ſuorum parentum invidia ante hanc ætatem velata fuerit, libertatem nubendi indulgebant (12).

(5) *Conc. Carth. Can. XXIII.* Ut Virgines ſacræ, ſi parentibus, a quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, Epiſcopi providentia, vel Presbyteri, ſi Epiſcopus abſens eſt, in Monaſterio Virginum gravioribus feminis commendentur.

(6) *Auguſtinus de morib. Eccleſ. Cap. XXXI.* Lanificio corpus exercent, atque ſuſtentant, veſteſque ipſas fratribus tradunt, ab iis invicem, quod victui opus eſt, reſumentes.

(7) *Concilium Chalcedonenſe* Can. XVI. *Confer* Cap. XII. §. XII. *Conc. Anc. Can. XVIII.* Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt ſponſionem, inter bigamos cenſeantur: ſcilicet bigamorum pœnitentiæ ſint obnoxiæ; quippe quæ poſt contractas ſpirituales cum Chriſto nuptias, alias cum homine contraxiſſent. *Idem ſancitur Concilii Valentini* Canone II.

(8) *Confer ſupr.* Cap. XIII. §. VIII. num. XVI.

(9) *Cod. Juſtin.* Lib. I. Tit. XIII. Leg. V. & *Cod. Theodoſ.* Lib. IX. Tit. XXV. Leg. 2.

(10) *Concilium Carthag. III. Can. IV.* Placuit, ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur.

Baſilius Epiſt. Canonic. Can. XVIII. Profeſſionem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces in his eſſe ratas exiſtimare oportet, ſed eam, quæ ſupra ſexdecim, vel ſeptemdecim annos nata fuerit, rationiſque compos, & diu examinata, probataque perſeveraverit, &, ut admittatur, precibus contendat, tum oportet in ſacrarum virginum catalogum referri &c.

(11) *Conc. Agath. Can. XIX.* Sanctimoniales, quamlibet vita earum, & mores probari ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur. *Eadem habet Conc. Cæſarauguſt.* Can. VIII.

(12) *Leo & Majoranus Novel. VIII.* Sacrilega haud judicanda eſt, quæ ſe hoc ante noluiſſe, aut certe non poſſe complere adpetiti conjugii honeſtate prodiderit; quum Chriſtianæ religionis

§. III. *De Ritibus in earundem conſecratione ſervatis.*

IV. Ac 1. *Sacerdotalis cautionis gratia*, uti ſcribit Ambroſius (13), *ne temere puella in Eccleſia ignominiam velaretur*, inter Actus Epiſcopo ſpeciatim reſervatos Sacrarum Virginum conſecratio habebatur. Hinc Presbytero ſine juſſu, vel venia Epiſcopi Virgines conſecrare nunquam licuit. Ita Concil. Carthag. III. (14).

2. Virgo coram Epiſcopo in Eccleſia publicam quandam propoſiti ſui profeſſionem edere ſolebat. Profecto S. Ambroſius *ad Virg. lapſ. Cap. V.* hæc habet. „ Non es memorata diem ſanctum Dominicæ Reſurrectionis, in quo divino „ altari te obtuliſti velandam? In tanto, tamque ſolemni conventu Eccleſiæ „ Dei inter lumina illa ſplendida, inter „ candidatos Regni Cœleſtis, quaſi regi „ nuptura proceſſeras. Non es memorata „ qualis ad te die illo facta eſt adlocutio? Et *de Virg. Lib. III. ineunte* Marcellinæ ſororis ſuæ editam publice Romæ in manu Liberii Papæ virginitatis profeſſionem ſic deſcribit: *Quum in Salvatoris Natali ad Apoſtolorum Petrum* Virginitatis profeſſionem veſtis quoque mutatione *ſignares; atque adſtantibus puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua ſocietate* &c. Hac occaſione ſermonem publice in Eccleſia S. Petri Liberium habuiſſe jam obſervavimus *Lib. I. Part. I. Cap. 14. Not. 1.* Tum, profeſſione emiſſa, Epiſcopus, vel Presbyter conſuetum ſacrarum virginum habitum, quo ab aliis internoſcebantur, publice coram altari ei imponebat. Hujus veſtium mutationis frequens occurrit mentio tum in antiquis Conciliis, tum in Legibus Imperialibus. Ita Synodus Carthag. IV. & Arauſicana I. (15). Et quædam Arcadii Lex mimis, & ſcortis publicum habitus virginum Deo dicatarum uſum interdicit (16). Hujus pars præcipua erat *velamen*; dictum *Sacrum velamen*: Unde phraſis iſta *velare Virgines* in quibuſdam antiquis Auctoribus idem eſt, ac Virginem Deo conſecrare (17). Alteram eorundem habitus partem *Mitrellam auream* vocat Optatus (18), quæ procul dubio capitis ornamentum erat, quo ſignificarent, cui devotæ eſſent: *In mitrella*, ſcribit Optatus, *indicium eſſe voluntatis, non caſtitatis auxilium, ut rem jam Deo devotam, ne qui ſponſabat, perſeveret petere, aut ne raptor audeat violare. Signum eſt ergo, non Sacramentum.* Qua de re Optatus ipſe *ibidem* Donatiſtis cæcum & ſtultum ipſorum zelum exprobrat, quo virgines Chriſti ſuis velis & mitrellis aureis, quibus ſuæ virginitatis ſigna prodebant, immutatis, pœnitentiam agere jubebant (19). Ejuſdem ornamenti ſub nomine coronæ meminit etiam Euſebius

nis inſtituta, atque doctrina melius eſſe cenſuerit, virginem nubere, quam impatientiæ ardore naturali profeſſæ pudicitiæ non ſervare virtutem.

(13) *Ambroſius de Virginibus Lib. III.*

(14) *Concilium Carthag. III. Can. XXXVI.* Presbyter, inconſulto Epiſcopo, Virgines non conſecret.

(15) *Conc. Carthag. IV. Can. XII.* Sanctimonialis virgo quum ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus adplicetur, qualibus ſemper uſura eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. *Eadem habent idem Conc.* Can. CIV. & *Conc. Arauſic. I.* Can. XXVII.

(16) *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit. IV. Leg.* 4. Mimæ, & quæ ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publice habitu earum Virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, non utantur.

(17) *Innoc. I. Epiſt. II. ad Victric. Cap.* 13. Hæ vero necdum *ſacro velamine* tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licet velatæ non ſint: ſi forte nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum a Deo tenebatur. *Ejuſdem ſacri velaminis meminit quoque Gelaſius P.* Epiſt. IX. ad Epiſc. Lucaniæ Cap. 12.

(18) *Optatus contr. Parmen.* Lib. VI.

(19) *Optatus ibidem*: Jam illud quam ſtultum, quam vanum, quod ad voluntatem, & quaſi ad dignitatem veſtram revocare voluiſtis, ut virgines Dei agerent pœnitentiam diſcentes, ut jam dudum

bius (20), qui de Ennatha quadam virgine Scythopolis in Palæſtina loquens, quæ martyrium ſub Diocletiano paſſa fuerat, eam virginitatis corona ornatam ſcribit: niſi forte vel ad ſpiritualem virginitatis coronam, vel ad coronam Martyrii in altero Sæculo conſequendam Euſebium adluſiſſe dicere quis maluerit.

3. Quod vero ad Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ſpectat, qua Virgines Deo conſecrandæ tondentur, diverſa fuerunt hac in re antiquitus diverſarum Eccleſiarum inſtituta. Legibus Imp. Valentiniani in Occidentali Eccleſia id vetitum accepimus (21). S. Ambroſius nonniſi lapſam virginem tonderi perſuadet in ſignum pœnitentiæ (22). In Ægypto autem, & in Syria id uſu fuiſſe receptum S. Hier. perſpicue teſtatur *Epiſt. XLVIII.* ad Sabinianum ſcribens: *Moris eſt in Ægyptiis, & Syris Monaſteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ ſe Deo devoverint, ac ſeculum conculcarint, crinem Monaſteriorum Matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter, & velato; nec hoc quiſquam præter tondentes novit, & tonſas; niſi quod quia ab omnibus fit, pæne ſcitur ab omnibus.* Tabenneſiotas quoque Sanctiſſimas Virgines, quas S. Pachomius ab Angelo monitus inſtituit, crines amputare ſolitas fuiſſe auctor eſt Palladius (23). Attamen illud omnino negandum non eſt, Canonem Gangrenſem XVII. quo ſtatuitur: *Si quæ mulier propter divinum cultum (ut æſtimat) crines tondeat, quos ei Deus ad ſubjectionis materiam tribuit, tanquam præceptum diſſolvens obedientiæ; Anathema ſit*: negandum, inquam, non eſt, ejuſmodi Canonem ad Virgines Catholicas non ſpectare. Namque ex iis, quæ tum in Epiſtola Synodica, tum apud antiquos Auctores dicuntur, manifeſtum eſt, hanc comæ tonſionem fuiſſe ab Euſtathianis adtentatam, ut hoc pacto oſtenderent ſe nuptias improbare, ac mulieres viris non debere ſubjectionem: quod & Canon ſatis expreſſit, dum rationem, ob quam crines non ſint abſcindendi, indicans ait: *Quos ei Deus ad ſubjectionis materiam tribuit, tanquam præceptum diſſolvens obedientiæ*. Quum igitur Canone duntaxat feriantur mulieres, quæ comam ſibi amputabant in ſignum abjectæ ſubjectionis matrimonialis, nullatenus ad virgines religioſas trahendus eſt, quæ in ſignum pœnitentiæ, vel mundani contemtus comam ſibi amputari permittebant. Videſis Sozomenum *Lib. III. Cap.* 13. (24), ubi expreſſe tradit Patres Gangrenſes laudato Canone nonniſi Mulieres Euſtathianas reſpexiſſe. Præſertim quum eodem IV. Seculo, uti modo obſervavimus, in Oriente tum in Monaſteriis Ægypti, & Syriæ, teſte Hier. tum in Cœnobio Tabennenſi Virgines, ac Viduæ, teſte Palladio, tonderi conſueverint. Poſtremo Sozomenus ipſe *Lib. V. Cap.* 10. enarrans contumelias, quibus Virgines Chriſtianæ Heliopoli ab gentilibus adfectæ ſunt, eas etiam tonſas

dudum profeſſæ ſigna voluntatis capitibus, poſtea vobis jubentibus immutarent: ut mitrellas aureas projicerent, alias acciperent..... Nudaſtis denuo capita jam velata: de quibus profeſſionis detraxiſtis indicia: quæ contra raptores, aut petitores videntur inventa.

(20) *Euſebius de Martyr. Palæſtin. Cap. IX.* Mulier quædam Scythopolitana, Ennathas nomine, ipſa quoque Virginitatis *corona* ςέμματι decorata.

(21) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. Leg.* 27. Feminæ, quæ crimen ſuum contra divinas, humanaſque leges inſtinctu perſuaſæ profeſſionis abſcinderent, ab Eccleſiæ foribus arceantur. Non illis fas ſit ſacra adire myſteria.

(22) *Ambroſius Lib. ad Virg. lapſam Cap. VIII.* Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt.

(23) *Hiſt. Lauſiac. Cap. XXXIX.* Erat ejuſmodi habitus, ut eſſent tonſæ, & haberent cucullos in capite.

(24) *Sozomenus Lib. III. Cap.* 14. Quaſdam ab Euſtathio in fraudem inductas pietatis prætextu comam totondiſſe, & ſecus, quam mulieres deceret, virili habitu indutas fuiſſe. His de cauſſis Epiſcopi finitimi Gangris, quæ Metropolis eſt Paphlagoniæ, quum in unum conveniſſent, eos ab Eccleſia Catholica alienos eſſe decreverunt, niſi ſupradicta dogmata ſigillatim condemnaſſent.

ſas fuiſſe ſcribit : *Quum omni contumelia genere adfeciſſent , tandem totondederunt*.

§. IV. *De Singularibus quibuſdam Privilegiis ſacratis Virginibus indultis*.

V. Ac 1. æque ac Clerici per Imperatorias leges a capitatione plebeja immunes erant (25). 2. Severæ, pœnæ exſilii, proſcriptionis, ac etiam capitalis ſupplicii in eos inflictæ, qui vel minimam ipſis vim inferre auderent (26). 3. Singularis eiſdem exhibenda reverentia. Hinc Conſtantinus Imp. ex ſuo ipſius ærario eis alimenta ſuppeditari juſſit (27); & Helena ejus mater ad convivium ipſas vocare, eiſque ipſa per ſe miniſtrans menſæ, adponere fercula ſolebat (28). 4. Eccleſia quoque aliquam redituum ſuorum partem aliquando eis dabat, ac peculiarem in Æde Dei eiſdem locum concedebat (29). Jam vero iſtæc de Virginibus Eccleſiaſticis intelligenda ſunt, haud vero de monaſticis, quæ deſerta loca incolentes, uti ſupra obſervavimus, & ex proprio labore victum quærebant.

§. V. *Specialiores quædam de Viduis Eccleſiaſticis Obſervationes*.

VI. Viduæ Eccleſiaſticæ quod ad earum habitum, conſecrationem, profeſſionem, & alia hujuſmodi attinet, generatim iiſdem ſubjiciebantur legibus, quibus Virgines. Qua de re Concilium Arauſicanum I. Can. XXVII. *Viduitatis ſervandæ profeſſionem coram Epiſcopo in Secretario habitam, impoſita a Presbytero veſte viduali, non eſſe violandam*. Attamen non deſunt pauca quædam ſpeciatim de illis obſervanda. 1. Nonniſi eæ ad conſecrationem admiſſæ, quæ, maritis ſuis jampridem amiſſis, multos annos caſte, & inculpate vixerint, ac domeſticorum diligentem curam habuerint. Ita Auctor Conſtitutionum (30).

2. Hinc recte colligi poteſt Viduas juniores generatim ab Eccleſia fuiſſe rejectas, quippe quod periculum eſſet, ne cupiditatibus ſuis, vel alia quadam tentatione abreptæ promiſſum desererent. Id tum ex modo producto Conſtitutionum Apoſtolic. loco manifeſtum eſt; tum & clarius elucet ex communi, ac perpetua veteris Eccleſiæ praxi non promovendi ad Diaconiſſarum Miniſterium viduas, niſi quæ quinquageſimum, vel ſexageſimum annum exceſſiſſent; uti ſupra *Tit. II. Excurſu de Diaconiſſis num. II.* jam oſtendimus. Porro licet Diaconiſſæ non eædem eſſent, ac Viduæ Eccleſiaſticæ; at generatim ex iiſdem Eccleſiaſticis Viduis eligebantur; qua de re etiam *Viduæ* adpellatæ ſunt.

3. Unius tantum viri Uxores, hoc eſt ſemel.

(25) *Cod. Theod. Lib. XIII. Tit. X. Leg. 4.* In Virginitate perpetua viventes, & eam Viduam, de qua ipſa maturitas pollicetur ætatis nulli jam eam eſſe nupturam, a plebejæ capitationis injuria vindicandas eſſe decernimus. *Idem repetitur ibid. Leg. 6.*

(26) *Cod. Theod. Lib. IX. Lit. XXV. Leg. 2.* Si quis non dicam rapere, ſed vel adtemptare matrimonii jungendi cauſſa ſacratas virgines, vel invitas, auſus fuerit, capitali ſententia ferietur.

(27) *Theodoretus Lib. I. Cap. 11.* Litteras quoque ad provinciarum rectores dedit *Conſtantinus*, quibus mandabat, ut per ſingulas civitates Virginibus, ac Viduis...... *annona quotannis* præberetur. Ex ſua potius liberalitate, quam ex uſu, ac neceſſitate, modum annonarum definiens.

(28) *Socrates Lib. I. Cap. 17.* Virgines in matricula Eccleſiarum adſcriptas ad convivium vocabat, eiſque per ſe ipſa miniſtrans menſæ, adponebat fercula.

(29) *Ambroſius ad Virginem lapſam cap. VI.* Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in Eccleſia ſtabas, recordari debuiſti, ad quem religioſæ matronæ, & nobiles certatim currebant, tua oſcula petentes, quaſi ſanctioris, & dignioris?

(30) *Conſtitut. Apoſt. Lib. VIII. Cap. 25.* Si jandiu virum amiſit & caſte, & laudate vixit, & domeſticorum diligentem curam habuit, ut honeſtiſſimæ illæ, ac graviſſimæ feminæ Judith & Anna, cooptetur in gradum vidualem: ſin vero paulo ante maritum amiſit, ne ei credatur, ſed potius adoleſcentiæ tempore exploretur; aliquando enim paſſiones cum hominibus conſeneſcunt, niſi fortiori freno cohibeantur.

ſemel nuptæ eſſe debebant, juxta Apoſtoli præceptum: *Unius tantum Viri Uxor*. Confer ſupra *ibidem*.

4. Tandem in ipſa conſecrationis cæremonia diſcrimen aliquod inter Viduas, & Virgines agnoſcitur, ſaltem tempore Gelaſii Papæ. Namque in Epiſtola quadam canonica, ubi de velamine *Virginibus certis quibuſdam feſtis diebus, non autem aliis temporibus, niſi infirmitatis ratio id poſtulet, imponendo* loquitur, viduas nullo unquam tempore velari expreſſis verbis prohibet, quod *hoc ſit conſuetudini, & legi contrarium, nec ulla Canonum forma præſtitutum* (31). Hoc ſane arguere videtur ſacri velaminis ritum in earundem conſecratione non fuiſſe adhibitum. Verum poſteriori ævo etiam Viduas velandi uſus paulatim invaluit. Etenim Ordo Romanus formam conſecrandi Viduas ita præſcribit: *Vidua, quæ ſe ipſam vult Deo dare, debet & a Presbytero velari, vel etiam conſecratum ab Epiſcopo velamen de altari accipere, & ipſa ſibi, non Epiſcopus illud debet imponere*.

(31) *Gelaſius* Epiſt. IX. ad Epiſcopos Lucaniæ Cap. 13.

CAPUT XV.

DE ΤΩΝ ΠΙΣΤΩΝ, SEU FIDELIUM PRÆ CATECHUMENIS HONORIFICIS TITULIS, AC PRIVILEGIIS

§. I. *Fideles a Cathecumenis honorificis quibuſdam nominibus ſemper diſtincti*.

I. AC 1. dicti ſunt *Illuminati* φωτιζόμενοι. Unde Concilium Laodicenum *Can. III.* recens baptizatos vocat *recens illuminatos*, πρόσφατον φωτισθέντας. Tum Paulus *in Epiſt. ad Hebr.* ex ſententia Eſtii, Grotii (1), aliorumque, ſæpenumero baptiſmo initiatos φωτισθέντας adpellat. Hujuſce adpellationis ratio quoque ab antiquis Patribus profertur; ſcilicet quod fidelium mentes per baptiſmum illuminentur (2). Demum ipſe baptiſmus eadem de cauſſa φωτισμὸς *Illuminatio* dici conſuevit, & *Sancta Luminum*: uti *Lib. III.* obſervabimus.

2. Dicti quoque ſunt *Initiati* μεμυημένοι, nimirum ad ſacri cultus officia, & ad religionis myſteria cognoſcenda admiſſi. Qua de re frequens apud veteres Patres illa loquendi formula occurrit: Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι *Initiati intelligunt*; & Ambroſius de ejuſmodi Initiatis, ſive recens baptizatis Librum edidit inſcriptum: *De his, qui initiantur myſteriis*. Iidem etiam μύσται, & μυσταγώγητοι ab Iſidoro Peluſiota, Heſychio, aliiſque nuncupantur (3): Ut e contrario Catechumeni Ἄμυστοι, Ἀμύητοι, Ἀμυσταγώγητοι: *Non initiati, non baptizati*.

3. Adpellari quoque conſueverunt Τέλειοι, & Τελειώμενοι *Perfecti*, quod jus haberent ad preces, ad oblationem, ad ſacrificium, ac præcipue ad ſacram participandam Euchariſtiam (4). Qua de re Euchariſtia apud veteres τὸ Τέλειον *Perfectum*

(1) *Epiſt. ad Hebr. Cap. VI. v. 4.* Impoſſibile enim eſt eos, qui ſemel ſunt *illuminati* φωτισθέντας &c. *Eſtius hic*: Illuminatos ſine dubio vocat baptizatos... Vocabatur baptiſmus antiquis Eccleſiæ temporibus *Sacramentum illuminationis*, ſeu, ut Græci loquuntur, *illuminationum* φωτισμάτων. *Et Grotius*: Verum quidem eſt, baptiſmum apud veteres nomen habuiſſe φωτισμοῦ *illuminationis*.

(2) *Juſtinus M. Apol. II.* Vocatur lavacrum hoc *illuminatio*, quod eorum, qui hoc diſcunt, mentes illuminentur.

(3) *Iſidorus Peluſ. Lib. IV. Epiſt. CLXII.* Norunt, quod dicitur, μύσται qui ſacris initiati ſunt. *Heſychius in voce* Μύσται.

(4) *Clemens Alex. Pædag. Lib. I. Cap. 6.* Seipſum *perfectum* τέλειον exiſtimat, quod a priore

fectum crebro vocantur (5). Perfecti quoque dicti ſunt, quod res humanas deſpexerint, perſuaſum habentes nihil conferre ad ſalutem: quo ſenſu *Perfecti* ab Apoſtolo dicuntur I. ad Corinth. Cap. II. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur* &c. Et Chryſoſtomus *Hom. VII. in eandem Epiſtolam* in producta Apoſtoli verba ſic commentatur: *Perfectos vocat eos, qui crediderunt. Illi enim ſunt perfecti, qui, quum norint res humanas eſſe valde imbecilles, & eas deſpexerint, perſuaſum habent eas nihil conferre, cujuſmodi ſunt fideles.* Tum Theophylactus ad eundem locum: *Fideles vocat perfectos. Hi enim perfecti ſunt, qui terrenis omnibus poſthabitis, ad cæleſtia ſubvolant.*

4. Tandem dicti ſunt *Filii Dei, & Cari Dei.* Unde Tertullianus *de Pœnitentia Cap. IX.* Pœnitentes hortatur *Caris Dei adgeniculari, & omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.*

5. Tum Sancti haud ſemel in ſuis Epiſtolis Apoſtolus omnes in genere fideles adpellat. Unde Chryſoſtomus Hom. I. in Epiſt. ad Rom. Cap. I. verſ. 7. ſcribit: *Sanctos autem vocat omnes Fideles.* Et Hom. XIV. in I. ad Timoth. *Sancti ſunt omnes, quicunque rectam fidem cum vita habent: etiamſi ſigna non edant, etiamſi Dæmones non ejiciant.* Porro fideles omnes, etiamſi rectam vitam cum fide non conjungant, ſanctos dici poſſe docet Chryſoſtomus ipſe (6). Et ſane omnes in genere fideles adhuc in Eccleſia militante conſtituti ſanctam fidem profitentur, ſacramenta, quæ Ἅγια dici conſueverunt, participant, & Eccleſiæ, quæ ſancta eſt, myſticum corpus efficiunt.

II. Jam vero ipſum *Fidelis* nomen adeo baptizatorum peculiare erat, ut nullo pacto Catechumenis conveniret. Et ſane 1. Nazianzenus ſcribit Catechumenum eſſe in veſtibulo pietatis, nec adhuc poſſe vocari fidelem, niſi intus ingrediatur per baptiſmum (7). 2. Joannes Chryſoſtomus docet Catechumenum alienum eſſe a fideli, & nihil cum eo habere commune, non cibum, non menſam, non colloquium *&c.* (8). 3. Tertullia-

re vita liberatus ſit, meliorem autem perſequatur, non tanquam in cognitione perfectus, ſed tanquam id, quod eſt perfectum, deſiderans. Unde etiam ſubjungit: *Quicunque ergo perfecti, hoc ſentiamus.* Perfectionem ſcilicet dicens, renuntiaſſe peccatis, & in fidem ejus, qui eſt perfectus, eſſe regeneratos.

(5) *Concilium Ancyranum Can. IV.* Viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni, ac ſupplices eſſe, ſoli autem orationi duobus annis communicare, & tunc *ad id, quod perfectum eſt*, accedere, καὶ τότε ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον: *quæ verba Balſamon ſic explicat*: Sacramenti participem fieri. *Tum eadem Synodus Can. VI.* Et poſtmodum duobus annis ſine oblatione communicare, & tunc demum ſex annis completis *id, quod perfectum eſt, accipiant.* Ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον. *Et Can. XXI.* Perfectionem vero circa vitæ exitum conſequantur: τοῦ τελείου τυχεῖν. *Balſamon hic*: Sancta communione dignum judicant. *Eadem locutio in aliorum Conciliorum Canonibus haud raro occurrit.*

(6) *Chryſoſtomus Hom. X. in Epiſt. ad Hebr.* Omnis fidelis *ſanctus*, quatenus fidelis eſt: etiamſi quis mundanus ſit, ſanctus eſt. *Maritus enim fidelis*, inquit Apoſt. I. ad Corinth. VII. v. 14. *ſanctificatus eſt in uxore, & uxor infidelis ſanctificata eſt in viro.* Ecce, quomodo ſanctimoniam fides faciat. Etſi igitur hominem mundanum in rebus adverſis conſtitutum videamus, manum ei porrigamus: ne tantum eorum, qui in montibus habitant, ſtudioſi ſimus. Hi quidem ſancti vita, & fide: ſancti vero etiam illi fide, multi vita quoque. Ne ſi videamus monachum in carcere, tunc ingrediamur: ſin mundanum, non ingrediamur. Hic etiam ſanctus, & frater eſt. *Eadem habet Theophylactus* ad verſ. 1. Cap. I. Epiſt. ad Epheſios.

(7) *Gregorius Nazianz. Orat. in S. Lavacrum.* Quandiu in Catechumenorum numero eſt, in pietatis veſtibulo eſt. Intrare te oportet, atrium pertranſire, Sancta Ἅγια contueri, in Sancta Sanctorum Ἅγια Ἁγίων proſpicere, cum Trinitate conjungi. Magna ſunt enim, ob quæ oppugnaris, magno quoque præſidio opus habes. Quapropter Fidei Clypeum adverſus eum objice.

(8) *Chryſoſtomus Hom. XXIV. in Jo.* Exhorreſcite, gemite, formidoloſæ minæ ſunt. Non poteſt, *inquit*, qui non natus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto introire in Regnum cælorum, propterea quod mortis ferat indumentum, & maledictionis, atque corruptionis, ſed externus eſt, &

Digitized by Google

lianus hæreticis crimini vertit, quod Fideles a Catechumenis non diſtinguant (9). 4. Cyrillus Alexandrinus Catechnmenos apud Chriſtianos eoſdem eſſe ſcribit, ac incircumciſi apud Hebræos: unde concludit, quod ſicuti apud Hebræos incircumciſis de agno Paſchali comedere vetitum erat, haud ſecus in Eccleſia Catechumeni a communicatione myſtici agni, hoc eſt Euchariſtiæ arcentur (10). 5. Poſtremo Enſebius, Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, aliique veteres Patres paſſim Fideles a Catechumenis diſerte diſtinguunt (11).

§. II. *De Prærogativis, quibus Fideles præ Catechumenis fruebantur.*

III. Ac primo Fidelibus jus erat ad Euchariſtiam participandam: ſcilicet ipſis permiſſum erat ad menſam Domini accedere, & Corpus, ac Sanguinem Chriſti Domini ex Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi manu accipere. Profecto nemo, qui initiatus, ſive baptizatus non eſſet, ad altare propinquabat, atque adeo ab Sacrificii etiam adſpectu arcebatur. Unde anteqnam ea pars Miſſæ inchoaretur, quæ Euchariſtiæ celebrationem complectebatur, Diaconus alta voce exclamabat: *Sancta Sanctis: Recedite Catechumeni*. Ἅγια Ἁγίοις: Ὅσοι Κατηχούμενοι Προέλθετε (12).

IV. Altera Fidelium prærogativa erat omnibus Eccleſiæ precibus intereſſe. Profecto primis Eccleſiæ Secnlis, antequam Sacræ Euchariſtiæ celebratio inciperet, plures ab Epiſcopo effundebantur preces; ſcilicet ſuper Pœnitentes, ſuper Energumenos, ſuper Catechumenos (13). Tum finitis hiſce precibus omnes hi diſcedere jubebantur, ut modo jam indicavimus, ac fidelibus tantummodo permiſſum erat in Eccleſia remanere, ac precibus, quæ in Euchariſtiæ celebratione peragebantur, cum ipſo Sacerdote ſeſe conjungere. Verum

& alienus, nec ſignum habet regium . . . Alienus eſt Catechumenus a fideli, non habet idem principium, non eandem civitatem, non eundem parentem, non victum, non veſtitum, non menſam, non domum, nihil commune. Etenim terrena Catechumeni, cæleſtia fidelis ſunt.

(9) *Tertullianus de Præſcript. Cap. XLI.* In primis quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant . . . Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur. Ante ſunt perfecti Catechumeni, quam edocti.

(10) *S. Cyrillus Alex. Lib. XII. in Jo: Cap.* 50. Omnis incircumciſus non comedet de eo: incircumciſum vocans impurum. Non oportet ergo, ut qui ſunt incircumciſi, ideſt impuri ſacrum Domini corpus tangant, ſed qui ſpiritali circumciſione puri ſunt redditi. Circumciſio enim cordis fit in ſpiritu . . . Inde Sanctæ Eccleſiæ exemplum ſumſerunt. Quippe a ſacra menſa etiam arcemus eos, qui deitatem quidem ejus agnoſcunt, & fidem jam profeſſi ſunt, id eſt *Catechumenos*, ſed nondum tamen Sancto Spiritui ditati ſunt: nec enim in iis, qui nondum baptizati ſunt, inhabitat.

(11) *Euſebius Demonſtr. Euang. Lib. VII. Cap.* 2. Tres in unaquaque Eccleſia ordines ſunt: unus quidem eorum, qui præſunt; duo autem eorum, qui ſubjecti ſunt: quum Eccleſiæ Chriſti populus in duos ordines ſit diviſus, in eorum, qui credunt, & eorum, qui nondum ad lavacri regenerationem adſumti ſunt.

Origenes Hom. V. in Ezech. Pro modo graduum unuſquiſque torquebitur. Majorem pœnam habet, qui Eccleſiæ præſidet, & delinquit. Annon magis miſericordiam promeretur ad comparationem *Fidelis Catechumenus?*

Hieronymus in Iſ. Cap. XIX. Quinque Eccleſiæ Ordines, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, *Fideles, & Catechumenos.*

Auguſtinus Tract. XI. in Jo: Catechumeni licet nondum filii eſſent, pertinent tamen ad Eccleſiam, ut ſervi.

(12) *Conſtitut. Apoſtolic. Lib. VIII. Cap.* 8. Dicit Diaconus: *Accedite illuminati: Ne quis Catechumenorum, ne quis Audientium, ne quis infidelium.*

Chryſoſtomus Hom. in Parab. de Filio prodig. Sine me, Sine me cum Cathecumenis intra Eccleſiæ fores conſiſtere, ut contemplans, quæ in ea perficiuntur myſteria, eorum ſenſim rurſus particeps fieri concupiſcam . . . *Ne quis Catechumenus, ne quis eorum, qui non veſcuntur* &c.

(13) *Theodoretus Ep. LXXVII. ad Eulaliam:* Arceantur a participatione ſacrorum myſteriorum; a Catechumenorum autem oratione non prohibeantur: neque a divinarum Scripturarum auditione.

rum de hoc capite *Lib. II.* redibit ſermo.

V. Tum Dominicæ orationis uſus fidelibus reſervatus: qui ſane fidelium, ſive conſummatorum, & perfectorum Chriſtianorum veluti prærogativa erat, & character. Unde auctoribus Chryſoſtomo, Auguſtino, Theodoreto, aliiſque antiquis Patribus Catechumenis jus non erat dicere *Pater noſter*, uſque dum per aquam regenerationis filii Dei facti eſſent (14). Id quod etiam in cauſſa fuiſſe videtur, cur Oratio Dominica a Chryſoſtomo Εὐχὴ Fidelium, & ab Auguſtino *Oratio fidelium* diceretur (15). *Iſta Oratio Dominica*, ſcribit Auguſtinus ipſe Comment. in Pſ. CXLII. *magis fidelibus datur*; ſcilicet inſtar privilegii, & juris primogenituræ. Unde in *Enchir. ad Laurent. Cap. LXXI.* ſubjungit: *Eorum* fidelium *eſt dicere* Pater noſter, qui es in cælis, *qui jam Patre tali regenerati ſunt, ex aqua, & Spiritu Sancto*.

VI. Poſtremo ne Sanctum daretur canibus, & Margaritæ ante porcos projicerentur, profundiora Chriſtianæ religionis myſteria Catechumenis abſcondebantur, fidelibus patebant. Catechumeni quidem ſacrarum Scripturarum lectioni intereſſe, & ſermones, quibus communis, ac popularis earundem explicatio auditoribus exhibebatur, excipere haud vetabantur; quod ex quodam Canone Concilii Carthaginienſis IV. Gentilibus quoque, Hæreticis, & Judæis permiſſum erat (16). At ubi ad Sermonem de profundiſſimis Chriſtianæ Religionis myſteriis perventum eſſet, omnes prorſus excludebantur, ſoli admittebantur fideles. Ad rem Auguſtinus Serm. I. ad Neophytos: *Dimiſſis jam Catechumenis, vos tantum ad audiendum retinuimus: quia præter illa, quæ omnes Chriſtianos convenit in commune ſervare, ſpecialiter de cæleſtibus myſteriis locuturi ſumus, quæ audire non poſſunt, niſi qui ea, donante jam Domino, perceperunt. Tanto ergo majore reverentia debetis audire, quæ dicimus, quanto majora ſunt iſta, quæ* ſolis baptizatis, & fidelibus *auditoribus committuntur, quam illa, quæ etiam Catechumeni audire conſueverunt*. Paucis rem eandem complectitur Theodoretus Quæſt. XV. in Num. *Obſcure propter non initiatos diſſeruimus de divinis myſteriis: his vero ſemotis* initiatos aperte *docemus*.

(14) *Chryſoſtomus Homil. II. in II. ad Corinth.* Nondum lege ſancitam, atque a Chriſto invectam precationem habent: nondum liberius orandi poteſtatem nacti ſunt, ſed aliorum, qui myſteriis initiati ſunt, ope indigent.

Theodoretus Epit. Div. Dogm Cap. XXVIII. Hanc nos orationem non initiatos non docemus, ſed initiatos: nullus enim eorum, qui initiati non ſunt, dicere audet: *Pater noſter, qui es in Cælis* &c.

Eadem habet Auguſtinus Hom. XXIX. de Verb. Apoſt.

(15) *Chryſoſtomus Hom. X. in Epiſt. ad Coloſſ.* Deinde adjecta *Fidelium oratione*, veluti quadam coronide *&c. Auguſtinus Enchir. Cap. LXXI.* De quotidianis, brevibus, levibuſque peccatis . . . quotidiana *Oratio Fidelium* ſatisfacit.

(16) *Concilium Carthag. IV. Can. LXXXIV.* Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire Verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad miſſam Catechumenorum.

EX-

EXCURSUS.

De Præcipuis quibusdam Regulis, ad quas Veteres Fideles ſuos mores conformabant.

§. I. *Orandi Studium*.

I. NEmini ſane dubium eſſe reor, quin inter præcipua Chriſtianorum munia Orandi exercitatio adcenſenda ſit. Id Chriſtus in Euangelio, id ſuis in Epiſtolis abundantiſſime Apoſtoli teſtantur. Vix enim Novi Teſtamenti paginam leges, in qua aſſiduæ, & nunquam intermiſſæ orationis vel exempla commendari, vel præcipua tradi præcepta non conſpicaberis: ac præcipue Lucæ XVIII. 1. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*.

II. Jam vero quam tenaci ſtudio illoc mandatum ſervare primævi fideles ſategerint, vel exinde patet, quod non defuerint ex ipſis, qui præceptum illud κατὰ λέξιν interpretari voluerint; qua de re in hæreticorum numero ſub nomine Euchytarum ſemper in Eccleſia habiti ſunt. Epiphanius *Hereſ. Ult.* & Auguſtin. *Hereſ. LVII.* Et quidem recte; fragilis enim humanæ naturæ ratio perpetuam, ac nunquam intermiſſam orationem durare nequit.

III. At vero triplici potiſſimum ratione præceptum illud obſervandum veteres ad unum Patres docuere. 1. Scilicet, ut frequentes Deo preces fundantur, divinumque in omnibus vitæ officiis ſubſidium imploretur. Hinc Athanaſius de M. Antonio ſcribit: *Orabat frequenter, quippe qui didicerat, quod oporteret ſine intermiſſione Deum orare*. Haud ſecus Ambroſius Lib. de Abel, & Cain Cap. 9. *Impenſe, ac frequenter orandum, non ut faſtidioſa continuetur Oratio, ſed ut aſſidua frequenter effundatur*.

3. Tum ut quidquid a fidelibus peragitur, Deum veluti σκοπὸν virtute ſalutem reſpiciat, & in ipſius nomine perficiatur: Apoſtolus I. Corinth. X. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*.

3. Denique, ut eo animo orationi detur opera, ut neque tædio, nec languore, nec incuria ab incœpto deterreri queat; etiamſi Deus ipſe minus præſens adſit, & ingruant ex hominibus mala, & moleſtiæ. *Fides enim noſtra*, ut loquitur Baſilius Conſtit. Monaſt. Cap. II. *& caritas erga Deum declaratur, quandocunque, quod petitur, non celeriter auferimus*.

IV. Age vero videamus quam impenſe divinam in hunc modum a Patribus explicatam præceptionem veteres Chriſtiani ſervarint. Et ſane quanta frequentia illos in Eccleſias confluere cernere erat, quum publicæ in ſacris conventibus haberentur preces (1); præſertim quæ

Aaa 2 matu-

(1) *Veteres Chriſtiani quantum poterant, ſimul congregati orare ſolebant communi oratione, divina beneficia ſeſe facilius impetraturas fidentes, juxta indubiam Chriſti promiſſionem* Matth XVII. 19. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. *S. Ignatius Epiſt. ad Epheſ. num. V.* Si enim unius, atque alterius precatio tantam habet virtutem, ut Chriſtum inter illos ſtatuat; quanto plus Epiſcopi, & totius Eccleſiæ oratio conſona adſcendens ad Deum, exorabit, ut omnia, quæ petiverint in Chriſto, dentur illis. *Idem habet paſſim in ſuis Epiſtolis*.

Tertull. Apolog. Cap. XXXIX. Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. *Eadem habent S. Juſtinus in ſuo* Apolog. *Arnobius* contr. Gentes Lib. I. *aliique paſſim antiquiſſimi Patres. Quare infirmi, quibus publicis conventibus intereſſe non licebat, domi cum ſuis privatim, tum & captivi, ac itinerantes cum ſociis ſtatis diei horis Deo orationes fundebant. Tertullianus de Orat. Cap. I.* Quo & fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis & conſpectum, & auditum ſub tectis, & in abditis etiam adeſſe confideret, ut quem ubique audire, & videre fideret &c.

matutinæ, ac veſpertinæ dicebantur. Aliis quoque diei horis, præſertim Tertia, Sexta, Nona, ac etiam Nocte ſi minus publice poterant, ſaltem privatim orabant. Unde auctor *Conſtitut. Lib. VIII. Cap.* 34. ſic præcipit: *Precationes facite mane, tertia hora, ac ſexta, & nona, & veſpera, atque ad galli cantum.* Communem hanc veterum Chriſtianorum praxim Clemens Alex. Tertullianus, Origenes, Hieronymus, aliique haud ſemel commendant, ac pluribus antiqui, novique Fœderis exemplis illuſtrant. Hoc Caput *Libro II.* opportunius perſequemur, ubi *de Liturgiis*. At hic audiendi duntaxat Tertullianus, Cyprianus, & Hieronymus, quorum auctoritates vide inferne (2).

V. Præterea principaliores vitæ actiones ſuas proprias habebant precandi formulas. Atque hinc ſementem, meſſem, artificium, convivium &c. precatio inchoabat, precatio claudebat. Chryſoſtom. *Hom. V. in Epiſt. ad Theſſ.* Et in Conſtitutionibus Apoſtolicis, præſertim *Lib. VII.* & *VIII.* variæ proſtant orandi formulæ, matutina, veſpertina, pro prandio &c. Tum ſigno crucis, ceu compendiaria quadam oratione quam ſæpiſſime per diem utebantur, præſertim quum Satanæ inſidiis concuterentur. Id teſtantur Tertullianus, Cyrillus Jeroſolymitanus (3), aliique veteres.

VI. At vero ubi perſecutiones furebant, illos orantes contemplari ſuave erat. Ea enim animi humilitate, & conſtantia, ea infatigabili perſeverantia, eoque interno cultu, externaque corporis poſitione, quo ad martyrium ferendum ſeſe idoneos redderent, diurnis, nocturniſque precibus ingemiſcebant, ut vix mente adſequi poſſimus. Immo hoc adeo factu neceſſarium ducebant, ut orationis neglectui adſcriberent, ſi quis fidelium tormentorum vim reformidans, a chriſtiana deſciſceret virtute, atque idolis immolaret. Et ſane quoſdam ex Martyribus Lugdunenſibus primo a Chriſtianiſmo deſeciſſe, eo quod orationem neglexiſſent, mox vero, pro ipſis deprecantibus ſociis, ad ſaniorem mentem redactos ſtrenue pugnaſſe, turpemque defectionis notam proprio ſanguine deleviſſe, eorundem Acta indicant *apud Ruinart.*

VII. Neque omittendus Polycarpus, qui quum vitandæ perſecutionis cauſſa in vicinum Smyrnæ agrum conceſſiſſet, quumque dies noctesque orationi inſumeret, a militibus comprehenſus, iiſdem cibum, ac potum largiter dedit ea conditione, ut ad orandum horæ ſpatium indulgerent; ac demum ad ſupplicii locum ductus graviſſima, ac ſapientiſſima oratione Deum obteſtatus eſt, ut laboranti ſibi vires adderet, nec quidquam a ſe, quod chriſtiano viro, & ſacrorum Antiſtite indignum eſſet, fieri pateretur: *Acta Martyrii apud Euſebium* (4).

VIII. Duo hic coronidis loco adnotanda ſuperſunt. Primum ſcilicet, veteres fideles in orationem non ore magis, quam animo, & mente incubuiſſe; ut palam

(2) *Tertull. Lib. II. ad Uxor. Cap.* 5. *mulierem viduam a ſecundi Ethnici mariti nuptiis hac ratione revocare ſtudet*: Latebis ne tu quum lectulum, quum corpuſculum tuum ſignas... quum etiam per noctem exſurgis oratum?

Cyprianus de Orat. Domin. in fin. Hora nulla a Chriſtianis excipitur, quo minus frequenter, ac ſemper Deus debeat adorari... Qui autem in Chriſto, hoc eſt in lumine ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus... nulla ſint horis nocturnis precum damna.

Hieron. Ep. XXII. ad Euſtoch. Horam tertiam, ſextam, nonam, diluculum quoque, ac veſperum nemo eſt, qui neſciat... Noctibus bis, terque ſurgendum, revolvenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus.

(3) *Tertull. de Coron. Milit. Cap.* 3. Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. *Eadem habet Cyrillus Jeroſol.* Catech. IV.

(4) *Euſebius lib. IV. Cap.* 15. Conſurgens orare cœpit, in tantum divina repletus gratia, ut mirarentur omnes, qui aderant, precantem illum auſcultantes; multoſque illorum jam pœniteret, quod tam venerabilis, & divinus ſenex jamjam eſſet interficiendus.

Digitized by Google

palam teſtatur Clemens Alex. Stromat. Lib. VII. *Eſt Precatio... cum Deo converſatio, & collocutio; quare licet ſuſurrantes, & ne labra quidem aperientes tacite loquamur, intus clamavimus. Omnem enim intrinſecus paratam collocutionem Deus exaudit perpetuo.*

IX. Alterum vero, eo quoque modo in oratione perpetuo fuiſſe verſatos, ut quæcunque patrarent, vel patrare molirentur, omnia ad Deum referrent, atque ad ipſius gloriam perficerent. Quare Origenes contra Celſum Lib. III. Cap. 57. *Beatos fore pollicemur*, inquit, *idque audacter, & aperte, qui ex Dei legibus vitam agunt, qui omnia ad illum referunt, quique omnia faciunt, quaſi teſtis, & ſpectator Deus eſſet.*

§. II. *Sacrarum Scripturarum meditatio.*

X. Quamvis nocturnæ æque ac diurnæ precationes in Pſalmorum recitatione verſarentur, qnippe qui veluti compendiaria quædam Epitome quidqnid in reliquis Sacri Codicis voluminibus continetur, complecterentur, attamen ex aliis quoqne Sacrarum Litterarum libris aliquid legebantur, & qnidem in ſingulis horis, præcipue vero in officio nocturno, & in miſſis. In officio nocturno potiſſimum ex veteri Teſtamento, in Miſſa vero ut plurimum ex novo lectiones gravi, ac diſtincto vocis ſono legebantur, ut ab audientibus non excipi modo, verum & meditari poſſent. Quinimmo ad adjuvandam fidelium qnorundam tarditatem, vel in meditando ſegnitiem Epiſcopi, vel ex eorum imperio Presbyteri, aut Diaconi freqnenter Euangelia, alioſqne Sacræ Scripturæ Libros explicabant. Verum de hoc Cap. fuſius *Lib. II.*

XI. Adhæc fideles, quum domi erant, illud præcipuum habebant, ſcilicet tum de iis Scripturæ teſtimoniis, quæ in Eccleſia recitari audiverant, inter ſe conferre, ut firmius menti inhærerent; tum etiam aliquam horam in ipſarum lectione per ſe rurſus inſumere. Ad rem Auctor Conſtit. Lib. I. Cap. 4. & 5. *Scripturas S. aſſidua memoria meditare: ſcriptum eſt enim;* In lege ejus meditaberis die, ac nocte: *deambulans in agro, domi ſedens, cubans, & experrectus, ut in omnibus ſis intelligens.*

XII. In hoc quoque quammaxime parentum elucebant pietas, qui domi filiorum corona circnmſepti S. Scriptnras illis pro uniuſcnjuſqne ingenii modnlo explanare, &, ſi qnæ in ipſarum lectione obſcura loca illi offendiſſent, ea diluere proprii mnneris repntabant. Hinc idem *Auctor Lib. IV. Cap.* 10. parentes admonet, ut filios ſuos *doceant a pueritia litteras ſacras, ſeu divinas, omnemque divinam Scripturam eis tradant.* Hinc Origenes quam frequenter ſuum parentem Leonidem adibat, ut in difficiliorum Sacræ Scripturæ locorum intelligentia erudiretur. Id teſtatur Euſebius (5). S. Baſilius, ejuſqne frater Gregorius Nyſſenus gloriantur ſe eam fidem, quam avia Macrina a S. Gregorio Thaumaturgo inſtituta acceperat, fideliter ſervaſſe (6).

Adhæc

(5) *De Origene hæc habet Euſebius lib. VI. cap.* 2. Simplici, & obvia ſacrarum litterarum lectione minime contentus, majus aliquid inquireret, & profundiores jam tum ſenſus ſcrutaretur. Proinde patri faceſſebat negotium ſciſcitans ex illo, quid ſententia divinitus inſpiratæ Scripturæ ſignificaret. Ille vero coram quidem, & in ſpeciem puerum objurgabat, monens ne ſupra captum ætatis, neve ultra obvium, & apertum Scripturæ ſenſum quidquam requiret; clam tamen apud ſe ſingulari gaudio perfuſus Deo gratias agebat maximas, *&c.*

(6) *S. Baſilius Epiſt. LXXV.* Fidei noſtræ quæ poterit eſſe evidentior probatio, quam quod a nutrice beata femina (Macrinam dico illuſtrem illam) educati ſumus: a qua & beatiſſimi Gregorii verba, quæ memoriæ beneficio ad illius uſque ætatem ſervata ipſa retinuit, edocti ſumus, quibus illa nos adhuc infantes, tanquam pietatis dogmatibus, finxit, atque formavit?

Præclarum paternæ vigilantiæ in filiis erudiendis teſtimonium illud eſt, quod nulla apud veteres Eccleſiæ Scriptores veſtigia reperiantur alicujus conſcriptæ catecheſeos pro puerorum inſtitutione. Privatæ domus, *ut loquitur Chryſoſtomus Hom. XXXVI. in Epiſt. ad Corinth.* erant ceu privatæ Eccleſiæ, & Patres, ceu domeſtici quidam Paſtores. *Idipſum innuit quoque Auctor Conſtit.* loco nuper producto.

Adhæc plures Chriſtiani etiam laici ſacras litteras memoria retinebant, adeo aſſidue in earum lectione incumbebant. Huc faciunt bina veteris Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta, quæ vide inferne (7).

XIII. Monachi potiſſimum, Virgines, & Viduæ in Sacrorum librorum lectionem operam dabant. Auguſtinus de Doctr. Chriſt. Lib. I. in Prolog. de Antonio ſcribit: *Qui ſine ulla ſcientia litterarum Scripturas divinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe prædicatur*. Hieronymus *Epiſt. ad Demetriadem* Chriſti virginem ſic inſtituit, ut ſingulis diebus ſtatis horis Sacram Scripturam ediſcat: *Statue, quot horis Sacras Scripturas adiſcere debeas*. Et Viduæ Furiæ: *De Scripturis Sanctis habeto fixum verſuum numerum: iſtud penſum Domino tuo redde: nec ante quieti membra concedas, quam calathum pectoris tui hoc ſubtemine impleveris*. Demum in Epitaphio Paulæ indicat inter regulas Monaſterii ab ipſa inſtituti eam fuiſſe: ſcilicet *non licuiſſe cuiquam ſororum ignorare Pſalmos, & non de Scripturis Sanctis quotidie aliquid diſcere*.

XIV. Tantum poſtremo fidelium erat ardor, ac veneratio, qua Sacros Codices proſequebantur, uti eos etiam in itinere ſecum deferre conſueverint, ut mulieribus vero non paucæ Euangelium ad collum pendulum, tanquam pretioſiſſimum Cimelion geſtarent. Præterea ubi Sacri alicujus libri lectio inchoabatur, ſtatim viri caput nudabant, operiebantque ſuum mulieres, ac unuſquiſque exteriori habitu modeſtiam oſtentabant ſingularem. Id teſtatur Chryſoſtomus *Hom. LXXII. in Matth.* Hinc Martyres in Diocletiani perſecutione nullum gravius ducebant tormentum, quam ſacris libris viduari, in quibus perlegendis unice oblectari conſueverant. Unde etiam non improbabilis illa conſuetudo ortum duxiſſe videtur, ſepeliendi ſcilicet fideles una cum Sacris Libris; ut palam factum eſt, ex quo inventi ſunt in antiquis ſepulcris plures ſancti Euangelium ſuper pectus habentes.

§. III. *De Librorum ab Gentilibus Auctoribus conſcriptorum lectione.*

XV. Ea ſemper conſtans veterum Patrum mens fuit, idque ſemper docuerunt, turpe nimirum, & indecorum Chriſtiano viro eſſe Ethnicorum libros præ manibus habere, quum a ſacris voluminibus uberrimi Sapientiæ fontes hauriri facile queant. Hinc Auctor Conſtit. Lib. I. Cap. 6. *Ab omnibus gentilium libris abſtine. Quid enim tibi deeſt in lege Dei, ut ad illas gentium fabulas adpellas animum? Si enim Hiſtorica percurrere cupis, habes Regum libros; ſive ſophiſtica, & poetica, habes Prophetas, Jobum, Proverbiorum Scriptorem .... Sive lyrica expetis, habes Pſalmos; ſive antiquas origines, habes Geneſim; ſive legem, & mandata, inclytam Domini Dei legem habes*. Concilium Carthag. IV. *Can. XVI.* ſic præcipit: *Epiſcopus gentilium libros non legat*: id quod potiori jure de laicis intelligas.

XVI. Exſtat adhuc Epiſt. Gregorii Nazianz. ad Gregorium Nyſſenum, qua eum increpat, quod divinis libris abjectis, profana in manus ſumſerit (8).

De

(7) *S. Gregorius M. de Servulo quodam viro paupere in urbe Roma hæc habet Hom. XV. in Euang.* Nequaquam litteras noverat; ſed Scripturæ ſacræ ſibimet codices emerat, & religioſos quoſque in hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe legere ſine intermiſſione faciebat. Factumque eſt, ut quantum ad menſuram propriam adtinet, plene S. Scripturam diſceret; quum, ſicut dixi, litteras funditus ignoraret.

Euſebius De Martyr. Palæſtinæ Cap. IV. *De Apphiano divite quodam juvene, qui in ipſo adoleſcentiæ flore martyrium paſſus eſt, in hunc modum ſcribit*: Dum erat nobiſcum una, ex ſacris litteris exiguo illo temporis ſpatio, quo vixit, tantum percepit fructum, quantum a quoquam percipi poterat.

(8) *Nazianzenus Epiſt. XLIII. ad Gregorium Nyſſenum*. Ingloriam tuam gloriam, ut more veſtro loquar, minime laudant, tacitamque, & furtivam in deterius prolapſionem, ac dæmonum,

geſti-

De Macrina ſorore ſua idem Nyſſenus teſtatur in ejus vita, ab prima ætatula ſacris ſcripturis legendis, ac memoria retinendis operam dediſſe. Poetarum vero lectionem nullo non tempore vitaſſe, incumbente in hanc curam matre piiſſima (9). Hieronymus quidem in ipſo juventutis flore profanis litteris diligentiſſime ſtuduerat; hinc ſenior in ſacris ſuis ſcriptionibus aliquid exinde vel incaute permiſcebat: quo nomine a Rufino accuſatus eſt. Verum Hieronymus tum gravem ſcripſit Apologiam, qua inter cetera ea ratione ſe vindicat: mirum ſcilicet non eſſe, ſi quæ ab unguiculis memoriæ inhæſerit, ea ne ſenio quidem exoleſcerent; tum & alibi manifeſte indicat, quænam hac in re fuerit ſui animi ſententia. In *Epiſt.* enim *ad Damaſum* graviter de Clericis quibuſdam conqueritur, qui, poſthabitis Euangeliis, & Prophetiis, amatoria bucolicorum verſuum verba canebant, ac Virgilium volutabant, ſic ajens: *Quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe faciunt voluptatis*. Confer ſupra *Cap. X. §. VII.*

XVII. Ergo Hieronymus ſicuti provectioribus ab Gentilium lectione abſtinendum cenſuit, ita pueris eam indulſit, vel quod inevitabile id malum crederet, vel quod longe uberior illud compenſaret utilitas. Negandum enim non eſt ex ea lectione plurimum hauriri poſſe utilitatis; id quod in cauſſa fuit, cur nonnulli Patres illam commendarint. At contra neque dubitandum eſt, pleraſque inde ſuum duxiſſe hæreſes ortum: uti obſervant Epiphanius, aliique (10). Qua de re adeundus omnino S. Baſilius, qui Tractatu integro *Orat. XXIV.* ad hanc cauſſam confecto nimiæ Ethnicarum eruditionum delectationi modum imponit, quænam opera ſint legenda, quæ ne attingenda quidem demonſtrans, tum cautiones inter legendum adhibendas edocet, ac demum quaſnam ex ea lectione liceat decerpere utilitates deſignat.

§. IV. *Veteribus Chriſtianis manuum labor ſummopere cordi erat.*

XVIII. Ex Fidelibus non vulgares modo, ut ſibi victum, veſtitumque compararent, verum & divitum complures labori manuum incumbebant; vel quod propria bona pauperibus fuiſſent elargiti; id quod potiſſimum imminente perſecutionis æſtu patrabant, ut expeditiores ad martyrium ſubeundum invenirentur; vel duntaxat ne deſides, & otioſi vitam traducerent. Hinc Auctor Conſtitutionum Lib. I. Cap. 4. *Arti tuæ, operique tuo animum intendens ſtude, ut, quæ Deo accepta ſunt, facias*. Et Lib. II. Cap. 63.

peſſimam, ut ait Euripides, ambitionem. Quid enim tibi accidit, Vir ſapientiſſime, quidque tibi in teipſo diſplicuit, ut ſacris illis, ſuaviſſimiſque libris, quos quondam populo lectitabas (non enim hæc audiens erubeſcas) calcatis, & projectis .... falſos, & amarulentos in manus ſumſeris, ac Rhetor vocari, quam Chriſtianus malueris .... Verum ſerius quidem; at aliquando reſipiſce.

(9) *S. Gregorius Nyſſenus in Vit. Macrinæ Sororis*: Studebat quidem mater, ut filia erudiretur: ſed non iſta tamen externa diſciplinarum ſerie, qua plerumque ex poetarum lectione primæ diſcentium ætates imbuuntur. Turpe enim, & indecorum exiſtimabat, ut tragicis feminarum perturbationibus, unde ſcribendi principia, & argumenta poetæ ſumpſerunt, vel comœdiarum fœditatibus, vel pudendis eorum, qui tot ærumnas ad Ilium pertulerant, factis tenerum, ac bene formatum animum infici, & minus gravibus de feminis narrationibus quodammodo coinquinari. Proinde quæ ex divino ſpiritu dictata Scriptura primæ illi ætatulæ faciliora, aptioraque videbantur, dicenda proponebat. Cum primis autem Sapientiam Salomonis, idque ex eo potiſſimum, quod ad vitam, & mores maxime conducebat. Erat etiam Pſalmorum haudquaquam ignara, præfinitamque eorum partem ſtatutis temporibus percurrebat. Nam ſive ſurgeret e lectulo, ſive ad ſtudia accederet, ſive diſcederet ab eis, ſive cibum ſumeret, ſive a menſa recederet, ſive cubitum ſe conferret, ſive ad precandum eſurgeret, ſemper ut bonam, ſeque nullo modo deſerentem comitem Pſalmorum habebat cantilenam.

(10) *Epiphanius Hær. LXIV.* Ita & tu Origenes a græcanicis illis diſciplinis mentis oculos excæcatus in eos, qui tibi adhæſerunt, tuum virus evomuiſti, iiſdemque exitialis cibi loco fuiſti: atque iis ipſis rebus, quæ detrimento tibi fuerunt, detrimentum illis adtuliſti.

63. pluribus demonſtrat, quam proprium hominis Chriſtiani ſit, artem aliquam profiteri, tam ut victum ſibi, veſtitumque paret, tum ut egentibus, ac inertibus neceſſaria miniſtret, tum demum ne otio torpeſcat: dein orationem ſic concludit: *Cujus labores tum reges, tum privati ad valetudinem uſurpant.... Igitur operamini adſidue; nota enim otioſi inſanabilis eſt: Si quis autem apud vos non laborat, ne manducet. Odit enim Dominus Deus noſter otioſos.* Auream hanc in rem Clementis Alexandrini ſententiam vide inferne (11).

XIX. Jam vero ex artibus eas præcipue ſeligebant, quæ ne ſuſpicionem quidem ſuperſtitionis ingererent, & cum chriſtiana humilitate magis apte cohærent: hinc, uti poſt pauca demonſtrabimus, vetitum Chriſtianis hiſtrionem agere, vel ſcenicum, Idola conficere in gentilium uſum, aliaque id genus, quæ ſuperſtitionis vel ſpeciem præſeferrent. Igitur vita chriſtiana erat veluti quædam orationis, lectionis, laboris, ac etiam interdum impenſæ in proximos pietatis, ac miſericordiæ exercitatio: quæ ita alia aliis ſuccedebant, ut nonniſi ob vitæ neceſſitates ejuſmodi ſtudium interrumperetur.

XX. Quamvis vero Chriſtiani ab iis artibus abhorrerent, quibus animus diſſipari poſſet, uti erat militia, munera publica &c. attamen, uti mox videbimus, eas exercere non omnino vetabantur; præſertim ſi in ipſis, antequam ad baptiſmum accederent, verſati fuiſsent. Hinc in exercitibus Romanis haud raro integræ erant Chriſtianorum cohortes, ac legiones, uti binæ illæ ſic dictæ *Fulminans*, & *Tebæa*, quarum prior ſub Marco Aurelio: altera ſub Maximiano Herculeo martyrium paſſa eſt.

§. V. *Veterum Fidelium Conjugia.*

XXI. Quamvis nunquam in Eccleſia fideles defuerint, qui virginitatem ab infantia perpetuo ſervaverint: uti & PP. antiquiſſimi teſtantur, & Acta MM. ſatis indicant: ex iis tamen plerique vivendi in matrimonio inſtitutum conſectabantur. Verum Cœlibes virginitatem, non uti Ethnici, licentiæ cauſſa colebant, ſed tantum virtutis amore; contra Mariti matrimonium, non ut libidini indulgerent, ſed tantummodo ut filios in Domino procrearent, amplectebantur. Minutius Felix in Octavio: *Plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur.* Juſtinus M. Apol. I. n. 29. *Vel omnino matrimonium non inimicus, niſi ad liberorum educationem, vel ſi a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus.* Eadem habet Clem. Alex. *Pædag. Lib. II. cap.* 10.

XXII. Quia porro non defuere hæretici, qui vel ſecundas nuptias, vel matrimonium generatim damnarent, quamcumque ſexuum conjunctionem ſeu crimen traducentes; quibus Clemens Alex. illud Pauli prænuntium adplicat *I. Timoth. IV.* ſcilicet non defuturos in Eccleſia, *qui diſcedentes a fide, prohiberent nubere;* hinc veteres Patres matrimonii ſanctitatem pluribus commendant, & exemplis Apoſtolorum Petri, & Philippi confirmant, qui & mariti fuerunt, & filios procrearunt. Id teſtatur diſerte Clemens Alexandrinus (12). Et ſane ſemper in Ec-

(11) *Clemens Alex. Pædagogi lib. III. cap.* 10. Neque vero ſunt abducendæ mulieres a labore corporis; ſed non ad luctam, & curſum ſunt eahortandæ; verum in lana, & tela ſunt exercendæ, & ut piſtrici adſint, ſi opus ſit. Præterea autem ipſas per ſe uxores oportet ex penu adferre ea, quibus opus habemus: & neque eis ad piſtrinam, aut ad molendinum accedere turpe; ſed neque in coquendo obſonio verſari, modo id ſit marito gratum, mulieri domus cuſtodi, & auxiliatrici eſt dedecus. Jam vero ſi & per ſe poterit veſtes ſtragulas excutere, & ſitienti marito potum præbere, cibumque adponere honeſtiſſime, ſeque ad moderatam ſanitatem ita exercuerit, talem mulierem ſuſcipit *Pædagogus* . . . Quo ſi *viri* ligonem tractaverint, non eſt hic illiberalis, nec ſordidus quæſtus œconomici ad agricolam pertinentis exercitii . . . Pulchrum eſt autem etiam aquam per ſe haurire, & ligna ſcindere, quibus ſit uſurus. Jacob paſcebat oves &c. *Gen. XXX.*

(12) *Clemens Alex. Stromatum lib. III.* An etiam reprobant Apoſtolos: Petrus enim, & Philippus filios procrearunt: Philippus autem filias quoque ſuas viris tradidit.

Eccleſia pro rato habitum eſt, matrimonii ſcilicet σκοπὸν nonniſi filiorum procreationem eſſe, in qua conjuges ſpecialiori quadam ratione Dei imaginem repræſentant: cum Deo enim ad hominis concurrunt productionem.

XXIII. Quod vero ad voluptatem ſpectat, conſulendam rationem, atque in primis honeſtatem docebant; ac potiſſimum præ oculis habendum, tum Deum ſua omniſcientia occulta quæque etiam in tenebris intueri; tum & Chriſtianorum corpora tanquam ſacra quædam templa a Spiritu S. inhabitari. *I. ad Corinth. III. & VI.* & *II. ad Corinth. VI.*

XXIV. Fideles porro uſu matrimonii abſtinebant, tum ſacris feſtis diebus, tum jejunii tempore: atque hinc ſuam videtur traxiſſe originem prohibitio illa Eccleſiaſtica non celebrandi nuptias quibuſdam anni temporibus. Id etiam in more habebant, quum ex conſenſu mutuo thorum dividebant, ut orationi vacarent; quod faciendum docuit Apoſtolus *I. ad Corinth. VII.* Athenagoras *Legat. pro Chriſt.* (13). Clemens Alexandrinus *Strom. Lib. III. cap.* 12. Gnoſticum, ſive Chriſtianum perfectum admonet, ut poſtquam filios genuerit, ſuam conjugem, ceu ſororem habeat. Tertull. quoque teſtatur plures ſua ætate fideles perpetuam ex conſenſu in matrimonio continentiam ſervaſſe: atque adeo Matrimonii Chriſtiani felicitatem graphice deſcribit (14).

XXV. Inter præceptiones inſtitutionis filiorum illa erat; ſcilicet ut Parentes *tempore ad conjugium maturo filios matrimonio jungant, ne in ipſo flore ætate ferveſcente iis moribus evadant, ut ſeſe dedant meretricibus, &* ab iiſdem parentibus *ratio in die judicii a Domino Deo repoſcatur*: Auctor Conſt. *Lib. IV. cap.* 11. Tum qui pupillos Chriſtiana caritate in filiorum locum ſuſcipiebant, eoſdem cum ſuis filiis potius, quam cum alienis matrimonio copulare ſolebant: *ibid. cap. I.* Quod profecto indicat quam parum in Chriſtianis matrimoniis turpi pecuniæ quæſtui locus patuerit. Conſulendus quoque erat Epiſcopus, ut matrimonia ſecundum Deum fierent, & non ſecundum concupiſcentiam. S. Ignat. *Epiſt. ad Polycarpum*. Publico demum, & ſollemni ritu in Eccleſia matrimonia celebrabantur, Epiſcopi conſecrabantur εὐλογίᾳ *benedictione*, & S. Sacrificii oblatione confirmabantur. Poſt hæc demum Sponſi invicem dexteras jungebant; atque mulier a viro annulum accipiebat. At de hoc Capite *Lib. III.* redibit ſermo, ubi *de Ritibus in Sacramentorum adminiſtratione olim in Eccleſia adhibitis agemus*.

XXVI. Jam vero quum tanta apud Chriſtianos ſanctitate inirentur Conjugia, nil mirum ſi parentes ſuos filios & cura educarent quantamaxima, & ſingulari quadam, ſinceraque complecterentur caritate. Hinc Juſtinus M. *Apolog. II. n.* 4. idcirco ſervari a Deo Chriſtianos ſcribit, ut filios quos gignunt, in religione, & virtute inſtituerent: quo in capite mirum quantum Ethnicis præſtabant. Lactantius *Divin. Inſtit. Lib. VI. cap.* 20. Ethnicos carpit, quod ſuos infantes exponerent, quod eos non educarent, quod in virtute non inſtituerent.

XXVII. Præterea quum Chriſtiani filios ſuos ſincero complecterentur amore, hinc nil optabant magis, quam ut illos Martyres decedentes viderent. Impediebant quidem, ne ipſi ſeſe ſua ſponte Judici offerrent: id quod erga Origenem ſua mater præſtitit: *Euſeb. Lib. VI. cap.* 2. At ubi divina voluntate, cauſſa religionis, in carceres detrudebantur, tormentiſve adficiebantur, tunc ipſis præſto erant parentes, non ut eos fletibus, ac ſingultibus imbelles redderent, ſed ut con-

(13) *Athenagoras Legation. pro Chriſtianis num. XXXI.* Unuſquiſque noſtrum uxorem ſuam, quam ſecundum Leges a vobis poſitas duxit, uxorem exiſtimat uſque ad Liberorum procreationem. Quemadmodum enim Agricola jactis in terram ſeminibus meſſem exſpectat, nec alia ſuperinjicit, ſic nobis cupiditatis modus procreatio liberorum.

(14) *Tertullianus Lib. I. ad Uxorem Cap. 6.* Quot enim ſunt, qui ſtatim a lavacro carnem ſuam obſignant? Quot item, qui conſenſu pari inter ſe matrimonii debitum tollunt? Voluntarii ſpadones pro cupiditate Regni Cœleſtis.

conſtantiam iis inſpirarent, & ad ſupremam adſequendam victoriam excitarent: *Acta S. Symphor. S. Felicitatis, & SS. Jacobi, & Mariani apud Ruinart.*

XXVIII. Viciſſim vero eadem pietatis officia parentibus ſuis filii exhibebant: eos enim non venerabantur modo, verum & in rebus omnibus juvabant, atque adeo iiſdem in omnibus dicto audire ſatagebant. Origenes annos natus ſeptemdecim Patri ſuo Leonidi, dum ad ſupplicium trahebatur, mira conſtantia adſuit: Euſeb. *Lib. VI. cap.* 1. Ubi vero parentes Ethnicos ſortiebantur, iiſdem etiam prorſus obtemperabant; niſi quid contra Chriſtianam religionem facere eos juberent: quin immo aſſiduas pro iiſdem orationes Deo fundebant, ut, eorum mentibus divino lumine irradiatis, Chriſtianæ Religionis veritatem aliquando agnoſcerent: *Acta SS. Montani, & Lucii apud Ruinart.*

§. VI. *Conjugum modeſtia, mutua fides, & obſequium.*

XXIX. Chriſtianis mulieribus illud in primis proprium fuit, ita ſcilicet ſe gerere, ac eam vitæ rationem tenere, ut in omnibus functionibus inceſſu locutione congreſſu aliiſque ſumma eluceret modeſtia. Quare ſic eas inſtituit Auctor Conſtit. Lib. I. cap. 8. *Si vis fidelis eſſe Domino, eidemque placere, ne comas te, ut alienis viris placeas, neque meretriculæ capillum calamiſtratum, aut veſtitum, aut calceos ad geſtandum imiteris, ut eos, qui iſtis irretiuntur, ad te pellicias.* Neque excuſationis ergo a mulieribus obtendi poterat, quod iſtiuſmodi ornamenta non ad peccatum, ſed ad cultum duntaxat adhiberent: conſtans enim Chriſtianæ caritatis dogma eſt, ut homo neque crimen ipſe admittat, neque aliis ſcandalo ſit: Auctor Conſtit. *ibid. Hæc enim tametſi non facias ad peccatum, ſed tantummodo ad cultum, tamen ne hac quidem ratione, & via futuras pœnas effugies, quæ alium coegiſti, ut ad te adpetendum alliceretur, neque caviſti, ut neque ipſa peccato ſuccumberes, neque aliis ſcandalo.*

XXX. Adhæc ſi Chriſtianis omnibus contendere vetitum ſummopere erat, potiori certe jure id in mulieribus enorme peccatum reputabatur; præſertim vero ſi contentionem adverſus viros haberent. Qua de re ſic mulieres admonet Auctor Conſtit. *ibid. cap.* 10. *Vir tuus, ſi infidelis ſcandalum paſſus tua cauſſa, in Deum erit blaſphemus, & tu apud Deum illud væ ſortita reperiaris*; Væ enim, *inquit*, ei, per quem nomen meum blaſphematur. *Si autem fidelis eſt, cogetur, ut qui Scripturas ſciat, dicere verbum, quod in Sapientia Domini ſcriptum eſt:* Melius eſt habitare in ſolitudine, quam cum loquace, & pugnace muliere.

XXXI. Demum tum alienorum virorum adſpectus mulieribus fugiendus erat, tum viris ſuis fidelitas ſervanda, ac ſubjectio. Unde idem Auctor *ibid. cap.* 8. mulieres ſic monet: *Mulier ſubjecta ſit viro ſuo, quoniam vir caput eſt mulieris . . . Time virum tuum mulier, & reverere eum, ita ut ei ſoli placere velis, & ubi ei miniſtrandum eſt, voluntati ejus ſatisfacias.* Eadem præcepta mulieribus jam dederat Paulus *ad Epheſios V.* & Petrus *Epiſt. I. Cap. III.*

XXXII. Quæ vero ſint virorum erga ſuas Uxores munera obeunda, iidem Apoſtolorum Principes docent: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam . . . Ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua*: Ita S. Paulus *ibidem*. S. Petrus *ibidem* viros hortatur cohabitare *ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.*

§. VII. *Veteres Chriſtiani inceſſu, veſtium ornatu, domeſticaque ſupellectile modeſtiam præſeferebant.*

XXXIII. Fideles una modeſtiæ nota a reliquis hominibus diſcerni oportere, haud ſemel in ſuis Epiſtolis Paulus monuit. Qua de re accerrimi illi Apoſtolicæ doctrinæ cuſtodes 1. mirum quam bel-

le

le non adfectata modeſtia incedebant; atque ejuſmodi exteriorem habitum vel auſterum, vel neglectum, vel ſaltem ſerium, & gravem præſeferebant, quo virtutis amorem & in ſociorum animis confoverent, & in Chriſtiani nominis hoſtium cordibus ingenerarent: Minucius Felix *in Octavio* (15).

2. In corporis nitore ſingularis ſimplicitas elucebat. Ementitis coloribus ſive vultum, ſive capillos medicare cane pejus, & angue vitabant; ut propterea qui ſecus agerent, graviſſime peccare dicerentur, gravi animadverſione puniendi. Uti profecto acerrime in iſtiuſmodi homines invehitur Cyprianus *Lib. de Lapſis* (16), qui & *ibidem* pleroſque ex Chriſtianis, qui in Decii perſecutione idolis immolaverant, teſtatur ex iis fuiſſe, qui fictis coloribus faciem capilloſque fucare conſueverant.

3. In veſtium cultu ſicut a munditie non abhorrebant, ita luxum, ac faſtum caute declinabant; quemadmodum enim cibo frui ad delicias non licere, ita & veſtibus uti ad luxum vetitum eſſe ſciebant. Quam ob cauſſam neque coloribus nimis ſplendidis, neque pannis holoſericis, aut cujuslibet luxum præferentis materiæ veſtitu utebantur. Hinc Apollonius antiquus Eccleſiaſticus Scriptor apud Euſebium *Lib. V. Cap.* 18. de falſis Montaniſtarum Prophetis ſermonem inſtituens hæc iis exprobrat: *Dic mihi, tingit ne capillos Propheta? an ſtibio oculos linit? an ſtudet ornari?* Sed quod caput erat, ſive pallium geſtabant, ſive togam, ſive cultiori induebantur veſte, quæ honeſto loco natos decebat, ſive viliori, quæ plebejorum propria; uſque tamen modeſtæ, moderatæque mentis indicium adſpectantibus præbebant. Adhæc ſummopere cavebant, ne unquam veſtes adhiberent, quas ſuperſtitionem, cultumque idolorum ſubolere noſſent; quo nomine Perpetua, & Felicitas, quæ medio Seculo III. martyrium ſubiere, ab antiquis Patribus commendantur, quippe quæ nulla ratione paſſæ ſint Ethnicis veſtiri veſtibus: *Acta earundem MM. apud Ruinart.* Poſtremo omittendum non eſt nefas Chriſtiano ſemper in Eccleſia habitum, alienum veſtitu ſexum ſimulare; utpote quod in Creatoris injuriam redundaret. Et ſane homo ſexum alienum adſectans Supremo Opifici obverſari, atque in ipſius voluntatem agere videtur; quaſi illum ſuæ pigeat conditionis. Julius Firmicus de errore profanarum Relig. Cap. IV. *Quod hoc monſtrum eſt, quodve prodigium? negant ſe viros eſſe, & ſunt. Mulieres ſe volunt credi, ſed aliud qualiſcunque qualitas corporis confitetur . . . Nolite corpus, quod Deus fecit, ſcelerata Diaboli lege damnare* . . .

4. Ab domeſtica tandem ſuppellectile luxum, ac ſplendorem prohibebant; quippe qui ſpiritualibus potius, quam caducis, ac fluxis divitiis oblectarentur. Quare nimiam apud Romanos inductam in privatis ædibus operis magnificentiam, ac ſupellectilis opulentiam, veluti quid ab Chriſtiana modeſtia alienum, damnabant. Fruſtra igitur in Chriſtianorum domibus quæritaſſes tabulas eburneas, lectulos argenteos, vaſa aurea, pannos ex purpura, & auro contextos: quæ quidem in deliciis ſummopere erant Romanis. Clemens Alex. in Pædagogo *Lib. II. cap.* 3. Atque ut rei hujus exemplum aliquod proponamus, hic ſubnectere præſtat verba Auctoris *Actor. MM. Nicomedienſium*, qui deſcribens ſupellectilem, quam in cubiculo Domnæ Virginis valde divitis invenit Provinciæ Præfectus, cui tanquam Chriſtianæ fidei cultrix delata fuerat, hæc habet: *Quum aperuiſſet invenit protinus, non ut ipſe ſperabat, ſed ea, quæ vere erant veneranda; nempe Divinæ Crucis figuram, & librum ſacroſanctum . . . cujus præclaræ opes erant duæ ſtoreæ in nudo ſolo ſtratæ, fictile præterea thuribulum,*

(15) *Apud Minucium Felicem in Octavio Cæcilius Chriſtianum in hunc modum adloquitur*; Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis; reſervatis unguenta funeribus.

(16) *Cyprianus Lib. de Lapſis*: Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati.

& lucerna, & lignea arcula, in qua repoſuerat ſacram oblationem: Baronius ad annum CCXCIII. num. 29.

§. VIII. *Veteres Chriſtiani Theatris, aliiſque Spectaculis intereſſe nefas ducebant.*

XXXIV. Licet Chriſtianis moribus animi identidem remiſſiones, atque innocuæ oblectationes non obverſarentur (cito enim rumpes arcum, ſi tenſum ſemper habueris, ut fert protrita ſententia), Theatrum tamen, Amphitheatrum, & alia id genus ſpectacula, veluti immane nimis diſcrepantia, ac repugnantia Chriſtianis muneribus ſemper credita fuere. Nam ut ſuperſtitionem prætereamus, quæ in hiſce ludis principem obtinebat locum, nullum ferme erat vel enorme ſcelus, quod impune perpetrare non licuiſſet. Quamobrem, ut auctor eſt Salvianus, inter Baptiſmi abrenunciationes illa quoque adcenſebatur: *Abrenuncio Satanæ, pompis*, SPECTACULIS, *& operibus ejus*. Lib. VI. de Provid. pag. 197. Nullam igitur admirationem ciere debet, ſi veteres illi heroes ab hujuſmodi periculorum plenis ſpectaculis animum, oculoſque abalienarent (17): quin etiam ipſa maximopere exſecrari ſoliti fuerint, utpote quæ libidinem vellicarent, animum ad iram, & feritatem incenderent, & Spiritum Sanctum, qui a turbis, & frequentia abhorret, a cordium ſede deturbarent: Tertullianus *de Spectaculis* (18).

XXXV. Omne ludorum genus Chriſtiani improbabant, illos præſertim, in quibus non luſorum induſtria, ſed ſors primas habet: nam inter innumera, quæ pariunt animis nocumenta, non ultimum quidem illud eſt, quod otium alant, ac foveant. In eodem porro habebant loco tum immodicos riſus, ac ſcommata, quæ illos cient, tum ineptas locutiones, & ſcurriles geſticulationes, tum vel maxime quævis acta, ac verba, quæ obſcœnitatem ſaperent. Illi demum omnem in id locabant operam, ut fidelium vita ab omni opere vel otioſo, vel nimis humili, ac populari, vel parum decoro, & honeſto aliena prorſus foret. Hinc inepta verba, & garrulitates tam popelli ore tritas Apoſtolus damnat, quum *ad Coloſſ. Cap. IV. verſ. 6.* ſcribat: *Sermo veſter ſemper in gratia ſit conditus: ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.* Atque hinc ſane erat, quod ſilentium ſummopere fidelibus commendabatur.

XXXVI. Hæc ſane diſciplina ætate noſtra fortaſſe apud nonnullos nimis adfectatam ſapit ſeveritatem. Conſiderare tamen oportet ſcurrilitates paſſim in Scripturis damnari; adhæc Jeſu Chriſti, ac ſuorum diſcipulorum vitam uſque amabilem ſeveritatem præſetuliſſe; præterea Apoſtolica D. Pauli ſanctione verborum nugas chriſtianorum moribus e regione opponi, atque ipſam ferme *ἀτρεπτελίαν*, quam Ariſtoteles in virtutum numerum recenſet (19). Chriſtianæ igitur vitæ ratio ea eſſe debet, quæ in perpetuam Pœ-

(17) *Huc quoque faciunt, quæ habet Cyrillus Jeroſ. Catech. Myſtag. I. n. 4.* Poſtea dicis: *Et omni pompæ ejus*. Pompa diaboli eſt in theatris ſpectacula, in hippodromo curſus equorum, & venationes, & reliqua omnis ejuſmodi vanitas . . . Non ergo ſis curioſus frequentiæ ſpectaculorum, ubi conſpicias mimorum petulantias omni contumelia, & impudicitia refertas, & virorum effeminatorum choreas ſecteris . . . hæc omnia ad pompam diaboli pertinent.

(18) *Tertull. de Spectaculis Cap. 15.* Deus præcepit Spiritum S. . . . tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare . . . hinc quomodo cum ſpectaculis poteſt convenire? omne enim ſpectaculum ſine concuſſione ſpiritus non eſt. Ubi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod ſcilicet voluptas ſapit . . . ceterum ſi ceſſat adfectus, nulla eſt voluptas, & eſt reus jam ille vanitatis.

(19) *Græca vox εὐτραπελία, quæ in Vulgata* Scurrilitas *redditur, apud Profanos* Virtutem ſignificat, quæ honeſtis facetiis utitur: *Ita Ariſtoteles* Ethic. Lib. IV. Cap. 14. *Profecto non omnes facetias, jocoſque damnat Chriſtiana Religio. Quod vero perraro homines ſe contineant, atque ægre ab irridendis ceterorum geſtis abſtineant: raro etiam facetiæ permittuntur: præſtatque iis omnino abſtinere,*

Pœnitentiæ exercitationem impendatur, tum ut peccata diluantur, quum etiam ut ſenſibiles cohibeantur cupiditates. Semper enim in Eccleſia pro rato habitum eſt, fidelibus interdictum nimis ſenſibili voluptate trahi; illud tantum eis indulgeri, ut aliquando arcum remittant, & honeſto ſolamini ex intervallo vacent; ſecus enim fragilis hominum natura aſſiduis, ac nunquam intermiſſis laboribus nimium defatigaretur. Quum corpus laborat, atque citra modum exercetur, vires reficiuntur; ſimplex vero quies, nutritio, ac ſomnus ſpiritum recreant. Nihil igitur cauſſæ eſt, cur ad hominum levamen ludi, ac nimium ſenſibiles voluptates omnino conſtituantur, præſertim cum non pauci ſint, ſive inopes, ſive divites, qui bona corporis valetudine fruantur, licet hujuſmodi oblectamentis non indulgeant.

XXXVII. Ex his autem nemo velim inferat, veteres fideles ſpectaculis, ludis, nimiumque ſenſibilibus voluptatibus carentes triſtem ac mœrore obſitam vitam egiſſe. Apoſtolus enim eos ſæpe monuit, ut lætarentur; quod ſane nunquam egiſſet, ſi id ipſis *ἀδύνατον impoſſibile* eſſet arbitratus. Quinimmo iiſdem lætitia fida erat comes: eam enim vitæ rationem ſectabantur, quæ ab immodicis adfectibus, curis, ac ſollicitudinibus, quæ præcipue animos torquent, prorſus abhorrebat. Ipſis enim avaritia, & ambitio ignota erant nomina. Illos nullo pæne afficiebant mœrore calamitates, atque inopiæ; quum nil hujus vitæ bona diligerent. Præterea animi tranquillitas, virtutis oblectatio, ſuavitas, quæ ex portando Chriſti jugo oritur, miſeræ vitæ brevitas, beatæ vero certa ſpes, tot veluti lætitiæ erant fontes, unde perpetuum plerumque gaudium haurire licebat. Adde his, quod ipſi gnatorum cura non angebantur; ſuis enim filiis nonniſi veram felicitatem adprecabantur; hoc eſt æternam. Hinc Patres non pigebat ſuos natos orphanos relinquere, præſertim quum Martyres decedebant: nam certi erant, Eccleſiam piæ matris vice erga illos fungi, atque eoſdem tutari: *Acta SS. Perpetuæ, & Felicitatis num. XV.* Quid mirum igitur, ſi homines ab temporalibus bonis tam alieni ſenſibiles voluptates faſtidirent? Utinam & nos Heroas illos imitari ſtuderemus!

XXXVIII. Jam vero tria potiſſimum ſpectacula antiquitus ſolemnia erant: *Theatrale*, ſcilicet, *Amphitheatrale*, & *Circenſe*, quæ ſingula uſque vitanda ſui muneris veteres Chriſtiani duxerunt. Theatra primum, utpote quæ oculos, aures, animum impudicitiæ cœno deturparent. In iis enim præ reliquis vitiis una impudicitia ſine larva, & aperta fronte debacchatur. Quod Chriſtianæ virtutis caput tanta religione veteres fideles tuebantur, ut Ethnici hanc ob rem ipſos contumeliis adficerent, & in judicium deferentes inter reliqua accuſationis capita iſtud quoque ipſis objectarent. Apud Minucium Felicem in Octavio Cæcilius in hunc modum exprobrat: *Honeſtis voluptatibus abſtinetis, non ſpectacula viſitis, non pompis intereſtis, convivia publica abſque vobis*. Cui Octavius reſpondet: *Nos igitur, qui moribus, & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus, & pompis veſtris, & ſpectaculis abſtinemus, quorum & de ſacris originem novimus, & noxia blandimenta vitamus*.

XXXVIII. Chriſtiani igitur ne hilum quidem illis permoti increpationibus, jure, ac merito eorum inſaniam hac potiſſimum ratione retundebant; quod ſcilicet eorum Majores quos Sapientum nomine venditabant, hæc ipſa Theatra ſummopere execrarentur, ac non modo tanquam virtutis infenſiſſimos ſcopulos, verum & ut vitiorum omnium fontes ac capita reputarent; quodque illi ipſi qui ſe religioſiſſimos paternarum legum & inſtitutorum cultores profitebantur, Magiſtratus nimirum & Sacerdotes, dum hiſce publicis coram plebe ſpectaculis intereſſent, ipſorum Numinum in fabula in-du-

ſtinere, quam aut lædendæ caritatis, aut amittendæ gravitatis Chriſtiano dignæ diſcrimen incurrere. Hieronymus, Chryſoſt. aliique hic.

Digitized by Google

ductorum contemptum comprobarent. Ita Arnobius, Tertullianus, aliique veteres (20).

XL. Non impari præterea ſtudio ab Amphitheatris abſtinebant, ipſa nullo non tempore tanquam Chriſtianæ manſuetudini e regione oppoſita ſugillantes. Et re quidem vera quidnam aliud amphitheatrum erat, niſi feritatis, & inhumanitatis funebre ſpectaculum? Ibi enim inter cædes, & ſanguinem, inter funera, & Libitinæ toros, inter tubarum feralem clangorem, & interfectoribus plaudentium, & faventium ſtrepitus, interque ferarum rugitus oculi perpetua feritate depaſcebantur, aures impiis vocibus perſonantes ad pietatis poſtea ſenſus obſurdeſcebant, animus denique miſericordiæ ſtimulis obſtupeſcebat. Athenagoras, Theophilus Antiochenus, aliique Patres (21); at præcipue audiendus Lactantius Lib. VI. Cap. 20. *Quonam pacto immotis palpebris, ac intaminata mente fas fuiſſet demirari, quorum religio nil aliud ſapit, quam manſuetudinem, & miſericordiam; immo ne in adverſarios quidem iraſci ſinit. Hujus igitur publici homicidii ſocios, & participes eſſe non convenit eos, qui juſtitiæ viam tenere nituntur .... Si homicidium facere nullo modo licet, nec intereſſe omnino conceditur, ne conſcientiam profundat ullus cruor.* Et Gregorius Naz. Jamb. III. *Cruenta fugias plus adhuc ſpectacula: Hæc ſeſſitantes improbi ſpectant viri.*

XLI. Quod demum ad Circenſes ludos attinet, etiamſi ipſi prima fronte innocui viderentur, iis tamen intereſſe Fideles turpe putabant; non enim omni carebant vitio. In iis & faventium ſectarum tumultus, & adſtantis populi furor omnia miſcebant. Quid vero quod odia, & inimicitiæ ab iis ortum quam ſæpiſſime ducebant, ac non raro turbæ, & multo cum ſanguine rixæ ciebantur? Jure igitur Auguſtinus, licet non adhuc Chriſto nomen dediſſet, Circum adpellavit *Circenſem inſaniam*. Mox vero deſcribens qua ratione Alypium a ludis Circenſibus revocarit, hæc habet: *Reſiluerunt omnes Circenſium ſordes ab eo, ampliuſque illuc non acceſſit* (22).

XLII. Porro præcipua cauſſa, qua permoti veteres fideles hoſce ludos vitabant, illa ferme erat; nimirum ſuperſtitionem, & idololatriam in iis primas tenere. Ex Deorum enim immolationibus ludos auſpicabantur, & claudebant cum iis ethnici: quemadmodum *Tertull. in Lib. de Spectac. Cap. XVI.* innuit; ubi de variis ſpectaculorum ſpeciebus verba faciens ait: *Omnia propter inſtructa inſtituta, & ex diaboli rebus inſtructa*. Et ibid. Cap. VI. *Quanta præterea ſacra, quanta ſacrificia præcedant, intercedant, ſuccedant*. Et Octavius apud Minucium: *Spectaculis abſtinemus, quorum & de ſacris originem novimus*.

§. IX.

(20) *Arnobius Lib IV.* Sedent & in ſpectaculis publicis Sacerdotum omnia, Magiſtratuumque collegia, Pontifices Maximi, & Maximi Curiones. *Tertull. Apolog. Cap. VI.* Nunc religioſiſſimi legum, & paternorum inſtitutorum protectores, & cultores reſpondeant velim de ſua fide, & honore, & obſequio erga majorum conſulta, ſi a nullo deſciverunt. Quonam illæ leges abierunt, quæ theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant. *Et in Lib. de Spectaculis*: Sæpe cenſores renaſcentia cum maxime theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant.

(21) *Athenagoras Apolog.* Quis gladiatorum, vel ferarum ludos, præſertim ſi a vobis dentur, non plurimi faciat? Nos autem quum homicidium ſpectare pæne idem eſſe arbitremur, ac perpetrare, nuntium his ſpectaculis remiſimus. *Theophilus Antiochenus Lib. I.* Ne gladiatorum quidem ludos ſpectare nobis licet, ne participes, & conſcii cædium fiamus. *Eadem habent Tertullianus, Cyprianus, Juſtinus, ac paſſim veteres Patres.*

(22) *Eodem ſpectant quæ habet Tertull. Apolog. Cap.* 38. Quum ergo furor interdicitur nobis, ab omni ſpectaculo auferimur, etiam a Circo, ubi proprie furor præſidet. Accipe populum ad ſpectaculum cum furore venientem jam tumultuoſum, jam cæcum, jam de ſponſionibus concitatum .... Itur in furias, & animos, & diſcordias, & quidquid non licet Sacerdotibus pacis. Inde maledicta, convicia, ſine juſtitia odia, etiam ſuffragia ſine merito amoris. *Eodem habent Arnobius Lib. VII. & Lactantius V.* 20. *Tum Nazianz. ibid.* Quio Circus etiam mitius ſpectaculum, Quamvis priori nemo non exiſtimet; Et peſſis animæ morbos, & necem ferens.

Digitized by Google

§. IX. *Veteres Chriſtiani ab omni non modo ſuperſtitione, verum etiam ſuperſtitionis ſpecie valde abhorrebant.*

XLIII. Quemadmodum nulla aderat natio, præter Chriſtianam, quæ Regibus, ac terrenis Poteſtatibus majorem adhiberet cultum, quamque fidelem magis, ac obſequentem illi non experirentur: hoc enim præceptum habebant tum a Chriſto Domino, qui in Euangelio diſcipulos ſuos docuit; *reddenda quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo*; tum etiam plus vice ſimplici ab Apoſtolo, qui ſæpe in ſuis Epiſtolis fideles jubet Regibus, ac Magiſtratibus ſubditos eſſe, atque adeo pro iiſdem preces fundere: ita quoque quum de eo præſtando obſequio ageretur, quod aliquam ſaperet ſuperſtitionem nulla erat auctoritas, nulla reverentia, quam poſthabendam, atque ridendam eo in capite non arbitrarentur; quippe qui ſatis cognitum habebant uni Deo divinos tribuendos eſſe honores. Atque hoc adeo vulgare, & pervagatum erat, Chriſtianos ſcilicet ab omni Idololatriæ ſpecie abhorrere, ut Ethnicis, ſi quos Chriſtianiſmi ſuſpectos haberent, eos ut dignoſcerent, opus non eſſet Jovis, aliuſve falſi Numinis ſignum adorandum præcipere, ſed Imperatoris duntaxat imagini thus adolendum jubere: Profecto ſatis iſtud erat ad Chriſtianum deprehendendum: *Imagini tuæ*, Plinius Lib. X. Epiſt. 97. *quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris Numinum adferri, thure, ac vino ſupplicarent* (23). Eandem quoque ob cauſſam veteres fideles ab Ethnicorum conviviis longe aberant. In his enim non luxus modo, impudicitia, atque obſcœnitas facillimos habebant aditus; verum & ſuperſtitio principem in iis obtinebat locum. In more enim poſitum erat, ut propinaturi amicis falſorum Numinum favorem adprecarentur. Cæcilius ad Minucium Felicem in Octavio: *Convivia publica ſine vobis.*

XLIV. Potiori vero jure quam adverſo animo erga Idolorum templa ſe gererent, per ſe quiſque facile perſpiciet. Ad eorum certe limina ne viſendi quidem gratia accedebant. Unde Tertullianus de Spectaculis Cap. *IV. Quod ejeramus, neque facto, neque dicto, neque viſu, neque proſpectu participare debemus.* Et Apolog. Cap. *XXXVII. Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus..... ſola vobis reliquimus templa.* Et Arnobius Lib. I. *Negliguntur dii, clamitant Ethnici, atque in Templis jam raritas ſumma eſt.*

XLV. Magorum porro, Aruſpicum, aliorumque id genus apud Ethnicos ſacrorum hominum non conſortium modo, & conſuetudinem caute vitabant; verum & aliquando e Chriſtianis nonnulli divino perciti numine illorum loquacitatem mire obtundebant, vel ipſis altum imponentes ſilentium, vel eorum veneficia, atque incantationes ſigno Crucis deſtruentes. Profecto conſtat quid Paulus Philippis adverſum puellam pythone ſpiritu actam; quidque Petrus Romæ adverſum Simonem Magnum mirabiliter patrarint (24). Unde Cyrillus Jeroſ. Catech. XIII. *Hoc ſignum Crucis ad hodiernum uſque diem curat morbos, Dæmones fugat, & veneficiorum, incantationumque avertit impoſturas.*

XLVI. Demum adeo hoc in capite religioſi erant, ut ſummopere ſibi cavendum ducerent, ne in jurejurando falſi alicujus Numinis nomen excideret; pro rato habentes hujuſmodi jusjurandum prævaricationem a fide eſſe cum idololatria. Tum neque illorum Ethnicorum fidei unquam adquieſcebant, qui per Deorum ſuorum jusjurandum ſemetipſos obligabant; ne forte majeſtatem illorum, quam ridendam adſerebant, facto veluti con-

(23) *Julianus Imperator, ut fideles ad ſuperſtitionem adduceret, ſuam inter reliquas falſorum Numinum imagines cultui expoſuit; tum qua die militibus dona diſtribuenda eſſent, ipſe coram adeſſe voluit, accipientes thus adolere jubens: at neutrum ab fidelibus impetrare potuit: quippe qui in utroque ſuperſtitionem ſuſpicati. Nazianz.* Orat. III. *Sozomenus* Lib. V. cap. 17.

(24) *Confer* Lib. I. Part. I. Tit. III. Excurſu II.

confirmarent, ac tuerentur. Utrumque Caput complectitur Tertullianus in *Lib. de Idololatria* (25). Neque fas ducebant Chriſtiano idola manu ſua fabricare, etiamſi illa fabricando non coleret, ſed potius contemneret: Tertull. *ibid.* (26). Poſtremo nullam eleemoſynam, aut quodvis beneficium elargiebantur, ſi quis Deorum gratia illud rogitaſſet, aut Deos ipſos benefactori præſentes adprecaretur: Tertullianus *ibid.* (27).

§. X. *Hæreticorum conſortium ob blaſphemiæ periculum refugiebant.*

XLVII. Hujuſmodi doctrinam ipſi Chriſto Domino Apoſtoli, ab Apoſtolis Chriſtiani acceptam referebant. Et re quidem vera ſi hæretici Eccleſiam non audiunt, a qua diſceſſerunt, immo in Chriſtum ejus auctorem, & ſponſum blaſphemi ſunt, jure meritoque eorum conſortium vitandum, atque ipſi inter abominabiles habendi. Hoc ſane religioſe præſtabant veteres fideles. Clemens R. Epiſt. ad Corinth. (28). Qua de re Polycarpus Joannis Euangeliſtæ auditor poſtquam Marcioni interroganti, *Cognoſcis me*, reſpondiſſet, *Cognoſco primogenitum Diaboli*, ſtatim inde diſceſſit, *ne colloquio, adſpectuve hæretici fœdaretur*: Euſebius *Lib. IV. Cap.* 14. qui & *ibid.* ſubdit: *Adeo religioſe cavebant Apoſtoli, eorumque diſcipuli, ne vel ſermone tenus miſcerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant.*

XLIII. Jam vero licet Ethnicorum, hæreticorumque conſortium ob ſuperſtitionis, & blaſphemiæ periculum vitabant; attamen ubi occaſio ſeſe daret, non prætermittebant, quanta quanta vi poſſent, eoſdem ad ſanitatem vel adducere, vel reſtituere: quod præcipue Epiſcopi, Presbyteri, vel qui inter ipſos doctrinæ, aut pietatis laude florerent, præſtabant. Sic Clemens R. Epiſt. ad Corinth. *n. VII.* Corinthios, qui ſchiſma conſlarant, ut reſipiſcant, monet (29). Martyres Lugdunenſes, qui in tormentis ab Chriſti fide defecerant, dein ſociorum pre-

(25) *Tertull. de Idolol. Cap. XXI.* Quid erat dejeratio per Deos, quos ejeraſti, quam prævaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos dejerat, non honorat? Timiditatis eſt autem, quum te alius per Deos ſuos obligat juratione, vel aliqua teſtificatione, & tu ne intelligaris, quieſcis. Nam æque quieſcendo confirmas majeſtatem eorum, cujus cauſſa videris obligatus. Quid refert Deos nationum dicendo Deos, an audiendo confirmes? Jures per idola, an ab alio adjuratus adquieſcas? Cur non agnoſcamus verſutias Satanæ, qui, quod ore noſtro perficere non poteſt, id agit, ut ſuorum ore perficiat per aures inferens nobis idololatriam? *&c.*

(26) *Tertull. ibid. Cap. VI.* Si nulla lex prohibuiſſet idola fieri a nobis, ſi nulla vox Spiritus S. fabricatoribus idolorum non minus quam cultoribus comminaretur, de ipſo Sacramento noſtro interpretaremur nobis adverſas eſſe fidei ejuſmodi artes. Quomodo enim renuntiavimus Diabolo, & Angelis ejus, ſi eos facimus? Quod repudium diximus iis, non dico cum quibus, ſed de quibus vivimus... Potes lingua negaſſe, quod manu confiteris? Verbo deſtruere, quod facto ſtruis? ... Facio, ait quidam, ſed non colo, quaſi ob aliquam cauſſam colere non audeat, niſi ob quam & facere non debeat, ſcilicet ob Dei offenſam utrobique. Immo tu colis, qui facis, ut coli poſſint.

(27) *Tertull. ibid. Cap. XXI.* Benedici per Deos nationum, maledici eſt per Deum. Si dedero eleemoſynam, vel aliquid præſtitero beneficii, & ille mihi Deos ſuos, vel coloniæ genium propitios imprecetur, jam oblatio mea, vel operatio idolorum honor erit, quæ benedictionis gratiam compenſat. Cur autem non ſciat me Dei cauſſa feciſſe, ut & Deus potius glorificetur, & dæmonia non honorentur in eo, quod propter Deum feci?

(28) *S. Clemens Rom. Epiſt. ad Corinth. num. XIV.* Juſtum, ac pium eſt, viri fratres, Deo potius obedientes nos eſſe, quam ſequi eos, qui in ſuperbia, & ſeditione duces fuerunt abominandæ æmulationis.

S. Ignatius M. Epiſt. ad Epheſios num. VII. Quidam autem fallaces conſueverunt dolo malo nomen Chriſti circumportare, ſed aliquanta indigna Deo agentes, & contraria doctrinæ Chriſti ſapientes, ad interitum ſuum ſibimetipſis conſentiunt: quos oportet vos tanquam beſtias declinare. Eadem habet *ibid. num. IX. ad Smyrnenſes num. VII.*

(29) *Clemens Rom.* ibidem num. LI. *hortatur eos Corinthios, qui Schiſma conſlarant, ut reſipiſcant*: Quotquot per quemdam adverſarii illapſum deliquimus, veniam poſtulemus: illi vero, qui diſſenſionis, & ſeditionis Duces fuerunt, debent communem ſpem contemplari. *Et ibid. num. LVI.* Et nos oremus pro iis, qui in aliquod peccatum lapſi ſunt *&c.*

prece, & hortatu reſipuere (30). Tum rei ejuſdem illuſtre monumentum habes inferne (31).

XLIX. Quinimmo ſui muneris eſſe cenſebant, lucem, quam Deo donante adſpiciebant, Chriſtiani nominis hoſtibus patefacere. Sic Juſtinus M. Dialog. cum Tryph. n. XXXVIII. *Miſericordia in vos commotus contentione omni adlaboro, ut hæc noſtra, quæ præter opinionem veſtram dicuntur, intelligatis, vel ſaltem ut ipſe crimine vacem in die judicii*. Et Apolog. I. n. 3. *Noſtrum igitur munus eſt, ut vitæ, & doctrinæ noſtræ inſpiciendæ copiam omnibus faciamus, ne pro iis, qui res noſtras videntur ignorare, pœnam eorum, quæ excutientes peccaverint, ipſi debeamus*. Beniamin apud Perſas Diaconus, & Martyr Regi vetanti, ne dein Chriſtianam Religionem adnuntiaret, reſpondit: *Facere non poſſum, quin lucem, quam ipſe accepi, aliis impertiar*. Profecto, quanto ſupplicio dignus ſit, qui talentum abſcondit, ſacra Euangeliorum teſtatur Hiſtoria.

§. XI. *Suos Catechumenos quanta maxima adcuratione inſtituebant*.

L. Quum una Eccleſia ſit, unamque profiteatur doctrinam; quicumque Chriſto nomen dare voluiſſet ſive Ethnicus, ſive Judæus foret, ſive nobilis, aut doctus, ſive plebejus, aut imperitus unis iiſdemque tum fidei dogmatis, tum morum canonibus inſtituebatur. Qua in re, uti auctor eſt Lactantius (32), Ethnicis exprobrabant, perridiculam illorum eſſe ſapientiam, quam non vulgarem exiſtimabant, ac nonniſi doctos viros adſequi poſſe putabant. At contra chriſtianam ſapientiam omnibus communem prædicabant, atque adeo omnibus ex æquo ſive barbaris, ſive græcis, ſive ſervis, ſive ſenibus, ſive feminis, ſive rudibus in chriſtianis placitis philoſophari licere contendebant. Clemens Alexandr. Stromat. Lib. IV. *Licet ei*, ſcribit, *qui ex more noſtro vitam inſtituit, etiam abſque litteris philoſophari, ſeu ſit barbarus, ſeu græcus, ſeu ſervus, ſeu ſenex, ſeu puellus, ſeu mulier*. Verum de iſtoc capite ſermo redibit, ubi de Catechumenis agemus: ibi enim methodus, qua ab Epiſcopis, & Catechiſtis illi inſtituebantur, explicanda erit.

§. XII. *Veterum fidelium animus ab rerum temporalium adpetitu erat alienus*.

LI. Chriſtianos ſemetipſos abnegare, & a fallacibus divitiis alienum animum cuſtodire debere Chriſtus Dominus haud ſemel in Euangelio docuit, præcepitque. Veteres igitur fideles, qui euangelicas præceptiones religioſe obſervare ſatagebant, hoc certe negligendum haud duxere. Ergo 1. ab mani mundana gloria abhorrebant; eamque tuebantur doctrinam; homines ſcilicet pari ſorte naſci, ſola virtute diſtingui, divites opibus, Principes imperio, magiſtratus faſcibus, & purpuris onerari potius, & ab veræ ſapien-

(30) *Euſebius Lib. V. Cap.* 1. Mortua jam Eccleſiæ membra, viventium ope, atque auxilio ad vitam revocata ſunt, & Martyres gratificati ſunt iis, qui fidem negaverant, ingentique gaudio mater, eademque Virgo Eccleſia cumulata eſt &c.

(31) *Celerius Epiſt. ad Lucianum XXI. inter Cyprianicas:* Mecum doleas, *ſcribit*, in morte ſororis meæ, quæ cecidit in hac vaſtatione a Chriſto. Sacrificavit enim, & exacerbavit Dominum noſtrum. Pro cujus factis, ego in lætitia Paſchæ flens die, ac nocte in cilicio, & cinere lacrymabundus exegi, & exigo uſque in hodiernum diem, donec auxilium Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & pietas per te, vel per eos Dominos meos, qui coronati fuerint, a quibus poſtulaturus es, ut veniam habeant nefanda naufragia, &c.

(32) *Lactantius Lib. III. Cap.* 25. Non eſt ergo ſapientia, ſi ab hominum cœtu abhorret: quoniam ſi ſapientia homini data eſt, ſine ullo diſcrimine omnibus data eſt, ut nemo ſit prorſus, qui eam capere non poſſit... Quid eſt aliud hominibus negare ſapientiam, quam mentibus eorum verum, & divinum lumen auferre? Quod ſi natura hominibus ſapientiæ capax eſt, oportuit & opifices, & ruſticos, & mulieres, & omnes denique, qui humanam formam gerunt, doceri ut ſapiant.

ſapientiæ ſtadio abſtrahi, quam ad illud incitamenta accipere. Minucius Felix *in Octavio*. Merito igitur Tatianus Orat. contra Græcos n. XI. *Regnare nolo*, inquiebat, *diteſcere non libet*, *præturam recuſo*, *ſcortationem odi*, *navigare ob inſatiabilem avaritiam non cupio*, *de coronis conſequendis non dimico*, *liber ſum ab inſana gloriæ cupiditate*. Unde qui inter fideles nobilitate, divitiis, opibus, aliove excellebant nomine, non modo pauperes deſpicatui non habebant; verum & illis libenti animo, ac largiter vitæ ſubſidia præbebant, atque adeo eoſdem longe ſibimetipſis præſtare fateri non erubeſcebant, ubi virtute decoros conſpicabantur.

LII. Vulgaris eſt Hiſtoria S. Alexandri Carbonarii ab Gregorio Thaumaturgo Comanenſis Epiſcopi conſtituti, licet ab magiſtratibus, illuſtribuſque viris Civitatis Comanenſis alii Gregorio offerrentur ordinandi nobilitate, divitiis, aliiſque titulis præſtantiores. Verum Gregorius rudem adhuc in Chriſtianæ Religionis doctrina populum gravi oratione ab errore revocare conatus, oſtendit non opibus, aut natalium ſplendore, ſed vera, ac ſolida pietate fideles fidelibus præſtare: Nyſſenus *in Vit. Thaumaturg.* Neque omittenda Theodoſii Imp. hiſtoria, qui a S. Ambroſio ob Theſſalonicenſem cædem ex Eccleſia pulſus, Nativitatis Domini feſto recurrente, pauperes, & ſervos beatiores exiſtimabat, eorumque ſorti invidebat, quod quum illi Euchariſtiam participarent, ipſi ne ad Eccleſiam quidem accedere liceret.

LIII. Non modo ab inani gloria animum avertebant, verum etiam, quod majus eſt, divitias & negligebant, & adſpernabantur, & perquam lubenter ipſis ſeſe viduabant. In ea enim erant ſententia, pauperibus, terreniſque bonis, tanquam omni pondere ſolutis faciliorem ad ſapientiam aditum patere; *Divites vero*, *tanquam ſuis facultatibus illigatos magis aurum ſuſpicere conſueviſſe*, *quam cælum*: uti loquitur Minucius Felix in Octavio.

LIV. Hanc doctrinam apud veteres Chriſtianos communem fuiſſe ex Ethnicorum quoque teſtimoniis conſtat. Qua de re quam frequentia in veteri Eccleſiaſtica Hiſtoria fidelium exempla occurrunt, qui purioris Chriſtianæ philoſophiæ ſatellites, ſua bona omnia vendebant, eaque vel per Eccleſiæ Præfectos, vel ipſi per ſe pauperibus diſtribuebant (33). Et quamvis ad iſtoc ſectandum inſtitutum nemo unquam congeretur, ne Clerici quidem, qui Eccleſiæ adſcribebantur, uti ſuo loco vidimus; tamen qui bona ſua retinere mallet, piaculum ducebat ex iiſdem, quam poſſet partem, tum Eccleſiæ miniſtris non ſuppeditare, tum etiam indigentibus, viduis, orphanis, infirmis, confeſſoribus in cuſtodia detentis, ſenibus, captivis, aliiſque id genus miſerabilibus hominibus (34). Tum ex fidelibus ditiores pauperibus vitæ ſubſidia conferre conſueverant: quem morem Romanam præcipue Eccleſiam ſervaſſe luculentiſſimis teſtimoniis adfirmat uterque Dionyſius Corinthius, & Alexandrinus apud Euſebium *Lib. IV. Cap. 23. & Lib. VII. Cap. 5.*

LV.

(33) *Lucianus in Peregrino n. XIII.* Primus ille Legislator perſuaſit omnes eſſe invicem fratres, poſtquam ſemel tranſgreſſi, græcos Deos abnegaverint, adoraverint autem adfixum illum cruci, atque ex ipſius legibus vivant; quæ omnia reliqua æque contemnunt, & arbitrantur communia.

(34) *Tertull. Apolog. Cap. XXXIX.* Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quum velit, & ſi modo poſſit, adponit . . . Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac puellis reaparentibus deſtitutis; jamque domeſticis ſenibus, inde naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis &c.

Præcipue erga Confeſſores in carceribus detentos tanta erat fidelium caritas, ut Cyprianus Epiſt. V. *regulas dederit, quibus ipſis utendum eſſet, ut & vitæ periculum evaderent, & magiſtratibus occaſionem non darent magis in Chriſtianos ſæviendi*: *ſcilicet* ut non glomeratim, nec per multitudinem ſimul junctam carceres adeant: tum & per vices alternent, quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.

LV. Paucis: tanta erat fidelium erga pauperes benignitas, & liberalitas; ut 1. nec Ethnicos ipſos lateret (35); 2. Chriſtiani aliquando Ethnicis exprobrarent, quod ſuos ſenes, ægrotos, alioſque indigos vel cariſſimos non curarent, immo & refugerent (36); 3. Julianus Apoſtata, dum ſuos ad benignitatem erga infirmos, peregrinos, alioſque miſerabiles homines hortatur, Chriſtianorum ipſis exemplum proponeret (37). Adeo igitur Fideles erga inimicos etiam caritatem proprium veri eſſe Chriſtiani characterem ducebant, ut non in ſuos modo, verum & in Ethnicos, & cujuſque religionis homines benignitatem exercere non dubitarent. Quod tum modo productum Juliani teſtimonium confirmat, tum & Clemens Alexandr. qui Stromatum Lib. VII. *Et, qui perſequitur*, inquit, *& odio habet, ſi indigeat, is, qui eſt præditus cognitione, parum curans eos qui dicunt propter metum ei dediſſe, ſi non fecerit propter metum, ſed ut ei opem ferret. Qui ut inimicis ſubveniant, non parcunt pecuniæ.*

§. XIII. *Principibus, ac Magiſtratibus, licet Ethnicis, obedientiam, & devotionem exhibebant.*

LVI. Et ſane tum ab Chriſto edocti, uti modo innuimus, tum & ab Apoſtolo, qui haud ſemel in ſuis Epiſtolis fideles admonet ſublimioribus poteſtatibus ſubditos eſſe, Principes, & Magiſtratus eo, quo par erat, honore proſequebantur: atque adeo pro iiſdem preces fundebant: quod & Apoſtolus quoque præceperat: *I. Timoth. II.* Hujuſce fidelium erga Principes obſequii, & devotionis illuſtria monumenta præbent Patres antiquiſſimi, ac præ ceteris Juſtinus M. Theophilus Antiochenus, & Tertullianus; quorum auctoritates vide inferne (38).

LVII. Atqui tanta erat veterum Chriſtianorum erga Imperatores pietas, ut aliquando etiam arma ſumere, & ad bellum prodire non dubitarent, ubi Reipublicæ bonum id poſtularet. Tertull. Apolog. *Cap. XXII. Veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, forum, ſola vobis reliquimus templa.* Satis nota eſt militum Chriſtianorum hiſtoria, qui ſub Marco Aurelio in expeditione Germanica, dum exercitus ſiti adigebatur, orationibus ad Deum fuſis aquas impetrarunt. Tertull. *ibidem* (39). Nec minus nota eſt hiſtoria Martyrum Thebæorum Mauritii, & Soc. qui ejuſdem legionis quum eſſent, necari maluerunt, quam ſacrificiorum,

 quæ

(35) *Lucianus de morte Peregrini n. XII.* Quum igitur in vinculis eſſet *Peregrinus* communem eam calamitatem rati Chriſtiani, nihil intentatum relinquunt, ut illum eripiant: deinde ubi hoc fieri non poterat, miniſterium omne reliquum non obiter, ſed ſummo ſtudio peragebatur; & mane quidem ſtatim videres, præſto eſſe ad carcerem vetulas viduas quaſdam, & orphanos; Qui vero honoratiores illorum, ii etiam corruptis carceris cuſtodibus, intra apud iſtum pernoctabant; deinde cœnæ inferebantur collatitiæ, & ſacri illorum libri recitabantur.

(36) *Clemens Alexandr. apud Euſebium Lib. VII. Cap. 23.* Gentiles prorſus contraria his egerunt. Nam & eos, qui ægrotare inceperant, exturbabant, & cariſſimos refugiebant, eoſque in viis ſemivivos deſtituebant, aut mortuos inſepultos projiciebant.

(37) *Julianus Epiſt. XLIX. ad Arſacium Galatiæ Præfectum.* Turpe profecto eſt, quum nemo ex Judæis mendicet, & impii Galilæi non ſuos modo, ſed noſtros quoque alant, ut noſtri auxilio, quod a nobis ferri ipſis debeat, deſtitui videantur.

(38) *Juſtinus M. Apolog. I. n. 12.* Nos ſolum Deum adoramus: vobis autem in rebus aliis læti ſervimus, Reges, & Principes hominum eſſe agnoſcentes, & ſimul precantes, ut cum regia poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini. *Theophilus Antiochenus Lib. I. ad Autolycum*: Regem igitur potius colam, non tamen eum adorans, ſed preces pro eo fundens .... Non ideo Rex factus eſt, ut adoretur, ſed ut legitimo honore obſervetur ... Regem igitur cole, ſed eum diligendo, eique parendo, & orando pro eo. *Tertullianus Apolog. Cap. XXX.* Nos pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum: precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt.

(39) *Tertullianus Apolog. Cap. V.* Si Litteræ M. Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur,

quibus

quæ Imperator idolis offerri præceperat, participes eſſe: *Acta eorundem SS. MM. apud Ruinart.* Demum ſictam Juliani Imperat. calliditatem §. *IX.* jam expoſuimus, qui eo die, quo militibus dona diſtribuenda erant, ipſe coram adeſſe voluit, eos, dum donaria acciperent, ſuæ inter reliquas falſorum Numinum imagini thus adolere jubens; quo pacto chriſtianos milites ad ſuperſtitionem adducere poſſe credebat.

LVIII. Jam vero potiori jure ab ſeditionibus excitandis temperabant, ſummoque cavebant opere, ne quid turbarum ipſorum cauſſa in Rep. excitaretur. Quo in capite Ethnicis Chriſtiani præſtabant. Unde Tertull. ad Scapulam Cap. II. *Sed & circa Majeſtatem Imperatoris infamamur; tamen nunquam Albiniani, nec Nigriniani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani; ſed iidem ipſi, qui per genios eorum in pridie uſque juraverant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant, & voverant, qui Chriſtianos ſæpe damnaverant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit, cum toto Romano Imperio, quouſque ſeculum ſtabit. Tandiu enim ſtabit* (40).

LIX. Hinc quamvis Magiſtratus contra fas, juſque omne, immo aliquando etiam præter Imperatorum juſſa, in fideles ſævirent, hi licet ab eorum impetu, ſævitieque tueri ſe poſſent, ſatius tamen cenſebant vel fugæ ſe committere, vel precibus divinum numen efflagitare, ut perſecutionis æſtus deferveſceret, vel demum tacitos non minus, ac ſtrenuos martyrium ſuſtinere: *Naz. Orat. III.*

LX. Quod vero ad Magiſtratus agendos ſpectat, profecto Chriſtiani ab iis ambiendis valde erant alieni, immo & quanta poterant contentione renuebant: 1. quia Imperatorum edicta adverſus Eccleſiam, ejuſque membra per magiſtratus evulgabantur, vel jam evulgata exſecutioni mandari oportebat. Unde Jacobus Epiſt. Cap. II. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia? Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos?* Tertull. de Idololatr. Cap. XVIII. *Ut hoc te commonefaciat, omnes hujus ſeculi poteſtates, & dignitates non ſolum alienas, verum & inimicas Dei eſſe, quod per illas adverſus Dei ſervos ſupplicia conſulta ſunt, per illas & pœnæ ad impios paratæ irrogantur.*

Adhæc 2. veteres fideles quietem, & animi tranquillitatem ſuper omnia amabant, quam fruſtra in publicis magiſtratuum muneribus invenies, quæ vix, aut ne vix quidem ſine gravibus animi anxietatibus, & ſollicitudinibus obiri poſſunt. Cypr. Ep. I. ad Donatum: *Una placida & fida tranquillitas, una ſolida, & firma, & perpetua ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſeculi turbinibus extractus ſalutaris portus ſtatione ſundatus . . . quidquid apud ceteros in rebus humanis ſublime, ac magnum videtur, infra ſuam jacere conſcientiam glorietur.*

Tum 3. levioris non erat momenti ea ratio, quod ad publica iſtæc munia plerumque aditus non daretur, niſi adſentationibus, famulatu, & obſequiis, quæ majori ſunt probro, quam honori ſine ipſæ dignitates. Tertullianus de Pœnit. Cap. II. *Illos, qui ambitus obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis; nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in cauſſa votorum ſuorum.*

Quas

quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri, diſcuſſam conteſtatur.

(40) *Tum ſequitur ibidem Tertullianus:* Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſe expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt, ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt: dum & ipſi in poteſtate ſunt ejus. Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece.

Quas non ignobilitates veſtium adfectant? .... Ad omnem occurſum majoris cujuſque perſonæ decreſcentes ..... Exules a liberalitatis, & lætitiæ felicitate; *idque totum propter unius anni volaticum gaudium*.

4. Potiſſimum vero illud erat argumentum; dura ſcilicet, ac pæne inevitabilis neceſſitas, qua magiſtratus urgebatur injuſtitias admittendi, divinumque jus humano poſthabendi: in primis vero illis temporibus, quibus ſecundum Romanas leges, & conſuetudines jam receptas jus dicendum erat, quarum non paucæ ab Euangelii norma longe lateque divergebant. Spectacula quoque magiſtratibus populo præbenda erant; quod Chriſtianæ Ethices canonibus e regione adverſari jam vidimus. Jam vero efferata ſpectaculorum conſuetudo etiam poſt redditam a Conſtantino Eccleſiæ pacem obtinebat. Honorii enim ætate amphitheatrum, ſive gladiatorum ludos, quod inter cetera ſpectacula magis crudelitatem ſapiebat, in uſu adhuc fuiſſe ex hiſtoria Telemachi monachi elucet, qui, quum tantam feritatem, immanitatemque ferre non poſſet, in arenam proſiliens medius inter gladiatores ſtetit, ut impediret ne ſeſe invicem necarentur; quam ob rem a populo lapidibus obrutus lautiſſimum omnipotenti Deo ſpectaculum præbuit. Id teſtatur Theodoretus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica (41).

LXI. Quamvis vero ita ſe res haberent, ſemper tamen Eccleſia magiſtratibus honorem deberi edixit, quippe quæ meminerat a Deo poteſtates has fuiſſe conſtitutas, iiſque, ne facinoroſis impune abiret, puniendorum ſcelerum jus adtributum, ac Dei miniſtros eſſe, qui impiorum crimina ulciſcerentur, magiſtratus. Innocentius I. *Epiſt. III. ad Exuperium* (42). Quare in communione ubique recipiendos ſancivit Syn. Arelat. modo Eccleſiaſticas, ſive communicatorias proprii Epiſcopi litteras detuliſſent (43): *Ita tamen, ut in quibuſcunque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur*; *& quum cœperint contra diſciplinam agere, tum demum a communione excludantur. Similiter & de his, qui Remp. agere volunt* (44). Quo ex Canone illud conſtat, Patres Arelatenſes in ea fuiſſe ſententia: nimirum nihil ſua natura mali continere publica munia; quin, quum ab Imperatoribus omni ſuperſtitionis, & impietatis ſervitute liberarentur, nihil impedimento fuiſſe, cur ab fidelibus non obirentur. Et ſane ante Diocletiani perſecutionem plures fideles ab Imperatoribus ad provincias adminiſtrandas miſſi ſunt, uti refert Euſebius *Lib. VIII. Cap.* 1. & quidem ab omni ſuperſtitionis actu immunes: *Argumento eſſe poſſit Imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas etiam provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes, ob ſingularem, qua in religionem noſtram adfecti erant, benevolentiam*. Et eodem Euſebio teſte *Vit. Conſtant. Lib. II. Cap.* 44. Conſtantinus, ut ſuam erga Eccleſiam pie-

(41) *Theodoretus Lib. V. Cap.* 26. Nam & Honorius, qui Europæ partes regendas ſuſceperat, gladiatorum ſpectacula olim Romæ fieri ſolita ſuſtulit ex hujuſmodi occaſione. Erat quidam Telemachus monaſticæ vitæ deditus. Hic ab Orientis partibus profectus, ejuſque rei cauſſa Romam ingreſſus, quum deteſtandum illud ſpectaculum ederetur, ipſe quoque in amphitheatrum venit. Et in arenam deſcendens, gladiatores, qui inter ſe pugnabant, compeſcere conabatur; ſed cruentæ cædis ſpectatores, eam rem ægre ferentes, & dæmonis, qui eo ſanguine oblectabatur, furorem animis ſuis concipientes, pacis auctorem lapidibus obruerunt. Quo cognito admirandus Imperator, hunc quidem invictiſſimorum Martyrum numero adſcripſit: tetrum illud ſpectaculum penitus abolevit.

(42) *Innocentius I. Epiſt. III. ad Exuperium*: Meminerant enim a Deo poteſtates has fuiſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei eſſe miniſtrum vindicem in hujuſmodi datum . . . De his ergo ita, ut hactenus ſervatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur.

(43) *Concilium Arelat. I. Can. VII.* De Præſidibus: Qui fideles ad Præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit, ut quum promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen &c.

(44) *Confer* Lib. I. Part. I. Cap. XIII. §. III.

pietatem, ac religionem patefaceret *in ſingulas provincias eos præſides ut plurimum miſit, qui ſalutari fidei dicati eſſent*.

§. XIV. *Potus Cibique ſobrietatem magno veteres fideles habebant in pretio*.

LXII. Chriſtianis ab Apoſtolo Petro edoctis *Epiſt. I. Cap. I.* ſobrietatem, ac temperantiam colere, ut diabolo circumeunti, ac undique inſidias ſtruenti forti animo reſiſtere poſſent, in cibo potuque parſimonia cordi erat quam quod maxime. Clemens Alex. *in ſuo Pædagogo* Chriſtianos nobis exhibet, cibum non ad delicias, ſed ad nutritionem ſibi parantes, & quidem non nimio ſtudio comparatum, nimiſque curioſum, ſed ſimplicem, & minime curioſis pueris aptum (45). Atque adeo fidelium plerique apoſtolicum, ſcilicet non manducandi carnem, & non bibendi vinum, conſilium (46) κατὰ λέξιν ſectabantur. Qui vero vino utebantur, aqua illud temperabant. Timotheus adſecta licet, infirmaque valetudine unius tamen aquæ potu utebatur, ut corpus adſligeret, & carnem ſpiritui ſubjiceret. Cui quidem Apoſtolus vini uſum ſuggerit, at modici: Οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ, ſcilicet vel pauculi, vel tenuis, vel bene diluti (47). Adhæc piſcibus potius, ac volatilium, quam ſucculentioribus aliorum quadrupedum carnibus veſcebantur. Prudentius Hymn. III.

Abſit enim procul illa fames
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de cæde quadrupedum &c.

LXIII. Tum a ſanguine & ſuffocato abſtinebant, ut apoſtolico obedirent mandato, quod per plura ſecula in Eccleſia, æque Orientali, ac Occidentali ſervatum eſt. Videſis Natalem Alex. *Diſſert. XI. in Hiſt. Eccleſ. Sec. I.* Frequentia porro erant exempla fidelium, qui vel lacticiniis tantummodo, fructibus, & leguminibus, vel ſolis leguminibus, vel demum pane & aqua una cum ſimplicibus herbis ſtomachum reficiebant. Quod ſane & ipſis Chriſtiani nominis hoſtibus admiratio-

(45) *Clemens Alex. Pædagogi Lib. II. Cap. 1.* Alii quidem homines vivunt, ut comedant, quod certe etiam rationis expertibus evenit animantibus, quibus nihil aliud, quam venter vita eſt; nobis autem Pædagogus præcipit comeſſe, ut vivamus. Neque enim noſtrum munus eſt nutritio, neque inſtitutum, ſcopuſque noſter voluptas; ſed ea nutritio eſt propter noſtram hic manſionem quam ad incorruptionem ratio inſtituit: & ideo ſecernitur, & ſeligitur alimentum. Eſt autem ipſum ſimplex, & non nimio ſtudio comparandum, ſed ſimplicibus, & minime curioſis pueris conveniens utpote quod ad vivendum, non ad lautitias, deliciaſque aptum ſit.

(46) *Ad Rom. XIV. v. 21.* Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum. *Euſebius Lib. II. Cap. 22. de S. Jacobo Min. Apoſtolo ſcribit*: Hic ab ipſo matris utero ſanctus fuit, nec vinum unquam bibit, nec ſiceram; ab animantium carnibus penitus abſtinuit. *Tum de S. Procopio M. tradunt ejuſdem Acta apud Ruinartium*: Cibum, ac potum panem tantummodo, & aquam illi fuiſſe; quibus adeo parce utebatur, ut ſæpe jejunium ad duos, interdum etiam ad tres dies produceret.

(47) *Clemens Alex. Pedagogi Lib. II. Cap. 2.* Vino modico utere, aquam bibenti Timotheo, propter ſtomachum tuum, dicit Apoſtolus. Pulchre admodum ægrotanti, & languenti corpori conveniens, quod ipſum confirmet, aut corroboret, auxilium adhibens: modicum autem id decernens, ne eum lateret, hoc auxilium propter multitudinem alia egere curatione. Naturalis itaque, & ſobrius potus ſitientibus neceſſarius eſt aqua. Eam ex prærupta petra manantem veteribus hebræis unicum, ac ſimplicem temperantiæ potum ſuppeditavit Dominus. Oportebat autem eos, utpote errantes, eſſe maxime ſobrios.... Apta itaque proportione, & convenientia vinum quidem aquæ, homini vero ſpiritus admiſcetur. Ac temperatum quidem vinum ad fidem, convivio excipit.... Eos itaque laudo, & admiror, qui vitam auſteram delegerunt, & moderatæ vitæ medicamentum aquam adpetunt: vinum autem tanquam ignis minas quam longiſſime fugiunt. Placet ergo, ut pueri, ac puellæ ab hoc medicamento plurimum abſtineant. Non enim ferventi ætati, quod eſt omnium humidorum calidiſſimum, vinum infundere convenit, perinde ac ſi quis ignem in ignem derivet: ex quo agreſtes, immaneſque adpetitiones, audenteſque cupiditates, & mores ignei incenduntur &c.

tioni erat. Id teſtantur Plinius Jun. Euſebius, Minucius, Origenes, aliique veteres (48).

LXIV. Noverant quidem cibos quoſcunque a Deo eſſe, iiſdemque ſine noxa uti poſſe; at ſimul noverant nonniſi temperanter iiſdem utendum; tum quia mens vini cibique temulentia obnubilata haud facile Dei lucem adſpicere, ac in eundem adſurgere valeat, tum vel maxime quod ex crapula, ingluvieque plerumque pravæ excitentur cupiditates, quas coercere nonniſi temperantia poſſumus. Cypr. Ep. XI. *Sed*, inquit, *& de victu parco, & ſobrio potu divinis dignationibus admonemur, ſcilicet ne vigore cæleſti ſublime jam pectus illecebra ſecularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata minime ad preces orationis evigilet.*

LXV. Atque hæc, quæ brevi, ac per ſumma veluti capita perſtrinximus, ſatis profecto ſint, ut ex iiſdem aliquod quaſi ſpecimen Chriſtianæ illius inſtitutionis perſpiciatur, ad cujus normam primævis Eccleſiæ ſæculis Fideles univerſæ vitæ conditionem informarent. Inſtituti enim noſtri ratio non patitur, ut diutius in his deſcribendis immoremur; longum quidem eſſet, omnia, quæ ad eandem rem pertinent; unde unde conradere, huc inferre, ac porro ſiggilatim enucleare. Quod ſi quis potiora hæc, quæ attigimus, pauciora, quam pro rei amplitudine, exiſtimet, is fontes, quos paſſim indicavimus, adeat, ut reliqua non ad eruditionis modo oſtentationem, ſed ad morum etiam, qui propius ad illius tempeſtatis felicitatem accedant, informationem ſapienter derivet.

(48) *Plinius Junior Lib. X. Epiſt.* 97. Rurſus coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium. *Euſebius Lib. V. Cap. 7. de Martyribus Lugdunenſibus*. Alcibiades quidam, *inquit*, ex illorum Martyrum durum, & ſquallidum vivendi genus ſectabatur; nullumque omnino cibum admittens, ſolo pane, & aqua ad id uſque temporis veſci conſueverat: quumque in carcere poſitus eandem vivendi rationem vellet retinere *&c. Minucius Felix in Octavio*: Convivia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem temperamus.

Origenes Lib. V. contra Celſum: Illi *Pythagorici*, animatis abſtinent propter fabulam de migratione animæ in varia corpora . . . nos vero ſi quando abſtinemus, id a nobis fit, ut caſtigetur corpus, & in ſervitutem redigatur. Quippe volumus mortificare membra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam malam, & nihil non experimur, ut tacta carnis mortificemus.

CAPUT VII.

De Catechumenis.

§. I. *De Nominis* τοῦ Κατηχουμένου *etymo.*

I. IGitur τοῦ κατηχουμένου nomen eſt a græco verbo κατηχεῖν quod peculiari quadam ſignificatione uſurpatum reperitur pro *artis, ſive ſcientiæ alicujus prima rudimenta docere:* ita Plutarchus, & Porphyrius apud Scapulam. Et peculiarius in Sacro novi fœderis Codice, *In primis Chriſtianæ Religionis Elementis inſtituere* ſignificat. Sic I. Cor. XIV. Ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω *ut & alios inſtruam*; & ad Galatas VI. Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς *Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis*. Catechumeni igitur ii ſemper in Eccleſia audiere, qui per plures veluti Chriſtiani tyrocinii gradus, ad Baptiſma diſponebantur, ac præparabantur. Hinc Tertulliano dicti *Novitioli* (1), & Auguſtino *Tyrones Dei* (2),

(1) *Tertullianus de Pœnit. Cap. VI.* Quidquid mediocritas noſtra ad pœnitentiam ſemel capeſſendam, & perpetuo continendam ſuggerere conata eſt, omnes quidem deditos Domino ſpectat, ut omnis ſalutis in promerendo Deo periti ores, ſed præcipue novitiolis iſtis imminet *&c.*

(2), quod eam vitæ conditionem amplecterentur, quæ milites Dei, & vitæ æternæ candidatos ipſos efficeret.

§. II. *De Regulis, ac Ritibus in Catechumenorum admiſſione ſervatis.*

II. Ac 1. de ætate ſi quæras, qua quis inter catechumenos antiquitus admitteretur, reſpondeo: Ad fidelium parentum liberos quod attinet, neutiquam dubitandum eſt, ſi in infantia baptizati non fuerint, ipſos, ſimul ac ad imbibendam Dhriſtianam doctrinam eſſent idonei ' inter catechumenos adſciſcere liuiſſe. De Gentilibus autemc, eorumque liberis difficilior quæſtio videtur. Verum adultos quod ſpectat, inter Catechumenos adſciti ſunt, ſtatim ac militiæ Chriſtianæ dare nomen decreverini; quod vero ad puerulos attinet, ex quodam Timothei Eccleſiæ Alex. Epiſcopi Reſponſo (3) colligi poſſe videtur, ipſos etiam ante ſeptimum ætatis annum catechumenos fieri potuiſſe. Ita enim quæſtionem movet: *Si puellus catechumenus, utpote annorum ſeptem, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportune adfuerit, ejuſque neſcius particeps factus ſit, quid de eo fieri debet?* & reſpondet: *Debet illuminari*: hoc eſt, baptizari. Profecto de Gentilibus puellis loquitur Auctor, haud vero de Chriſtianis; quippe quod hi ex regula, & more Eccleſiæ tunc temporis uſitato baptiſmum ſimul, & Euchariſtiam in infantia accipiebant.

III. Quoniam homines, qui inter Catechumenos adſciſcebantur, quadam ratione ad Eccleſiam pertinere inciperent; hinc in iſtum ſtatum non ſine ſollemni manuum impoſitione, & precibus admitti conſueverunt. De S. Martino narrat Severus Sulpitius; *Vit. Martini Dialog. II. Cap.* 5. quod quum *Gentiles quoſdam ad Chriſtum convertiſſet, atque hi, ut eos faceret Chriſtianos, vehementer poſtulaſſent, non cunctatus, in medio, ut fuerit, campo, cunctos impoſita univerſis manu fecerit Chriſtianos, ad ſuoſque converſus dixerit; non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi ſolerent Martyres conſecrari*. Ubi obſervare licet *Chriſtianos facere*, & *facere Catechumenos* idem ſignificare. Hinc lux adfulget tum Canoni Illiberitano XXXIX. quo præſcribitur, ut *Gentilibus in infirmitate credere volentibus manus imponantur, & ſic fiant Chriſtiani*; tum Canoni VII. Conc. Conſtantinopolitani I. quo ſtatuitur, ut *Eunomiani, Montaniſtæ, & Sabelliani, qui eſſentialem baptiſmatis formulam corrumpebant, tantummodo ceu Gentiles admittantur; nimirum primo die fiant Chriſtiani, ſecundo catechumeni, tertio exorcizentur, deinde longo tempore in Eccleſia inſtituantur, & tum denique baptizentur*. Huc quoque facit lex quædam Theodoſii, qua duo hominum genera diſtinguuntur; alii dicti *Chriſtiani, & Fideles*, alii *chriſtiani, & catechumeni tantum* (4).

IV. Manuum Impoſitioni, ac Orationi adjungebatur quoque obſignatio, adhibito ſigno crucis. Auguſtinus *Confeſ. Lib. I. Cap.* 11. has cæremonias omnes paucis complectitur: *Catechumenos*, inquit, *ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem cum manum impoſitione puto ſanctificari*. Auctor vitæ S. Porphyrii Eccleſiæ Gazenſis Epiſcopi *apud Baron. ad ann.* CCCCI. luculentius id exprimit; nam de quibuſdam recens ad Chriſti fidem converſis ſcribit: *Prociderunt ad pedes ejus, petentes Chriſti ſignaculum. Beatus vero quum eos ſignaſſet, & feciſſet catechumenos dimiſit.*

§. III.

(2) *S. Auguſtinus de Symb. Fid. ad Catechum. Lib. II. Cap.* 1. Optimi jam tyrones Dei, fortes milites Chriſti, dum arma ſacramentorum ſuſcipitis &c.

(3) *Timoth. Alex.* Reſponſ. Cân. Quæſt. I. *apud Bevereg.* Pandect. Tom. II. pag. 165.

(4) *Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. VII. Leg.* 2. *Chriſtianis, ac fidelibus*, qui ad paganos ritus, cultuſque migrarunt, omnem in quamcunque perſonam teſtamenti condendi interdicimus poteſtatem, ut ſint abſque jure Romano. His vero, qui *chriſtiani, & catechumeni tantum* venerabili religione neglecta &c.

§. III. *Quan diu quis in catechumenatu perdurare debuerit*.

V. Nullam certam regulam hac in re unquam Eccleſia habuit, ſed diverſa diverſis temporibus invaluit conſuetudo, habita præcipue progreſſionum ipſorum catechumenorum ratione. Hiſtoria Cornelii Centurionis, Eunuchi Æthiopis, Lydiæ &c. ſatis demonſtrant Apoſtolico ævo Catechizationem baptiſma proxime fuiſſe inſecutum. Id poſtulabat, & infantilis Eccleſiæ ſtatus, & credentium fervor. Verum ſubſequentibus temporibus, ne Eccleſia vitioſis membris repleretur, quæ æſtu perſecutionis ſtante non ſine maximo Eccleſiæ dedecore putreſcere viderentur, credentium fides longiori experimento probanda fuit. Synodus Illiberitana Catechumenos, ſi bonæ fuerint converſationis, intra biennium admitti præcepit (5). Conſtitutiones Apoſtolicæ terminum ad tres annos extendunt: at adjungunt (6): *Si quis autem ſit virtutis ſtudioſus, & baptiſmi deſiderio teneatur, maturius admittatur. Quod non tempus, ſed mores judicentur*. Concilium Agathenſe (7) inſtitutioni Judæorum octo menſes præſtituit; eo quod *Judæorum perfidia frequenter ad vomitum redeat*. Hier. *Ep. ad Pammach.* & Cyrillus in *Catecheſibus* videntur innuere Catechumenatum ad quadraginta jejunii dies fuiſſe reſtrictum (8): verum horum Patrum loca de ultima, ac rigidiore probatione, nec non de inſtitutione in ſacratioribus Chriſtianis myſteriis potius intelligenda ſunt. At non negaverim baptiſma aliquando fuiſſe maturius collatum, tum ubi catechumenus aliquis extrema detineretur infirmitate, *ac deſperatus fuerit*; uti loquitur Syn. Agathenſis (9); tum quoque ubi tota quædam natio Chriſtianam fidem ampleċteretur. Hinc de Burgundionum converſione obſervat Socrates *Lib. VII. Cap.* 30. quod Epiſcopus Galliæ, qui eos ad Chriſtum convertit, *quum ſeptem dies jejunare eos juſſerit, ac fidei rudimentis inſtituiſſet, octavo tandem die baptiſmo donatos dimiſit*. Tum Cyrillus Alexandrinus *Epiſt. Canon.* de Catechumenis lapſis, & propter crimina ſua de Eccleſia ejectis, ſermonem inſtituens, eoſdem morti proximos baptiſmo donandos ſcribit (10). Et Baſilius *Arintheum* Prætorem Romanum ſuæ conjugis opera ad fidem Chriſtianam perductum, & in ipſo vitæ exitu conſtitutum, lavacrum regenerationis accepiſſe narrat (11). Denique, auctore Epiphanio, Catechumeni morti propinqui ex Eccleſiæ conſuetudine in ſpem reſurrectionis ad ſacrum lavacrum ſemper fuerunt admiſſi (12).

VI. Verum hiſce caſibus exceptis longiori ſpatio opus erat, ut ad baptiſmum præ-

(5) *Conc. Illiberit. Can. XXI.* Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, ſi bonæ fuerint converſationis, intra biennium placuit ad baptiſmi gratiam admitti.

(6) *Conſtitutiones Apoſtolicæ Lib. VIII. Cap.* 32. Qui erit Catechumenus per tres annos Catecheſi informetur: quod ſi ſtudioſe ſe gerit, & rei deſiderio tenetur, admittatur, quia non tempus, ſed vitæ inſtitutum perpenditur.

(7) *Concilium Agath. Can. XXXIV.*

(8) *Hieronymus ad Pammach.* Conſuetudo apud nos ejuſmodi eſt, ut iis, qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publice tradamus ſanctam, & adorandam Trinitatem. *Cyrillus Catech. I. num.* 5. *Catechumenum ſic interrogat:* Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua?

(9) *Conc. Agathenſe Can. XXXIV.* Quod ſi caſu aliquo periculum infirmitatis intra præſcriptum tempus incurrerint, & deſperati fuerint, baptizentur.

(10) *Cyrillus Alexandrinus Epiſt. Can. ad Epiſc. Libyæ & Pentapol.* Si ſegregationem aliqui ſuſtinuerint propter lapſus puniri, dein morituri ſint, Catechumeni exſiſtentes baptizentur.

(11) *Baſilius Epiſt. CLXXVI. ad Conjugem Arinthei*: In ipſo vitæ exitu cunctam animæ maculam lavacro regenerationis accepto repurgavit.

(12) *Epiphanius Hæreſ. XXVIII. num.* 6. Verum alii commode hoc Apoſtoli dictum (*I. Cor. XV.* 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt*) interpretantur de iis, qui, inſtante morte, ſi quidem Catechumeni ſint, ea ſpe freti, ſacra lavatione purgantur, ac mortuos reſurrecturos eſſe demonſtrant.

præparari poſſent; non modo, ut de ipſorum Fide gravia, ac certa argumenta haberentur; verùm etiam, ut a facilioribus ad difficiliora gradatim inſtituerentur. Primum enim in communibus Religionis principiis inſtruebantur, uti de Pœnitentia, & Remiſſione peccatorum, de bonorum operum Neceſſitate &c. tum poſtea recondita magis, ac ſacratiora Chriſtianæ Fidei Capita ipſis tradebantur; uti Chriſti Incarnatio, Paſſio, Reſurrectio, Perſonarum Trinitas; & quid ſit fœdus cum Deo inire, & renuntiare Diabolo. Hanc methodum præſcribit Auctor Conſtitutionum (13), eandemque adhibet Cyrillus in ſuis Catecheſibus. Illud poſtremo hic liceat obſervare in Sermonibus, ac Homiliis ad Catechumenos habitis nullam de Euchariſtia, aliiſque Eccleſiæ Sacramentis occurrere mentionem; quippe quorum doctrina nonniſi poſt collatum baptiſma tradebatur.

§. IV. *De diverſis Catechumenorum Ordinibus, ſive gradibus.*

VII. Balſamon (14), Zonaras, Ariſtenus, aliique Græci antiquorum Canonum Interpretes duo Catechumenorum genera vulgo diſtinguunt, nimirum ἀτελεστέρους *imperfectiores*, & τελειοτέρους *perfectiores* baptiſmo proximos. Hanc opinionem recentiores multi Scriptores amplexati ſunt Caveus, Beveregius, Suicerus, Baſnagius &c. (15). Non deſunt qui tres recenſeant Cathecumenorum claſſes; nimirum *Audientes*, *Competentes*, & *Pœnitentes* (16). At rectius quatuor in Claſſes diſpeſcuntur; nimirum in Ἐξωθούμενοι, *Audientes*, *Genuflectentes*, & *Competentes* ſive *electos*. 1. Ἐξωθούμενοι ii erant, qui extra Eccleſiam privatim inſtituebantur, antequam in Eccleſiam ingredi ipſis liceret; in hoc gradu Paganiſmi vanitatem, ac falſitatem potiſſimum edocebantur. Fuiſſe talem ordinem, ſeu gradum Catechumenorum ex Canone V. Concilii Neocæſareenſis evidenter colligitur (17).

2. *Audientes* ii dicebantur, quibus in Eccleſiam ingredi licebat ad ſermones, & ſacras Scripturas, quæ in priori Miſſæ parte recitabantur, audiendas. Verum finito Sermone, ſive Homilia e veſtigio eos abire oportebat; neque ipſis permiſſum erat ullis precationibus intereſſe, ne

(13) *Auctor Conſtit. Apoſt. Lib. VII. Cap.* 39. Qui ad doctrinam pietatis inſtruendus eſt, erudiatur ante baptiſmum in ſcientia de Ingenito, in cognitione de Filio Unigenito, in perſuaſione certa de Spiritu S.... Doceatur quomodo Deus improbos aqua, & igne punierit; ſanctos vero per ſingulas ætates honore, ac gloria decoraverit. Item edoceatur quemadmodum per providentiam Deus humanum genus non averſatus fuerit: immo ab errore, ac vanitate ad agnitionem veritatis diverſis temporibus vocarit, reducens a ſervitute, ac impietate ad libertatem, & pietatem, ab injuſtitia ad juſtitiam &c.

(14) *Balſamon Not. in Conc. Neocæſar. Can. V.* Duo ſunt Ordines Catechumenorum. Hi enim nuper acceſſerunt, &, ut ἀτελέστεροι *imperfectiores*, poſt Scripturarum, & divinorum Evangeliorum auditionem ſtatim exeunt: illi vero jam pridem acceſſerunt, & τελειότεροι *perfectiores* facti ſunt; unde & orationem, quæ fit ſuper catechumenos exſpectantes, in ea genu flectunt. *Eadem habent Zonaras, & Alexius Ariſtenus* ibidem.

(15) *Beveregius Not. in Conc. Nic. Can. XIV.* Horum (Catechumenorum) duo fuiſſe genera, ex hoc ipſo Canone demonſtrari poteſt, alios nimirum ἀκροωμένους fuiſſe, alios εὐχομένους. Hic enim decernitur, ut ſi quis catechumenus lapſus fuerit, tribus ille annis ſit inter ἀκροωμένους *audientes*, poſtea vero εὔχεται *oret*, cum catechumenis, nimirum *orantibus*, qui etiam γονυκλίνοντες *genuflectentes* vocantur a Concilio Neocæſareenſi Can. V. *Eadem habet Caveus* Primitiv. Chriſt. Lib. I. Cap. 8. *Suicerus Theſaur.* Tom. II. *Baſnagius* Critic. in Baron. pag. 484.

(16) *Maldonatus de Baptiſmo Cap. I.* Erant tres gradus Catechumenorum. Qui valde erant tyrones, vocabantur a græcis ἀκροώμενοι, & a latinis *Auditores*, ſive *Audientes* ... Qui autem ita inſtituti erant, ut digni viderentur baptiſmo, vocabantur *Competentes*, quaſi ambientes jam baptiſmum ... Alii erant, qui poſtquam cœperant catechizari, lapſi erant in peccatum aliquod publicum. Quod cenſebatur eſſe ſummum nefas, & propterea relegabantur in numerum *Pœnitentium* Chriſtianorum, & exſpectare debebant tres annos.

(17) *Concilii Neocæſareenſis Can. V. Verba hic paulo latius e græco, ne quid tricarum faceſſant,*

ne illis quidem, quæ ſuper ſic proprie dictis catechumenis, vel energumenis, aut pœnitentibus ab Epiſcopo peragebantur; Diacono ex excelſiore loco proclamante: *Ne quis Audientium: Ne quis infidelium;* ita Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, *Lib. VIII. Cap. V.* Hinc Synodus Nicæna eos *ἀκροωμένους μόνον Audientes tantum* (18) adpellat.

3. *Genuflectentes*, ſive *Proſtrati* ii erant, qui in Eccleſia poſt Epiſcopi ſermonem perſiſtentes manuum impoſitionem cum propriis quibuſdam precationibus in genua provoluti recipiebant. Hæc ſane Liturgiæ pars ſpeciatim *Κατηχουμένων εὐχὴ Catechumenorum precatio* dicebatur; uti ex Canone quodam Concilii Laodiceni licet colligere (19). Ejuſmodi precationum formulas, quæ manuum impoſitionem comitabantur, exhibent Auctor Conſtit. Apoſtolic. Chryſoſtomus, aliique veteres, ut *Lib. II.* videbimus. His ſpeciatim catechumenorum nomen tributum reperitur Synodi Nicænæ *Can. XIV.* & Conc. Laodiceni *Can. XIX.* (20).

4. Tandem proximi Baptiſmatis candidati *Competentes* ſive *Electi* nuncupabantur: Competentes dicti, quod ab Epiſcopo publice in Eccleſia baptiſma petiiſſent; Electi vero, quod ab Epiſcopo peracta ipſorum examinatione eligerentur, ut baptiſma proxime futuris diebus feſtis reciperent (21). Ab Cyrillo Hieroſ. & ab Auctore Conſtitutionum *βαπτιζόμενοι*, & *φωτιζόμενοι* dicuntur (22); non quod revera jam baptizati, & illuminati eſſent, at quod baptiſmatis, ſive illuminationis proxime conſequendæ vehementi deſiderio tenerentur.

§. V. *De ritu, quo Catechumeni Electi, ſive Competentes ad Baptiſmum deducebantur.*

VIII. Igitur Catechumeni Baptiſmum recipere cupientes appropinquante Paſchatis Feſtivitate primum nomina ſua dabant, quæ Epiſcopo mandante a Sacerdote, vel Diacono ſpeciatim ad id muneris deputato Scriptis Eccleſiæ inſerebantur, quæ proprio vocabulo Diptycha dicta ſunt (23). Perſonatus Areopagita (24) catechumenum una cum Suſceptore monumentis Eccleſiæ inſerendum præſcribit, & Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna Stephanus quidam Diaconus occurrit, cui id potiſſimum demandatum erat, ut nomina baptizandorum deſcriberet (25). Sequebatur exacta, ac pluries repetita exploratio,

ſimus, expreſſimus. Catechumenus ſi ingrediens Eccleſiam in Catechumenorum ordine ſteterit, atque idem peccaverit, deinceps non genuflectens, *ἀκροάσθω audiat*, peccatum relinquens: Quod ſi etiam Audiens peccet, *ἐξωθείσθω expellatur*.

(18) *Concilium Nicæn. Can. XIV.* De catechumenis, & lapſis viſum eſt ſanctæ, & magnæ Synodo, ut tribus annis ſint inter *Audientes tantum*; poſthæc autem cum *catechumenis* orent.

(19) *Concilium Laodicenum Can. XIX.* Oportere ſeorſum primum, poſt Epiſcoporum ſermones, catechumenorum orationem κατηχουμένων εὐχὴν peragi: & poſtquam exierint *catechumeni*, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem.

(20) *Confer* Notas 18. & 19.

(21) *Cardinalis Bona* Electorum *claſſem a* Competentium *ordine diſtinguit; at hujus diſtinctionis nulla videtur eſſe ratio, quum utrorumque exercitia unam, eandemque probationem ſpectarent, baptiſmati mox recipiendo proxime præmittendam. At vero ſimul conſtat Subſtratos, & Competentes diſtinctos catechumenorum ordines fuiſſe; quum diſtinctæ pro illis precationes in Eccleſia fieri conſuevering.*

(22) *S. Cyrillus Jeroſolym. Catech. I. & II.* Catecheſis τῶν φωτιζομένων illorum, qui illuminandi ſunt. *Auctor Conſtitutionum Apoſtolic. Lib. VIII. Cap.* 8. Oratio pro iis, qui jamjam baptizandi ſunt: Ὑπὲρ τῶν βαπτιζομένων .... Reſpice in hos baptizandos ἐπὶ τοὺς βαπτιζομένους.

(23) *De diverſis Diptychorum generibus ſermo redibit* Lib. II.

(24) *Dionyſius Areop. Hierarch. Eccleſ. Cap. II. num. 4.* Salutaris deſcriptio ſacerdotum ſalvandis eum adgregat, atque ſacris inſerens monumentis una cum ſuſceptore

(25) *Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna Act. V.*

Digitized by Google

ratio, ut quantum in antegreſſis catechumenatus gradibus profeciſſent, inſpiceretur. Qui in hoc examine probati deprehendebantur, eos *electos* interdum vocabant: uti videre eſt apud S. Leonem Ep. ad Ep. Siculos (26). Tum viginti ante Baptiſmum diebus exorcizabantur. Hujuſce conſuetudinis frequens occurrit mentio apud celebriores, ac antiquiores tum Græcæ tum Latinæ Eccleſiæ Scriptores: & quidem meminere e latinis Cyprianus, Synodus Carthaginienſis apud eundem Cyprianum, Auguſtinus, Ferrandus, Gennadius, Petrus Chryſologus, Synodus Bracarenſis &c. (27): e Græcis Nazianzenus, Cyrillus Hieroſ., Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum &c. (28): unde licet colligere univerſalem fuiſſe, ac pœne Apoſtolicæ Eccleſiæ coævam Catechumenos ante baptiſmum exorcizandi conſuetudinem. Jam vero hujuſmodi exorciſmi, aliquando *ignis exorciſmi* (29) dicti (quod animam purgarent, & Spiritum malum quaſi exurerent) nihil niſi precationes erant e Sacris litteris collectæ, & compoſitæ ad Deum orandum, ut Satanæ in illis poteſtatem frangeret, tum ab ipſis ſpiritum erroris, & pravitatis expelleret. Hinc a Cyrillo *Catech. XVI. num. 9.* λόγοι εὐχῆς *Verba precationis* dicuntur. Et ſane quæcunque ab Eccleſia adhibebantur cæremoniæ, Manuum impoſitio, Inſufflatio, Signum crucis &c. eædem precationem ſemper habebant comitem, cui virtuti omnis efficacitas adſcribenda erat; licet enim aliquando externæ ſolum memorentur cæremoniæ, oratio tamen ſemper intelligenda eſt, ut alibi demonſtrabimus. Durante eodem exorciſmorum tempore catechumeni aliis quoque detinebantur exercitationibus. Ac I. abſtinere, ac jejunare jubebantur; id præſcribit Concilium Carthagin. IV. (30). Et Auguſtinus exorciſmos, jejunia, & abſtinentiam, ſpeciatim ab uſu conjugii, exhibet tanquam opera, in quæ, cum ad baptiſmum præpararentur, catechumenis incumbendum eſſet (31). Eadem videre eſt apud Juſtinum M., Tertullianum, Socratem &c. (32). Tertullianus ipſa geniculationes adjungit, pervigilia, & omnium

(26) *S. Leo Epiſt. IV. ad Siculos*: Baptizandis in Eccleſiis *Electis* hæc duo tempora &c.

(27) *S. Cyprianus in Syn. Carthag. apud eundem*: Cenſeo omnes hæreticos, & ſchiſmaticos, qui ad catholicam Eccleſiam voluerint venire, non ante ingredi, niſi exorcizati, & baptizati prius fuerint. *Eadem Synodus ibid.* Primo per manuum impoſitionem in Exorciſmo; ſecundo per baptiſmi regenerationem, tunc poſſunt ad Chriſti pollicitationem venire. *Eadem habent Auguſtinus in* Pſal. XLV. *&* *in* Lib. de Fide & Operibus Cap. VI. *Ferrandus* Epiſt. ad Fulgentium *de catechizando Æthiope* inter Fulgentii Opera. *S. Petrus Chryſologus* Serm. LII. *&* CV. *Gennadius* de Dogmat. Eccleſ. Cap. XXXI. *Synodus Bracarenſis II.* Can. I.

(28) *Nazianzenus Orat. XI. de Baptiſmo*: Ne exorciſmi medicinam reſpuas, nec ob illius longitudinem animo concidas. *Et Cyrillus Jeroſolym. Præf. ad Catech. num. V. catechumenum ſic alloquitur*: Exorciſmos ſtudioſe ſuſcipe: Sive enim inſufflaris, ſive exorcizeris, exiſtima eam rem tibi eſſe ſaluti. Nam ut rude infectumque aurum, vel adulteratum, multiſque aliis commixtum mineralibus, uti cum ære, ſtanno, ferro, plumbo, ſi cupimus aurum tantum habere, non poterit illud ſine igne ab diverſis a ſe metallis purgari: ſic abſque exorciſmis anima purgari non poterit. Divini enim ſunt, ex diverſiſque Scripturis collecti.

(29) *Auguſtinus in Pſ. LXV.* Poſt *ignem* autem *exorciſmi* venitur ad baptiſmum, ut ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.

(30) *Concilium Carthagin. IV. Can. LXXXV.* Baptizandi nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati baptiſmum recipiant.

(31) *Auguſtinus de Fid. & Operib.* Sine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis & veris uxoribus ſe concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſollemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos.

(32) *Juſtinus M. Apolog. II.* Quicunque perſuaſi fuerint, & crediderint, vera eſſe, quæ a nobis traduntur... orare jejunantes, & petere a Deo remiſſionem peccatorum docentur. *Eadem habent Socrates* Lib. VII. Cap. 17. *Tertullianus de Baptiſmo* Cap. XX. &c.

mnium retro peccatorum confeſſionem ad Joannis Baptiſmi imitationem : (33) tum Cyrillus , & Nazianzenus chameunias, gemitus, & lacrymas, injuriarum condonationem, & pauperum commiſerationem addunt, ceu vera animi pœnitentis indicia (34). II. Fidei Symbolum edocebantur , quod memoriæ ipſis mandandum erat coram Epiſcopo in ultimo ante baptiſmum examine recitandum : quamvis autem ſtatim ac inter competentes adſciſcebantur, illud privatim edocerentur ; attamen nonniſi ſtatuta quadam die, & quidem pro Eccleſiis Galliæ ex Præſcripto Concilii Agathenſis ante octo dies Dominicæ Paſſionis , at in Eccleſiis Hiſpanicis ante viginti dies publice in Eccleſia iiſdem ab Epiſcopo tradebatur (35). Quod poſtea in die Paraſceves, quem diem Concilium Laodicenum *quintam majoris Hebdomadis feriam* adpellat, publice in Eccleſia coram Epiſcopo , vel Presbyteris ipſis recitandum erat: ita laudatum Concilium Laodic. & Theodorus Lector. III. Symboli recitationem ex tempore excipiebat Orationis Dominicæ inſtructio dicta *Oratio Fidelium*, quippe quæ a ſolis baptizatis jam per regenerationem filiis Dei factis adhiberi poterat; unde catechumeni ubi proxime baptiſmum ſuſcepturi erant , non autem antea, illam addiſcebant: ita Ferrandus Diaconus. IV. Aptas edocebantur reſponſiones, quibus in baptiſmo utendum erat, ubi ab Epiſcopo, vel Presbytero baptizante interrogabantur præſertim in iis , quæ ad renuntiandum Diabolo, & ejus operibus, pompis, cultui, atque Angelis &c. & conjungendum ſe cum Chriſto pertinebant. Quinimmo ex Tertull. , Ferrando Diacono , & Auctore Conſtitutionum colligitur Catechumenos bis publice in Eccleſia renuntiaſſe Diabolo: primum ubi exorcizabantur ; deinde ubi baptizabantur. Hinc *Tertull. de Cor. militis Cap. III.* ſcribit: *Aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus*. V. Tandem aliquot ante Baptiſmum diebus velati incedere conſueverunt; id teſtantur Cyrillus Hieroſ., Auguſtinus, & Junilius; qui & ejuſdem moris rationem aperit ſcribens : *Typum gerunt Adæ Paradiſo expulſi.....propter quod & per publicum capitibus tectis incedunt*. Eandem myſticam ſignificationem tradit quoque Auguſtinus Ser. IV. in Domin. Paſchæ. VI. Tangebantur eorum aures dicendo *Ephpheta, quod eſt adaperire:* id teſtantur Ambroſiaſter, & Petrus Chryſologus; qui & ejuſdem ritus ſignificationem tradit ſcribens, *apertionem aurium percipit, ut fidei capere poſſit auditum*. VII. Erat quoque conſuetudo illiniendi luto oculos catechumenorum, exemplo Salvatoris, qui cæco viſum reſtituit lutum ex ſputo faciens, quo illius oculos illevit: myſticam hujuſce cæremoniæ rationem tradit Ambroſius: *Quando*, inquit, *dediſti nomen tuum, & linivit ſuper oculos tuos. Quod ſignificat, ut peccatum tuum fatereris, ut conſcientiam tuam recognoſceres, & pœnitentiam ageres delictorum, hoc eſt ſortem humanæ generationis agnoſceres*. VIII. Quod ad ritum ſpectat, quo Catechumeni tempore exorciſmorum ardentem facem manibus tenuerint, num prioribus Eccleſiæ Seculis in uſu fuerit, recte hic quæri poſſet. Vicecomes, & Baſnagius adfirmant innixi auctoritatibus Cypriani, Auguſtini, & Albini Flacci. Verum loca Cypriani, & Auguſtini oppido dubia videntur, quum figu-

(33) *Tertullianus indicato loco*: Ingreſſuros baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptiſmum Joannis. Tingebantur, inquit, confitentes peccata ſua.

(34) *Nazianz. Orat. XI. de Baptiſmo*: Magnum tibi ad ea, quæ cupis, adſequenda, & retinenda ſubſidium adtulerint vigiliæ, jejunia, chameuniæ, orationes, lacrimæ, commiſeratio pauperum, largitio. *Eadem habet Cyrillus Catech. I. num. 5.*

(35) *Concilium Agath. Can. XIII.* Symbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis una die, id eſt ante octo dies Dominicæ reſurrectionis publice in Eccleſia competentibus tradi. *Conc. Bracarenſe II. Can. I.* Ante viginti dies baptiſmi..... Catechumeni ſymbolum, quod eſt Credo in Deum Patrem omnipotentem, ſpecialiter doceantur.

figurato, & metaphorico ſenſu recte accipi poſſint, ut ſpiritualem, & inviſibilem Spiritus S. virtutem ſignificent: præſertim quum exorciſmum quæ comitabantur orationes *ignis exorciſmi* aliquando dictæ ſint, ut alibi obſervavimus: neque Cyprianus, aut Auguſtinus de face in catechumeni manu ardente unquam apertis verbis meminere. Verum ſequiori ætate hanc praxim in Eccleſiam laudabili ratione invectam negandum non eſt; profecto ut ſignificetur quam ardens in eorum cordibus in Deum Caritas fervere debeat, & quam caute divina mandata ipſis ſint ſervanda: quod ſane ipſamet verba indicant, quæ a Sacerdote proferuntur, cum cereum accenſum Neophito tradit in dextera manu tenendum. Tandem teſtimonium Albini Flacci, qui Seculo VIII. ſcripſit, nonniſi de Paſchali cereo intelligendum eſt, qui catechumenos in ſolemni Majoris Sabbati baptiſmate præcedebat, uti ex ejus verbis inferne (36) poſitis quiſque collegerit. Poſtremo Baronius, Bellarminus, Petavius &c. ex quodam Auguſtini loco credidere antiquitus Catechumenos, licet Euchariſtiam non acceperint, accepiſſe vero partem Eulogiæ, ſive panis, ex quo Euchariſtia ipſa conſecrabatur. Auguſtini verba hæc ſunt: *Quod accipiunt catechumeni, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt*. At Auguſtini ævo quidquid ſpiritualem aliquem ſignificatum in ſe habebat, Sacramentum dici conſuevit; igitur Auguſtini ſententia omnino ad rem non eſt, ut inde colligatur IV. Seculo catechumenos Eulogiæ partem habuiſſe, præſertim quum ex Theophili Alex. *Cap. VII.* potius contrarium conſtet; ibi enim tradit panis reliquias, quæ poſt Miſſam diſtribui ſolebant, catechumenis fuiſſe negatas: adhæc Euchariſtia Sacramentum erat, quod Catechumenis abſconditum nonniſi poſt baptiſmum Neophitis aperiebatur. Veroſimilius igitur Card. Bona, Albertinus, & Baſnagius Auguſtini *Sacramentum* de Sale benedicto exponunt. Et ſane ipſe Auguſtinus de tempore, quo Catechumenus erat, loquens: *Signabar*, inquit, *jam ſigno crucis, & condiebar ejus Sale*: & maniſeſtius Concilium Carthag. III. Can. V. *Placuit, ut per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum Sal*.

§. VI. *De Pœnis, quibus Catechumeni in graviora peccata delapſi antiquitus ſubjiciebantur*.

IX. Catechumeni, ut qui ad plenam Eccleſiæ communionem nondum pertinebant, ſi in graviora quædam crimina delapſi eſſent, non iiſdem ſeveris Pœnitentiæ legibus ſubdebantur, quæ flagitioſis fidelibus, ut ſatisfacerent pro peccatis, imponi conſueverant: hinc eorum Pœna plerunque erat, vel de uno in alium catechumenatus gradum relegatio, vel baptiſmi ad mortem uſque prorogatio. Concilii Neocæſareenſis *Can. V.*, & Concilii Nicæni *Can. XIV.*, de Catechumenis genuflectentibus, ſive Proſtratis decernitur, ut ſi peccaverint in audientium claſſem reducantur. Tum in Concilio Illiberitano diverſis Canonibus pro majori, vel minori delictorum gravitate ad triennium, quinquennium, vel etiam ad finem uſque vitæ baptiſmum prorogandum ſancitur: & quamvis in hoc Concilio haud ſemel etiam in vitæ exitu fidelibus communio denegetur; nullum tamen exemplum, vel canonem hic, vel uſquam alibi invenimus, quo catechumeni urgente mortis periculo a baptiſmo prohiberentur.

CA-

(36) Cereus præcedit catechumenos noſtros, lumen ipſius Chriſtum ſignificat, quo præſens nox illuminatur, gratia ſcilicet reſurrectionis & catechumeni ad baptiſmum venturi. *Et quo inferius addit apertius Paſchalem Cereum deſignant*: Cereus, qui novo igne accenditur, novam Chriſti doctrinam......... qua nox Dominica illuſtratur, deſignat. *Lib. De Div. Offic. cap. XIX.*

CAPUT XVIII.

De origine, Natura, Variiſque in antiqua Eccleſia uſitatis Fidei Formulis.

§. I. *De Origine, variiſque Formularum Fidei nominibus.*

I. AC I. Fidei Formula quam frequentiſſime dicta eſt Symbolum, vel quod Apoſtoli univerſam Chriſtianam fidem in certa quædam capita digerere volentes, ſinguli ſymbolam ſuam dederint, atque hinc contexta illa Capitum ſumma Symbolum dicta ſit; vel quod veri Chriſtiani eo ſymbolo, veluti teſſera militari data, ab infidelibus, & hæreticis diſcernerentur; vel tandem quod ſit collatio, ſive collatæ in unum Chriſtianæ doctrinæ epitome. Suicerus autumat ita adpellari potuiſſe, non a militari teſſera, ſed a militari Sacramento, quo milites imperatori ſeſe obſtringunt. Verum eſt & teſſera & Sacramentum pacti, quod in Baptiſmo inimus cum Deo. Unde Ambroſius de Velandis Virginibus Lib. III. dicit: *Symbolum cordis ſignaculum, & noſtræ militiæ Sacramentum.* II. Dicta eſt *Κανὼν Canon*, eo quod eſſet Fidei Regula, ad quam Orthodoxi ab hæreticis diſtinguerentur. Profecto Regula Fidei, a qua Paulus Samoſatenus in Synodo Antiochena receſſiſſe ſcribitur, Eccleſiæ Symbolum eſt. Hinc a Græcis plerumque *Ὅρος*, & *Ἔκθεσις Πίστεως Definitio*, & *Expoſitio Fidei*, & interdum etiam ſimpliciter *Πίστις Fides* dicitur; ita Socrates, Theodoretus &c. A latinis vero abſolute Regula Fidei dicta eſt; ita Irenæus, Tertull., Hieron. &c. III. dicta eſt *Μάθημα Lectio*, quippe quæ a Catechumenis memoriter diſceretur. Hoc nomine donatur a Socrate, a Leontio Byzantino &c. Quare cum in Synodo Conſtantin. ſub Menna legimus, quod finita lectione Evangelica *Sancta lectio* ex conſuetudine lecta fuerit, id nonniſi de Lectione Symboli intelligendum eſt, quæ tunc temporis pars officii Euchariſtici jam facta erat. IV. Aliquando dicta quoque eſt *Γράμμα*, & *Γραφὴ Scriptura*, ſive *Scriptum*; id ex Sozomeno obſervat Valeſius. Fortaſſis hoc nomine ſignificabatur, quod ex Sacris Scripturis, ſive ex Scriptis divinitus inſpiratis potiſſimum collecta crederetur.

§. II. *Num Symbolum quod Apoſtolicum vulgo audiit, revera ab Apoſtolis etiam quod ad verborum formulas conditum ſit.*

II. Apoſtolicum Symbolum duplici ratione inſpici poteſt; nimirum & quod ad doctrinam, & quod ad verborum formulas ſpectat: quod ad doctrinam apud omnes peræque conſtat Chriſtum habere Auctorem, Apoſtolos Prædicatores. Ad rem Tertull. de Præſcript. cap. 37. *In ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit.* Illud ipſi quoque Heterodoxi fateri non abnuunt. *Neque enim dubium eſt*, (inquit Calvinus Libro II. Inſtitutionum Capite 16.) *quin a prima ſtatim Eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ævo, inſtar publicæ, & omnium calculo receptæ confeſſionis obtinuerit.* Eadem habet Voſſius n. 21.

III. Igitur id, de quo inter eruditos adhuc fervet quæſtio, illud profecto eſt, num Symbolum, quod jam ab IV. Seculo in Eccleſia, ceu Apoſtolicum audiit, etiam quod ad concepta verba, & ſententiarum ordinem ab Apoſtolis conditum fuerit. Primo autem animadvertendum, quod, quæ in Symbolis apud antiquiſſimos Patres adhuc extantibus obſervatur varietas, indicare videtur, illud ab Apoſtolis quod ad articulorum ordinem, ac verborum formulas conſcriptum non fuiſſe. A quo ſane veteres illi Patres non diſceſſiſſent, quinimmo integrum,

grum, intactumque poſteris reliquiſſent. At contra illud Apoſtolis omnino adſcribendum, plura, eademque firmiſſima videntur aſtruere rationum momenta. Ac primo ille ſemper in Eccleſia obtinuit Critices Canon, quem tradit Auguſtinus *Lib. III.* contra Donatiſtas: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Atqui Symbolum, ceu Apoſtolicum, & ab Apoſtolis conditum ipſis fatentibus adverſariis univerſa, ſaltem Seculo V. recepit Eccleſia, nec aliquo inſtitutum Concilio conſtat, ſed ſemper retentum ipſo Tertulliani ævo, qui illud compendio refert; auctoritate igitur Apoſtolica conſcriptum rectiſſime creditur. Præterea num Apoſtoli Symbolum illud ſuis ſententiis, vocibuſque conſtructum ediderint, res eſt, quæ ad hiſtoriam pertinet, & quæ nonniſi ab antiqua priorum Seculorum traditione repeti poteſt. Jam vero Seculo II. S. Irenæus Lib. I. adverſus hæreſes cap. 2. *Eccleſia*, inquit, *per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & a Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in Deum Patrem Omnipotentem*. Seculo II. exeunte, & III. ineunte Tertull. Lib. *de Præſcriptionibus*, uti modo vidimus, non modo illud Apoſtolis adſignat, verum & ejuſdem compendium refert. Seculo IV. Ambroſius Lib. I. Epiſt. 7. ad Simplicianum: *Credatur*, ſcribit, *Symbolum Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat*. Lucifer Calaritanus Lib. de non conveniendo cum hæreticis: *Contra*, ſcribit, *videamus Apoſtolos credidiſſe in unum Deum Patrem Omnipotentem, & in unum Filium ejus Jeſum Chriſtum, & in S. Paracletum Dei Spiritum*. Tum Rufinus, qui exeunte Seculo IV. & V. ineunte floruit, ſcribit, in Lib. *de Expoſ. Symboli*, conſtare traditione majorum (*Tradunt Patres noſtri*) omnes Apoſtolos in unum adunatos, & Spir. S. repletos Symbolum hoc edidiſſe, quod & ibidem operoſe explicat (*). Seculo V. Cœleſtinus I. in Epiſtola ad Neſtorium vocat Symbolum hoc *Symbolum ab Apoſtolis traditum*. Tum Synodus Epheſina in Relatione ad Theodoſium de Neſtorii depoſitione: *Fides*, ſcribit, *initio quidem a Sanctis Apoſtolis tradita: poſtea vero a trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæna expoſita*. Manifeſtius S. Hieronym. Epiſt. 61. ad Pammachium: *In Symbolo Fidei, & Spei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta &c.* Teſtimonia Sanctorum Leonis M., Maximi, & Iſidori Hiſpalenſis omnium lucidiſſima ſunt: ac præſertim S. Leo Ep. 13. ad Pulcheriam Auguſtam, *Siquidem*, ſcribit, *ipſius Catholici Symboli brevis, & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis*, &c.

IV. Jam vero ex dictis duo ſponte fluere videntur: Alterum eſt, quod Patres loquantur, non modo de doctrinæ medulla, verum etiam de verborum, ut ita inquam, cortice: Nam 1. illud afferunt, tanquam monumentum publicum notum ac certum, cujus etiam verborum initium innuunt. 2. Illud opponunt hæreticis, ceu regulam ab illis patenter, ac ſcienter violatam. 3. Fatentur Nicænos Patres illud explicaſſe, & clarioribus verbis, quod in eo generalioribus continebatur, eduxiſſe. 4. Memorant illud, ut intemeratum Eccleſiarum depoſitum, ac ſuis diſtinctum ſententiis, ſuiſque conceptum formulis: ergo a primis uſque temporibus hujuſmodi Symbolum non doctrina tantum, ſed verborum etiam integritate exſtabat. Alterum eſt, quod Patres hujuſce Symboli originem Apoſtolis diſertiſſime tribuant: namque 1. illud ſub eorum nomine referunt; 2. ab ipſis acceptum fatentur; 3. eorum ſententiis conſtructum tradunt. Ergo Symbolum Apoſtolicum Apoſtolos agnoſcit Auctores.

His

(*) *Hic obſervare juvat Rufinum, qui aliis in rebus plures, & acres paſſus eſt adverſarios, Hieronymum maxime, hac in re nullos hoſtes, ſed aut conſentientes omnes, aut certe non reclamantes habuiſſe; & quidem eo ſeculo, quo viri doctiſſimi, ac vetuſtatis tenaciſſimi floruere.*

His addeſis nihil in eo contineri, quod Apoſtolicam ſimplicitatem, & Majeſtatem non redoleat.

V. Unde igitur, inquies, in Symbolis apud antiquos Patres adhuc extantibus tanta varietas non modo in verbis, verum & in ſententiis? Profecto ſi quis vulgare Symbolum cum Romano, Aquilejenſi, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano &c., inter ſe attente contulerit, integrorum articulorum adjectionem, aut omiſſionem facile deprehendet. Nam 1. τὸ *deſcendit ad inferos* in vulgari, & Aquilejenſi ſupereſt, ab Romano, & Orientali abeſt. 2. *Sanctorum communio* in Vulgari Symbolo exprimitur, exulat a Romano, Aquilejenſi, Orientali. 3. *Vita æterna* in Vulgari memoratur, in ceteris ne verbum quidem.

VI. Hoc unum eſt, quod difficile ſolvendo eſſe videtur, & in quo mirifice ſibi plaudunt adverſarii. Verum ſi quis recte conſideret hoc Symbolum ab Apoſtolis teſte Hieronymo non Chartis traditum, ſed memoriæ fidelium conſignatum fuiſſe, facile binas hujuſce varietatis cauſſas agnoſcet. Prima eſt memoriæ inſtabilitas: namque in libris ipſis deſcribendis tam variæ lectiones ſæpe inciderunt; quanto magis in verbis memoria retinendis, in tanta nationum disjunctione, in tanta temporis diuturnitate? Altera eſt novarum hæreſeon in dies emergentium infelix propago, cui ſuccidendæ clarior alicujus articuli explicatio requirebatur, adeout quæ in uno Articulo veritates virtute, ut ajunt, continerentur, ad errorem refellendum tanquam ex ſemine diſcluderentur. Hinc 1. deſcenſus ad inferos, uti Rufinus ipſe obſervat, virtute latet in Chriſto ſepulto. 2. Sanctorum communio in ipſa vivificantis Spiritus, & S. Eccleſiæ confeſſione concluditur. 3. Tandem vita æterna in Carnis reſurrectione ſatis exprimitur: *ex qua nempe*, ut ait Rufinus, *miniſtratur juſtis perpetuitas gloriæ*, *reis prolixitas confuſionis*. Ceterum ex ſolius Romanæ Eccleſiæ Symbolo quid Apoſtolicum habeat, colligendum eſt; tum quod Apoſtolorum Symbolum Romana Eccleſia ſemper intemeratum cuſtodierit, ac ſervaverit, teſte Ambroſio; tum quod neque hæreſis ulla ſuum ſumſerit illic exordium, & vetuſta in Catechumenis recitandi Symbolum conſuetudo perpetuo obtinuerit, eodem teſte Rufino. Præterea aliqua ab adverſariis proferuntur Symbola, quæ ab Romano longe diſtare videntur, ut illa Irenæi, Origenis, Gregorii Thaumaturgi &c. Sed hæc vere Symbola non ſunt, ſed potius Fidei Chriſtianæ Expoſitiones, ac fortaſſe Symboli Apoſtolici Explicationes, quum ab eo quod ad ſenſum, & ſententiam nihil differant.

§. III. *De Symbolo Nicæno*.

VII. In Synodo Nicæna adverſus Arianam blaſphemiam Symbolum conditum eſt, ſive potius Apoſtolicum iis additamentis auctum eſt, quæ Verbi divinitatem, ejuſque Patri conſubſtantialitatem ſtatuerent: nimirum *in unum Dominum J. Chriſtum filium Dei* &c. uſque ad verba illa, *Et in Spiritum S.* ubi terminabat. Haud quidem quod ea doctrinæ capita, quæ dogma de Sp. S. ſequuntur, Symbolum Apoſtolicum complexum non fuiſſet; quum Symbola Hieroſolymitanum, Alex., Antioch., & Romanum, quæ uti modo obſervavimus, ipſum Apoſtolicum Symbolum erant, vel ejus explicationes, aut epitomæ, iis non caruerint. Cur vero Synodus Nicæna ea non repetierit id in cauſa fuit, quod tunc temporis non eſſent vocata in controverſiam. Unde Patres Nicæni iis tantum recitatis, quæ ad reprimendam Arianam hæreſim opportuna erant, cetera ex Apoſtolico tunc generatim in Eccleſia recepto ſupplenda reliquerunt.

§. IV. *De Symbolo Conſtantinopolitano*.

VIII. Symbolum Conſt. ipſum eſt Nicænum ea duntaxat parte auctum, quæ ad Spiritus Sancti divinitatem pertinet; nimirum *credimus in Spiritum S. Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum* &c. tantummodo vocula *Filioque* poſtea ab

ab Eccleſia latina addita eſt. Ac primo occurrit in Concilio Bracarenſi anni 411. & in Concilio Toletano anni 589. Jam vero in Gallia & Germania nonniſi VIII. Seculo ea additio facta eſt, quum primum Aquiſgranenſis Syn. Patres illam adhibuerint anno 809. & quidem nemine contradicente, quod ſane indicat jam aliquot ante Synodum annis eam apud Gallos, & Germanos obtinuiſſe. Eccleſia Romana poſtrema fuit in ea amplectenda; namque quum ineunte Seculo IX. eam rejeciſſet Leo III. deinde medio eodem Seculo illam admiſit Nicolaus I. uti ex Ratramno Corbejenſi Monacho colligere licet, ex quo tempore univerſim per Chriſtianas Eccleſias recepta videtur.

§. V. *De Symboli Nicæni uſu in antiqua Eccleſia*.

IX. Ac 1. per Orientales Eccleſias ſtatim poſt Nicænam Synodum in Baptiſmate adhibitum eſt. Id patet tum ex Actis Conciliorum Generalium Epheſini, & Chalcedonenſis, tum quoque ex eo, quod frequenter nuncupatum ſit Symbolum Fidei, *in quo baptizati ſumus, & baptizamus:* adhæc & Baſiliſcus Imperator illud vocat *Symbolum*, *in quod cum nos, tum majores noſtri credentes baptizati ſumus*.

X. Præterea in Sacra quoque liturgia primum privata, mox etiam publica illud veteres Patres adhibitum voluere. S. Ambroſius Sacras Virgines eo uti præcipit tum in antelucanis horis, tum aliis opportunis occaſionibus. Et Habertus id etiam ab Epiſcopis in ipſorum ordinatione requiſitum fuiſſe exiſtimat. Verum in publico Dei cultu nonniſi quinto Seculo fere exeunte primum adhibitum eſt; namque ex Theodoro Lectore habemus Petrum Fullonem Epiſc. Antiochenum circa annum 471. præcepiſſe, ut in ſingulis collectis recitaretur: quam conſuetudinem in Eccleſiam quoque Conſtantinopolitanam ann. 511. juſſu Timothei Epiſcopi invectam fuiſſe idem adfirmat Theodorus.

XI. Ex Orientalibus in Occidentales etiam Eccleſias traductum eſt: ac primo quidem in Hiſpanias jubente Recharedo Rege per Synodum Toletanam III. anno 589. quippe quod antidotum viſum eſt aptiſſimum adverſus Arianam hæreſim, qua recens Hiſpaniæ liberatæ erant. Jam vero per univerſam Eccleſiam non ante annum milleſimum publice in Eccleſiis cantari cœpit, præſertim quum nonniſi Benedicti VIII. ætate ann. 1014. hæc praxis in Eccleſiam Romanam introducta fuerit, uti ex Bernone Augienſi colligitur.

§. VI. *De Symbolo Athanaſiano*.

XII. Baronius, aliique poſt ipſum illud revera ab Athanaſio conſcriptum, eamque fidei confeſſionem eſſe, quam Romæ Julio I. obtulit, crediderunt: verum recentiores critici poſt Voſſium, & Queſnellium illud Athanaſio abjudicare non dubitant, & quidem validiſſimis rationibus. Ac 1. quidem nullus Auctor Athanaſio coævus, aut ſuppar ante Concilium Auguſtodunenſe Seculo VII. celebratum ejuſdem meminit, aut ſub Athanaſii nomine inter Eccleſiaſtica monumenta recenſuit. 2. In antiquis pene omnibus operum S. Athanaſii Manuſcriptis Codicibus deſideratur. 3. Athanaſius ipſe in Epiſtola ad Antiochenſes ſe a condenda nova Fidei formula alienum prodit, ac Symbolum Nicænum omnibus numeris abſolutum eſſe contendit; quo hæretici a Catholicis ſatis diſcriminarentur. 4. In cauſſis Fidei graviſſimis nunquam luculentiſſima ejus Teſtimonia producta ſunt, quæ ſane maximo Patribus uſui fuiſſent; præſertim Cyrillo, & Leoni adverſus Neſtorium, & Eutychetem. 5. Tandem locutionibus refertum eſt ab Athanaſii ævo longe abhorrentibus; ac ſtylus ipſe, & dictio latinum prodit Auctorem, quum nulla in eo hominis Græci, vel græciſſantis appareant veſtigia.

XIII. Verum cuinam veroſimilius tribuendum ſit diſputant Eruditi: eruditus Operum S. Leonis adnotator Queſnellius totus in eo eſt, ut demonſtret Vigilio Ta-

Tapſenſi in Africa Epiſcopo, qui Seculo V. exeunte floruit, omnino eſſe adſcribendum. Hæc conjectura his potiſſimum momentis fulcitur. Inter S. Leonem, cujus ævo ignotum erat, & Synodum Auguſtodunenſem, in qua memoratur, nullus eſt inter Catholicos, inter Latinos Eccleſiaſticus Auctor, cui magis conveniat, quam Vigilius: 1. quia Vigilius ſummo tuendæ fidei zelo æſtuabat, pro qua etiam in Oriente exulavit. 2. Quia ea floruit ætate, qua maxime Ariana hæreſis in Africa, ubi ſedebat, Neſtoriana vero, & Eutychiana in Oriente ubi exulabat, perſtrepebant. 3. Quia cetera Vigilii opera contra eaſdem hæreſes pugnant. 4. Quia alias fidei formulas edidit, quas ſub Athanaſii quoque nomine promulgavit. 5. Quia ſtylus ceterorum Vigilii Operum Symboli dictioni fere ſimilis eſt. 6. Tandem, quia Theodulphus Aurelianenſis Symbolum citat ex iis Athanaſio tributis libris, qui Vigilii eſſe jam certo dignoſcuntur; quippe in antiquo, & probato Codice Floriacenſi cum Vigilii libris adverſus Neſtorium, & Eutychetem conjunguntur. Ex quibus Symbolum a Vigilio conſtructum ſub nomine Athanaſii, & in græcum ſermonem verſum in Eccleſiarum Archivis diu latitaſſe credi poteſt.

CAPUT XIX.

De Origine, Natura, et Caussis Sacra Ecclesiæ mysteria Catechumenis reticendi.

I. Iſthæc Myſteria Chriſtiana coram catechumenis aliiſque nondum initiatis reticendi conſuetudo, num ab divino Chriſti mandato, vel ſaltem ſpeciali quodam Apoſtolico Decreto, an vero ex prudenti quadam veterum Eccleſiæ Epiſcoporum Œconomia ſuam traxerit originem, gravis eſt inter eruditos controverſia. Verum illud in dubium revocandum haud videtur jam inde ab antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus Catholicos Epiſcopos eam maximopere adhibuiſſe, & quidem pluribus de cauſſis, quas mox proferemus.

II. Ac primum omnino diſtinguendum cenſeo inter præcipua Chriſtianæ doctrinæ capita, & ſacratiores Myſteria Religionis celebrandi ritus. Illa non modo prioribus Eccleſiæ Seculis, verum & ipſo Apoſtolico ævo οἰκονομικῶς prodebantur, vel occultabantur; hi vero nunquam niſi initiatis patefacti videntur.

III. Et ſane Doctrinæ Dogmata quod ſpectat, difficiliora ex ipſis, & abſtruſiora nonniſi jam proxime baptizandis tradi conſueverunt. Hunc morem Apoſtolum Paulum haud ſemel ſervaſſe tum ex Actis Apoſtolorum, tum ex ejus Epiſtolis aperte colligitur. Sequutis quoque temporibus eadem οἰκονομίᾳ uſi ſunt Chriſtiani Epiſcopi præſertim in tradendo Myſterio Trinitatis, Sacramento Euchariſtiæ, Oratione Dominica, & Symbolo Fidei. Tertullianus in Apologetico ſcribit: *Omnibus myſteriis ſilentii fides debetur*; & alibi hæreticos arguit, quod hanc diſciplinam non ſervent: *Quis catechumenus*, inquit, *quis fidelis incertum eſt: pariter audiunt, pariter orant* &c. tum de Oratione Dominica ſcribit Theodoretus: *Hanc orationem haud nondum initiatos, ſed jam jam baptizandos condocemus*, cujus rei rationem tradit Chryſoſtomus: *nondum quippe initiatus*, inquit, *baptiſmatis Sacramento, non poteſt Deum Patrem vocare*. Præterea Symbolum, eo quod abſtruſiora Incarnationis, & Trinitatis myſteria complecteretur, nonniſi quadraginta ante Baptiſma diebus Catechumenis memoriæ tradendum docebatur: id ex Hier. Aug. aliiſque patet.

IV. Verum eadem hæc, ubi Religionis bonum poſtularet, non modo coram Catechumenis, verum & coram ipſis Chriſtianæ Religionis hoſtibus publice prodebantur: quod veteres Apologiſtæ haud ſemel præſtiterunt, potiſſimum ut in-

intentatas cœtibus fidelium calumnias depellerent.

V. Quod vero ad ritus ſpectat, qui in Sacramentorum potiſſimum adminiſtratione, ac ſacratiori cultus divini parte adhibebantur, hi nondum initiatis ſemper occultati ſunt. Hinc Baſilius Baptiſmum, Euchariſtiam, & oleum chriſmatis res eſſe dicit, *quas neque intueri nondum initiatis fas ſit*. Et Auguſtinus interrogans: *Quid eſt, quod occultum eſt, & non publicum in Eccleſia?* reſpondet, *Sacramentum baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ. Opera noſtra bona vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis*. Atque hac de cauſſa apud catechumenos de baptiſmo, aliiſque Sacramentis nonniſi tecte, & occulte Patres loquebantur: hinc Cyrillus Hieroſ.: *De myſteriis apud catechumenos aperte non loquimur, ſed multa ſæpe loquimur obtecte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent haud lædantur*. Eadem habes apud Chryſoſtomum, Theodoretum, Cyrillum Alex. &c. Ex quibus evidenter colligitur, catechumenos nunquam ad intuendam externam baptiſmatis cæremoniam, vel ad audiendos perſpicuos de modo illum adminiſtrandi ſermones fuiſſe admiſſos.

VI. Sacerdotum quoque Ordinationem inter ea reperimus, quæ catechumenis celabantur: hinc Synodus Laodicena Can. V. *Quod non oporteat ordinationes ſub conſpectu audientium* (hoc eſt catechumenorum) *celebrari*. Chryſoſtomus quoque nefas eſſe ſtatuit coram profanis, hoc eſt iis, qui myſteriis initiati non ſunt, de ordinatione agere.

VII. Neque publica liturgia, ſive ſolemnes Eccleſiæ precationes catechumenis patefactæ. Namque ex his, qui *Audientes* erant, tantummodo ad ſermones audiendos; qui *Genuflectentes* nonniſi ad preces ſibi ipſis proprias; qui tandem *Competentes* duntaxat ad precationes, quæ pro ipſis, & energumenis fiebant, ſtare poterant, & tum dimittebantur Diacono proclamante: *Ne quis audientium:* vel *Ite Miſſa eſt*. Hinc neque ſolemne pœnitentes abſolvendi officium coram catechumenis peragebatur: id quod fiebat proxime ante, quam ad altare iretur ad ordiendam ſacræ Euchariſtiæ celebrationem. Hæc omnia ex iis conſtabunt, quæ alibi, ubi de Liturgia ſermo redibit, proferemus.

VIII. Quæ quum ita ſint, potiori jure Euchariſtiæ conſecrandæ ritus catechumenis occultabantur. Semper enim omnium ordinum catechumeni dimiſſi ſunt, antequam preces inchoarentur, quæ Euchariſticam celebrationem ſpectarent, atque adeo januæ Eccleſiæ a miniſtris cuſtodiebantur, quorum partes erant cavere, ne quis haud initiatus introiret. *Myſteria clauſis januis celebramus*, inquit Chryſoſtomus, *& eos, qui nondum initiati ſunt, adeſſe prohibemus*. Eadem habes apud Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, alioſque. Hinc Epiphanius, & Hieronymus Marcionitas arguunt, quod catechumenos indiſcriminatim cum fidelibus ad omnia myſteria ſua admitterent, & Athanaſius illam ſibi ab Arianis calumniam de ſacræ menſæ tempore oblationis everſione, quam catechumeni cujuſdam teſtimonio probare adlaborabant, ſic depellit: *Qui potuit oblatio appoſita eſſe, quum intus eſſent catechumeni? Si enim intus erant catechumeni, nondum oblationis tempus erat*.

IX. Jam vero neque perſpicue coram catechumenis de tanto, tamque ſublimi myſterio Sermones habebantur: uti quoque nec de aliis ſacratioribus Religionis Chriſtianæ Sacramentis: hinc Theodoretus: *Obſcure propter non initiatos diſſerimus de divinis myſteriis: his vero ſemotis initiatos aperte docemus*; & Ambroſius: *Nunc de myſteriis dicere admonet, atque ipſam ſacramentorum rationem edere: quam ante baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremus*. Atque hinc Patres, ac præſertim Chryſoſtomus quam frequentiſſime phraſi illa utuntur: *Initiati ſciunt, quod dicitur*; & *Norunt fideles*. Igitur in veteri Eccleſia licet œconomiæ cauſſa Doctrinæ Dogmata aliquando catechumenis, aliiſque Gentilibus occultarentur; at vero Sacramentorum Symbola

Digitized by Google

bola, ritus eadem celebrandi, rituumque cauſſæ, tum quoque & ſolemnes Eccleſiaſticæ Precationes, ſumma diligentia adhibebatur, ut Catechumenos, alioſque non initiatos laterent.

X. Jam vero cauſſæ, cur hæc diſciplina tanta providentia ab veteribus Epiſcopis ſervaretur, tres potiſſimum videntur fuiſſe. 1. Ne Chriſtianorum rituum evidentia, & ſimplicitas contemptui haberetur, neve ſcandali illis daretur occaſio, qui de horum myſteriorum natura ſatis adhuc eruditi non eſſent. Judæi namque, & Gentiles, ex quibus catechumeni Eccleſiæ adſcribebantur, magnificis cæremoniis, ac ſplendidis carnalibuſque ſacrificiis adſueti rituum Chriſtianæ Religionis nuditatem ſimplicitatemque videntes facile adduci poterant, ut aliquid inde offenſionis acciperent, antequam a Doctoribus Chriſtianis de eorumdem myſticis ſignificationibus, ac ſpiritualibus effectis inſtruerentur. Hinc Chryſoſtomus: *Myſteria clauſis januis celebramus, & eos, qui nondum initiati ſunt adeſſe prohibemus, non quia infirmitatem myſteriorum aliquam deprehendamus: Sed quia ad participationem eorum illi adhuc, quos arcemus, infirmi ſunt.* Similia habes apud Cyrillum Hieroſ. Athanaſium &c. Hinc Patres Synodi Alex. crimini vertunt Meletianis, quod non pudeat eos coram catechumenis, & quod pejus eſt, coram Ethnicis myſteria traducere; tum ſubnectunt: *Nefas enim eſt myſteria apud non initiatos traducere, ne Ethnici quidem horum ignari irrideant; catechumeni vero ad curioſitatem deducti ſcandalizentur.*

2. Ut reverentia illis myſteriis conciliaretur, ab quorum cognitione, qui adhuc initiati non eſſent, repellebantur. Hinc Baſilius: *Myſteriorum veneratio ſilentio conſervatur;* & Auguſtinus: *adhibuimus tam ſanctis rebus, atque divinis honorem ſilentii.*

3. Ideo tandem Sacramentorum, ac præcipue Baptiſmi, & Euchariſtiæ celebrandæ ritus Catechumenis occultabantur, ut eorum excitaretur curioſitas, ac zelus ferveret, ut ſic ad ea participanda, & ipſo uſu, ac experientia cognoſcenda tanto ſtudioſius, ſollicitiuſque feſtinarent. Hinc Auguſtinus: *ut tanto ardentius ab iis concupiſcantur, quanto eis honorabilius occultantur;* & alibi: *Si quid non intelligunt catechumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam.*

Tomi I. & Partis II. Libri I. Finis.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Franceſco Antonio Benoffi* Inquiſitor General del Santo Officio di *Padova*, nel Libro intitolato, *Antiquitatum Chriſtianarum Inſtitutiones*, *Auct. Julio Laurentio Selvagio* Stampato, non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè*, Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 23. Marzo 1775.

(*Andrea Tron Cav. Pr. Rif.*

(*Girolamo Grimani Rif.*

(*Sebaſtian Foſcarini Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 182. al Num. 232.

Daviddi Marcheſini Seg.

Addì 28. *Marzo* 1775.
Reg. nel Mag. Ecc. contro la Beſtemmia.

Gio. Pietro Dolfin Seg.

MAG 2013542

Digitized by Google

Digitized by Google

Legatoria
R. SALVAREZZA
ssina, 56
ROMA